CORPVS ET SYNTAGMA CONFESSIONVM FIDEI

QVÆ IN DIVERSIS REGNIS ET NATIONIBVS, ECCLESIARVM nomine fuerunt authenticè editæ : in celeberrimis Conuentibus exhibitæ, publicáque auctoritate comprobatæ.

QVIBVS ANNECTITVR, IN OMNIBVS CHRISTIANÆ Religionis Articulis, CATHOLICVS CONSENSVS, *ex Sententiis Veterum, qui* PATRES *vocantur, desumptus.*

CONFESSIONVM ENVMERATIONEM ET HARMONIAM: atque huius Catholici Veterum cum illis Consensus, ordinem indicant paginæ primæ singularum partium huius Syntagmatis, in Tres Partes distributi.

EDITIO NOVA,

In qua quid præstitum sit, docet pagina sequens.



GENEVÆ,

Sumptibus Petri Chouët.

M. DC. LIV.

IN HAC EDITIONE
peculiariter obſeruandum,

I. Helvetica Confeſſio exhibetur qualis excuſa eſt Tiguri, typis Io. Iac. Bodmeri, 1651.

II. Belgica Confeſſio exhibetur, qualis relecta, examinata & approbata eſt in celeberrima auguſtiſſimaq; Synodo Dordrechtana, anno 1619.

III. In fine addita eſt Confeſſio Baſileenſis, qualis excuſa eſt Baſileæ à Georgio Deckero, anno 1647.

IV. Iudicium Synodi Nationalis Reformatarum Eccleſiarum Belgicarum habitæ Dordrechti, anno 1618. & 1619. Cui plurimi inſignes Theologi Reformatarum Eccleſiarum interfuerunt, de quinque doctrinæ capitibus in Eccleſiis Belgicis controuerſis. Ex Actis eius Synodi.

V. Subjuncta quoque eſt Cyrilli Patriarchæ Conſtantinopolitani Fidei Confeſſio, Latinè, ex ipſius autoris αὐτογράφῳ.

VI. Generalis Confeſſio doctrinæ Eccleſiarum Reformatarum in Regno Poloniæ, Mag. Duc. Lithuaniæ, annexiſq; Regno Prouinciis, ad liquidationem Controuerſiarum maturandam propoſita 1.Sept.1645. in Conuentu Thorunienſi.

PRÆ-

PRÆFATIO.

EXHIBENTVR *hoc in Volumine, celeberrimæ Confessiones Fidei ex optimis quibusque editionibus omni ex parte integræ. Non priuatum aut alicuius priuati scriptum, sed publicum ad omnes & singulos pertinens: in quo Ecclesiæ Dei audientiam sibi fieri postulant, vt ex ipsarum vocibus dignoscatur earum doctrina: nihil enim, nisi abscondi veretur Religionis veritas, ne damnetur ignorata. Fuerat quidem earum Harmonia, ante triginta annos edita: sed per varias sectiones intersecta. Nunc verò illæ tanquam corpus integrum, conspiciendæ repræsentantur, & quàm in illa editione plures. Venustiùs autem & vtiliùs cernitur ipsum corpus totum, quàm partes eius diuulsæ. Earum quoque nexus & harmonia facilè deprehendetur vel ex integra lectione, vel ex Concordantia per singulos articulos hìc illis annexa: quibus etiam in hoc Syntagmate adiungitur ex Sententiis veterum, qui Patres vocantur, Catholicus Consensus: Anno quidem 1595 à me editus, nunc rursus multò locupletior factus, ac quibusdam Articulis auctus: cuius institutum declarat quæ in illo est ad Illustrissimum Principem præfixa Epistola.*

At verò cur illæ Confessiones fidei constitutæ in diuersis Regnis & Nationibus, causæ fuere complures perquam necessariæ, quæ in ipsarum Præfationibus declarantur. Nam per illas, tanquam ex Tabulis authenticis quid in Ecclesiis doceretur, manifestum fuit, aduersus calumnias & iniqua præiudicia: vnde & in celeberrimis Conuentibus exhibitæ fuerunt

atque Ecclesiarum nomine euulgatæ, vt vniuersis innotescerent.

Earum tamen Antiquitas & Origo non ducitur ab illis annis quibus fuerunt editæ, sed à doctrinæ vetustate ex verbo diuino omnium antiquissimo desumptæ, quæ in illis demonstratur. Iampridem erant in illis Regionibus Ecclesiæ extructæ, per instauratam, nouissimis hisce temporibus, Euangelicam prædicationem. Id ex Ecclesiasticis historiis cognoscitur, & ex breui singularum designatione, initio cuiusque partis huius Syntagmatis. Proinde nec in illarum collocatione perpendendæ sunt locorum, aut ætatum circunstantiæ, nationúmue præstantia: vt aliæ aliis præferantur: sed in illis ponderanda est doctrina, ex verbo diuino firmata, cui adhærescendum. Verùm Confessiones ipsæ rationem sui satis proferunt, vt ex earum lectione sincera quid statuendum sit, constet plenissimè.

Attamen requirunt multi, vt vna duntaxat edatur omnium Ecclesiarum fidei Confessio. Vehementiùs exprobant alij Confessionum multitudinem. Verùm non animaduertunt vtrique, Primùm, Symbolum Apostolicum fidei analogiam continere: veteres tamen Christianos, necessariò multas edidisse Confessiones, præsertim in quatuor Oecumenicis Conciliis, ad vnicum fidei Articulum exponendum de Persona Domini nostri Iesu Christi. Nihil mirum videri debet, inquit Hilarius libro de Synodis, quòd tam frequenter multis Confessionibus exponi fides cœpta sit: necessitatem hanc furor hæreticus imponit. Hæc ille. Quum igitur non de vno tantùm fidei capite agendum fuit, sed de omnibus Articulis, plures hisce temporibus edere Confessiones necesse fuit, quibus omnes Symboli Apostolici Articuli, eximiè ex verbo diuino explicati: quæ omnes etiam vnanimi consensu recipiunt Veterum Orthodoxas Confessiones, illiúsque producunt quoties de illo capite quæstio.

Ad hæc quum singuli debeant ex Apostoli præcepto, spei suæ reddere rationem, quando opus est, quantò magis Ecclesiæ in diuersis locis sitæ, quid apud ipsas doceretur, publica Confessione testari debuerunt? Nec à Gallis Euangelicam doctrinam profitentibus exigebatur, quid Germani crederent, aut in suis Ecclesiis docerent, sed quid ipsi: nec Germani

dixissent opportunè, se ea credere quæ alij. Amplius: Quænam Ecclesia habet in alias dominium, vt aliis præscribat? Porrò, non fuerunt eodem tempore constitutæ Ecclesiæ: atque vt publicè ac Authenticè proferrent suas fidei Confessiones, alij has, alij alias habuere causas. Atqui Gallicæ Ecclesiæ vnicam habent fidei Confessionem: Heluetica similiter & Belgicæ, atque etiam Anglicæ & Scoticæ: & illæ quidem vniusmodi omnes. In Germania plures, variis de causis, quæ suis locis explicantur. Verùm, quàm peruersè, multitudo harum Confessionum exprobratur ab iis qui nullam habent ipsi Confessionem fidei, aut prorsus incertam & vagam! Sunt, erúntque ad omnem posteritatem & apud omnes, hæ Confessiones Ecclesiarum Orthodoxæ, singularis Dei beneficentiæ testimonia locupletissima. Si vnica esset confessio, clamitarent Adversarij fuisse Syncretismum. Si vnicus in re magni momenti produceretur testis, quem locum haberet eius testimonium? At sub tot tantisq; testibus hîc productis, excusationum non admissæ veritatis tolluntur prætextus.

Et verò: diuina prouidentia, omni tempore adhibuit veritatis suæ testes & assertores complures. In ore duorum aut trium testium, est quidem certus sermo, ait Apostolus: in tanta verò tantorum testium certitudine quî tantus tenebrarum amor, vt ad lucem oculi non aperiantur? Imò in illa Confessionum multitudine & varietate apparet Spiritus Sancti opus. Quandoquidem, non communicatis consiliis, non collatis sententiis, eadem sanctè dicantur à diuersis, & ab iis qui tantis locorum interuallis erant dissiti: adeò vt in hisce Confessionibus eluceat mira consonantia: & in præcipuis, ea conformitas vt vna eadémque sit prorsus ratio. In paucis si videatur quædam dissimilitudo: illa componi potest liquido ex superioribus fundamentis, & ex generalibus preceptis: quum vna sit alterius explanatio illustris. Vtile est, inquit cum Basilio Augustinus, multas habere orthodoxas expositiones, atque Sacræ Scripturæ interpretationes & commentationes diuersis verbis traditas, dum non diuersa fide. Illa diuersitas plus adiuuat quàm impedit intelligentiam, si modò legentes non sint negligentes: obscuriores etiam sententias plurium

codicum sæpe manifestauit inspectio. Illa dixit Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana. Nam ex diuersis Spiritus Sancti donis, alij maiores habent progressus, alij accuratiùs ac solidiùs explicant, alij faciliùs & copiosiùs: meliores tamen, qui propiùs ad verbi diuini normam accedunt. Iniquum igitur foret ad eiusdem formulæ præscriptum omnes compellere: præsertim quum omnes Tractatus Ecclesiastici sint reuocandi ad Analogiam fidei, quæ in Symbolo Apostolico continetur: ad formam ritè inuocandi nominis Dei, in Oratione Dominica propositam: ad Moralis diuinæ legis summam, quæ est in Decalogo: ad verbum denique diuinum quod est in S. Scriptura. Id vnanimi consensu omnes Christianos agnouisse & agnoscere, docet articulus primus Catholici Consensus: & vno ore omnes Ecclesiarum Confessiones.

At imprimis objiciuntur Dissidia in Religione inter nonnullos qui doctrinam profitentur Euangelicam. Exinde dictitant multi se deterreri quominus se Ecclesiis Orthodoxis adiungant, se impediri, quominus veram Religionem dignoscant. Sed nullum habent locum querimoniæ & expostulationes istæ, vbi ex hisce Confessionibus de Religione aliquid est statuendum. Quænam est in eis discrepantia, propter quam, lucem Euangelij non cernant ij qui tantopere se illis dissensionibus offendi prætexunt? Ex confessionibus remouentur hæc dissensiones & controuersiæ. Omnino, Per odiosas appellationes vulgò iactatas: per turbulentas calumniantium vociferationes: per iniqua & imperita præiudicia, ac præsertim per concertationes vehementiores quorundam Doctorum suis affectibus nimis indulgentium, inter Ecclesias orta dissidia, & controuersiæ propagatæ.

Veteres Christiani frequenter ab Ethnicis vexabantur eiusmodi obiectionibus, ex dissidiis de Religione. Easdem proferunt aduersus Christianos, Mahumetani & Iudæi infideles. Quapropter veterum Christianorum responsio, nostra quoque debet esse ad talia responsio. Primùm enim Constantinus magnus Imperator in literis suis, hac vtebatur admonitione: Nemo perturbetur quòd multæ sint inter Christianos de doctrina fidei dissensiones. Lateret virtutis venustas & gratia, nisi pugnaret haberetque

ret que oppositum vitium: idcirco proposita est et corona. Et beatus Chrysostomus in Acta, Homilia 33. Non potest aliquod bonum fieri, quin simul pullulet malum. Ethnicus dicit, Cupio fieri Christianus, sed nescio cui adhæream: tot enim sunt inter vos sectæ: nescio cuius dogma eligam: nescio cui credere debeam: illi utrinque sacras Scripturas proferunt, quarum ego sum ignarus. Respondebis, inquit Chrysostomus: Multum hoc pro nobis, quòd contendentes de religione, sacras Scripturas proferant. Nam si diceremus nostris rationibus credendum esse, meritò turbareris. Sed quum Scripturas accipimus, facilè tibi fuerit dijudicare, quum illæ sint simplices & perspicuæ. Si quis illis consentit, Christianus est, si quis eis repugnat, procul est ab hoc canone, Christiani nimirum nominis. Celsus Philosophus Ethnicus dicebat apud Origenem: Scissi sunt Christiani in diuersas factiones: nec iam quisquam inter illos superest, præter nomen commune, &c. Symmachus quoque Romæ præfectus, Ethnicus acerrimus, homo eloquens alioqui & doctus, ad Valentinianum, Theodosium Iuniorem & Arcadium Imperatores scribens, similia dictitabat. At beatus Ambrosius in Epistola ad eosdem Imperatores, paucis obiectum diluebat, his verbis, Quando de Religione tractatus est, Deum rogita. Nullius iniuria est cui Deus omnipotens antefertur: habet ille sententiam suam. Erubescat senectus quæ se emendare non potest. Non annorum canities est laudanda, sed morum. Nullus pudor est ad meliora transire. Cui magis de Deo, quàm Deo credam? Illi verò maledico Celso fusiùs sic respondebat Origenes, libro tertio: Nulla unquam extitit res magnæ existimationis & communi vitæ utilis, quæ non in varias sectas dissecta sit. Medicina, Philosophia, nec non Iudaismus ipse plures habent sectas. At neque Medicinam propterea sanæ mentis homo fugiat: ut parùm honestè faciat si quis simili de causa abhorreat à Philosophia: sicut neque propter Iudaicas sectas, damnanda sunt Mosis & Prophetarum volumina. Ac de sectis Christianorum miranda videtur Pauli sententia dicentis, 1.Corinth.11. Oportet sectas in vobis esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant. Sic etiam Clemens Alexandrinus

libro 7. Stromatum. Ethnici (vel Pagani seu Gentiles) & Iudæi nobis hoc primùm obiiciunt: Non habendam esse fidem nobis Christianis propter dissonantiam quæ est inter nos, quum alij alia doceant: Quibus respondemus, Etiam inter vos Iudæos, & inter celeberrimos Græciæ Philosophos, multas esse & repugnantes sectas: nec propterea dicitis desistendum esse à Philosophia aut à Iudaismo. Deinde respondemus, Disseminatas fuisse hæreses, vt in frumento Zizania, hoc prædicente Domino. Nonne Medici contrarias habent opiniones & contentiones? num idcirco non accedent ad Medicos ægroti? Sunt hæreses propter probatos qui peruenerunt ad fidem, qui accesserunt ad Dominicam doctrinam, qui tanquam tarpezitæ adulterinum numum discernunt, accurata veri inuestigatione, qua iudicant quibus sit credendum & adhærescendum. Illud κριτήριον illa diiudicatio fit per veritatis demonstrationem, quæ sumitur ab ipsis Scripturis. Illæ sunt κριτήριον, norma iudicandi: alioqui est tantùm οἴησις, opinatio. Si quis existimat alio opus esse principio, ad discernendam veram Religionem, ille nullum habet principium. Fidelis igitur homo ad veri inuentionem, Dominicam adhibet Scripturam, quæ est ἀξιόπιστος, per se fide digna. Non enim simpliciter hominibus asseuerantibus, fidem habemus, nisi voce Domini voces suas firment. Hæc illi, ex quibus habemus de dissidiis in Religione firmam & promptam responsionem, quam qui non admittunt, audiant Hilarij libro 6. de Trinitate, reprehensionem: Grauis est, inquit, & periculosus error in pluribus hominibus, multorúmque lapsus, etiamsi se intelligat, tamen exurgendi pudore, authoritatem sibi præsumit: ex numero habens hoc impudentiæ, vt quod errat prudentiam velit existimari: & quod cum multis errat, intelligentiam esse veritatis, dum minus erroris existimatur in multis: aut ex libro adu. Constantium Imperatorem, hanc eiusdem expostulationem: Dum in verbis pugna est: dum de nominibus quæstio est: dum de ambiguis occasio est: dum de authoribus querela est: dum de studiis certamen est: dum in consensu difficultas est: dum alter alteri anathema esse cœpit, propè iam nemo Christi.

Cæterùm ad tollenda inter Christianos dissidia scripti fuerant olim libri multi qui Henotici dicti sunt vel Eirenici, ad ἕνωσιν & εἰρήνην, *hoc est, ad vnionem, concordiam & pacem inter Ecclesias & earum Pastores, instituti, quorum nonnulli Zenonis etiam Imperatoris authoritate commendati: id tamen irrito conatu. Et narrat Ammianus libro 22. Historiographus quidem Ethnicus, sed in hac re vera proferens: quum ait, Constantium Imperatorem illius Constantini magni filium, in scrutanda perplexiùs quàm componenda Christiana Religione absoluta & simplici, grauiùs excitauisse dissidia, quæ progressa fusiùs aluit concertatione verborum: cateruis Antistitum vltro citroq́; discurrentibus per Synodos quas vocant, dum ritum omnem ad se trahere conatur. Hæc ille. Diuinum est nimirum non humanum opus, res tantas componere. Ecclesia enim non regitur humanis consiliis, ne prudentiæ humanæ plus tribuatur, quàm diuinæ prouidentiæ. Hinc & eximiè Athanasius libro de Synodo Ariminensi, dicebat, Frustra concursantes prætexerunt se ob fidem Synodos vel Concilia, postulare, quum sit diuina Scriptura omnibus antiquior: & Hieronymus in Esaiam cap. 8. Nobis Deus legem dedit & testimonia Scripturarum, quæ si sequi nolueritis, caligo vos opprimet.*

Hoc loco, imprimis Augustini in Psalm. 21. augusta verba commemoranda sunt. Sic enim Christianos dissidentes in fide, affatur, Quid litigamus, fratres sumus. Non intestatus mortuus est Pater: fecit Testamentum & sic mortuus est & resurrexit. Tandiu contenditur de hæreditate mortuorum, quandiu Testamentum proferatur in publicum: & quum Testamentum fuerit prolatum in publicum, tacent omnes vt tabulæ aperiantur & recitentur: Iudex intentus audit, aduocati silent: præcones silentium faciunt: vniuersus populus suspensus est, vt legantur verba mortui, non sentientis in monumento. Ille sine sensu tacet in monumento, & valent verba ipsius: sedet Christus in cælo & contradicitur eius Testamento? Aperi, legamus: fratres sumus, quare contendimus? placetur animus noster. Non sine Testamento dimisit nos Pater: qui fecit Testamentum, viuit in æternum: audit voces nostras, agnoscit suas. Legamus, quid litigamus?

vbi inuenta fuerit hæreditas, ipsam teneamus. Aperi, lege. Illis Augustini verbis similia dixerat Optatus Mileuitanus, Donatistas sic compellans. Annunciant populo Christi vanas seductiones, qui nostri sunt fratres. Sed ne quis dicat me inconsideratè eos fratres appellare qui tales sunt: quamuis & illi non negent & omnibus notum sit quòd nos odio habeant & execrentur, & nolunt se dici fratres nostros: tamen nos recedere à timore Dei non possumus, quos hortatur Spiritus Sanctus per Esaiam Prophetam, dicens, Vos qui timetis nomen Domini, audite nomen Domini: hi qui vos odio habent & execrantur, & nolunt se dici fratres vestros, vos tamen dicite eis, fratres nostri estis. Sunt igitur sine dubio fratres, quamuis non boni. Quare nemo miretur eos me appellare fratres, qui non possunt non esse fratres. Et lib. 5. Vos dicitis, Licet: nos dicimus, Non licet. Inter Licet vestrum, & Non licet nostrum, nutant & remigant animæ populorum. Quærendi sunt Iudices. Si Christiani, de vtraque parte dari non possunt: quia studiis veritas impeditur. De foris quærendus est Iudex. Si Paganus, non potest nosse Christianorum secreta: Si Iudæus inimicus est Christiani Baptismatis. Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri iudicium: De cælo quærendus est Iudex. Sed vt quid pulsamus ad cælum, quum habemus hîc in Euangelio Testamentum? Quia hoc loco rectè possunt terrena cælestibus comparari: tale quod quiuis hominum habens numerosos filios, his quamdiu pater præsens est, ipse imperat singulis, non est adhuc necessarium Testamentum. Sic est Christus: quamdiu præsens fuit in terris (quamuis nec modò desit) pro tempore quicquid necessarium erat, Apostolis imperauit. Sed, quomodo terrenus pater quum se in confinio senserit mortis, timens ne post mortem suam rupta pace litigent fratres: adhibitis testibus voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulis diu duraturas. Et si fuerit intra fratres contentio mota, non itur ad tumulum: sed quæritur Testamentum: & qui in tumulo quiescit, tacitus de tabulis loquitur viuus. Is cuius est Testamentum in cælo est: ergo voluntas eius, velut in Testamento, sic in Euangelio inquiratur. Hæc illi. Sed quid ad vsum nostrum illi? Nempe, non tantùm vulgatum hoc,

Inter

Inter bonos bene agier: aut, facilem esse doctrinam iis, qui nihil malunt quàm vt sint boni: verumetiam quod multò maius: ex charitate verè fraterna, cuius exemplum præbet insigne Apostolus, & quam Dominus in suis tantopere commendat, inuestigandum esse Testamentum quo constituti sumus beatitudinis æternæ hæredes: & ex eo omnia esse componenda, vt illam adeamus æternam hæreditatem.

Indignum verò eos dissidere qui hoc seculo tam erudito, facilè possunt voluntatem Patris sui intelligere: nefas eos dissociari, qui admittunt Regulam & normam fidei & Religionis Christianæ, positam esse, non in humanis Traditionibus, non in Ecclesiæ nomine falsò vsurpato, sed in vnico verbo diuino in Veteri & Nouo Testamento conscripto: qui etiam in Capite Ecclesiæ concordant: ac de eius corpore, quod est Ecclesia, idem sentiunt: quique, vt ex hisce Confessionibus euidens, eadem prorsus docent de hominis IVSTIFICATIONE *coram Deo. At verò, hic Articulus est basis, forma & anima Religionis Christianæ, doctrinæ Euangelicæ summa, ex quo fideles & verè Christiani dicuntur: sine quo, reliquorum Articulorum Notitia fructum non habet salutiferum. Est enim causa συνεχὴς intima & formalis salutis: cuius omnia Sacramenta à Deo instituta sunt & fuerunt pignora & obsignacula: ad quem Articulum denique, tanquam ad centrum tendunt reliqui. Hæc enim est vita æterna, vt cognoscamus verum Deum, & quem misit filium suum Iesum Christum: vt quicunque credit in eum, qui in eo manet, in quo viuit ipse, non pereat, sed habeat vitam æternam: ac Iustificati ex fide pacem habent apud Deum. In eo sita est hominis felicitas, in eo Dei gloria, Iustitia & Misericordia summè elucens demonstratur. Quomodo igitur non essent concordes quicunque tanti boni consortes?*

Priscis temporibus, Christiani affligebantur sæuissimis persecutionibus externè: internè quoque lacerabantur infinitis hæresibus viperinis, vt loquitur Epiphanius. Id ex eo potissimùm fiebat quòd multi ab Ethnicismo aut à Iudaismo ad Christianos accedentes, inuehebant ex illo veteri fermento damnandas opiniones, ac illas cum Christianis dogmatibus mis-

cendo, corrumpebantur: vt nec plenè essent Ethnici aut Iudæi, sed neque erant Christiani, vt ait Augustinus epist. 11. Similia accidisse postremis hisce temporibus notum. N. que sunt hîc persecutiones commemorandæ. Verùm in doctrina fidei hoc certum, iam ante multa secula fuisse inflicta Religioni & Ecclesiis Christianis lethalia vulnera, quum densissimis ignorantiæ & idololatriæ tenebris inuoluerentur omnia. Opus igitur fuit, ex Prophetæ Ieremiæ præscripto, nunc Eradicantibus ex animis hominum mala germina pullulantia contra veritatem, sententiisque diruentibus omne sup. rstructum falsis dogmatibus ædificium. Nec satis est eradicare & diruere, sed in locum euulsorum, plantanda est plantatio diuinæ agricolationis bona: & in locum dirutorum, ædificandum est templi Dei ædificium splendidum. Quando autem his seculis lux Euangelij ex pristina caligine emergebat, multi in diuersis regionibus extitere, qui tanquam Medici studuerunt vetera curare vulnera, sed ex humana infirmitate non valuere ita sanare ea quin acria & parulenta remanserint vlcera: quorum quidem culpa est in iis qui olim ea inflixerunt: & in iis qui etiamnum ea fouent & dilatant. At ipsi Medici, quamuis alij sint aliis peritiores & meliores, tamen non mediocriter culpandi sunt, dum inter se vehementiùs contendendo, corpus ægrum relinquunt, nec adhibent remedia conuenientia. Verùm facilis erit concordia in pietate & cultu Dei, inter eos qui serio Dei amore & timore tanguntur: qui non animi perturbationibus suis reguntur, nec sua quærunt, sed quæ Christi, & ad ædificationem proximi, in quorum animis Spiritus Dei regnat, Christusque viuificus. Moueat saltem ac moneat hæc vita breuis, ærumnosa, caduca, tranquillis animis ad hæreditatem æternam toto pectore contendere. At verò ex contempta hac luce Euangelij, ex istis odiosis & continuis contentionibus, per eos qui nodorum vincula texendo, lites ex litibus serunt, qui non patiuntur se veritate vinci, ipsi potiùs, vt solent Sophistæ, videri volunt vincere: timendum est ne res ad superiorum temporum caliginem reuoluantur: cuius rei funesto sunt exemplo Orientales Ecclesiæ.

Olim

Olim Christiani, quum de Persona Domini nostri Iesu Christi erat controuersia, recurrebant ad fidei Confessiones, propter hunc vnicum Articulum in illis Oecumenicis Conciliis constitutas & ad Symbola eiusmodi. Itidem nunc faciunt Orthodoxæ Ecclesiæ Sed porrò quum nunc maximè agitur de Christi Mediatoris Officio & Beneficio, aut de aliis in Religione capitibus & controuersiis, illi qui doctrinam Euangelicam profitentur, meritò ad has Confessiones recurrent. Sunt enim hæ Confessiones Orthodoxæ, tanquam Tabulæ authenticæ, Priuatorum Doctorum scriptis antè ponendæ. Per quot quantásque difficultates fuerunt illæ per Ecclesias sancitæ! quantorum fidelium Martyrum coronis pleræque ornatæ! Quàm religiosè à multis Serenissimis Regibus Europæ, receptæ: & ab aliis æquissimè admissæ, ab Illustrissimis Principibus multis Inclytarum Rerumpublicarum Magistratibus, Ordinibus amplissimis, & à præstantissimis Theologis, magnis Dei seruis, comprobatæ! Porrò quàm purè, quàm simpliciter & genuinè proponitur in illis sacra ex verbo diuino doctrina! Sic monet Nazianz. orat. de seipso, & de moderatione in disputationibus seruanda, S. Theologia & Religio, inquit, res est simplex & nuda: sine magno artificio diuinis constans testimoniis: quam tamen prauè quidam conuertunt in Artem difficillimam. Quid dixisset si Sophistarum Pseudotheologorum audiuisset concertationes, ἀδολεσχίας & λογομαχίας, aut Metaphysicas abstractiones in sacram Theologiam inuectas, aut Scholasticorum doctorum quæstiones futiles & perniciosas? Rectè de iis quondam Trithemius, Ipsos nimirum profanauisse sacram Theologiam. Nam ita obscurata fuit Euangelij lux, ac puritas euersa. Quocirca sancti Patres, excellentes viri, eliminabant illas offucias, verborumque præstigias: vt euanescentem egregiam illam priscam & primæuam doctrinam suis veris ac natiuis coloribus renouarent: quas tamen deprauationes nimium quàm multi reuocare & in sacra Theologica iterum inuehere magno cum pietatis detrimento, student.

Quamuis autem hæ Confessiones fidei Ecclesiarum Reformatarum tanta auctoritate fuerint instituta, vt ad eas tanquam ad tabulas authen-

ticas recurrendum fuerit, quò prisca primæuaq; dignoſceretur fides: nihilominus à paucis leguntur: vix apud bibliopolas inueniuntur: quæuis priuatorum ſcripta parantur: ex quibuſvis aliis potiùs quàm ex his publicis teſtificationibus, de Religione dijudicatur. Idcirco nunc, mutuò ſeſe complectentes præbent ſe denuo in hoc Syntagmate conſpiciendas. Earum legitima & ſincera Collatio, eſt optima in Religione Conciliatio, ad pacem & concordiam Eccleſiarum: quam, vt eſt in Pſal. 122. Omnes qui ſunt in domo Dei ſtudioſè procurant. Ad hanc rem magnum videtur afferre momentum, vtilitatemq; non mediocrem proferre, exemplumq; inſigne, eximius ille inter Eccleſias POLONICAS *Conſenſus hiſce Confeſſionibus annexus. In Synodis Generalibus Eccleſiarum Orthodoxarum quæ ſunt in illo Regno, conſtitutum etiam fuit, vt quilibet Paſtor aut Miniſter Eccleſiæ ſibi comparet habeatq; illum libellum, Conſenſum complectentem: atque ita in omnibus ſe gerat, vt illam Concordiam tueatur. Idem planè videtur de hoc Codice ſtatuendum, in quo eſt S. Theologiæ tanquam corpus integrum. Eſt autem ille demum Orthodoxus & Catholicus Conſenſus, cuius fundamentum & ſtructura eſt verbum diuinum. Alioqui putrida ſternuntur, aut fœnum & ſtipulæ ſuperſtruuntur. Maiorem autem habet & dignitatem & Antiquitatem Conſenſus ille qui cùm S. Scriptura quàm maximum habet aſſenſum. Inde tam Veterum quàm Recentiorum ſcripta verè Theologica diſcernuntur ab adulterinis, falſis & ſuppoſititiis, cuiuſmodi ſunt multa quæ veteribus patribus attribuuntur. Hinc etiam de præſtantia harum Confeſſionum dijudicandum.*

Sereniſſimi potentiſſimiq; Reges, qui Euangelij doctrinam receperunt: imprimis ANGLIÆ & SCOTIÆ, *hoc eſt Magnæ Britanniæ: atque etiam* DANIÆ & SVEDIÆ *Reges clementiſſimi: quos Deus hac exceentlli prærogatiua ornauit, vt ipſorum Maiores Sereniſſimi, quemadmodum etiamnum Maieſtates ipſorum, inter Reges Europæ extiterint* PRIMI, *qui vera luce Euangelij illuſtrati fuerint hiſce nouiſſimis ſeculis hoſpitiumque Eccleſiis Chriſti præbuerint tutum: Illuſtriſſimi quoq;*

Prin-

Prnicipes verè Heroes, atque Inclytarum Rerumpublicarum Magistratus & Ordines amplissimi, qui eandem Euangelij lucem amplexi sunt, conspicient in his Confessionibus, suæ ac Maiorum suorum, insignis pietatis monumentum sempiternum. Orandus est Deus assiduis precibus, vt Maiestates, Celsitudines, Excellentiæ ipsorum, qui secundùm Deum hanc habent facultatem & ex Dei beneficentia sanctum quoque Zelum, Ecclesias ab errorum labe, & ab Idololatriæ fermento vindicatas, diuinisque institutis præclarè munitas, tueri ac propagare pergant: quo pura Euangelij doctrina ad posteros purè transmittatur: atque etiam vt turbatoribus Ecclesiarum repressis ac reiectis, Ecclesiæ vbique in sacrosancta concordia coalescant. Dignentur quoque Sereniss. Maiest. Celsitud. Excellent. Amplit. ipsorum hoc Syntagma, Clementiâ suâ, benignissimè excipere.

Ipsæ verò Ecclesiæ Christi præstantissimæ, pulchritudinem doctrinæ sacræ in hisce Confessionibus contemplabuntur, vt sanctam coniunctionem sartam tectam inter se conseruent. Earum quoque Antistites, Doctores & Præfecti, verbi diuini Administri habent in iisdem Confessionibus orthodoxè coniunctis, exemplar eximium quod in suis tractationibus intueantur: & Candidati Theologiæ, ad quod sua studia Theologica piè conforment. Omnes denique ex illis ipsis, ritè ac piè connexis, habebunt Religionis certitudinem: & in quo, ne variis circunferantur doctrinis, ad salutem acquiescant. Faxit ipse Deus Seruator & Conseruatot noster, cui gloria æternum.

CONTINENTVR IN HOC Syntagmate.

I. CONFESSIONES *fidei editæ ex Symbolo Apostolico. In Concilio Oecumenico. 1. Nicæno. 2. Constantinopolitano primo. 3. Ephesino. 4. Chalcedonensi: quæ omnes inter Veterum sententias collocantur, in Articulo de Deo & de persona Domini nostri Iesu Christi, cum Symbolis Irenæi, Athanasij, &c.*

II. CONFESSIONES *fidei publica authoritate comprobatæ, Ecclesiarum quæ doctrinam Euangelicam sunt amplexæ: quæ in hoc volume, ad commodiorem notitiam, in duas Partes distribuuntur: quarum breues designationes habentur, initio vtriusque partis Syntagmatis: quarum etiam statim subiiciuntur ad Harmoniam & Concordantiam Indicia.*

CONFESSIO

Heluetica	Augustana
Gallica	Saxonica
Anglicana	VVirtembergica
Scoticana	Illustrissimi Electoris Palatini
Belgica	Bohemica
Polonica	Consensus Ecclesiarum Maioris & Minoris Poloniæ, Lithuaniæ.
Argentinensis siue quatuor Ciuitatum Imperij.	

In fine additur Basileensis, recusa an. 1647. & Cyrilli Patriarchæ Constantinopolitani, Latinè ex autoris αὐτογράφῳ.

III. CATHOLICVS *Consensus Veterum, qui Patres vocantur, Græci, Latini, Africani, in omnibus fidei Articulis ex ipsorum expressis sententiis copiosè deprompius. Quorum nomina & ætates habentur initio illius partis.*

HARMO-

CONFESSIONVM HARMONIA,

PER ARTICVLOS DEMONSTRATVR,
& per Indicium paginarum trium Partium huius Syntagmatis.
Huius Concordantiæ fundamentum eſt,

SYMBOLVM APOSTOLICVM,
Credo in Deum, &c.

SYMBOLVM Apoſtolicum eſt Confeſſio fidei omnium Chriſtianorum, Regula vniuerſalis reliquarum Confeſſionum : Analogiam fidei continens, atque ſacri Euangelij ſummam: in Veteri ac præcipuè in Nouo Teſtamento comprehenſum : ne quis dicat illud Symbolum non extare in Sacra Scriptura.

I. CREDO *in Deum Omnipotentem Creatorem cæli & terræ.*

*Hebræ.*11.6. Credere oportet accedentem ad Deum,quia eſt.

Pſalmo 33. Verbo Domini cœli firmati ſunt , & Spiritus oris eius omnis virtus eorum. *Geneſ.*1.In principio Deus creauit cœlum & terram. Sic *Prouerb. cap.*8. *Pſalmo* 116. Credidi, propter quod loquutus ſum. 1.*Cor.*8.6. Nobis vnus Deus Pater,à quo omnia : & vnus Dominus Ieſus Chriſtus per quem omnia & nos per ipſum. *Rom.*1.25.Commutauerũt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & ſeruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori,qui eſt benedictus in ſecula. *Col.*1.16. In ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra. *Pſal.*33.6. Verbo Domini cœli firmati ſunt,& Spiritu oris eius omnis virtus eorum. *Rom.*

10.11. Dicit Scriptura, Omnis qui credit in eum non confundetur. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?

*Matt.*28.Profecti docete omnes gentes,baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.

II. *Et in Iesum Christum Dominum nostrum Filium eius vnicum,qui conceptus est è Spiritu sancto,natus ex Maria Virgine.*

*Psal.*2. Iehoua dixit ad me,Filius meus es tu:Ego hodie genui te.

*Matth.*3. Hic est Filius meus dilectus in quo acquiesco. *Esaia* 9. Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, cuius nomen Admirabilis,Consiliarius,Deus,Fortis,Pater futuri seculi, Princeps pacis:& pacis nullus erit finis. *Ioan.*3. Ita Deus dilexit mundum,vt Filium suum vnigenitum dederit,vt quisquis credit in eum non pereat,sed habeat vitam æternam.

1.*Cor.*8. Nobis vnus est Deus Pater à quo omnia,& nos in ipso: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. *Hebr.7.versu* 3.

Esaia 7.Ecce Virgo concipiet & pariet Filium,& vocabis,ô Virgo, nomen eius Himmanuelem. *Luc.*1.Spiritus Sanctus superueniet in te: & virtus Altissimi inumbrabit te. *Esaia* 11.*v.*1.*&* 53.2. *Matth.*1.18.25. *&* 3.17.

*Ioan.*17.3. Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. *Ioan.*12.36. Dum lucem habetis, credite in lucem vt filij lucis sitis. *Rom.*9.33. Omnis qui credit in eum non confundetur. Sic & 1.*Petri cap.*2.*versu.*6.*Ioan.*3.16.Omnis qui credit in Filium Dei non perit sed habet vitam æternam. *Hebr.*2.16. *& Gal.*3.16.Semen Abrahæ apprehendit. *Philipp.*2.7. Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus,& habitu inuentus vt homo. 2.*Petr.*1.17.Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui:ipsum audite.

III. *Passus sub Pontio Pilato,crucifixus,mortuus & sepultus: descendit ad inferos.*

Esaia 53.Languores nostros ipse tulit,& dolores nostros ipse portauit.Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.*Matt.*27.26.Pilatus Iesum tradidit vt crucifigeretur. *Actorum* 3. Deus glorificauit Filium suum Iesum, quem vos prodidistis & abnegastis in conspectu Pilati. *Act.* 4.10.Notum sit toti populo Israel,per nomen Iesu Christi Nazareni,quem vos crucifixistis.*Act.*7.52. *Daniel.*9.26.

1.*Tim.*

1.*Tim*.6.13. Iesus Christus testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem. *Hebr*.5.7.*Ephes*.4.9.

Ps..6.Non derelinques animam meam in inferno:nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. *Act*.2.4.Christum Deus excitauit,solutis doloribus mortis:eò quòd impossibile erat ipsum ab ea retineri.

IV. *Tertia die resurrexit à mortuis:ascendit in cœlum:sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.*

1.*Cor*.15. Si Christus non resurrexit,inanis est prædicatio,inanis est fides. *Ioan*.2.19. *Matt*.12.40.*& capite* 28.5.6.7. 1.*Cor*.15. Christus prædicatur,quod resurrexit à mortuis.

Ephes.4.8. *Psal*.6. Ascendens in sublime captiuam fecisti captiuorum multitudinem. *Act*.1.9. Videntibus ipsis eleuatus est, *Luc*.24.51. Recessit ab eis & ferebatur in cœlum.

Matt.26. Videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram potentiæ Dei. *Heb*.10.Vna pro peccatis oblata victima in perpetuum sedet ad dexteram Dei. 1.*Pet*.3.Christus est ad dexteram Dei profectus in cœlum.*Psal*.110. Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos scabellum pedum tuorum.

V. *Inde venturus ad iudicandum viuos & mortuos.*

Actorum cap.17. Deus statuit diem in quo iudicaturus est Orbem terrarum in iustitia, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus suscitans eum à mortuis.

Psal.50.*versu* 1.*&* 5.*psal*.2.*vers*.9.

Matth.25. Cùm venerit filius hominis cum gloria sua, & omnes sancti Angeli cum eo:tunc sedebit super thronum gloriæ suæ.

Dan.12. In tempore illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui. Et in tempore illo saluabitur populus omnis qui fuerit inuentus scriptus in libro.

VI. *Credo in Sanctum Spiritum.*

1.*Ioan*.5. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus. *Matth*.28.19. Baptizate eos, &c. 2.*Cor*.13.Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis. *Esaiæ* 59.21.Spiritus meus qui est in te,& verba mea quæ posui in ore tuo,non recedent de ore tuo.Et 48. 16.Spiritus eius misit me.

Matth.3.16.Vidit Spiritum Dei descendentem &c. *Actorum* 20.28. *Rom*.8.14. Quicunque Spiritu Dei aguntur illi sunt filij Dei. 1.Pet.1.11.

VII. *Credo Ecclesiam Catholicam : Sanctorum communionem.*

*Ephes.*5. Christus dilexit Ecclesiam suam,& seipsum tradidit pro ea. *Psal.*22. Conuertentur ad Iehouam fines terræ. Sic *Psal.*72.&c. *Galat.*45.26. Illa quæ sursum est Ierusalem libera est,quæ est mater nostra. *Act.*4.32. Multitudo credentium. *Ephes.*4.4. Vnum corpus & vnus spiritus sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. 1.*Ioan.*1.3. Societas nostra sicut cum Patre & cum Filio eius Iesu Christo. 1.*Tim.*3. 15. Vt scias quomodo oporteat te in domo Dei versari quæ est Ecclesia Dei viui.

VIII. *Remissionem peccatorum.*

*Rom.*3. Christum proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.

*Tit.*2. Christus seipsum dedit pro nobis,vt redimeret nos ab omni iniquitate.

2.*Cor.*5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans ipsis peccata ipsorum.

*Psal.*32. Beati quorum remissæ sunt iniquitates.

IX. *Carnis resurrectionem, vitam æternam.*

*Daniel.*12. Multi ex dormientibus in pulverulenta terra expergiscentur. Expergiscentur hi ad vitam æternam : illi ad opprobrium æternum.

Iobi 19. Ego noui Redemptorem meum viuentem, & posteriorem super pulverem resurrecturum: postquam euigilauero & vermes confoderint istud,tamen carne mea videbo Deum.

1.*Thess.*4. Qui mortui fuerunt in Domino resurgent.

*Ioan.*5. Veniet hora qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij hominis.

*Psal.*1. Non consistent improbi in illo iudicio , aut peccatores in cœtu iustorum.

*Matth.*25. Abibunt maledicti in supplicium æternum. Iusti verò in vitam æternam.

*Rom.*6. Donum Dei est vita æterna in Christo Iesu Domino nostro. 1.*Cor.*15. Omnes resurgemus.

TERTVLLIANVS *De præscriptione aduersus hæreticos.* Regula illa est qua, Creditur in vnum Deum (*&c. vt est Symbolum Apostolicum.*) Hæc regula à Christo instituta nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt. Fides in regula posita est,habet legem. *Ibid.* Superest

eſt vti demonſtremus an noſtra doctrina, cuius regulam ſupra edidimus de Apoſtolorum traditione cenſeatur, & ex hoc ipſo an cæteræ de mendacio veniant. *Idem de virginibus velandis.* Regula fidei vna omnino eſt ſola, immobilis, irreformabilis, Credendi ſcilicet in vnum Deum, &c. Hac lege fidei manente, cætera iam diſciplinæ & conuerſationis admittant nouitatem correctionis: operante & perficiente vſque in finem gratia Dei.

Chryſoſtomus homilia 2. in Symbolum. Fides nobis primò prædicanda eſt. Nam de ipſa fit initium confeſſionis ad ſalutem. *In expoſitione Symboli: inter opera Cypriani atque Hieronymi.* In Eccleſiæ Romanæ Symbolo non habetur additum, Deſcendit ad inferos, neque in Orientis Eccleſiis habetur hic ſermo. Vis tamen verbi eadem videtur eſſe in eo quòd Sepultus dicitur. De hac re Hieronymus ad Algaſiam: Gregorius magnus in Regiſtro cap. 79. Sed in Symbolo Athanaſij habetur, Deſcendit ad inferos.

AVGVSTINVS *ſermone 31. de tempore.* Quicquid in Symbolo audiſtis, iam diuinis ſanctarum Scripturarum literis cõtinetur. Hoc Symbolum quod vobis per Scripturas & ſermones Eccleſiaſticos inſinuatum eſt, ſub hac breui forma fidelibus confitendum & profitendum eſt. *Idem ad Catechumenos lib. 1. tomo 9.* Accipite Regulam fidei, quæ ſymbolum dicitur, &c. Illa verba Symboli quæ audiſtis per diuinas Scripturas ſparſa ſunt: inde collecta & ad vnum redacta, ne tardiorum hominum memoria laberetur: vt omnis homo poſſit dicere, poſſit tenere quòd credit.

Idem ſermone 135. de tempore. Priùs Symbolum didiciſtis, vbi eſt Regula fidei veſtræ, breuis & grandis: breuis numero verborum, grandis pondere ſententiarum. *De fide & ſymbolo tomo 3.* Eſt autem fides Catholica in Symbolo nota fidelibus, memoriæque mandata, quantum res paſſa eſt breuitate ſermonis.

HARMONIA SIVE CONCORDANTIA Confessionum Fidei per Articulos digesta.

ARTICVLVS I.

DE S. SCRIPTVRA siue de Verbo Diuino in Veteri & Nouo Testamento, per Prophetas, Euangelistas & Apostolos scripto in libro quem sacra BIBLIA nominamus.

I. Catholicus Consensus, Articulo primo, Christianorum veterum de hoc fidei capite doctrina, in tertia parte huius Syntagmatis.

II.

Confessiones Ecclesiarum quæ copiosè hunc Articulum explicant.

Gallica, Artic. III. pagina illius partis 77

Anglica, Artic. VI. pag. 100. & Art. IX. pag. etiam 100. 101.

Scoticana, Articulo V. XVIII. XIX. pag. 119. 120.

Belgica, Articulo III. IV. V. VI. VII. pag. 130. 131.

Helvetica, Artic. I. II. III. IV. pag. 67. 68.

Polonica, pag. 149. 151.

Argentinēsis, Artic. I. & Artic. 14. de traditionibus, pag. 190.

Saxonica, Articulo primo, pagina illius partis 52. 53. 83. 84.

Wirtembergica, Artic. XXX. XXXIII. XXXIV. pag. 131. 134. 135.

Palatini, pag. 146.

Bohemica, Articulo I. & X. pag. 177. 188.

Augustana Confessio, hunc Articulum sternit quidem Religionis Regulam, pagina illius partis 14. 32. 33. 34. 45. 47. non tamen copiosè explicat. Nam hæc Confessio demonstrat præcipuè, Euangelij doctrinam esse positam in Iustificatione hominis coram Deo per beneficium Christi: ac proinde docet quid sit Lex, Fides, Euangelium siue Iustitia ex fide: quæ præcipua est salutis & Christianæ fidei doctrina.

HARMONIÆ SIVE CONCORDANTIÆ Articulus II.

DE DEI ESSENTIA, PERSONIS siue S. Trinitate, & de Iesu Christo Domino nostro.

I. In

I. In Catholico consensu Orthodoxa antiquitas, Articulo Secundo. In confessionibus Eccclesiarum hic Articulus, in

Heluetica, Articulo III. IV. V. XI. pagina illius partis 16.67.
Gallica, Art. I. VI. XIV. XV. pag. 77. 80. 81.
Anglica, pag. 89. 100.
Scoticana, Artic. I. VIII. IX. pag. 111. 112. 113.
Belgica, Articulo I. II. VIII. IX. X. XI. XVIII. XIX. XXVI. pag. 129. 131. 133. 134. 135.
Polonica, Artic. I. pag. 151.
Argentinensis, Arti. II. XI. XXII. p. 197.
Saxonica, Artic. I. XXII. pag. illius partis 52. 53. 87.
Wirtembergica, Art. I. II. III. p. 102. 103
Palatini, pag. 146. 148. 149. 154.
Bohemica, Artic. III. VI. XVII. pag. 178. 179. 182. 200.
Augustana, Articulo I. III. XXI. pag. illius partis 9. 10. 22.

HARMONIÆ SIVE CONCORDANTIÆ
Articulus III.

De Providentia Dei.

In Catholico Consensu veterũ doctrina Articulo Tertio. Ex confessionibus,

Helvetica, Artic. VI. pagina illius partis 8. 9.
Gallica, Artic. VII. VIII. XVII. XVIII. pag. 78. 79. 81.
Scoticana, pag. 111.
Belgica, Artic. XII. XIII. pag. 133. 134.
Palatini, pag. 147.
Bohemica, Artic. II. III. pag. 178.

HARMONIÆ SIVE CONCORDANTIÆ
Articulus IV.

De Capite Ecclesiæ.

In Consensu Catholico, Orthodoxa Antiquitas, Articulo Quarto.

In Confessionibus.
Helvetica, Art. XVII. pag. 90.
Anglica, pag. 90. 91. 92. 107.
Scoticana, Articulo XI. pag. 114.
Wirtembergica, p. 132. 133.
Belgica, Artic. XXIX. pag. 141.

HARMONIÆ SIVE CONCORDANTIÆ
Articulus V.

De Iustificatione et De Fide.

Hunc Articulum Primarium Christianæ Religionis sanctissimo consensu docent omnes Ecclesiarum fidei Confessiones.

Augustana, Articulo IV. V. XX. pag. illius partis 17. 18. 19.
Saxonica, Artic. III. V. IX. X. pag. 54. 55. 59. 64. 65.
Wirtembergica, pag. 104. 107. 124.
Palatini, pagina 149.

Bohemica, Artic. II. III. VI. VII. pag. 178.179.182.183.184.
Argentinensis, Artic. III. de Iustificat. p.179
Polonica, Articulo de Lege & Euangelio & de Mediatore.
Belgica, Artic. XX. XXI. XXII. XXIII. pagina illius partis 137.138.139
Scoticana, Artic. IV. VIII. IX. XII. XV. pag.112.113.115.116.117
Gallica, Art. XIII. XVIII. XIX. XX. XXII pag.80.81.82
Anglica, Artic. XI. XX. pag.97.101.103
Helvetica, Artic. XI. XII. XIII. XV. pag. illius partis 16.18.20.21.23.24. & sequentibus.

In Catholico Consensu ex sententiis præclaris veterum Articulo V.

Harmonia siue Concordantia, Articulus VI.

De Lege & bonis operibus, De Pœnitentia, & Regeneratione.

Augustana Confessio, Articulo VI. XI. XII. XX. pag. illius partis 11.12.16. &c.19.20.21.
Saxonica, Articulo VI. VII. VIII. IX. X. XI. XVI. XVII. p.61.62.64.65.76.
Wirtembergica, pag.104.107.113.
Palatini, 157.
Belgica, Artic. XXIV. XXXII. pag.138. 139.140.141.&c.
Bohemica, p.177.180.184.203.205. Articulis V. VII. XVIII. XX.
Helvetica, pagina illius partis 18.19. 23.24.28.& sequentibus.
Gallica, Artic. XXIII, XXIV. pag.82.
Anglica, pag.96.98.101.
Scoticana, pag.115.116.117.
Polonica, Artic. de Lege & Euangelio.
Argentinẽsis, Artic. de bonis operibus & de precibus, & de Inuocatione. p.180.181.

Harmonia & Concordantia Confessionum, Articulus VII.

Contra idololatriam & Imagines, & de Traditionibus humanis.

Helvetica, pagina illius partis 5.6.7. 59.74.75.
Anglica, pag.96.97.104.
Belgica, Art. XXVI. pag.139.
Argentinensis, Arti. de Traditionibus & de Imaginibus. p.196.
Polonica, Art. de Lege.
Wirtembergica, pag.121.122.123.129.
Gallica, Artic. XXIV. XXVIII. XXXIII. pag.83.84.85.
Scoticana, Art. XVI. XVII. pag.118.124. 127.
Bohemica, Art. XV. p.197.198.
Augustana, pag.22.24.25.
Saxonica Artic. XII. XX. pag.70.83.84. 86.87.&c.

In Consensu Catholico. Articulo VIII. contra Idololatriam & Superstitiones, & Articulo IX. De Cultu Dei.

Harmonia & Concordantia Confessionum, Articulus VIII.

De ritibus & Ceremoniis, de Ieiuniis, Cibis, &c.

Augustana

Augustana, Artic. VII. XV. & pagina illius partis 12.14. & de abusibus p. 29.30.31.
Saxonica, pag. 82.83.87.
Wirtembergica, p. 114.128.129.137.
Bohemica, p. 197.198.199.203.
Polonica, in Articulis Consensus & de Ceremoniis.
Helvetica, pag. illius partis 51.52.53. 57.71.
Gallica, pag. 84.
Anglica, pag. 92.95.104.106.
Scoticana, pag. 121.
Belgica, p. 145.
Argentinensis, Articulo de Cantionibus Ecclesiasticis de Traditionibus.

In Consensu Catholico, Articulo VIII. & IX.

Harmoniæ & Concordantiæ Articulus IX.

De Libero Arbitrio, de Peccato, & de Prædestinatione.

In Catholico Consensu veteres Christiani Articulo VI.

Anglica & Scoticana, pag. illius partis 101.102.111.112.114.115.
Augustana, pagina illius partis 8.15. 16.18.
Gallica, Art. IX. X. XI. XXII. pag. 79.80. 82.
Bohemica, Art. IV. & XVII. p. 179.200.
Argentinensis, pag. 178.
Belgica, pag. 134.135.
Polonica, Articulo de Electione, & Articulo de causa peccati, & Artic. de Aprosopolepsia in Deo.
Saxonica, pag. 53.54.61.67.
Helvetica, pag. illius partis 10.11.12. 67.68.
Wirtembergica, pag. 103.

Harmoniæ & Concordantiæ Articulus X.

De Sacramentis, De S. Baptismo, & de S. Cœna, siue De Eucharistia.

I. In Catholico Consensu veteres Christani Articulo VII.
II. Consensus Polonicus in fine vtriusque partis huius Syntagmatis.

Helvetica, pag. 42.46.47.70.
Gallica, pag. 85.86.
Belgica, pag. 143.144.
Consensus Polonicus.
Saxonica, Articulo XIII. XIV. XV. pagina 71.72.73.
Palatini, pag. 150.151.152.
Anglica & Scoticana, p. 93.94.95.104. 121.122.
Augustana, pag. illius partis 12.13.14 24.25. & seq.
Wirtembergica, pag. 108.109.110.115. 116.118.
Bohemica, pagina 191.192.193.194. &c.
Argentinensis, pag. 192.

Harmoniæ vel Concordantiæ Articulus XI.

De Ecclesia & eius Ministris Disciplina.

Augustana Confessio Articulo V. VII. VIII. XIV. XXI. & articulo de votis & Coniugio, pag. illius partis 11.12. 14.22.35.40. & seq. & pag. 43.

Saxonica, Art. XII. XVIII. XXI. pagina 68.69.86.87.
VVirtembergica, pag 119.120.126.132.
Palatini, p.149.
Bohemica, Art. VIII. IX. X. XIV. XIX. pag. illius partis, 186.188.189.196.203. 204.
Argentinensis, Art. I. & Art. de Ieiuniis & cibis, & Art. de Monachatu, & Art. de potestate Ministrorum in Ecclesiis, & Art. de Ecclesia. p.191.
Heluetica, pag. illius partis 31.35.51.52. 58.69.70.
Gallica, pag.84.
Anglica, p.90.91.92.103.104.
Scoticana, pag.112.118.119.120.122.
Belgica, Artic. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. pag.140.141.
Polonicus Consensus in Synodo Sendomiriensi, &c.

Harmoniæ Confessionum Articulus XII.

De Magistratibus.

Gallica Confessio, Art. XXXIX. p.86.
Anglicana & Scoticana, p.107.124.
Heluetica, p.60.71.73.75.
Bohemica, p.199.
Saxonica, p.90.91.
Augustana, p.14.38.39.

Harmoniæ Confessionum Articulus XIII.

De Resurrectione & vita æterna.

Augustana, pag.149.150.156.
Palatini p.110.
Heluetica, p.18.74.
Anglica Scoticana, pagina illius partis 98.114.118.125.
Belgica, Articulo XXXVII. pag. illius partis 146.

In Catholico veterum Consensu Articulus vltimus.

SYNTAGMATIS

SYNTAGMATIS HVIVS

PARS illa quæ habet CONFESSIONEM Fidei,

HELVETICAM:
GALLICAM:
ANGLICAM:
SCOTICANAM:
BELGICAM:
POLONICAM:
ARGENTINENSEM:
ſiue Quatuor Ciuitatum Imperij.

HELVETICÆ CONFESSIONIS HÆC FVIT CONSTITVTIO.

ANNO Domini M. D. XXXVI. quum paſſim affirmaretur Concilium Oecumenicum breui futurum, Clariſſ. D. Coſſ. & Ampliſſ. Baſilienſis Senatus, Euangelicas Helvetiæ Ciuitates euocauit, vt communi conſenſu conſcriberetur Religionis ſuæ Confeſſio, quæ exhiberetur quum opus foret. Ad hanc rem à Ciuitâtibus Helveticis quæ iampridem doctrinam Euangelij erant amplexæ, miſſi ſunt Baſileam Legati ex ordine Senatorio viri grauiſſimi, atque Theologiæ doctores & Eccleſiarum Miniſtri Tigurini & Bernenſes, præcipui. Quum Baſileæ conueniſſent, delecti fuêre DD. Henricus Bullingerus, Oſualdus Myconius, & Simon Grynæus, qui de illa re certam conciperent formam. Interea Argentinenſes Theologi D. Capito & D. Bucerus Baſileam advenêre, rogantes vt illa Confeſſio ſic accommodaretur, vt inter Eccleſias ſarciretur Concordia, cuius tunc magna ſpes affulgebat. Itaque omnium conſenſu ſcripta fuit Confeſſio Latinè & Germanicè, atque perlecta in Senatu coram politicis legatis, & omnium requiſitæ ſententiæ: ab omnibus approbata fuit, quam legati Magiſtratibus ſuis detulerunt. Menſe Martio ſequenti, Comitia Ciuitatum Helvetiæ Euangelicarum, Arouiæ celebrata: in quibus ſignificatur illam Confeſſionem ab omnibus Helveticis Eccleſiis receptam fuiſſe: Inde miſſa fuit Wittebergam per DD. Capitonem & Bucerum, qui tandem retulerunt, eam non diſplicuiſſe Theologis Wittebergenſibus. Approbata quoque fuit in quibuſdam conuentibus, Illuſtriſſ. Procerum & ordinum Proteſtantium. Idque

teſtantur.

testantur ipsius D. Lutheri ad Helvetios literæ. Sed quum illa Confessio breuior esset, grauissimis de causis, accuratiùs scripta fuit, Anno Domini M. D. LXVI. cui Tigurini, Bernenses, Schaffusiani, Sangallenses, Rhœti, Myllhusiani, Biellenses: item Geneuenses subscripserunt. Eandem & comprobarunt Ecclesiæ Angliæ, Scotiæ, Galliæ, Belgij omnes: Polonicæ quoque, Hungaricæ atque Germanicæ Ecclesiæ multæ. Exhibetur hac editione, qualis fuit excusâ Tiguri typis Io. Iac. Bodmeri 1651.

BASILIENSIS verò ei adjuncta Confessio, Germanicè tantùm edita fuerat, anno 1531. quum à Magistratu Mylhusiano exciperetur 1561. in Latinam linguam conuersa fuit. In fine huius editionis exhibetur qualem excudit Basileæ Georgius Deckerus anno 1647.

Illæ Confessiones Helveticæ, quia antiquissimæ, in hac huius Syntagmatis parte collocantur primæ. Quampridem enim in Helvetia per prædicationem Euangelij, Ecclesiæ fuerint instauratæ & constitutæ, præter alia multa, demonstrant Constantiensis Episcopi ad Tigurinos literæ, & Tigurinorum ad eundem Responsiones, iam Anno Domini M.D.XXII. typis euulgatæ.

GALLICA CONFESSIO Fidei, Anno M.D.LIX. difficillimis temporibus, Lutetiæ in Synodo Nationali constituta fuit: atque nomine Ecclesiarum Galliæ, Theodorus Beza eam obtulit Carolo IX. Regi, in Colloquio Possiaci habito, anno M. D. LXI. Confirmata fuit Rupellæ in Synodo Nationali anno 1571. quum palàm in Illustrissimo cœtu perlecta fuisset. Nam ibi, in tribus exemplaribus, in membranis ei descriptæ, subscripserunt sua manu, Serenissima Regina Nauarræ: Serenissimus eius filius, qui deinceps Rex Galliæ & Nauarræ, felici ac perpetua memoria dignissimus, Henricus IV. Magnus. Item Illustrissimus Princeps Condæus, nomine quoque Henricus. Illustrissimus Ludouicus Comes Nassouius. Gaspar Colinius Castilionius, ille Franciæ Amirallius: atque Ecclesiarum Gallicarum nomine, Pastores & Seniores qui ex omnibus Franciæ Prouinciis ad illam Nationalem Synodum missi fuerant. Quantus fuit ille cœtus! quam commemorabili pietate ac omnibus splendidissimis dotibus ornatus, & in omni virtutum genere excellens!

¶¶¶¶ 3.

Vnum autem ex illis Autographis,in membrana politè ſcriptum,ab iiſdem Seren. Illuſtr.&c. cui propria manu ſubſcripſerant, miſſum fuit Geneuam aſſeruandum, quod & in Archiuis illius Ciuitatis cuſtoditur. Latinè verò edita fuit anno 1566.& 1581.

ANGLICA Fidei confeſſio, Anglicarum Eccleſiarum nomine extat cum eius Apologia,inter opera magni Theologi Iohannis Iuelli Sariſburienſis Epiſcopi.

Edita quoque fuit Anglicana Confeſſio in Articulis de quibus conuenit inter Archiepiſcopos & Epiſcopos vtriuſque Prouinciæ & Clerum vniuerſum, in Synodo Londinenſi, anno Domini M.D. LXII. atque typis mandata, authoritate Sereniſſimæ Reginæ,Londini,anno 1571. Vtraque hîc habetur.

SCOTICANA Fidei Confeſſio, Anno M.D LXVIII.lingua Scoticana tantùm ſcripta fuit. Ei ſubſcripſit Sereniſſimi Regis Maieſtas,atque Proceres & Ordines Regni in Parlamento,Anno Domini 1580. Eam Nobiliſſimus vir ac pietate inſignis, in Latinam linguam tranſtulit cum hac graui, pia & vtili ſiue admonitione, ſiue obſeruatione.

Quum, ſicut vnus tantùm Deus, vnúſque Dominus & Mediator Dei & hominum,Ieſus Chriſtus:ita vna tantùm eſt veritas & patefacta Dei voluntas,quæ eſt veræ fidei fundamentum:hinc ſequitur neceſſariò,vnam ſolùm eſſe fidem:omnéſque huius veræ Fidei Confeſſiones,vtcunque verbo differunt, tamen re optimè inter ſe conuenire. Quum itaque corde ad iuſtitiam credamus, oréque confiteamur ad ſalutem: certè Conſenſu Confeſſionum in hac vna veritate, fide, iuſtitia & ſalute, nil ſuauius, nihílque pulchrius in hac vita eſſe poteſt. Quotcunque enim ſunt tales conſentientes Eccleſiarum Confeſſiones,totidem ſunt numero, grauiſſima conſentientia teſtimonia pro veritate,contra errorem & mendacium. Quotquot publica Confeſſione, mutuum conſenſum teſtantur, illi ſeſe mutuò confirmant, & ad conſtantiam in ea Confeſſione cohortantur, alióſque ad eandem veritatem amplectendam, inuitant & prouocant: & eiuſmodi ſanctorum in veritate conſenſus hîc in terra, typum quendam exhibet, & argumentum non paruifaciendum ſuppeditat, conſenſus & harmoniæ quām ſancti in cœlis coram throno Dei, veritatis omnis autore,

autore, celebrabunt in æternum. Laudandum itaque, & velut diuino instinctu initum consilium probandum, Confessionum Ecclesiarum Orthodoxarum, in harmoniam collectio & dispositio. Sic enim ostenditur, locorum distantiam & differentiam, nil impedire, S. Spiritus in fidelibus coniunctionem & vnitatem, qui vbique semper est sibi similis. Deinde qui in luce tanti consensus sunt positi, tantaq; testium quasi nube circunsepti, habent cur erubescant, quum errores, vt ab Orthodoxis præcedentium ætatum patribus: ita & consensu Ecclesiarum huius nostri temporis, damnatos, & explosos, ab inferis reuocare, & aliis recipiendos propinare audent.

Quum itaque Diuina quadam Prouidentia, Confessio Scoticanæ Ecclesiæ (edita primùm, anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, quæ nulla alia quàm Scotica lingua, nullis, quod sciam Ecclesiis, est communicata) in manus meas incideret: & audirem querelam, Confessionem Ecclesiæ Scoticanæ in harmonia Confessionum desiderari: videbatur operæpretium, Confessionem illam in linguam Latinam transferre, vt piorum desiderio satisfieret, qui illam vnà cum aliis Harmoniæ inseri, aut aliter adiungi cupiebant. Est enim illius Ecclesiæ priuilegium rarum præ multis, in quo etiam eius nomen apud exteros fuit celebre, quod circiter annos plus minus 54. sine schismate, nedum hæresi, vnitatem cum puritate doctrinæ seruauerit, & retinuerit. Huius vnitatis adminiculum ex Dei misericordia maximum fuit, quod paulatim cum doctrina Christi, & Apostolorum Disciplina, sicut ex verbo Dei est præscripta, vnà fuit recepta: & quàm proximè fieri potuit, secundùm eam, totum regimen Ecclesiasticum fuit administratum. Hac ratione omnia schismatum atque errorum semina, quamprimum pullulare aut se exerere visa sunt, in ipsa quasi herba & partu, sunt suffocata & extirpata. Det Dominus Deus, pro immensa sua bonitate, Regiæ Maiestati Serenissimæ, omnibusq; Ecclesiarum gubernatoribus, Potestatibus Ecclesiæ nutritiis, vt ex Dei verbo illam vnitatem & doctrinæ puritatem perpetuò conseruent, Amen. Illa præstantiss. Interpres.

BELGICA Fidei Confessio, Gallicè primùm Anno Domini M.D.LXI. scripta fuit, vt demonstraretur, quænam esset doctrina eorum qui in Flandria, Artesia, Hannonia &c. grauissimas persecutiones & afflictiones patiebantur, sicuti & in Gallia, iam ab anno 1525.

Anno verò M.D.LXXIX. in Belgij Synodo confirmata, Belgicè scripta fuit. Anno verò Domini M.D. LXXXI. Latinitate donata.

Illa in celeberrima augustissimáque Synodo Dordrechtana anno 1619. relecta & examinata, doctrinam in ea comprehensam consentientibus omnium tam exterorum quàm Prouincialium Theologorum iudiciis vt Orthodoxam & Verbo Dei consentientem fuisse approbatam testantur Acta Synodi. Ea est quæ in hac editione exhibetur.

POLONICA Fidei Confessio in Synodo Czengerina, vno consensu exhibita & declarata: Excusa Debrecini, Anno Domini M.D.LXX. Additur hic etiam Generalis Sendomiriensis inter Ecclesias Polonicas Consensus: cuius Constitutiones etiam in aliis Synodis, integræ ad ædificationem Ecclesiarum, in altera parte Syntagmatis harum Confessionum, collocantur.

CONFESSIO Fidei quatuor Ciuitatum Imperij, nempe ARGENTINENSIS, Constantiensis, Memmingensis & Lindauiensis tum Germanicè tum Latinè Anno Domini M.D.XXX. scripta, in Comitiis Augustanis illis ipsis quibus Augustana Confessio, per Legatos illarum quatuor Ciuitatum Carolo V. Imperatori exhibita fuit.

CONFES-

CONFESSIO
ET
EXPOSITIO SIMPLEX
ORTHODOXÆ FIDEI, ET DOGMATVM CATHOLICORVM SINCERÆ RELIgionis Christianæ.

Concorditer ab Ecclesiæ Christi Ministris, qui sunt in Heluetia, Tiguri, Bernæ, Glaronæ, Basileæ, Scaphusij, Abbatiscellæ, Sangalli, Curiæ Rhetorum, & apud Confœderatos, Mylhusij item, & Biennæ: quibus adjunxerunt se Geneuensis & Neocomensis Ecclesiæ Ministri, vnà cum aliis Euangelij Præconibus in Polonia, Hungaria & Scotia:

EDITA IN HOC, VT VNIVERSIS TESTENtur fidelibus, quod in vnitate veræ & antiquæ Christi Ecclesię, persistent, neque vlla noua, aut erronea dogmata spargant, atque ideò etiam nihil consortij cum vllis Sectis aut Hæresibus habeant.

Ad Rom. cap. X. vers. 10.

Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

TIGVRI.

Typis IOH. IACOBI BODMERI.

Anno MDCLI[illegible].

PRÆFATIO.

VNIVERSIS CHRISTI FIDELIBVS PER GERMANIAM ATQVE EXTERAS ETIAM Nationes.

MINISTRI SVBSCRIPTARVM ECCLEsiarum per Heluetiam

Gratiam & Pacem à DEO PATRE, per IESVM CHRISTVM, Dominum nostrum, precamur.

CONSCRIPTÆ sunt hactenus, & eduntur hoc præcipuè tempore in publicum, à Regnis, Nationibus, & Ciuitatibus, multę ac varię Confessiones & Expositiones fidei, quibus extremo hoc seculo, in tam infelici perniciosarum prouentu hæresium, quæ passim exoriuntur, docent, atque testantur, se in Ecclesiis suis orthodoxè simplicitérque sentire, credere atque docere, de omnibus in vniuersum & singulis Christianæ fidei & religionis nostrę dogmatibus, deniq; se & ab hęresium sectarúmvè communione esse quàm alienissimos. Nos ergo, tametsi anteà hoc ipsum fecerimus in nostris scriptis in publicum editis, quia tamen illa in obliuionem fortè abierũt, variísque in locis, & prolixiùs etiam rem exponunt, quàm vt omnibus inquirere ac perlegere vacet, præclaro aliorum fidelium exemplo excitati, breui hac expositione conamur complecti, & omnibus Christi fidelibus proponere doctrinam, œconomiámque Ecclesiarum nostrarum, quàm illæ mox ab initio Reformationis, multos jam per annos, multáque per discrimina rerum ad hunc vsque diem, summo cum consensu, & docuerunt, & nunc quoque custodiunt. Eadem opera attestamur etiam omnibus consensum no-

ſtrum vnanimem, quem dedit nobis Dominus, vt in noſtris Eccleſiis, quibus nos miniſtrare voluit Dominus, idem loquamur omnes, nec ſint inter nos diſſidia, ſed ſimus integrum corpus, eadem mente eadémque ſententia. Atteſtamur item, nos minimè talia in Eccleſiis noſtris ſpargere dogmata, qualia aduerſarij nonnulli noſtri nobis, apud eos maximè, ad quos ſcripta noſtra non perueniunt, & qui doctrinæ noſtræ imperiti ſunt, falsò & præter meritum tribuere, obtruderéque nituntur. Ergo manifeſtiſſimè ex his noſtris, æqui deprehendent lectores, nihil nos quoque habere communionis cum vllis ſectis atque hæreſibus, quarum, hoc conſilio, in ſingulis propè capitibus, mentionem facimus, eáſque rejicientes perſtringimus. Colligent itaque & illud, nos à ſanctis Chriſti Eccleſiis Germaniæ, Galliæ, Angliæ, aliarúmque in orbe Chriſtiano nationum, nephario ſchiſmate nos non ſejungere atque abrumpere: ſed cum ipſis omnibus & ſingulis, in hac confeſſa veritate Chriſtiana, probè conſentire, ipsáſque charitate ſyncera complecti.

Tametſi verò in diuerſis Eccleſiis quædam deprehenditur varietas, in loquutionibus, & modo expoſitionis doctrinæ, in ritibus item vel ceremoniis, eáque recepta pro Eccleſiarum quarumlibet ratione, opportunitate & ædificatione, nunquam tamen ea, vllis in Eccleſia temporibus, materiam diſſenſionibus & ſchiſmatibus, viſa eſt ſuppeditare. Semper enim hac in re, Chriſti Eccleſiæ vſæ ſunt libertate. Id quod in hiſtoria Eccleſiaſtica videre licet. Abundè piæ vetuſtati ſatis erat, mutuus ille in præcipuis fidei dogmatibus, ínque ſenſu orthodoxo & charitate fraterna, conſenſus.

Quocirca ſperamus Chriſti Eccleſias, vbi viderint deprehenderíntque nos in ſancti & æterni Dei doctrina, in ſenſu item orthodoxo & charitate fraterna, cum ipſis, imprimis verò cum veteri Apoſtolica Eccleſia, per omnia conſentire, libenter ipſas quoque in vnitate fidei atque doctrinæ, ſenſúque orthodoxo, & fraterna charitate conſenſuras nobiſcum. Cùm hanc Confeſſionem in hoc quoque ediderimus præcipuè, vt Eccleſiarum pacem concordiámque cum mutua charitate, apud Germaniæ exteráſque Eccle-

ſias

ſias quæramus,nobis conciliemus,conciliatámque retineamus. Vbi ſanè illas ipſas Eccleſias,ea dilectione, ſinceritate, integritatéque præditas eſſe,nobis certò perſuademus,vt ſi quid fortè noſtrarum rerum hactenus minus rectè intellectum ſit à nonnullis,porrò,audita hac ſimplici Confeſſione noſtra, illæ nos neutiquam numeraturæ ſint inter Hæreticos, neque Eccleſias noſtras, quæ veræ Chriſti Eccleſiæ ſunt,damnaturæ,vt impias.

Ante omnia verò proteſtamur, nos ſemper eſſe paratiſſimos, omnia & ſingula hic à nobis propoſita, ſi quis requirat,copioſiùs explicare,denique meliora ex verbo Dei docentibus, non ſine gratiarum actione, & cedere & obſequi in Domino, Cui laus & gloria. Acta I. Martij, Anno 1566.

SVBSCRIPSERVNT omnes omnium Eccleſiarum Chriſti in Heluetia Miniſtri,qui ſunt Tiguri, Bernæ, Glaronæ, Baſileæ, Scaphuſij, Abbatiſcellæ,Sangalli, Curiæ Rhetorum, & apud Confœderatos, in Eccleſiis Euangelium profitentibus cis & vltra Alpes,Mylhúſij item & Biennæ, quibus adjunxerunt ſe & Miniſtri Eccleſiæ, quæ eſt Geneuæ,& Neocomi,&c.Sed & conſenſerunt in ipſam jam editam Miniſtri Eccleſiæ Polonicæ, quæ eſt in Ducatu Zathorienſi,& Oſlviecimenſi,Scoticarum quoque Eccleſiarum Miniſtri, qui Nonis Sept.Anno D. 1566. ſcriptis ad Clariſſimum Virum,DN. Theodorum Bezam literis,inter alia dicunt; *Subſcripſimus omnes, qui in hoc cœtu interfuimus, & huius Academiæ ſigillo publico obſignauimus.* Præterea Debrecini in Hungaria, edita & impreſſa eſt Confeſſio, vnâ cum articulis quibuſdam, Septemb.1.Anno D. 1567. & inſcripta Sereniſſimo Principi & Domino,Domino Iohanni II. Dei gratiâ electo Hungariæ Regi, &c. In qua inter alia hæc leguntur verba: *Omnes Eccleſiæ Miniſtri, qui in Conuentu ſancto ad 24.Febr.Anno Domini 1567.Debrecinum conuocato, cis & vltra Tibyſcum, inter reliquas Confeſſiones recepimus & ſubſcripſimus Heluetica Confeſſioni, Anno Domini,1566. editæ,cui & Eccleſiæ Geneuenſis Miniſtri ſubſcripſerunt,&c.*

EDICTVM IMPERATORIVM DE EO, QVI-NAM HABENDI SINT, VEL Catholici, vel Hæretici, ex Cod. Iuſtiniani. Imperat. & Tripart. Hiſt. lib. 9. cap. 7.

IMPP. *Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius, Aug. Populo vrbis Conſtantinopolitanæ. Cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit Imperium, in ea volumus religione verſari, quàm diuinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio vſque nunc ab ipſo inſinuata declarat, quámque Pontificem Damaſum ſequi claret, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum, virum Apoſtolicæ ſanctitatis: hoc eſt, vt ſecundùm Apoſtolicam Euangelicámque doctrinam, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vnam Deitatem ſub pari Maieſtate, & ſub pia Trinitate credamus. Hanc legem ſequentes, Chriſtianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos verò dementes veſanóſque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere, diuina primùm vindicta, pòſt etiam motu animi noſtri, quem ex cœleſti arbitrio ſumpſerimus vltione plectendos. Data III. Kalend. Martias Theſſalonicæ, Gratiano V. Valent. & Theod. Aug. Coſſ.*

Cæterum Euangelica & Apoſtolica hiſtoria vnà cum duabus Petri Epiſtolis docent nos, qualem religionem S. Petrus Apoſtolus tradiderit omnibus Eccleſiis per Orientem & Occidentem, nedum Romanę. Fides verò & doctrina Damaſi Pontificis, qualis fuerit, colliqueſcit ex ipſius Symbolo.

CONFES-

CONFESSIO ET EXPOSITIO BREVIS ET SIMPLEX SYNCERÆ RELIGIONIS Christianæ, &c.

CAPVT I.

DE SCRIPTVRA SANCTA, vero Dei verbo.

CREDIMVS & confitemur Scripturas Canonicas sanctorum Prophetarum & Apostolorum vtriusque Testamenti, ipsum verum esse verbum Dei: & authoritatem sufficientem ex semetipsis, non ex hominibus habere. Nam Deus ipse loquutus est Patribus, Prophetis, & Apostolis, & loquitur adhuc nobis per Scripturas sanctas.

Scriptura Canonica. *Hebr. 1. 1.*

Et in hac Scriptura sancta habet vniuersalis Christi Ecclesia plenissimè exposita, quæcunque pertinent cùm ad saluificam fidem, tum ad vitam Deo placentem, rectè informandam. Quo nomine distinctè à Deo præceptum est, ne ei aliquid vel addatur vel detrahatur.

Scriptura docet fidem, & vitam Deo placentem. *Deut. 4. 2.*

Sentimus ergo ex hisce Scripturis petendam esse veram sapientiam & pietatem, Ecclesiarum quoque reformationem & gubernationem, omniúmque officiorum pietatis institutionem, probationem denique dogmatum, reprobationémque, aut errorum confutationem omnium, sed admonitiones omnes, juxta illud Apostoli, Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad doctrinam, ad redargutionem, &c. Et iterum: Hæc tibi scribo, inquit ad Timotheum, vt nôris quomodo oporteat versari in domo Dei, &c. Et idem ille rursus: Cùm, ait, acciperetis sermonem à nobis, accepistis non sermonem hominum, sed, sicut erat verè, sermonem Dei, &c. Nam ipse in Euangelio dixit Dominus, Non vos estis loquentes illi, sed Spiritus Patris mei loquitur in vobis. Ergo qui vos audit me audit, qui autem vos spernit, me spernit.

Scriptura plenè docet omnem pietatem. *2. Tim. 3. 16.* *1. Tim. 3. 14. 15.* *Scriptura verbum Dei est.* *1. Tess. 2. 13.* *Matth. 10. 20. Luc. 10. 16. Ioh. 13. 20.*

Proinde cùm hodie hoc Dei verbum per Prædicatores legitimè vocatos annunciatur in Ecclesia, credimus ipsum Dei verbum annunciari, & à fidelibus recipi, neque aliud Dei verbum vel fingendum vel cœlitus esse expectandum: atque in præsenti spectandum esse ipsum verbum, quod annunciatur, non annunciantem mini-

Prædicatio verbi Dei est verbum Dei.

ſtrum, qui etſi ſit malus & peccator, verum tamen & bonum manet nihilominus verbum Dei.

Prædicatio externa non eſt inutilis, etſi illuminatio à S. Spiritu pẽdeat. Iere. 31.34. 1.Cor.3.7. Ioh.6.44. Act.10.1. v.5. v.6.

Neque arbitramur prædicationem illam externam tanquam inutilem ideo videri, quoniam pendeat inſtitutio veræ religionis ab interna Spiritus illuminatione: propterea quòd ſcriptum ſit, Non erudiet quis proximum ſuum. Omnes enim cognoſcent me. Et, Nihil eſt qui rigat, aut qui plantat, ſed qui incrementum dat Deus. Quanquam enim nemo veniat ad Chriſtum, niſi trahatur à Patre cœleſti, ac intus illuminetur per Spiritum ſanctum, ſcimus tamen Deum omnino velle prædicari verbum Dei etiam foris. Equidem potuiſſet per Spiritum ſuum ſanctum, aut per miniſterium Angeli, abſque miniſterio S. Petri inſtituiſſe Cornelium in Actis Deus: cæterum rejicit hunc nihilominus ad Petrum: de quo Angelus loquens, Hic, inquit, dicet tibi quid oporteat te facere.

Interior illuminatio nõ tollit externam prædicationem. Marc. 16. 15. Act.16.14.

Qui enim intus illuminat, donato hominibus Spiritu ſancto, idem ille præcipiens dixit ad diſcipulos ſuos, Ite in mundum vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Vnde Paulus Lydiæ, apud Philippos, purpurariæ, prædicauit verbum exterius, interius autem aperuit mulieri cor Dominus: idémque Paulus collocata gradatione eleganti ad *Rom.* 10. tandem infert, Ergo fides ex auditu eſt; auditus autem per verbum Dei.

Agnoſcimus interim Deum illuminare poſſe homines, etiam ſine externo miniſterio, quos & quando velit: id quod ejus potentiæ eſt. Nos autem loquimur de vſitata ratione inſtituendi homines, & præcepto & exemplo tradita nobis à Deo.

Hæreſes.

Execramur itaque omnes hæreſes Artemonis, Manichæorum, Valentinianorum, Cerdonis & Marcionitarum, qui negârunt Scripturas è Spiritu ſancto profectas: vel quaſdam illarum non receperunt, vel interpolârunt & corruperunt.

Apocrypha. De ciuit. Dei lib.18. c.38.

Interim nihil diſſimulamus quoſdam Vet. Teſt. libros à Veteribus nuncupatos eſſe Apocryphos, ab aliis Eccleſiaſticos, vtpote quos in Eccleſiis legi voluerunt quidem, non tamen proferri ad authoritatem ex his fidei confirmandam. Sicuti & Auguſtinus commemorat, in libris Regum adduci Prophetarum quorundam nomina & libros, ſed addit, hos non eſſe in Canone, ac ſufficere ad pietatem, eos libros, quos habemus.

CAPVT.

CAPUT. II.

DE INTERPRETANDIS SCRIPTVRIS Sanctis,& de partibus, Conciliis, & Traditionibus.

SCRIPTVRAS sanctas dixit Apostolus Petrus non esse interpretationis priuatæ. Proinde non probamus interpretationes quaslibet: vnde nec pro vera aut genuina Scripturarum interpretatione agnoscimus eum,quem vocant sensum Romanæ Ecclesiæ,quem,scilicet,simpliciter, Rom.Ecclesiæ defensores, omnibus obtrudere contendunt recipiendum: sed illam duntaxat Scripturarum interpretationem pro orthodoxa & genuina agnoscimus,quæ ex ipsis est petita Scripturis (ex ingenio vtique ejus linguæ,in qua sunt scriptæ,secundum circumstantias item expensæ, & pro ratione locorum vel similium vel dissimilium, plurium quoque & clariorum expositæ) cum regula fidei & charitatis congruit, & ad gloriam Dei hominúmque salutem eximiè facit.

2.Pet.1.20. Vera Scriptura interpretatio.

Proinde non aspernamur sanctorum Patrum Græcorum Latinorúmque interpretationes, neque reprobamus eorundem disputationes ac tractationes rerum sacrarum, cum Scripturis consentientes: à quibus tamen recedimus modestè, quando aliena à Scripturis aut his contraria adferre deprehenduntur. Nec putamus illis vllam à nobis hac re injuriam irrogari, cùm omnes vno ore nolint sua scripta æquari Canonicis, sed probare jubeant, quatenus vel consentiant cum illis,vel dissentiant,jubeántque consentientia recipere,recedere verò à dissentientibus.

Sanctorum Pa[trum] ex[]positio. Augustinus de Cypriano.

Eodem in ordine collocantur etiam Conciliorum definitiones vel canones.

Concilia.

Quapropter non patimur nos in controuersiis religionis vel fidei causis vrgeri nudis Patrum sententiis, aut Conciliorum determinationibus,multò minus receptis consuetudinibus,aut etiam multitudine idem sentientium,aut longi temporis præscriptione.

Ergo non alium sustinemus in causa fidei judicem, quàm ipsum Deum, per Scripturas sanctas pronunciantem, quid verum sit, quid falsum, quid sequendum sit, quídve fugiendum. Ita judicijs nonnisi spiritualium hominum,ex verbo Dei petitis,acquiescimus.

Iudex quis.

Ieremias certè cæteríque Prophetæ Sacerdotum Concilia, contra legem Dei instituta, damnârunt grauiter, ac monuerunt diligenter, ne audiamus Patres,aut insistamus viæ illorum,qui in suis ambulantes adinuentionibus à Lege Dei deflexerunt.

Pariter repudiamus Traditiones humanas,quæ tametsi insignian-

Traditiones

humana. tur ſpecioſis titulis, quaſi diuinæ Apoſtolicæque ſint, viua voce Apoſtolorum, & ceu per manus Virorum Apoſtolicorum, ſuccedentibus Epiſcopis Eccleſiæ traditæ, compoſitæ tamen cum Scripturis, ab his diſcrepant, diſcrepantiáque illa ſua oſtendunt, ſe minimè eſſe Apoſtolicas. Sicut enim Apoſtoli inter ſe diuerſa non docuerunt, ita & Apoſtolici non contraria Apoſtolis ediderunt. Quinimò impium eſſet aſſeuerare Apoſtolos viua voce contraria ſcriptis ſuis tradidiſſe. Paulus diſertè dicit eadem ſe in omnibus Eccleſiis docuiſſe. Et iterum, Non alia, inquit, ſcribimus vobis, quàm quæ legitis, aut etiam agnoſcitis. Alibi rurſus teſtatur ſe & diſcipulos ſuos, id eſt, viros Apoſtolicos, eadem ambulare viâ & eodem ſpiritu pariter facere omnia. Habuerunt quondam & Iudæi ſuas traditiones Seniorum, ſed refutatæ ſunt grauiter à Domino, oſtendente quòd earum obſeruatio legi Dei officiat, & his Deus fruſtrà colatur.

1. Cor. 4. 17
2. Cor. 1. 13
Matth. 15. 6. 8. 9
Marc. 7. 7. 8.

CAPVT III.

DE DEO, VNITATATE EIVS, AC TRINITATE.

Deus vnus eſt. DEVM credimus & docemus vnum eſſe eſſentiâ vel naturâ, per ſe ſubſiſtentem, ſibi ad omnia ſufficientem, inuiſibilem, incorporeum, immenſum, ęternum, creatorem rerum omnium, cùm viſibilium, tum inuiſibilium, ſummum bonum, viuum, & omnia viuificantem & conſeruantem, omnipotentem, & ſummè ſapientem, clementem, ſiue miſericordem, juſtum atque veracem.

Deut. 6 4.
Exod 20. 2
Eſa 42. 8
cap 45. 14. v. 21 c 46. 9
Exod. 34. 6

Pluralitatem verò Deorum abominamur: quòd diſertè ſcriptum ſit, Dominus Deus tuus vnus eſt. Ego ſum Dominus Deus tuus, non ſint tibi Dij alieni ante faciem meam. Ego Dominus & nullus vltra, præter me non eſt Deus. Annon ego Dominus, & non eſt alius præter me ſolum? Deus juſtus & ſaluans, nullus præter me. Ego Iehovah, Deus miſericors, clemens & longanimis, immenſæ bonitatis & veritatis, &c.

Deus trinus eſt.
1. Ioh. 5. 7

Eundem nihilominus Deum immenſum, vnum & indiuiſum, credimus & docemus perſonis inſeparabiliter & inconfusè eſſe diſtinctum, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, ita vt Pater ab æterno Filium generauerit, Filius generatione ineffabili genitus ſit, Spiritus ſanctus verò procedat ab vtroque, ídque ab æterno, cum vtroque adorandus: ita vt ſint tres non quidem Dij, ſed tres perſonæ conſubſtantiales, coæternæ, & coæquales, diſtinctæ quoad hypoſtaſes, & ordine alia aliam præcedens, nulla tamen inæqualitate. Nam quoad naturam

turam vel essentiam, ita sunt conjunctæ, vt sint vnus Deus, essentiáque diuina communis sit Patri, Filio, & Spiritui sancto.

Distinctionem enim personarum manifestam tradidit nobis Scriptura, Angelo ad diuam Virginem inter alia dicente: Spiritus S. superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Et quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. Sed & in Baptismo Christi, auditur vox cœlitus delata super Christo dicens, Hic est Filius meus dilectus. Apparebat & Spiritus sanctus in specie columbæ. Cúmque ipse juberet baptizare Dominus, jussit baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Item alibi in Euangelio dixit, Spiritum sanctum mittet Pater nomine meo. Idem iterum, Cùm, inquit, venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, &c Breuiter, recipimus Symbolum Apostolorum, quod veram nobis fidem tradit.

Luc 1.35
Matth.3.16
Luc 3.22
Ioh.1.32.
Matth.28.19
Ioh.14.26.
Ioh.15.26

Damnamus ergo Iudæos & Mahumetistas, omnésque sacrosanctam & adorandam hanc Trinitatem blasphemantes. Damnamus item omnes hæreses atque hæreticos docentes Filium & Spiritum sanctum nuncupatione esse Deum, item creatum ac seruiens aut alteri officiale esse in Trinitate, esse in ea denique inæquale, majus aut minus, corporeum aut corporaliter effigiatum, moribus vel voluntate diuersum, aut confusum vel solitarium, quasi Filius & Spiritus sanctus affectiones & proprietates sint vnius Dei Patris: vt Monarchici senserunt, Nouatiani, Praxeas, Patripassiani, Sabellius, Samosatenus, Aëtius, Macedonius, Anthropomorphitæ, Arius, & similes.

Hæreses.

CAPVT IV.

DE IDOLIS VEL IMAGINIBVS DEI, CHRISTI, ET DIVORVM.

QVONIAM verò Deus spiritus est inuisibilis & immensa essentia, non potest sanè vlla arte aut imagine exprimi, vnde non veremur cum Scriptura, simulachra Dei mera nuncupare mendacia. Rejicimus itaque non modò gentium idola, sed & Christianorum simulachra.

Imagines Dei. Ioh 4.24 Ies.40.18 Act.17.29 Ies.44 9 Ierem.16.19 cap.51.17.

Tametsi enim Christus humanam assumpserit naturam, non ideo tamen assumpsit, vt typum præferret statuariis atque pictoribus. Negauit se venisse ad soluendum Legem & Prophetas. At Lege & Prophetis. At Lege & Prophetis prohibitæ sunt imagines. Negauit corporalem suam Ecclesiæ profuturam præsentiam Spiritu suo se nobis perpetuò affuturum promisit: quis ergo crederet vmbram vel simulachrum corporis aliquam conferre piis vtilitatem? Cúmque maneat in nobis per Spiritum suum, sumus vtique templa Dei. Quid autem

1.Cor.8,4.
Imagines Christi.
Matth 5 17
Exod.20.4.
Leu 19.4.
cap.26.1.
Deut.4.16.
cap.5.8
Psal.97.7.
Ies.40.18
1 Cor 3.16
2 Cor.6.16

Imagines diuorum. Act. 10.26 cap. 14.15. Apoc. 19.10 cap. 22.9. *Scriptura Laicorum. Matth. 28.19. Marc. 16.15*

conuenit templo Dei cum simulachris?

Et quando beati spiritus ac diui cœlites, dum hîc viuerent, omnem cultum sui auerterunt, & statuas oppugnârunt, cui verisimile videatur diuis cœlitibus & Angelis suas placere imagines, ad quas genua flectunt homines, detegunt capita, aliísque prosequuntur honoribus?

Vt verò instituantur homines in religione, admoneantúrque rerum diuinarum & salutis suæ, prædicare jussit Euangelium Dominus, non pingere & picturâ Laicos erudire. Sacramenta quoque instituit, nullibi statuas constituit. Sed & passim quoque vertamus oculos, occurrunt res creatæ à Deo viuæ & veræ in oculos nostros, quæ si obseruentur, vt par est, longè euidentius mouent aspectantem, quàm omnes omnium hominum imagines vel picturæ vanæ, immobiles, marcidæ atque mortuæ. De quibus verè dixit Propheta, Oculos habent & non vident, &c. Idcirco approbamus Lactantij veteris scriptoris sententiam, dicentis, Non est dubium, quin religio nulla sit, vbicunque simulachrum est. Rectè item fecisse asserimus beatum Episcopum Epiphanium, qui in foribus Ecclesiæ inueniens velum, habens depictam imaginem quasi Christi vel sancti cujuspiam, scidit atque sustulit: quòd contra authoritatem Scripturarum vidisset in Ecclesia Christi hominis pendere imaginem. Ideóque præcipiebat ne deinceps in Ecclesia Christi ejusmodi vela, quæ contra religionem nostram veniunt, appenderentur, sed tolleretur potiùs illa scrupulositas, quæ indigna sit Ecclesia Christi & populis fidelibus. Præterea approbamus hanc S. Augustini sententiam, Non sit nobis religio humanorum operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices, qui talia fabricantur: quos tamen colere non debemus.

Psal. 115.5. Diuin. Instit. l. 2. c. 19. Hieron. epist. 61. ad Pammach. De vera religione, c. 55.

Capvt V.

DE ADORATIONE, CVLTV, ET INVOCATIONE DEI, PER VNICVM Mediatorem Iesum Christum.

Deus solus adorandus & colendus. Matth. 4,10 Exod. 32.19 &c. 1. Reg 18.21. Psal. 97.7. Iere. 7,18. 19.20 Ioh. 4.23.24

DEVM verum docemus solum adorare & colere. Hunc honorem communicamus nemini, juxta mandatum Domini, Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles, vel, & huic vni seruies. Certè omnes Prophetæ grauissimè inuecti sunt contra populum Israëlis, quandocunque Deos alienos, non vnum solum Deum verum adorârunt & coluerunt.

Adorandum autem colendúmque docemus Deum, sicuti ipse nos colere docuit, in spiritu videlicet & veritate, non cum vlla superstitione,

ctione, sed cum synceritate, secundùm verbum ejus: ne aliquando ad nos etiam dicat, Quis requisiuit hæc ex manibus vestris? Nam & Paulus, Deus non colitur, ait, humanis manibus, tanquam qui ipse aliquo indigeat, &c.

Iesa.66.2.&1.12 Iere 7.22. Actor. 17.25

Solus Deus per vnius Christi interuentum est inuocandus.

Eundem solum inuocamus in omnibus discriminibus & casibus vitæ nostræ, idque per interuentum vnici Mediatoris & Intercessoris nostri Iesu Christi. Disertè enim præceptum est nobis, Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & glorificabis me. Sed & liberalissimè nobis promissum est à Domino, dicente, Quicquid petieritis à Patre meo, dabit vobis. Item, Venite ad me, quotquot laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Et cùm scriptum sit, Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? nos verò in solum Deum credamus, solum certè inuocamus: & quidem per Christum. Vnus enim Deus, ait Apostolus, & vnus Mediator Dei & hominum Christus Iesus, Item, Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum justum, &c.

Psal.50.15. Matth 7.7. cap 21.22. Ioh.16.23.24 Matth.11.28 Rom.10.14 1.Tim.2.5 1 Ioh.2.1

Diui non adorandi, colendi, inuocandi.

Proinde sanctos cœlites siue diuos, nec adoramus, neque colimus, nec inuocamus, neque illos coram Patre in cœlis pro intercessoribus aut mediatoribus nostris agnoscimus. Sufficit enim nobis Deus, & Mediator Christus, neque honorem soli Deo & Filio ejus debitum aliis communicamus: quòd ille disertè dixerit, Gloriam meam alteri non dabo. Et quòd Petrus dixit, Non aliud hominibus nomen datum, in quo oporteat saluos fieri, nisi nomen Christi. In quo sanè, qui per fidem acquiescunt, non quærunt extra Christum quicquam.

Iesa.42.8 Act.4.12

Honor diuis debitus & impendendus.

Interim diuos, nec contemnimus, nec vulgariter de eis sentimus. Agnoscimus enim eos esse viua Christi membra, amicos Dei, qui carnem & mundum gloriosè vicerunt. Diligimus ergo illos vt fratres, & honoramus etiam, non tamen cultu aliquo, sed honorabili de eis existimatione, denique laudibus justis. Imitamur item eos. Nam imitatores fidei virtutúmque ipsorum, consortes item æternæ salutis, illis æternum apud Deum cohabitare, & cum eis in Christo exultare, desyderiis votísque ardentissimis exoptamus. Atque hac in parte approbamus illam S. Augustini sententiam, Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum. Quia si piè vixerint, non sic habentur, vt tales quærant honores, sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante, lætantur meriti sui nos esse conseruos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem, &c.

August. de vera religione.

Reliquiæ sanctorum.

Multò verò minùs credimus reliquias diuorum adorandas esse, aut colendas. Veteres isti sancti satis honorasse videbantur mortuos suos, si honestè mandassent terræ reliquias, postquàm astra petiisset spiritus: ac omnium nobilissimas reliquias Majorum æstimabant esse virtutes, doctrinam & fidem: quas vt commendabant cum laude mortuorum, ita eas exprimere annitebantur, dum viuebant in terris.

Iurare per

Illi ipsi Veteres non jurârunt nisi per nomen solius Dei Iehouah,

nomen Dei solius. Deut.6.13 cap.10 20 Exod.23 13. Ios.23.7.

ſicuti lege diuina eſt præceptum: quâ ſicut vetitum eſt jurare per nomina alienorum Deorum, ſic nos juramenta per diuos requiſita non præſtamus. Rejicimus ergo in his omnibus doctrinam diuis cœlitibus plus nimium tribuentem.

Caput VI.

DE PROVIDENTIA DEI.

Dei prouidentia gubernantur omnia. Psal.113.4.5.6.

Dei hujus ſapientis æterni & omnipotentis prouidentiâ, credimus cuncta in cœlo, & in terra, & in creaturis omnibus conſeruari & gubernari. Dauid enim teſtificatur, & ait, Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cœlos gloria ejus. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & ſe demittit, vt inſpiciat, quæ ſunt in cœlo & in terra? Idem rurſus, Omnes vias meas, inquit, præuidiſti. Quia non eſt verbum in lingua mea, quod non vniuerſum noueris Domine, &c. Teſtificatur & Paulus, & ait, Per ipſum viuimus, mouemur, & ſumus. Et, Ex illo, & per illum, & in illum omnia. Veriſſimè ergo, & ſecundùm Scripturam pronunciauit Auguſtinus: Dominus dixit, Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus eorum non cadit in terram ſine voluntate Patris veſtri? Ita verò loquens, oſtendere voluit quicquid viliſſimum homines putant, omnipotentiâ Domini gubernari. Sic enim & volatilia cœli ab eo paſci, & lilia agri ab eo veſtiri, Veritas loquitur, quæ capillos etiam noſtros numeratos eſſe dicit, &c.

Psal.139.3.4 Act.17.28. Rom.11.36 Aug. de Agone Christi, c.8. Matth. 10 29 Matth.6.26 cap.10.30

Epicurei.

Damnamus ergo Epicureos, prouidentiam Dei abnegantes, omnéſque illos, qui blaſphemè dicunt, Deum verſari circa cardines cœli, & nos atque noſtra nec videre nec curare. Damnauit hos etiam Dauid Propheta regius, qui dixit, Quovſque Domine, quovſque impij exultabunt? Dicunt, Dominus non videt, neque intelligit Deus Iacob. Intelligite ſtupidi in populo, & ſtulti quando demum ſapietis? Is qui autem condidit, annon audiret? & qui oculum finxit, quomodo non videret?

Psal.94.3.7.8.9.

Media non aſpernanda.

Interim verò media, per quæ operatur diuina prouidentia, non aſpernamur, vt inutilia, ſed his hactenus nos accommodandos eſſe docemus, quatenus in verbo Dei nobis commendantur. Vnde illorum voces temerarias improbamus, qui dicunt, Si prouidentiâ Dei omnia geruntur, inutiles certè ſunt conatus noſtri & ſtudia noſtra. Satis fuerit, ſi omnia diuinæ permittamus prouidentiæ gubernanda, nec erit quòd porrò ſimus ſoliciti de re vlla, aut quicquam faciamus. Tametſi enim Paulus agnoſceret ſe in Dei prouidentia nauigare, qui ipſi dixerat, Oportet te & Romæ teſtificari: qui inſuper promiſerat dixerátque, Iactura nulla erit vllius animæ, nec cadet pilus de capite veſtro,

Act.23.11 Act.27.22 &c. v.31 v.34

vestro, nihilominus meditãtibus fugam nautis, dicit idem ille Paulus centurioni & militibus, Nisi hi in naui manserint, vos seruari non poteritis. Deus enim qui cuilibet rei suum destinauit finem, is & principium & media, per quæ ad finem vsque peruenitur, ordinauit. Ethnici fortunæ res tribuunt cæcæ, & incerto casui. S. Iacobus non vult vt dicamus, Hodie & cras in illam vrbem proficiscemur & negociabimur: sed addit, Pro eo quòd dicere debueritis, si Dominus voluerit & vixerimus, hoc vel illud faciemus. Et Augustinus, Omnia quæ vanis videntur in rerum natura temerè fieri, non faciunt nisi verbum ejus: quia non fiunt nisi jussu ejus. Ita videbatur forte fortuna fieri, quòd Saul quærens patris asinas, incidit in prophetam Samuelem, sed antea dixerat Dominus ad Prophetam, Cras mittam ad te virum de tribu Benjamin, &c.

CAP. 7. — *Iac.4.13* — *v.15* — *Enarrat in Psal.148* — *1.Sam.9.16*

CAPVT VII.

DE CREATIONE RERVM OMNIVM, DE ANGELIS, DIAbolo, & Homine.

DEVS hic bonus & omnipotens creauit omnia cùm visibilia tum inuisibilia, per Verbum suum coæternum, eundémque quoque conseruat per Spiritum suum coæternum, testificante Dauide atque dicente, Verbo Dei cœli facti sunt, & in Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Deus creauit omnia. — *Iohan.1.3* — *Psal.33.6*

Omnia autem quæ condidit Deus, erant, vt Scriptura ait, valde bona, & ad vtilitatem vsúmque hominis condita. Cuncta verò illa dicimus ab vno profecta esse principio.

Gen.1,31

Damnamus ergo Manichæos & Marcionitas, qui impiè fingebant duas substantias atque naturas boni & mali, duo item principia, & duos sibi aduersos Deos, bonum & malum.

Manichæi & Marcionitæ.

Inter omnes creaturas præstant Angeli atque homines. De Angelis pronunciat diuina Scriptura, Qui creat Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Item, Nonne omnes sunt administratorij spiritus, qui in ministerium emittuntur, propter eos qui hæredes sunt salutis? Dominus verò Iesus ipse testificatur de Diabolo, Ille, inquit, homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax est, atque ejus rei pater. Docemus ergo Angelos alios quidem perstitisse in obedientia, ac ad fidele Dei & hominum ministerium esse deputatos: alios verò sua sponte lapsos, & in exitium esse præcipitatos, factósque esse omnis boni fideliúmque hostes, &c.

De Angelis. — *Psal.104,4* — *Hebr.1.7* — *v.14* — *De Diabolo* — *Ioh.8,44* — *Psal.103.20,21* — *Matth.18.10, Iud.v.6, 2.Pet.2,4*

De Homine. Gen. 1, 27 cap. 2, 8 Psal. 8 Gen. 5, 2

Iam verò de Homine dicit Scriptura, quòd ab initio conditus sit bonus, ad imaginem & similitudinem Dei: quòd Deus collocauerit eum in Paradisum, subjeceritque ei omnia. Id quod Dauid magnificè celebrat. Addidit insuper ei conjugem, ac benedixit eis.

Dicimus autem constare hominem duabus ac diuersis quidem substantiis, in vna persona, anima immortali, vtpote quæ separata à corpore, nec dormit, nec interit, & corpore mortali, quod tamen in vltimo judicio à mortuis resuscitabitur, vt totus homo inde, vel in vita, vel in morte, æternum maneat.

Secta.

Damnamus omnes, qui irrident, aut subtilibus disputationibus, in dubium vocant immortalitatem animarum, aut animam dicunt dormire, aut partem esse Dei. Breuiter damnamus omnes omnium opiniones, quotquot diuersa sentiunt de creatione, de Angelis & dæmonibus, & homine, ab iis, quæ nobis tradita sunt per Scripturas sanctas in Apostolica Christi Ecclesia.

Caput VIII.

De Lapsu Hominis, et peccato, et causa peccati.

Lapsus hominis. Gen. 3, 1, &c.

Fvit homo ab initio à Deo conditus ad imaginem Dei, injustitia & sanctitate veritatis, bonus & rectus, sed instinctu serpentis, & suâ culpâ, à bonitate & rectitudine deficiens, peccato, morti, variisque calamitatibus factus est obnoxius. Et qualis factus est à lapsu, tales sunt omnes, qui ex ipso prognati sunt, peccato, inquam, morti, variisque obnoxij calamitatibus.

Peccatum quid?

Gen. 6, 5 cap. 8, 21 2. Cor. 3, 5 Matth. 12, 35

Peccatum autem intelligimus esse natiuam illam hominis corruptionem, ex primis illis nostris parentibus, in nos omnes deriuatam vel propagatam, quâ concupiscentiis prauis immersi, & à bono auersi, ad omne verò malum propensi, pleni omni nequitia, diffidentia, contemptu & odio Dei, nihil boni ex nobis ipsis facere, imò ne cogitare quidem possumus. Quinimò accedentibus jam etiam annis, cogitationibus, dictis & factis prauis, contra Legem Dei admissis, corruptos fructus, mala arbore dignos, proferimus: quo nomine, merito nostro, iræ Dei obnoxij, pœnis subjicimur justis: adeóque à Deo abjecti essemus omnes, nisi reduxisset nos Christus liberator.

Mors quid?

Per mortem itaque intelligimus non tantùm corpoream mortem, quæ omnibus nobis semel, propter peccata, est obeunda, sed etiam supplicia sempiterna peccatis & corruptioni nostræ debita. Nam

turâ filij

Apostolus, Eramus mortui, inquit, delictis ac peccatis, & eramus naturâ filij iræ, sicut & cæteri. Sed Deus, qui diues est misericordiâ, cùm essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos vnà cum Christo. Item, Sicut per vnum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccârunt.

Ephes. 2, 5, 6

Rom. 5, 12

Agnoscimus ergo in omnibus hominibus esse originale peccatum: agnoscimus omnia alia peccata, quæ ex hoc oriuntur, & dici, & verè esse peccata, qualicunque nomine nuncupentur, siue mortalia, siue venialia, siue illud quoque, quod vocatur peccatum in Spiritum sanctum, quod nunquam remittitur. Fatemur etiam peccata non esse æqualia, licèt ex eodem corruptionis & incredulitatis fonte exoriantur, sed alia aliis esse grauiora. Sicut Dominus dixit, Sodomæ tolerabilius futurum, quàm vrbi rejicienti verbum Euangelij.

Originale peccatum. Actual. a peccata.

Marc 3, 28

1. Ioh. 5, 16

Matth 10, 15

Damnamus ergo omnes, qui hîs contraria docuerunt, imprimis verò Pelagium & omnes Pelagianos, vnà cum Iouinianistis, peccata cum Stoicis paria facientibus. Sentimus per omnia in hac causa cum S. Augustino, qui sua ex Scripturis sanctis protulit atque defendit. Damnamus præterea Florinum & Blastum; contra quos & Irenæus scripsit, & omnes qui Deum faciunt authorem peccati. Cùm disertè scriptum sit, Tu non es Deus, qui velit iniquitatem. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Et iterum, Cùm loquitur Diabolus mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus rei. Sed & in nobis ipsis satis est vitij corruptionisque, vt nihil necesse sit Deum infundere nobis nouam, aut auctiorem prauitatem. Proinde quando dicitur in Scripturis Deus indurare, excæcare, & tradere in reprobum sensum, intelligendum id est, quòd justo judicio Deus id faciat, tanquam judex & vltor justus. Denique quotiescunque Deus aliquid mali in Scriptura facere dicitur atque videtur, non ideo dicitur quòd homo malum non faciat, sed quòd Deus fieri sinat & non prohibeat, justo suo judicio, qui prohibere potuisset, si voluisset: vel, quòd malo hominum bene vtatur, vt peccatis fratrum Iosephi: vel, quòd ipse peccata gubernet, ne latiùs, quàm par est, erumpant atque grassentur. S. Augustinus in Enchiridio suo, Miro modo, inquit, & ineffabili non fit præter voluntatem ejus, quod etiam fit contra voluntatem ejus. Quia non fieret, si fieri non sineret. Neque vtique nolens sinit, sed volens. Nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens, etiam de malo facere posset bene. Hæc ille.

Secta.

Deus non est author peccati, & quatenus indurare dicatur

Psal. 5, 5 v. 6.

Ioh. 8, 44

Exod. 7, 3, Rom. 1, 24; cap. 9, 18

Amos 3, 6

Reliquas quæstiones, An Deus voluerit labi Adamum, aut impulerit ad lapsum, aut quare lapsum non impediuerit? & similes quæstiones deputamus inter curiosas (nisi fortè, cùm Hæreticorum, aut alioqui importunorum hominum improbitas cogit ista etiam ex verbo Dei explicare, sicut fecerunt non raró pij Ecclesiæ Doctores) scientes Dominum prohibuisse, ne homo ederet de fructu prohibito,

Curiosæ quæstiones.

& transgressionem puniuisse: sed & mala non esse, quæ fiunt, respectu prouidentiæ Dei, voluntatis ac potestatis Dei, sed respectu Satanæ & voluntatis nostræ, voluntati Dei repugnantis.

Capvt IX.

DE LIBERO ARBITRIO, ADEOQVE VIRIBVS Hominis.

Qualis homo fuerit ante lapsum.

DOcemvs in hac causa, quæ semper in Ecclesia multas peperit conflictationes, conditionem vel statum hominis triplicem esse considerandum. Principiò, qualis fuerit homo ante lapsum, rectus nimirum & liber, qui & in bono manere & ad malum potuit declinare: declinauerit autem ad malum, implicaueritque peccato & morti, & se, & omne genus mortalium, sicuti dictum est antea.

Qualis homo fuerit post lapsum.

Deinde considerandum est, qualis fuerit homo post lapsum. Non sublatus est quidem homini intellectus, non erepta ei voluntas, & prorsus in lapidem vel truncum est commutatus: cæterùm illa ita sunt immutata & imminuta in homine, vt non possint ampliùs, quod potuerunt ante lapsum. Intellectus enim obscuratus est: voluntas verò ex libera, facta est voluntas serua. Nam seruit peccato, non nolens, sed volens. Etenim voluntas, non noluntas dicitur. Ergo quoad malum siue peccatum, homo non coactus vel à Deo, vel à Diabolo, sed sua sponte, malum facit, & hac parte liberrimi est arbitrij.

Homo sua sponte malum facit.

Quòd verò non rarò cernimus pessima hominis facinora & consilia impediri à Deo, ne finem suum consequantur, non tollit homini libertatem in malo, sed Deus potentiâ suâ præuenit, quod homo aliàs liberè instituit. Sicut fratres Ioseph, Iosephum liberè instituunt tollere: sed non possunt, quòd Dei consilio aliud visum esset.

Gen 47,18 &c.

Homo non potest per se bonum.

Quantum verò ad bonum & ad virtutes, intellectus hominis non rectè judicat de diuinis ex semetipso. Requirit enim Scriptura Euangelica & Apostolica regenerationem abs quolibet nostrum, qui saluari velimus. Vnde natiuitas prior ex Adamo, ad salutem nihil nobis confert. Paulus, Animalis homo, ait, non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, &c. Idem negat alicubi nos idoneos esse, ex nobis ipsis, cogitare aliquid boni. Constat verò mentem vel intellectum, ducem esse voluntatis, cùm autem cæcus sit dux, claret quovsque & voluntas pertingat. Proinde nullum est ad bonum homini arbitrium liberum, nondum renato, vires nullæ ad perficiendum bonum. Dominus in Euangelio dicit, Amen amen dico vobis, quòd omnis qui facit peccatum,

1.Cor.2,14. 1.Cor.3,1. &c. 2 Cor.3,5

Ioh.8,34

catum, seruus est peccati. Et Paulus Apostolus, Affectus carnis, inquit, inimicitia est aduersus Deum. Nam legi Dei non subditur, imò ne potest quidem. *Rom. 8,7*

Porro terrenarum rerum intelligentia in lapso homine, non est nulla. Reliquit enim Deus ex misericordia ingenium, multùm tamen distans, ab eo, quod inerat ante lapsum. Iubet. Deus excolere ingenium, & addit dona simul & profectum. Et manifestum est, quàm nihil proficiamus in artibus omnibus sine benedictione Dei. Scriptura certè omnes artes ad Deum refert. Nam & Ethnici retulerunt artium origines ad inuentores Deos. *Intelligentia artium.* *Exod. 31,3*

Postremò videndum, an regenerati sint liberi arbitrij, & quatenus. In regeneratione, intellectus illuminatur per Spiritum sanctum, vt & mysteria & voluntatem Dei intelligat. Et voluntas ipsa, non tantùm mutatur per Spiritum, sed etiam instruitur facultatibus, vt sponte velit & possit bonum. Nisi hoc dederimus, negabimus Christianam libertatem, & inducemus legalem seruitutem. Sed & Propheta facit Deum loquentem, Dabo legem meam in mentes illorum, & in cordibus eorum inscribam eas, Dominus quoque dicit in Euangelio, Si Filius vos liberauerit, verè liberi estis. Paulus quoque ad Phil. Vobis donatum est, inquit, pro Christo, non solùm, vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Et iterum, Persuasum habeo, quòd is, qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsque ad diem Domini Iesu. Item, Deus est, qui agit in vobis, & vt velitis, & vt efficiatis. *Quales vires regeneratorum, & quomodo sint liberi arbitrij.* *Rom. 8,2* *Ierem. 31,33,* *Ezech. 36,26* *Ioh. 8,36* *Phil. 1,29* *Phil. 1,6* *Phil. 2,13*

Vbi interim duo obseruanda esse docemus. Primum, regeneratos in boni electione & operatione, non tantùm agere passiuè, sed actiuè. Aguntur enim à Deo, vt agant ipsi, quod agunt. Rectè enim Augustinus adducit illud, quòd Deus dicitur noster adjutor. Nequit autem adjuuari, nisi is, qui aliquid agit. Manichæi spoliabant hominem omni actione, & veluti saxum & truncum faciebant: *Regenerati actiuè agunt non passiuè tantùm.* *Ies. 41,14*

Secundum, in regeneratis remanere infirmitatem. Cùm enim inhabitet in nobis peccatum, & caro in renatis obluctetur spiritui, in finem vsque vitæ nostræ, non expeditè omnino perficiunt regenerati, quod instituerant. Confirmantur hæc ab Apostolo. Proinde infirmum est nostrum illud liberum arbitrium, propter reliquias remanentis, in nobis, ad finem vsque vitæ nostræ, veteris Adami, agnatæque corruptionis humanæ. Interim cùm carnis vires & reliquiæ veteris hominis, non ita sint efficaces, vt extinguant penitus spiritus operationem, idcirco fideles liberi dicuntur, ita tamen, vt agnoscant infirmitatem, & nihil glorientur de libero arbitrio. Semper enim animis fidelium obuersari debet, quod toties inculcat beatus August. ex Apostolo, Quid habes, quod non accepisti? & si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? His accedit, quòd non statim euenit, quod institueramus. Euentus enim rerum positi sunt in manu Dei. Vnde Paulus orat Dominum, vt prosperet iter suum. Vnde vel hâc causâ infirmum est liberum arbitrium. *Infirmum in regeneratis liberum arbitrium.* *Rom. 7,17* *Gal. 5,17* *1 Cor. 4,7* *Rom. 1,10*

In externis est libertas. Cæterùm nemo negat in externis, & regenitos & non regenitos habere liberum arbitrium. Habet enim homo hanc constitutionem cum animantibus aliis (quibus non est inferior) communem, vt alia velit, alia nolit. Ita loqui potest, aut tacere, domum egredi, vel domi manere, &c. Quamvis semper & hîc potentia Dei obseruanda sit: quæ effecit, vt Balaam eò non posset pertingere, quò volebat, neque Zacharias rediens ex Templo, loqui posset, provt volebat. *Num. 24. 1. &c.* *Lucæ. 1. 21*

Hæreses. Damnamus in hac causa Manichæos, qui negant homini bono, ex libero arbitrio fuisse initium mali. Damnamus etiam Pelagianos, qui dicunt hominem malum sufficienter habere liberum arbitrium, ad faciendum præceptum bonum. Redarguuntur vtrique à Scriptura sancta, quæ illis dicit, Fecit Deus hominem rectum: his verò dicit, Si Filius vos liberauerit, verè liberi estis. *Gen. 1. 27* *Ioh. 8. 36*

CAPVT X.

DE PRÆDESTINATIONE DEI, ET ELECTIONE SANCTORUM.

Deus elegit nos ex gratia. Eph. 1. 4. 2. Tim. 1. 9, 10

Devs ab æterno prædestinauit vel elegit liberè & merâ suâ gratiâ, nullo hominum respectu, sanctos, quos vult saluos facere in Christo, juxta illud Apostoli, Deus elegit nos in ipso, antequam jacerentur fundamenta mundi. Et iterum, Qui saluos fecit nos, & vocauit vocatione sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm suum propositum & gratiam, quæ data quidem est nobis, per Christum Iesum, ante tempora æterna, sed palàm facta est nunc per apparitionem Seruatoris nostri Iesu Christi.

In Christo electi vel prædestinati sumus. 2. Cor. 13, 5 Ergo non sine medio, licet non propter vllum meritum nostrum, sed in Christo, & propter Christum, nos elegit Deus, vt qui jam sunt in Christo insiti per fidem, illi ipsi etiam sint electi, reprobi verò, qui sunt extra Christum: secundùm illud Apostoli, Vos ipsos tentate, num sitis in fide. Annon cognoscitis vosmetipsos, quòd Iesus Christus in vobis est? nisi sicuti reprobi estis.

Electi sumus ad finem certum. Eph. 1. 4. 5. 6 Denique electi sunt sancti in Christo, per Deum, ad finem certum, quem & ipsum exponit Apostolus & ait, Elegit nos in ipso, vt essemus sancti & irreprehensibiles coram illo per charitatem. Qui prædestinauit nos, vt adoptaret in filios per Iesum Christum, in sese, vt laudetur gloria gratiæ suæ.

Bene sperandum de omnibus. 2. Tim. 2. 19 Matth. 20, 16. Phil. 1, 3, 5, 6, 7, Et quamvis Deus nôrit, qui sint sui, & alicubi mentio fiat paucitatis electorum, bene sperandum est tamen de omnibus, neque temerè reprobis quisquam est annumerandus. Paulus certè ad Philipp. Gratias ago,

tias ago, inquit, pro omnibus vobis (loquitur autem de tota Ecclesia Philippensi) quòd veneritis in communionem Euangelij, persuasum habens, quòd is, qui cœpit opus bonum in vobis, perficiet, sicut justum est, vt hoc sentiam de vobis omnibus. Et cùm rogaretur Dominus, An pauci sint, qui saluentur? non respondet Dominus ac dicit, paucos aut plures fore seruandos, aut perdendos, sed hortatur potiùs, vt quisque contendat ingredi, per portam arctam. Quasi dixerit, Vestrum non est de his curiosiùs inquirere, sed magis anniti, vt per rectam viam cœlum ingrediamini.

An pauci electi. Luc. 13. 24.

Proinde non probamus impias quorundam voces qui dicunt, Pauci sunt electi, & cùm mihi non constet, an sim in illo paucorum numero, genium meum non fraudabo. Alij dicunt, Si prædestinatus, vel electus sum à Deo, nihil impediet me à salute certo jam definita, quicquid tandem designauero. Si verò sum de reproborum numero, nulla me vel fides vel pœnitentia juuabit: cùm definitio Dei mutari non possit. Itaque inutiles sunt doctrinæ & admonitiones omnes. Nam contra hos pugnat illud Apostoli: Oportet servum Domini propensum esse ad docendum, erudientem eos, qui obsistunt, si quando det Deus illis pœnitentiam, ad agnoscendum veritatem, vt resipiscant à laqueo Diaboli, capti ab eo ad ejus volun tatem. Sed & Augustinus ostendit vtrum que esse prædicandum, & liberæ electionis prædestinationísque gratiam, & admonitiones & doctrinas salutares.

Quæ damnanda in has causa. *2 Tim. 2. 24. 25. 26.* *De bono perseuerantia, cap. 14. & seqq.*

Improbamus itaque illos, qui extra Christum quærunt, An sint ab æterno electi? Et quid ante omnem æternitatem de ipsis statuerit Deus? Audienda est enim prædicatio Euangelii, eíque credendum est: & pro indubitato habendum, si credis ac sis in Christo, electum te esse. Pater enim prædestinationis suæ æternam sententiam, sicut modò ex Apostolo exposuimus, in Christo nobis aperuit. Docendum ergo & considerandum ante omnia, quantus amor Patris erga nos in Christo nobis sit revelatus: audiendum quid nobis quotidie in Euangelio ipse Dominus prædicet, quomodo vocet & dicat, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego vos reficiam. Si Deus dilexit mundum, vt vnigenitum dederit pro mundo, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Item, Non est voluntas Patris, vt quisquam de his pusillis pereat. Christus itaque sit speculum, in quo prædestinationem nostram contemplemur, Satis perspicuum & firmum habebimus testimonium, nos in libro vitæ inscriptos esse, si communicauerimus cum Christo, & is in vera fide noster sit, nos ejus simus.

Non inanes admonitiones, quia salus electionis. *An simus electi?* *2. Tim. 1. 9. 10* *Matth. 11. 28* *Ioh 3. 16* *Matth. 18. 14*

Consoletur nos in tentatione prædestinationis, quâ vix alia est periculosior, quòd promissiones Dei sunt vniuersales fidelibus, quòd ipse ait, Petite & accipietis. Omnis qui petit accipit. Quod denique cum vniuersa Dei Ecclesia oramus, Pater noster qui es in cœlis: & quòd Baptismo sumus insiti corpori Christi, & pascimur in Ecclesia, ejus carne & sanguine frequenter ad vitam æternam. His confirmati

Tentatio prædestinationis. *Matth. 7. 7. 8* *Matth. 6. 9* *Gal. 3. 27.*

cum timore & tremore, juxta præceptum Pauli, noſtram ſalutem operari jubemur. *Phil.2,12.*

CAPVT XI.

DE IESV CHRISTO VERO DEO ET HOMINE, VNICO MVNDI Saluatore.

Chriſtus verus eſt Deus. Credimus præterea & docemus Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ab æterno prædeſtinatum vel præordinatum eſſe, à Patre, Saluatorem mundi: credimúſque hunc eſſe genitum, non tantùm, cùm ex virgine Maria carnem aſſumpſit, nec tantùm, ante jacta fundamenta mundi, ſed ante omnem æternitatem, & quidem à Patre, ineffabiliter. Nam Iſajas dixit, Generationem ejus quis enarrabit? Et Micheas, Et egreſſus ejus à diebus æternitatis. Nam & Iohannes in Euangelio dixit, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, &c. Proinde Filius eſt Patri juxta diuinitatem coæqualis & conſubſtantialis, Deus verus non nuncupatione, aut adoptione, aut vlla dignatione, ſed ſubſtantia atque natura, ſicut Iohannes Apoſtolus iterum dixit; Hic eſt verus Deus, & vita æterna. Et Paulus quoque, Filium, ait, conſtituit hæredem omnium, per quem & ſecula fecit: idem eſt ſplendor gloriæ & character ſubſtantiæ ejus, portans omnia verbo potentiæ ſuæ Nam in Euangelio ipſe quoque Dominus dixit, Pater glorifica tu me, apud temetipſum gloriâ, quam habui priusquam hic mundus eſſet, apud te. Nam & alibi in Euangelio ſcribitur, Iudæi quærebant occidere Ieſum, quòd Patrem ſuum dixiſſet Deum, æqualem ſeipſum faciens Deo. *Iſa.53.8. Mich.5,2. Ioh.1,1. Phil.2.6. 1.Ioh.5.10. Hebr.1 2.3. Ioh.17,5. Ioh.5,18.*

Secta. Abominamur ergo Arrij & omnium Arrianorum impiam contra Filium Dei doctrinam, imprimis verò Michaëlis Serueti Hiſpani, & Seruetanorum omnium blaſphemias, quas contra Dei Filium Satan per illos, veluti ex inferis hauſit & in orbem audaciſſimè & impiiſſimè diſpergit.

Chriſtus verus homo, veram habens carnem. Eundem quoque æterni Dei æternum Filium credimus & docemus hominis factum eſſe Filium, ex ſemine Abrahæ atque Dauidis, non ex viri coitu, quod Hebion dixit, ſed conceptum puriſſimè ex Spiritu ſancto, & natum ex Maria ſemper virgine: ſicut diligenter nobis hiſtoria explicat Euangelica. Et Paulus ait, Nullibi Angelos aſſumit, ſed ſemen Abrahæ. Iohannes item Apoſtolus, Qui non credit Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt. Caro ergo Chriſti, nec phantaſtica fuit, nec cœlitus allata, ſicuti Valentinus & Martion ſomniabant. Præterea anima fuit Domino noſtro Ieſu Chriſto non abſque ſenſu & ratione, vt Apollinaris ſentiebat, neque caro abſque *Matth. 1.1. v.18. Luc.1.34.35. Hebr.2.16. 1.Ioh.4.3. Luc.24.39. Anima in Chriſto rationalis.*

anima

anima, vt Eunomius docebat, sed anima cum ratione sua, & caro cum sensibus suis, per quos sensus, veros dolores tempore passionis suæ sustinuit: sicuti & ipse testatus est, & dixit, Tristis est anima mea vsque ad mortem Et, nunc anima mea turbata est, &c.

Matth. 26. 38 Ioh. 12, 27

Agnoscimus ergo in vno atque eodem Domino nostro Iesu Christo, duas naturas, diuinam & humanam: & has ita dicimus conjunctas vel vnitas esse, vt absorptæ, aut confusæ, aut immixtæ non sint: sed saluis potiùs & permanentibus naturarum proprietatibus, in vna persona, vnitæ vel conjunctæ: ita vt vnum Christum Dominum, non duos veneremur: vnum, inquam, verum Deum & hominem, juxta diuinam naturam Patri, juxta humanam verò nobis hominibus consubstantialem, & per omnia similem, peccato excepto. Etenim, vt Nestorianum dogma ex vno Christo duos faciens, & vnionem personæ dissoluens, abominamur: ita Eutychetis & Monothelitarum vel Monophysicorum vesaniam, expungentem naturæ humanæ proprietatem, execramus penitus.

Duæ in Christo naturæ.

Non duo, sed vnus Christus.

Heb. 4, 15

Sectæ.

Ergo minimè docemus naturam in Christo diuinam passam esse, aut Christum secundùm humanam naturam adhuc esse in hoc mundo, adeóque esse vbique. Neque enim vel sentimus, vel docemus veritatem corporis Christi à clarificatione desiisse, aut deificatam, adeóque sic deificatam esse, vt suas proprietates, quoad corpus & animam, deposuerit, ac prorsus in naturam diuinam abierit, vnáque duntaxat substantia esse cœperit. Et proinde Schvvenkfeldij similiúmque leptologorum inargutas argutias, intricatas, obscurásque, & parùm sibi constantes hac de re dissertationes, haudquaquam probamus aut recipimus, neque Schvvenkfeldiani sumus.

Natura Christi diuina non est passa, nec humana est vbique.

Secta.

Præterea credimus Dominum nostrum Iesum Christum, verè passum & mortuum esse, pro nobis, sicut Petrus ait, carne. Abominamur Iacobitarum & omnium Turcarum, passionem Domini execrantium, impiissimam vesaniam. Interim non negamus & Dominum gloriæ, juxta verba Pauli, crucifixum esse pro nobis. Nam communicationem idiomatum, ex Scripturis petitam, & ab vniuersa vetustate in explicandis componendísque Scripturarum locis in speciem pugnantibus, vsurpatam, religiosè & reuerenter, recipimus & vsurpamus.

Verè passus est Dominus noster.

1. Pet. 3, 18, cap. 4.

1. Cor. 2, 8.

Communicatio idiomatum.

Credimus & docemus, eundem Dominum nostrum Iesum Christum vera sua carne, in qua crucifixus & mortuus fuerat, à mortuis resurrexisse, & non aliam pro sepulta excitâsse, aut spiritum pro carne suscepisse, sed veritatem corporis retinuisse. Ergo dum discipuli ejus arbitrarentur se Domini spiritum videre, exhibet eis manus atque pedes, stigmatibus vtique clauorum & vulnerum notatas, & addit, Aspicite manus meas & pedes meos; quia ego ipse sum. Contrectate me & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere.

Vera Christi ex mortuis resurrectio.

Luc 24, 37, 39

In eadem illa carne sua credimus ascendisse Dominum nostrum

Vera ascensio

Christi ascensio. *Eph 4.10* Iesum Christum, supra omnes cœlos aspectabiles, in ipsum cœlum supremum, sedem videlicet Dei & beatorum, ad dexteram Dei Patris, quæ, etsi & gloriæ majestatisque consortium æquale significet, accipitur tamen & pro loco certo, de quo in Euangelio loquens Dominus, dicit, se abiturum & suis paraturum locum. *Ioh. 14.2* Sed & Apostolus Petrus, Oportet Christum, inquit, cœlum accipere, vsque ad tempus restitutionis omnium. *Act. 3.21*

Christi reditus ad iud. *Dan. 12.* *2. Thess. 2.8* Ex cœlis autem idem ille redibit in iudicium, tum, quando summa erit in mundo consceleratio, & Antichristus corrupta religione vera, superstitione, impietateque omnia oppleuit, & sanguine, atque flamma Ecclesiam crudeliter vastauit. Redibit autem Christus asserturus suos, & aboliturus aduentu suo Antichristum, judicaturúsque viuos & mortuos.

Resurrectio mortuorum. *1. Cor. 15.51. 52 1. Thess. 4. 17* *Matth. 25 41. 2 Thess. 1. 8. 2. Pet. 3 7.* Resurgent enim mortui, & qui illa die (quæ omnibus incognita est creaturis) superstites futuri sunt, mutabuntur in momento oculi, fidelésque omnes vnà obuiam Christo rapientur in aëra, vt inde cum ipso ingrediantur in sedes beatas sine fine victuri. Increduli verò vel impij descendent cum dæmonibus ad tartara, in sempiternum arsuri, atque ex tormentis nunquam liberandi.

Secta. Damnamus ergo omnes negantes veram carnis resurrectionem: aut qui cum Iohanne Hierosolymitano, contra quem scripsit Hieronymus, non rectè sentiunt de clarificatis corporibus. Damnamus eos, qui senserunt & dæmonas & impios omnes aliquando seruandos, & pœnarum finem futurum. Simpliciter enim pronunciauit Dominus, Ignis eorum nunquam extinguitur, & vermis eorum non moritur. *Marc. 9. 44, 48* Damnamus præterea Iudaica somnia, quòd ante judicij diem aureum in terris sit futurum seculum, & pij regna mundi occupaturi, oppressis suis hostibus impijs. Nam Euangelica veritas Matth. 24. & 25. Luc. item 18. & Apostolica doctrina 2. Thess. 2. & in 2. ad Timoth. 3. & 4. capite, longè aliud perhibere inueniuntur.

Fructus mortis & resurrectionis Christi. *Rom. 5. 10. c. 4. 25, c. 10. 9. Ioh. 6. 39, 40. 47* *cap. 11. 25 26* *1. Cor. 15 55.* *cap. 1. 30.* *Col. 1. 19. 20.* *cap 2. 9.* Porrò passione & morte sua, omnibúsque adeò, quæ à suo in carne aduentu, nostrâ causâ fecit, & pertulit, reconciliauit omnibus fidelibus Dominus noster Patrem cœlestem, expiauit peccatum, exarmauit mortem, condemnationémque & inferos confregit, ac resurrectione sua ex mortuis, vitam immortalitatémque reduxit, ac restituit. Ipse enim est justitia nostra, vita & resurrectio, denique plenitudo & absolutio fidelium omnium, salúsque & sufficientia abundantissima. Apostolus enim, Sic placuit Patri, inquit, omnem in ipso habitare plenitudinem, & in ipso estis completi.

Iesum Christum vnicum esse mundi Saluatorem, & Messiam verum & expectatum. *Ioh. 10 1. 7.* Docemus enim ac credimus hunc Iesum Christum, Dominum nostrum, vnicum & æternum, generis humani, adeóque totius mundi esse Seruatorem, in quo per fidem seruati sint, quotquot ante Legem, sub Lege, & sub Euangelio saluati sunt, & quotquot adhuc in finem vsque seculi saluabuntur. Nam ipse Dominus in Euangelio dicit, Qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascendit aliunde, ille fur

est & la-

est & latro. Ego sum ostium ouium. Item alibi in eodem Euangelio, Abraham vidit diem meum, & gauisus est. Sed & Petrus Apostolus, Non est in quoquam alio, inquit, nisi in Christo salus. Neque aliud nomen est, sub cœlo, datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Credimus ergo per gratiam Domini Iesu Christi nos seruatum iri, sicuti & patres nostros. Nam & Paulus ait, Omnes patres nostros eandem escam spiritualem edisse, & omnes eundem potum spiritualem bibisse: bibisse autem de spirituali ipsos consequente Petra, Petram verò Christum fuisse. Ideóque legimus & Iohannem dixisse, Christum esse agnum illum, qui occisus sit ab origine mundi: & Baptistam testatum, Christum esse agnum illum Dei, qui tollat peccatum mundi.

Ioh. 8. 56. Act. 4. 12. Act. 15. 11. 1. Cor. 10. 1. 4. Apoc. 13. 8. Ioh. 1. 29.

Vnde pleno ore profitemur & prædicamus, Iesum Christum vnicum esse mundi Redemptorem & Saluatorem, Regem & Pontificem maximum, Messiam verum & expectatum illum inquam sanctum benedictum, quem omnes Legis typi & vaticinia Prophetarum præfigurârint atque promiserint: Deus autem præstiterit ac miserit illum nobis, vt alius porrò non sit vllus nobis, expectandus. Nec restat jam aliud, quàm vt omnes omnem gloriam Christo tribuamus; in ipsum credamus, & in ipso solo acquiescamus, omnibus alijs vitæ præsidijs spretis atque abiectis. Nam gratiâ Dei exciderunt, & Christum inanem sibi reddunt; quotquot salutem in alia re vlla, quàm, in vno Christo quærunt.

Christus verus Messias. Galat. 5. 4.

Et vt paucis multa huius causæ dicamus, quæcunque de incarnationis Domini nostri Iesu Christi misterio, definita sunt ex Scripturis sanctis, & comprehensa Symbolis ac sententijs quatuor primarum & præstantissimarum Synodorum, celebratarum, Niceæ, Constantinopoli, Ephesi, & Chalcedone, vnâ cum beati Athanasij Symbolo, & omnibus his similibus Symbolis, credimus corde syncero, & ore libero ingenuè profitemur, condemnantes omnia his contraria.

Symbola quatuor Conciliorum recepta.

Atque ad hunc modum retinemus inuiolatam siue integram fidem Christianam, orthodoxam atque catholicam: scientes Symbolis prædictis nihil contineri, quod non sit conforme verbo Dei, & prorsus faciat ad synceram fidei explicationem.

Fidem orthodoxam & catholicam, illibatam retinemus.

CAPVT XII.

DE LEGE DEI.

DOcemus Lege Dei, exponi nobis voluntatem Dei, quid nobis fieri velit aut nolit; quid bonum & iustum, quidve malum sit & iniustum. Bonam igitur & sanctam confitemur esse Legem. Et hanc quidem aliàs digito Dei inscriptam

Lege Dei exponitur nobis voluntas Dei.

Lex naturæ. Iere.31.33. Rom 2.15. Lex Mosis in duabus tabulis. Exod.31.18. esse in corda hominum, vocaríque Legem naturæ, aliàs autem digito insculptam esse, in tabulas Mosis geminas, & libris Mosis copiosiùs expositam. Distinguimus illam perspicuitatis gratiâ, in moralem, quę comprehenditur Decalogo, vel geminis tabulis, & per Mosis libros expositis, in ceremonialem item, quæ de ceremoniis cultúque Dei constituit, & in judicialem, quæ versatur circa politica atque œconomica.

Plenissima & absolutissima est Lex. Deut 4.2. Credimus hac Dei Lege omnem Dei voluntatem, & omnia præcepta necessaria, ad omnem vitæ partem, plenissimè tradi. Alioqui enim non vetuisset Dominus, huic Legi nihil, vel addi, vel adimi: non præcepisset rectâ ad hanc incedi, neque in dextram vel sinistram deflexo itinere, declinare.

Cur data sit Lex? Docemus Legem hanc non datam esse hominibus, vt ejus justificentur obseruatione: sed vt ex ejus indicio, infirmitatem potiùs, peccatum, atque condemnationem agnoscamus, & de viribus nostris desperantes, conuertamur ad Christum in fide. Apertè enim Apostolus, Rom.4.15 cap 3.20. Gal.3.21.22 Lex iram, ait, operatur. Et per Legem agnitio peccati. Et si data fuisset Lex, quæ posset justificare, vel viuificare, verè ex Lege esset justitia: sed conclusit Scriptura (Legis nimirum) omnia sub peccatum, vt promissio ex fide Iesu, daretur credentibus. Itaque Lex Pædagogus noster ad Christum fuit, vt ex fide justificaremur. Gal.3.24 Caro non implet. Neque verò potuit aut potest vlla caro Legi Dei satisfacere, & hanc adimplere, ob imbecillitatem in carne nostra, ad extremum vsque spiritum, in nobis hærentem aut remanentem. Rursus enim Apostolus: Quod Lex præstare Rom.8.3. non poterat, inquit, quia imbecillis erat per carnem, hoc Deus, proprio Filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ, præstitit. Idcirco Rom.10.4. Galat 3.13. Christus est perfectio Legis & adimpletio nostra, qui vt execrationem Legis sustulit, dum factus est pro nobis maledictio, vel execratio, ita communicat nobis per fidem, adimpletionem suam, nobísque ejus imputatur justitia & obedientia.

Quatenus Lex abrogata. Rom.6.14 Hactenus itaque abrogata est Lex Dei, quatenus nos ampliùs non damnat, nec iram in nobis operatur. Sumus enim sub gratia, & non sub Lege. Præterea impleuit Christus omnes legis figuras. vnde vmbræ cesserunt, corpore adueniente, vt jam in Christo & veritatem habeamus & omnem plenitudinem. Attamen Legem non ideo fastidientes rejicimus. Meminimus enim verborum Domini, dicentis, Matth.5.17 Non veni Legem & Prophetas soluere, sed implere. Scimus Lege nobis tradi formulas virtutum atque vitiorum. Scimus scripturam Legis, si exponatur per Euangelium, Ecclesiæ esse vtilem, & idcirco ejus lectionem non exterminandam esse, ex Ecclesia. Licèt enim velo obtectus fuerit Mosis vultus, Apostolus tamen perhibet, velum per 2.Cor.3.14 Christum tolli atque aboleri.

Sectæ. Damnamus omnia, quæ Hæretici veteres & neoterici contra Legem Dei docuerunt.

CAPVT XIII.

DE EVANGELIO IESV CHRISTI, De Promissionibvs item, Spiritu & Litera.

EVangelium quidem opponitur Legi. Nam Lex iram operatur & maledictionem annunciat, Euangelium verò gratiam & benedictionem prædicat. Sed & Iohannes dixit, Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum exorta est: nihilominus tamen certissimum est eos, qui ante Legem & sub Lege fuerunt, non omnino destitutos fuisse Euangelio. Habuerunt enim promissiones Euangelicas insignes, quales hæ sunt, Semen mulieris conculcabit caput serpentis. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Non auferetur sceptrum de Iuda, nisi priùs venerit Silo. Prophetam excitabit Dominus de medio fratrum, &c.

Veteres habuerunt promissiones Euangelicas. *Rom. 4. 15.* *Deut 27, 26.* *Ioh. 1, 17.* *Gen 3. 15.* *cap. 22. 18.* *cap. 49. 10.* *Deut. 18. 18.*

Et quidem agnoscimus Patribus duo fuisse promissionum genera, sicuti & nobis reuelata. Aliæ enim erant rerum præsentium, vel terrenarum, quales sunt promissiones de terra Chanaan, de victorijs: & quales hodie adhuc sunt de pane quotidiano. Aliæ verò erant tunc, & sunt etiam nunc, rerum cœlestium & æternarum, gratiæ videlicet diuinæ, remissionis peccatorum, & vitæ æternæ, per fidem in Iesum Christum. Habuerunt autem Veteres non tantùm externas vel terrenas, sed spirituales etiam cœlestésque promissiones, in Christo. Nam de salute, ait Petrus, exquisierunt & scrutati sunt Prophetæ, qui de ventura in nos gratia vaticinati sunt, &c. vnde & Paulus Apostolus dixit, Euangelium Dei ante promissum esse per Prophetas Dei, in Scripturis sanctis. Inde nimirum claret, Veteres non prorsus destitutos fuisse omni Euangelio.

Promissiones duplices. *Habuerunt Patres etiã promissiones spirituales, non tantùm carnales.* *1. Pet. 1. 10.* *Rom. 1. 2.*

Et quamvis ad hunc modum Patres nostri in scripturis Prophetarum habuerint Euangelium, per quod & salutem in Christo, per fidem consequuti sunt, Euangelium tamen propriè illud dicitur lætum & felix nuncium, quo nobis primùm per Iohannem Baptistam, deinde per ipsum Christum Dominum, postea per Apostolos ejus, Apostolorúmque successores prædicatum est mundo, Deum iam præstitisse, quod ab exordio mundi promisit, ac misisse, imò donauisse nobis Filium vnicum, & in hoc reconciliationem cum Patre, remissionem peccatorum, omnem plenitudinem, & vitam æternam. Historia ergo descripta à quatuor Euangelistis, explicans, quomodo hæc sint facta vel adimpleta à Christo, quæ docuerit & fecerit Christus: & quòd in ipso credentes omnẽ habent plenitudinem rectè nuncupatur

Euangelium propriè quid.

Euangelium. Prædicatio item & scriptura Apostolica, quâ nobis exponunt Apostoli, quomodo nobis à Patre datus sit Filius, & in hoc vitæ salutisq; omnia, rectè dicitur doctrina Euangelica, sic vt ne hodie quidem, si syncera sit, appellationem tam præclaram amittat.

De spiritu & litera. *2. Cor. 3 6. 8.* Illa ipsa Euangelij prædicatio, nuncupatur item ab Apostolo spiritus & ministerium spiritus, eò quòd efficax & viua fiat per fidem in auribus, imò cordibus credentium per Spiritum sanctum illuminantem. Nam Litera quæ opponitur spiritui, significat quidem omnem rem externam, sed maximè doctrinam Legis, sine spiritu & fide in animis, non viua fide credentium, operantem iram, & excitantem peccatum. Quo nomine & ministerium mortis ab Apostolo nuncupatur. *v. 7.* *v. 6.* Huc enim illud Apostoli pertinet, Litera occidit, spiritus viuificat.

Sectæ. Et Pseudoapostoli prædicabant Euangelium, Lege admixta, corruptum, quasi Christus sine Lege non possit seruare. Quales fuisse dicuntur Hebionæi ab Hebione Hæretico descendentes, & Nazaræi, qui & Minæi antiquitus vocabantur. Quos omnes nos damnamus, purè prædicantes Euangelium, docentésque per Spiritum solùm, & non per Legem justificari credentes. De qua re mox sequetur, sub titulo Iustificationis, copiosior expositio.

Euangelij doctrina non est noua, sed vetustissima doctrina. *Ier. 31. 31.* Et quamvis Euangelij doctrina collata cum Pharisæorum doctrina Legis, visa sit, cùm primùm prædicaretur per Christum, noua esse doctrina, quòd & Ieremias de nouo Testamento vaticinatus sit; reuera tamen illa, non modò vetus erat, & est adhuc (nam noua dicitur & hodie à Papistis, collata cum doctrina jam Papistarum recepta) vetus doctrina, sed omnium in mundo antiquissima. Deus enim ab æterno prædestinauit mundum seruare per Christum, & hanc suam *2. Tim. 1. 9.* prædestinationem & consilium sempiternum aperuit mundo per Euangelium. Vnde claret, religionem doctrinámq; Euangelicam, inter omnes, quotquot fuerunt vnquam, sunt, atque erunt, omnium esse antiquissimam. Vnde dicimus, omnes eos errare turpiter, & indigna æterno Dei consilio loqui, qui Euangelicam doctrinam & religionem, nuncupant nuper exortam, & vix triginta annorum fidem. *Isaiæ 50. 20.* In quos competit illud Isaiæ Prophetæ, Væ his, qui dicunt malum esse bonum, & bonum malum, qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras, amarum dulce, & dulce amarum.

CAPVT

CAPVT XIV.

DE POENITENTIA ET CONVERSIONE HOMINIS.

HABET Euangelium conjunctam sibi doctrinam de pœnitentia. Ita enim dixit in Euangelio Dominus, Oportet prædicari in nomine meo pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Per pœnitentiam autem intelligimus mentis in homine peccatore resipiscentiam, verbo Euangelij & Spiritu sancto excitatam, fideque vera acceptam, qua protinus homo peccator, agnatam sibi corruptionem peccataque omnia sua, per verbum Dei accusata, agnoscit, ac de his ex corde dolet, eademque coram Deo, non tantum deplorat & fatetur ingenue cum pudore, sed etiam cum indignatione execratur, cogitans jam sedulo de emendatione, & perpetuo innocentiæ virtutumque studio, in quo sese omnibus diebus vitæ reliquis, sanctè exerceat. Et hæc quidem est vera pœnitentia, syncera nimirum ad Deum & omne bonum conuersio, sedula verò à Diabolo & ab omni malo auersio.

Luc 24,47
Pœnitentia quid.
Pœnitentia est vera ad Deum conuersio.

Disertè verò dicimus hanc pœnitentiam merum esse Dei donum, & non virium nostrarum opus. Iubet enim Apostolus fidelem Ministrum diligenter erudire obsistentes veritati, si quando Deus his det pœnitentiam ad agnoscendum veritatem.

Pœnitentia donum Dei.
2.Tim.2,25

Iam verò peccatrix illa Euangelica, quæ lacrymis rigat pedes Domini, ac Petrus amarè flens deploransque Domini sui abnegationem, manifestè ostendunt, qualis esse debeat pœnitentis animus, seriò deplorans commissa peccata.

Dolet de peccatis commissis.
Luc 7,38.
Matth.26,75

Sed & filius ille concoctor & Publicanus ille in Euangelio, cum Pharisæo collatus, præeunt nobis formulis accommodatissimis peccata nostra Deo confitendi. Ille dicebat, Pater peccaui in cælum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis: Hic verò non audens eleuare oculos in cœlum, pectus sum tundendo, clamabat, Deus propitius esto mihi peccatori. Nec dubitamus illos in gratiam à Deo esse receptos. Etenim Iohannes Apostolus, Si confiteamur peccata nostra, inquit, fidelis est, & justus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, non peccauimus, mendacem facimus eum, & sermo ejus non est in nobis.

Confitetur peccata Deo
Luc 15,18,19
Luc 18,13
1.Ioh.1,9,10

Credimus autem hanc confessionem ingenuam, quæ soli Deo fit, vel priuatim inter Deum & peccatorem, vel palàm in Templo, vbi generalis illa peccatorum confessio recitatur, sufficere, nec necessa-

Sacerdotalis confessio & absolutio.

rium esse ad remissionem peccatorum consequendam, vt quis peccata sua confiteatur Sacerdoti, susurrando in aures ipsius, vt vicissim cum impositione manuum ejus, audiat ab ipso absolutionem: quòd ejus rei nec præceptum vllum, nec exemplum extet in Scripturis sanctis. Dauid protestatur & ait, Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. Dixi confitebor contra me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. Sed & Dominus orare nos docens, simul & confiteri peccata, dixit, Sic orabitis: Pater noster: qui es in cœlis, remitte nobis debita nostra: sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Necesse est ergo, vt Deo Patri nostro confiteamur peccata nostra, & cùm proximo nostro, si ipsum offendimus, redeamus in gratiam. De quo confessionis genere loquens Iacobus Apostolus, Confitemini, inquit, alij aliis peccata vestra. Si quis verò peccatorum mole & tentationibus perplexis oppressus, velit consilium, institutionem & consolationem priuatim, vel à Ministro Ecclesiæ, aut aliquo fratre, in Lege Dei docto, petere, non improbamus. Quemadmodum & generalem & publicam illam in Templo ac cœtibus sacris recitari solitam (cujus & superius meminimus) peccatorum confessionem, vtpote Scripturis congruam, maximè approbamus.

Psal.32.5

Matth.6,12

Iac.5,16

De clauibus regni cælorum.

De Clauibus regni Dei, traditis à Domino Apostolis, multa admiranda garriunt, & ex his cudunt enses, lanceas, sceptra & coronas, plenámque in maxima regna, denique in animas & corpora potestatem: nos simpliciter, judicantes secundùm verbum Domini, dicimus omnes Ministros legitimè vocatos, habere & exercere claues vel vsum clauium, cùm Euangelium annunciant, id est, populum suæ fidei creditum docent, hortantur, consolantur & increpant, inque disciplina retinent. Ita enim regnum cœlorum aperiunt obsequentibus, & inobsequentibus claudunt.

Aperire & claudere

Reconciliationis ministerium.

Matth.28,
Marc.16.15.
Luc 24.47.
2.Cor.5,18,
v.19.
v.20.

Has claues promisit Apostolis Dominus, Matth. 16. & præstitit Ioh.20. Marc.16. & Luc.24. dum ablegat discipulos, & jubet eos vniuerso mundo prædicare Euangelium, & condonare peccata. Apostolus in Epist. ad Cor. dicit, Dominum Ministris dedisse reconciliationis ministerium: & quale hoc sit, mox explicat & ait, Sermonem vel doctrinam reconciliationis. Et adhuc clarius sua illa exponens, addit, Ministros Christi, nomine Christi fungi legatione, tanquam ipso Deo, per Ministros adhortante populos, vt reconcilientur Deo, nimirum per fidelem obedientiam. Exercent ergo claues, cùm suadent fidem & pœnitentiam. Sic illi reconciliant Deo. Sic remittunt peccata. Sic aperiunt regnum cœlorum, & credentes introducunt: multùm distantes ab istis, de quibus dixit in Euangelio Dominus, Væ vobis legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introiistis, & eos qui introibant, vetuistis.

Ministri remittunt peccata.
Luc 11,52

Quomodo Ministri absoluant.

Ritè itaque & efficaciter Ministri absoluunt, dum Euangelium Christi, & in hoc remissionem peccatorum, quæ singulis promittitur fidelibus,

fidelibus, sicuti & singuli sunt baptizati, prædicant, & ad singulos peculiariter pertinere testantur. Nec putamus absolutionem hanc efficaciorem fieri, per hoc, quòd in aurem alicui, aut super caput alicujus singulariter immurmuratur. Censemus tamen sedulò annunciandam esse hominibus remissionem peccatorum, in sanguine Christi, admonendósque singulos, quòd ad ipsos pertineat remissio peccatorum.

Cæterum quàm vigilantes sedulósque oporteat esse pœnitentes in studio vitæ nouæ, & in conficiendo vetere & excitando nouo homine, docent nos exempla Euangelica. Dominus enim ad paralyticum, quem sanauerat, dicit, Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid deterius tibi contingat. Ad adulteram liberatam idem dixit, Vade, & ne posthac peccaueris. Quibus sanè verbis non significauit fieri posse, vt homo aliquando non peccet, dum adhuc in hac carne viuit, sed vigilantiam accuratúmque studium commendat, vt modis, inquam, omnibus annitamur, & precibus à Deo petamus, ne relabamur in peccata, ex quibus veluti resurreximus, & ne vincamur à carne, mundo, & Diabolo. Zacchæus Publicanus in gratiam receptus à Domino, clamat in Euangelio, Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quem defraudaui, reddo quadruplum. Ad eundem ergo modum prædicamus restitutionem & misericordiam, adeóque eleemosynam, verè pœnitentibus esse necessariam: & in vniuersum Apostoli verbis hortamur omnes ac dicimus, Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore, vt obediatis ei per cupiditates ejus: neque accommodetis membra vestra arma injustitiæ peccato, sed accommodetis vosmetipsos Deo, velut ex mortuis viuentes, & membra vestra arma justitiæ Deo.

Sedulitas in innouatione vitæ.

Ioh. 5, 14

Ioh. 8, 11

Luc 19, 8

Rom. 6, 12, 13

Proinde damnamus omnes impias quorundam, Euangelica prædicatione abutentium, voces, & dicentium, Facilis est ad Deum reditus. Christus expiauit omnia peccata. Facilis est peccatorum condonatio, Quid ergo peccare nocebit? Nec magnopere curanda est pœnitentia, &c.

Errores.

Docemus interim semper, & omnibus peccatoribus aditum patere ad Deum, & hunc omnia, omnibus fidelibus condonare peccata; excepto vno illo peccato, in Spiritum sanctum. Ideóque damnamus & veteres & nouos Nouatianos, atque Catharos. Damnamus imprimis lucrosam Papæ de pœnitentia doctrinam, & contra Simoniam ejus, Simoniacásque ejus indulgentias, illud vsurpamus Simonis Petri judicium, Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti parari pecuniis. Non est tibi pars, neque sors in ratione hac. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Improbamus item illos, qui suis satisfactionibus existimant se pro commissis satisfacere peccatis. Nam docemus, Christum vnum, morte vel passione sua, esse omnium peccatorum satisfactionem, propitiationem vel expiationem: interim tamen, quod & ante diximus, mortificationem

Mar. 3, 28, 29.

Matth. 12, 31, 32

1. Ioh. 5, 16.

Secta.

Indulgentia Papales.

Act. 8, 20, 21

Satisfactiones.

Ies. 53, 5

1. Cor. 1, 30.

1. Ioh. 2, 2.

carnis vrgere non desinimus: addimus tamen hanc non obtrudendam esse Deo superbè pro peccatorum satisfactione, sed præstandam humiliter, pro ingenio filiorum Dei, vt obedientiam nouam, gratitudinis, ergò pro consequuta, per mortem & satisfactionem Filij Dei, liberatione, & plenaria satisfactione.

CAPVT XV.

DE VERA FIDELIVM IVSTIFICATIONE.

Iustificare quid?

IVSTIFICARE significat Apostolo in disputatione de Iustificatione, peccata remittere, à culpa & pœna absoluere, in gratiam recipere, & justum pronunciare. Etenim ad Rom. dicit Apostolus, Deus est qui justificat, quis ille qui condemnet? Opponuntur justificare & condemnare. Et in Actis Apost. dicit Apostolus, Per Christum annunciatur nobis remissio peccatorum: & ab omnibus, à quibus non potuistis per Legem Mosis justificari, per hunc, omnis qui credit, justificatur. Nam in Lege quoque & Prophetis legimus, Si lis fuerit orta inter aliquos, & venerint ad judicium, judicent eos judices, justificentque justum, & impient vel condemnent impium. Et Isaias: Væ illis qui justificant impium pro muneribus.

Rom. 8, 33, 34
Act. 13, 38, 39
Deut. 25, 1
Esa. 5, 23

Iustificamur propter Christum.

Certissimum est autem omnes nos esse naturâ peccatores & impios, ac coram tribunali Dei conuictos impietatis & reos mortis: justificari autem, id est, absolui à peccatis & morte, à judice Deo, solius Christi gratiâ, & nullo nostro merito aut respectu. Quid enim apertius, quàm quod Paulus dixit? Omnes peccauerunt, & destituuntur gloriâ Dei. Iustificantur autem gratis, per illius gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.

Rom. 3, 23, 24

Imputatiua justitia.
2. Cor. 5, 19.
Rom. 4, 25.

Etenim Christus peccata mundi in se recepit & sustulit, diuineque justitiæ satisfecit. Deus ergo propter solũ Christũ passum & ressuscitatum, propitius est peccatis nostris, nec illa nobis imputat, imputat autem justitiam Christi pro nostra: ita vt jam simus non solùm mundati à peccatis & purgati, vel sancti, sed etiam donati justitia Christi, adeóque absoluti à peccatis, morte vel condemnatione, justi denique ac hæredes vitæ æternæ. Propriè ergo loquendo, Deus solus nos justificat, & duntaxat propter Christum justificat, non imputans nobis peccata, sed imputans ejus nobis justitiam.

Iustificamur per solam fidem.

Quoniam verò nos justificationem hanc recipimus, non per vlla opera, sed per fidem in Dei misericordiam & Christum, ideò docemus & credimus cum Apostolo, hominem peccatorem justificari sola fide in Christum, non Lege, aut vllis operibus. Dicit enim Apostolus, Arbitramur fide justificari hominem absque operibus Legis. Item, Si

Rom. 3, 28

Abraham ex operibus justificatus fuit, habet quod glorietur, sed non apud Deum. Quid enim Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam. At ei qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam. Et iterum, Gratiâ estis seruati per fidem, idque non ex vobis, Dei donum est. Non ex operibus, ne quis glorietur, &c. Ergo quia fides Christum, justitiam nostram recipit, & gratiæ Dei in Christo omnia tribuit, ideò fidei tribuitur justificatio, maximè propter Christum; & non ideò, quia nostrum opus est. Donum enim Dei est.

Rom. 4. 2. 3. 4. 5.
Gen. 15. 6
Ephes. 2. 8. 9

Cæterum nos Christum fide recipere multis ostendit Dominus, apud Iohannem, vbi pro credere ponit manducare, & pro manducare, credere. Nam sicut manducando cibum recipimus, ita credendo participamus Christo. Itaque justificationis beneficium non partimur, partim gratiæ Dei, vel Christo, partim nobis, aut dilectioni operibúsve, vel merito nostro, sed in solidum gratiæ Dei in Christo per fidem tribuimus. Sed & non possent Deo placere dilectio & opera nostra, si fierent ab injustis: proinde oportet nos priùs justos esse, quàm diligamus, aut faciamus opera justa. Iusti verè efficimur, quemadmodum diximus, per fidem in Christum, merâ gratiâ Dei, qui peccata nobis non imputat, sed iustitiam Christi, adeóque fidem in Christum ad justitiam nobis imputat. Apostolus præterea apertissimè dilectionem deriuat ex fide, dicens, Finis præcepti est charitas, ex puro corde, conscientia bona, & fide non ficta.

Fide recipimus Christum.
Ioh. 6. 27. 47 58
Iustificatio non tribuitur partim Christo vel fidei partim nobis.
1. Tim. 1. 5.

Quapropter loquimur in hac causa, non de ficta fide, de inani & otiosa, aut mortua, sed de fide viua, viuificantéque, quæ propter Christum, qui vita est & viuificat, quem comprehendit, viua est & dicitur, ac se viuam esse viuis declarat operibus. Nihil itaque contra hanc nostram doctrinam pugnat Iacobus ille, qui de fide loquitur inani & mortua, quàm quidam jactabant, Christum autem intra se viuentem per fidem non habebant. Idem ille dixit, opera iustificare, non contradicens Apostolo (rejiciendus alioqui) sed ostendens Abrahamum viuam iustificantémque fidem suam declarauisse, per opera. Id quod omnes pij faciunt, qui tamen soli Christo, nullis suis operibus fidunt. Iterum enim Apostolus dixit, Viuo jam non ego, sed viuit in me Christus. Vitam autem, quam nunc viuo in carne, per fidem viuo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Non aspernor gratiam Dei. Nam si per Legem est justitia: igitur Christus frustrà mortuus est, &c.

Confertur Iacobus cum Paulo.
Iac. 2. 24. 25
Gal. 2. 20. 21

E 2

CAPVT XVI.

DE FIDE, ET BONIS OPERIBVS, EORVMQVE MERCEDE, ET MERITO Hominis.

Fides quid? FIDES enim Christiana, non est opinio ac humana persuasio, sed firmissima fiducia & euidens ac constans animi assensus, denique certissima comprehensio veritatis Dei, propositæ in Scripturis; & Symbolo Apostolico, atque adeò Dei ipsius summi boni, & præcipuè promissionis diuinæ, & Christi, qui omnium promissionum est colophon. Hæc autem fides, merum est Dei donum, quod solus Deus ex gratia sua, electis suis, secundùm *Fides Dei donum.* mensuram, & quando, cui, & quantùm ipse vult, donat, & quidem per Spiritum sanctum, mediante prædicatione Euangelij, & oratione fideli. Hæc etiam sua habet incrementa quæ nisi & ipsa darentur à Deo, non dixissent Apostoli, Domine adauge nobis fidem.

Incrementa fidei. Luc 17.5 Hebr.11,1. Et hæc quidem omnia, quæ hactenus de fide diximus, ante nos ita docuerunt Apostoli. Paulus enim, Est autem fides, inquit, eorum quæ sperantur, ὑπόστασις vel subsistentia firma, & earum rerum, quæ non videntur ἔλεγχος, id est, euidens & certa rei comprehensio. Et idem iterum, Quotquot sunt promissiones Dei, inquit, per Christum sunt *2.Cor.1.20* etiam, & per ipsum Amen. Ad Philipp. idem ait, donatum esse ipsis, vt credant in Christum. Item, Deus vnicuique partitus est mensuram fi- *Philip.1.29 Rom.12.3.* dei. Rursus, Non omnium est fides, ait, neque obediunt omnes Euan- *2 Thess 3,2.* gelio. Sed & Lucas testatur & ait, Et crediderunt quotquot erant or- *Act.13,48 Tit.1.1.* dinati ad vitam. Vnde Paulus iterum fidem nuncupat, fidem electo- *Rom 10,17.* rum Dei. Et iterum, Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Alibi sæpe iubet orare pro fide.

Idem ille Apostolus fidem vocat efficacem, & sese exerentem per *Fides efficax & operatiua.* dilectionem. Illa conscientiam quoque pacificat, & liberum ad Deum aditum aperit, vt cum fiducia ad ipsum accedamus, & obtineamus *Gal.5,6. Rom.5,1,2* ab eo vtilia & necessaria. Eadem retinet nos in officio, quod Deo debemus & proximo, & in aduersis patientiam firmat, & confessionem veram format atque facit, &, vt vno verbo omnia dicam, omnis generis bonos fructus, & bona opera progignit.

Docemus enim verè bona opera enasci ex viua fide, per Spiritum *De bonis operibus.* sanctum, & à fidelibus fieri secundùm voluntatem vel regulam verbi Dei. Nam Petrus Apostolus, Omni adhibito studio, inquit, submini- *2. Petr.1.5.* strate in fide vestra virtutem, in virtute verò scientiam, in scientia verò temperantiam, &c. Diximus autem antea, Legem Dei,

quæ volun-

quæ voluntas Dei est, formulam nobis præscribere bonorum operum. Et Apostolus ait, Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis ab immunditia, & ne quis opprimat aut fraudet in negotio fratrem suum. Etenim non probantur Deo opera, & nostro arbitrio delecti cultus, quos Paulus nuncupat ἐθελοθρησκείας. De quibus & Dominus in Euangelio, Frustrà me colunt, ait, docentes doctrinas, præcepta hominum.

1. Thess.4,3, 6. *Opera electitia humana.* Coloss.2,23 Matth.15,9

Improbamus ergo huiusmodi opera: approbamus & vrgemus illa, quæ sunt ex voluntate & mandato Dei. Illa ipsa fieri debent, non vt his promereamur vitam æternam, Donum Dei enim est, vt Apostolus ait, vita æterna, neque ad ostentationem, quam reiicit Dominus, neque ad ostentationem, quam reiicit Dominus, neque ad quæstum, quem & ipsum reiecit, sed ad gloriam Dei, ad ornandam vocationem nostram, gratitudinémque Deo præstandam, & ad vtilitatem proximi. Rursus enim Dominus noster in Euangelio dicit. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent Patrē, qui in cœlis est. Sed & Apostolus Paulus, Ambulate dignè vocatione vestra. Item, Quicquid egeritis, inquit, aut sermone, aut facto, omnia in nomine Iesu facite, gratias agentes Deo & Patri per illū. Idem, Nemo quod suum est quærat, sed quisque quod alterius. Et, Discant & nostri bona opera tueri ad necessarios vsus, vt non sint infrugiferi.

Finis bonorum operum. Rom. 6.23. Matth 6,2, cap.23,14. Matth.5,16 Col.3.17 Phil.2,4. Tit.3,14

Quamvis ergo doceamus cum Apostolo, hominem gratis justificari per fidem in Christum, & non per vlla opera bona, non ideo tamen vilipendimus aut condemnamus opera bona. Cùm sciamus hominem nec conditum nec regenitum esse per fidem, vt otietur, sed potiùs, vt indesinenter, quæ bona & vtilia sunt, faciat. Etenim in Euangelio dicit Dominus, Bona arbor bonum fructum adfert. Et iterum, Qui in me manet, plurimum fructum adfert. Denique Apostolus, Dei sumus creatura, ait, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in eis ambulemus. Et iterum, Qui tradidit semetipsum pro nobis, vt redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum.

Bona opera non reiecta. Ephes.2,8, Rom.3,28 Matth.7,17. Ioh 15,5. Eph 2 10. Tit.2.14

Damnamus itaque omnes, qui bona opera contemnunt, non curanda & inutilia esse blaterant. Interim, quod & antea dictum est, non sentimus per opera bona nos seruari, illáque ad salutem ita esse necessaria, vt absque illis nemo vnquam sit seruatus. Gratiâ enim, soliúsque Christi beneficio seruamur. Opera necessariò ex fide progignuntur. Ac impropriè his salus attribuitur: quæ proprijssimè ascribitur gratiæ. Notissima enim est illa Apostoli sententia; Si per gratiam, jam non ex operibus: quandoquidem gratia, jam non est gratia. Sin ex operibus, jam non ex gratia: quandoquidem jam opus, non est opus.

Non seruamur per bona opera. Rom.11,6

Placent verò approbantúrque à Deo opera, quæ à nobis fiunt, per fidem. Quia illi placent Deo, propter fidem in Christum, qui faciunt

Opera bona placent Deo

opera bona, quæ insuper per Spiritum sanctum ex gratiâ Dei sunt facta. S. Petrus enim, In quavis gente, inquit, qui timet ipsum & operatur justitiam, is acceptus est illi. Et Paulus, Non desinimus orare pro vobis, vt ambuletis dignè Domino, vt per omnia placeatis, in omni opere bono fructificantes. Itaque veras, non falsas, aut philosophicas virtutes, verè bona opera, & genuina Christiani hominis officia, sedulò docemus, & quantâ possumus diligentiâ vehementiáque omnibus inculcamus, vituperantes omnium illorum & desidiam & hypocrisim, qui ore Euangelium laudant & profitentur, vitâ autem turpi dedecorant, proponentes hac in causa, horribiles Dei minas, amplas denique promissiones Dei, & liberalia prœmia, exhortando, consolando, & objurgando.

Act.10,34.35
Col.1.9,10
Veras non falsas & philosophicas virtutes docemus.

Etenim docemus Deum bona operantibus, amplam dare mercedem, juxta illam Prophetæ sententiam, Cohibe vocem tuam à fletu: quoniam erit merces operi tuo. In Euangelio quoque dixit Dominus, Gaudete & exultate, quia merces vestra multa est in cœlis. Et qui dederit vni ex minimis meis poculum aquæ frigidæ, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Referimus tamen mercedem hanc, quam Dominus dat, non ad meritum hominis accipientis, sed ad bonitatem, vel liberalitatem, & veritatem Dei promittentis atque dantis, qui, cùm nihil debeat cuiquam, promisit tamen se suis cultoribus fidelibus mercedem daturum: qui interim dat eis etiam, vt ipsum colant. Sunt multa præterea indigna Deo, & imperfecta plurima inueniuntur in operibus etiam sanctorum: quia verò Deus recipit in gratiam, & complectitur propter Christum operantes, mercedem eis promissam persoluit. Alioqui enim justitiæ nostræ comparantur panno menstruatæ. Sed & Dominus dicit in Euangelio, Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.

Deus retribuit operibus nostris mercedem.
Ierem 31.16.
Matth.5.12.
cap.10.42
Isa.64,6,
Luc 17,10

Tametsi ergo doceamus, mercedem dari à Deo nostris benefactis, simul tamen docemus, cum Augustino, coronare Deum in nobis, non merita nostra, sed dona sua. Et proinde quicquid accipimus mercedis, dicimus gratiam quoque esse, & magis quidem gratiam, quàm mercedem: quòd, quæ bona facimus, per Deum magis, quàm per nos ipsos facimus: & quòd Paulus dicat, Quid habes quod non accepisti? Si verò accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Et quod hinc collegit beatus Martyr Cyprianus, In nullo nobis gloriandum esse, quando nostrum nihil sit. Damnamus ergo illos, qui merita hominum sic defendunt, vt euacuent gratiam Dei.

Merita hominum nulla sunt.
1.Cor 4.7

Caput XVII.

De Catholica et Sancta Dei Ecclesia, et vnico capite Ecclesiæ.

Qvando autem Deus ab initio ſaluos voluit fieri homines, & ad agnitionem veritatis venire, oportet omnino ſemper fuiſſe, nunc eſſe, & ad finem vſque ſeculi futuram eſſe Eccleſiam, id eſt, è mundo euocatum, vel collectum cœtum fidelium, ſanctorum, inquam, omnium communionem, eorum videlicet, qui Deum verum, in Chriſto Seruatore, per verbum, & Spiritum ſanctum, verè cognoſcunt, & ritè colunt, denique omnibus bonis per Chriſtum gratuitò oblatis fide participant. Sunt iſti omnes vnius ciuitatis ciues, viuentes ſub eodem Domino, ſub iiſdem legibus, in eâdem omnium bonorum participatione. Sic enim hos conciues ſanctorum & domeſticos Dei appellauit Apoſtolus, Sanctos appellans fideles in terris, ſanguine Filij Dei ſanctificatos. De quibus omnino intelligendus eſt Symboli articulus, Credo ſanctam Eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem.

Semper fuit Eccleſia & erit ſemper. 1 Tim. 2. 4. Eccleſia quid. Ciues vnius ciuitatis. Ephe. 2. 19. 1 Cor. 6. 11

Et cùm ſemper vnus modò ſit Deus, vnus Mediator Dei & hominum, Ieſus Meſſias, vnus item gregis vniuerſi paſtor, vnum hujus corporis caput, vnus denique Spiritus, vna ſalus, vna fides, vnum Teſtamentum vel fœdus, neceſſariò conſequitur, vnam duntaxat eſſe Eccleſiam: quam propterea Catholicam nuncupamus, quòd ſit vniuerſalis, & diffundatur per omnes mundi partes, & ad omnia ſe tempora extendat, nullis vel locis incluſa vel temporibus.

Vna duntaxat omnium temporum Eccleſia. Catholica Eccleſia.

Damnamus ergo Donatiſtas, qui Eccleſiam, in neſcio quos Aphricæ coarctabant angulos. Nec Romanenſem approbamus Clerum, qui ſolam propè Romanam Eccleſiam venditant pro catholica.

Diducitur quidem Eccleſia in partes, vel ſpecies varias, non quòd diuiſa, aut diuulſa ſit in ſemetipſam, ſed magis propter membrorum in ipſa diuerſitatem diſtincta. Alia enim faciunt Eccleſiam militantem, aliam verò triumphantem. Militat illa adhuc in terris, & certat cum carne, cum mundo, & principe mundi hujus Diabolo, cùm peccato atque morte. Hæc verò rude jam donata, in cœlo triumphat, de iſtis deuictis omnibus, & exultat coram Domino: nihilominus habent illæ inter ſeſe communionem, vel conjunctionem.

Partes vel ſpecies Eccleſiæ. Militans & Triumphans.

Et militans in terris Eccleſia ſemper plurimas habuit particulares Eccleſias, quæ tamen omnes ad vnitatem Catholicæ Eccleſiæ referuntur. Hæc aliter fuit inſtituta ante Legem inter Patriarchas, aliter

Particularis.

Duo populi. ſub Moſe per Legem, aliter à Chriſto per Euangelium. Vulgò numerantur ferè duo populi, Iſraëlitarum videlicet & gentium, vel eorum, qui ex Iudæis & gentibus collecti ſunt in Eccleſiam, Teſtamenta item duo, vetus & nouum. Omnium tamen horum populorum vna fuit & eſt ſocietas, vna ſalus in vno Meſſia, in quo ceu membra vnius corporis ſub vnum caput connectuntur omnes, in eadem fide, etiam de eodem cibo & potu ſpirituali participantes. Agnoſcimus hîc tamen diuerſa fuiſſe tempora, diuerſa ſymbola, promiſſi & exhibiti Meſſiæ, ſublatiſque ceremonialibus, lucem nobis illuſtriorem lucere, & dona auctiora donari, & libertatem eſſe pleniorem.

Eadem Eccleſia veteris & noui populi.

Eccleſia domus Dei viuentis. *1. Pet. 2. 5.* *1. Tim 3. 15.* Hæc Eccleſia Dei ſancta, vocatur domus Dei viuentis, extructa ex lapidibus viuis & ſpiritualibus, & impoſita ſuper petram immotam, ſuper fundamentum, quo aliud collocari non poteſt: & ideo nuncupatur etiam columna & baſis veritatis. Non errat illa, quandiu innititur petræ Chriſto & fundamento Prophetarum & Apoſtolorum. Nec mirum ſi erret, quoties deſerit illum, qui ſolus eſt veritas. Vocatur Eccleſia etiam virgo ac ſponſa Chriſti, & quidem vnica & dilecta. Apoſtolus enim, Adjunxi vos, inquit, vni viro, vt virginem caſtam exhiberetis Chriſto. Vocatur Eccleſia grex ouium ſub vno paſtore Chriſto, idque apud Ezechielem & apud Iohannem. Vocatur item corpus Chriſti, quia fideles ſunt viua Chriſti membra, ſub capite Chriſto.

Eccleſia non errat. *Eccleſia ſponſa & virgo* *2. Cor. 11. 3.* *eccleſia grex ouium.* *Ezech. 34. 2. 23. Ioh. 10. 1.*

Eccleſiæ caput Chriſtus ſolus. Caput eſt quod in corpore eminentiam habet, & vnde corpus vitam haurit, cujus ſpiritu regitur in omnibus, vnde & incrementa & vt creſcat habet. Vnicum item eſt corporis caput, & cum corpore habet congruentiam. Ergo Eccleſia non poteſt vlſum aliud habere caput, quàm Chriſtum. Nam vt Eccleſia corpus eſt ſpirituale, ita caput habeat ſibi congruens ſpirituale vtique oportet. Nec alio poteſt regi ſpiritu, quàm Chriſti. Paulus quoque, Ipſe eſt caput, inquit, corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit ipſe in omnibus primas tenens. Et idem iterum, Chriſtus eſt, inquit, caput Eccleſiæ, qui idem ſalutem dat corpori. Et rurſus, Qui eſt caput Eccleſiæ, ait, quæ eſt corpus illius, complementum ejus, qui omnia in omnibus adimplet. Item, Adoleſcamus in illum per omnia, qui eſt caput, nempe Chriſtus: in quo totum corpus ſi compingatur, incrementum capit.

Col. 1. 18 *Eph. 5. 23* *Eph. 1. 22. 23* *cap. 4. 15. 16*

Non probamus ergo doctrinam Cleri Romani, facientis ſuum illum Romanum Pontificem Catholicæ in terris Eccleſiæ militantis, paſtorem vniuerſalem, & caput ſummum, adeóque verum Chriſti vicarium, qui habeat in Eccleſia plenitudinem, vt vocant, poteſtatis, & dominium ſupremum. Docemus enim Chriſtum Dominum eſſe, & manere vnicum paſtorem vniuerſalem, ſummum item Pontificem coram Deo Patre, ac in Eccleſia ipſum omnia Pontificis vel paſtoris obire munia, ad finem vſque ſeculi, ideóque nullo indigere vicario, qui abſentis eſt. Chriſtus verò præſens eſt Eccleſiæ, & caput viuificum. Hic

Chriſtus vnicus Eccleſiæ paſtor. *Vicarius nullus.*

cum. Hic Apostolis suis Apostolorúmque successoribus primatum & dominium in Ecclesia seuerissimè prohibuit. Quicunque ergo huic illustri veritati contradicentes reluctantur, & in Ecclesiam Christi, diuersam inducunt gubernationem, quis non videat eos illis potius esse accensendos, de quibus Apostoli Christi vaticinantur, Petrus, 2.Pet.2.& Paulus Act.20.2. Cor.11. & 2.Thess.2. & aliis quoque in locis?

Matth. 18. 20. cap.18 10 Primatus in Ecclesia nullus. Matth. 10. 26. 2.Petr.2. 1. Act 20.29. 30 2.Cor.11. 3 &c. 2. Thess 2 3. &c.

Sublato autem capite Romano, nullam inducimus in Ecclesiam Christi ἀταξίαν, vel perturbationem: cùm doceamus gubernationem Ecclesiæ, ab Apostolis traditam, nobis sufficere ad retinendam in justo ordine Ecclesiam, quæ ab initio, dum hujus modi capite Romano, quale hodie dicitur Ecclesiam conseruare in ordine, caruit, atactica vel inordinata non fuit. Seruat quidem caput Romanum tyrannidem suam, & corruptelam inductam in Ecclesiam: sed impedit interim, oppugnat, & quantis potest viribus, excindit justam Ecclesiæ reformationem.

Nulla in Ecclesia ἀταξία

Objicitur nobis, varia esse in Ecclesijs certamina atque dissidia, posteaquam se à Romana separârunt Ecclesia, proinde non esse eas Ecclesias veras. Quasi verò nullæ vnquam fuerint in Ecclesia Romana sectæ, nulla vnquam dissidia atque certamina, & quidem de religione, non tam in Scholis, quàm in cathedris sacris, in medio populi instituta. Agnoscimus sanè dixisse Apostolum, Deus non est Deus dissensionis, sed pacis. Et, Cùm sit in vobis æmulatio & contentio, annon carnales estis? negari tamen non potest, Deum fuisse in Ecclesia Apostolica, & Apostolicam Ecclesiam fuisse Ecclesiam veram, in qua tamen fuerunt concertationes & dissidia. Reprehendit enim Petrum Apostolum, Apostolus Paulus, ab hoc dissidet Barnabas. Certamen graue exoritur in Ecclesia Antiochena; inter eos, qui vnum Christum prædicabant: sicut commemorat Lucas in Actis Apostolicis. Grauia sēper fuerunt in Ecclesia certamina, & dissenserunt inter se, de rebus non leuibus, Doctores Ecclesiæ præclarissimi, vt ex his contentionibus interim Ecclesia non id esse desineret, quod erat. Ita enim placet Deo, dissidijs Ecclesiasticis vti, ad gloriam nominis sui, ad illustrandam denique veritatem, &, vt, qui probati sunt, manifesti fiant.

Dissidia & certamina in Ecclesia. 1.Cor.14.33. 1.Cor.3.3. Gal 2.11. Act. 15. 39. 1.Cor.11.19.

Cæterum, vt non agnoscimus aliud caput Ecclesiæ, quàm Christum, ita non agnoscimus quamlibet Ecclesiam, quæ se venditat pro vera, veram esse Ecclesiam: sed illā docemus veram esse Ecclesiam, in qua signa vel notæ inueniuntur Ecclesiæ veræ, imprimis verò verbi Dei legitima vel syncera prædicatio, provt nobis est tradita in libris Prophetarum & Apostolorum, qui omnes ad Christum deducunt: qui in Euangelio dixit, Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. Et qui tales sunt in Ecclesia, hi vnam habent fidem, vnum

De notis vel signis veræ Ecclesiæ. Legitima & syncera verbi prædicatio. Ioh.10.27. 28. v.5.

ſpiritum, & idcirco vnum ſolum Deum adorant, ſolum hunc in ſpiritu & veritate colunt, hunc ex toto corde, & omnibus viribus ſolum per Chriſtum Mediatorem & Interceſſorem vnicum inuocant, extra Chriſtum fidémque in ipſum, nullam quærunt juſtitiam & vitam: Quia Chriſtum ſolum capit & fundamentum Eccleſiæ agnoſcunt, ac ſuper hoc impoſiti quotidie ſe pœnitentiâ reparant, patientiâ impoſitam ipſis crucem ferunt, ſed & charitate non ficta, cum omnibus Chriſti membris connexi, hac ſe declarant diſcipulos eſſe Chriſti, perſeuerando in vinculos pacis atque vnitatis ſanctæ: Simul & participant Sacramentis à Chriſto inſtitutis, & ab Apoſtolis traditis: neque his aliter vtuntur, quàm vti acceperunt à Domino. Notum eſt enim omnibus illud Apoſtoli, Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.

Legitimus Sacramentorum vſus. *1. Cor. 11. 23*

Proinde damnamus illas Eccleſias, vt alienas à vera Chriſti Eccleſia, quæ tales non ſunt, quales eſſe debere audiuimus, vtcunque interim jactent ſucceſſionem Epiſcoporum, Vnitatem & Antiquitatem. Quinimò præcipiunt nobis Apoſtoli, vt fugiamus idololatriam & Babylonem, & ne participemus cum hac, niſi & plagarum Dei participes eſſe velimus.

1. Cor. 10. 7. 1. Ioh. 5. 21. 1. Cor. 6. 9. Apoc. 18. 4.

Extra Eccleſiam Dei nulla ſalus.

Communionem verò cum Eccleſia Chriſti vera, tanti facimus, vt negemus eos coram Deo viuere poſſe, qui cum vera Dei Eccleſia non communicant, ſed ab ea ſe ſeparant. Nam vt extra arcam Noë, non erat vlla ſalus, pereunte mundo in diluuio, ita credimus extra Chriſtum, qui ſe electis in Eccleſia fruendum præbet, nullam eſſe ſalutem certam: & proinde docemus viuere volentes non oportere ſeparari à vera Chriſti Eccleſia.

Eccleſia non alligata eſt ſignis.

Signis tamen commemoratis, non ita arctè includimus Eccleſiam, vt omnes illos extra Eccleſiam eſſe doceamus, qui vel Sacramentis non participant, vt non quidem volentes, neque per comtemptum, ſed neceſſitate potiùs ineuitabili coacti, nolẽtes ab ijs abſtineant, aut ijs careant: vel in quibus aliquando deficit fides, non tamen penitus extinguitur, aut prorſus deſinit: vel in quibus infirmitatis vitia atque errores inueniuntur. Scimus enim Deum aliquot habuiſſe in mundo amicos, extra Iſraëlis rempublicam. Scimus quid populo Dei euenerit in captiuitate Babylonicâ, in qua ſacrificiis ſuis caruerunt annis ſeptuaginta. Scimus quid euenerit S. Petro negatori, & quid quotidie euenire ſoleat electis Dei fidelibus errantibus & infirmis. Scimus præterea, qualis Apoſtolorum temporibus fuerint Galatarum & Corinthiorum Eccleſiæ, in quibus multa & grauia accuſat Apoſtolus ſcelera, & tamen nuncupat eaſdem ſanctas Chriſti Eccleſias.

Eccleſia aliquando videtur extincta. *3. Reg. 19. 18.*

Quinimò fit aliquando, vt Deus juſto judicio veritatem verbi ſui, fidémque Catholicam, & cultum Dei legitimum ſic obſcurari & conuelli ſinat, vt propè videatur extincta, & nulla ampliùs ſupereſſe Eccleſia: ſicuti factum videmus Heliæ, & aliis temporibus. Interim habet Deus in hoc mundo, & in hiſce tenebris ſuos illos veros adorato-

ratores, nec paucos, sed septem millia ac plures. Nam & Apostolus clamat, Solidum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Nouit Dominus qui sint sui, &c. Vnde & Ecclesia inuisibilis appellari potest, non quòd homines sint inuisibiles, ex quibus Ecclesia colligitur, sed quòd oculis nostris abscondita, Deo autem soli nota, judicium humanum sæpe subterfugiat.

1. Reg. 19. 18
Apoc. 7. 4. 9
2. Tim. 2. 19.
Ecclesia quomodo inuisibilis.

Rursus non omnes qui numerantur in Ecclesia, sancti & viua atque vera sunt Ecclesiæ membra. Sunt enim hypocritæ multi, qui foris verbum Dei audiunt, & Sacramenta palàm percipiunt, Deum quoque per Christum inuocare solum, Christum confiteri justitiam suam vnicam, Deum item colere, & charitatis officia exercere, patientiâque in calamitatibus ad tempus perdurare videntur; sed intus vera spiritus illuminatione, & fide animique synceritate, & finali perseuerantia destituuntur. Qui etiam quales sint, tandem deteguntur ferè. Iohannes enim Apostolus: Exierunt ex nobis, inquit, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Et tamen dum hi simulant pietatem, licèt ex Ecclesia non sint, numerantur tamen in Ecclesia: sicuti proditores in republica, priusquam detegantur, numerantur & ipsi inter ciues, & quemadmodum lolium vel zizania & palea inueniuntur in tritico: aut sicut strumæ & tumores inueniuntur in integro corpore, cùm reuera morbi & deformitates sint verius corporis, quàm membra vera. Proinde Ecclesia Dei rectè comparatur sagenæ, quæ omnis generis pisces attrahit, & agro, in quo inueniuntur & zizania & triticum.

Non omnes sunt ex Ecclesia, qui sunt in Ecclesia.
1. Ioh. 2. 19.
Matth. 13. 47. v. 24. &c.

Vbi maximè cauere oportet, ne ante tempus judicemus, & excludere abjiceréque, aut excindere conemur eos, quos Dominus excludi abjiceréque non vult, aut quos sine jactura Ecclesiæ, separare non possumus. Rursus vigilandum est, ne stertentibus piis, impii proficiendo, damnum dent Ecclesiæ.

Ne temerè & ante tempus judicemus.

Obseruandum præterea diligenter docemus, in quo potissimùm sit sita veritas & vnitas Ecclesię, ne temerè schismata excitemus, & in Ecclesia foueamus. Sita est illa non in ceremoniis & ritibus externis, sed magis in veritate & vnitate Fidei Catholicę. Fides Catholica, nō est nobis tradita humanis legibus, sed Scriptura diuina, cujus compendium, est Symbolum Apostolicum. Vnde legimus apud veteres rituum fuisse diuersitatem variam, sed eam liberam, qua nemo vnquam existimauit dissolui vnitatem Ecclesiasticam. In dogmatibus itaque, & in vera concordique prædicatione Euangelii Christi, & in ritibus à Domino disertè traditis, dicimus veram Ecclesiæ constare concordiam: vbi illam maximè Apostoli sententiam vrgemus, Quotquot itaque perfecti sumus, hoc sentiamus, Quod si quid aliter sentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. Attamen in eo ad quod peruenimus, eadem incedamus regula, & itidem simus affecti.

Vnitas Ecclesiæ non est in externis ritibus
Phil. 3. 15. 16

CAPVT XVIII.

DE MINISTRIS ECCLESIÆ, IPSORVMQVE INSTITVTIONE, & Officiis.

Deus Ministris vtitur in Ecclesia instituenda.

DEVS ad colligendam vel constituendam sibi Ecclesiam, eandémque gubernandam & conseruandam, semper vsus est Ministris, iisq; vtitur adhuc, & vtetur porrò, quoad Ecclesia in terris fuerit. Ergo Ministrorum origo, institutio & functio vetustissima & ipsius Dei, non noua aut hominum est ordinatio. Posset sanè Deus sua potentia immediatè sibi adiungere ex hominibus Ecclesiam, sed maluit agere cum hominibus per ministerium hominum. Proinde spectandi sunt Ministri, non vt Ministri duntaxat per se, sed sicut Ministri Dei, vtpote per quos Deus salutem hominum operatur. Vnde cauendum monemus, ne ea quæ sunt conuersionis nostræ & institutionis, ita occultæ virtuti Spiritus sancti attribuamus, vt Ministerium Ecclesiasticum euacuemus. Nam conuenit nos semper esse memores verborum Apostoli, Quomodo credent, de quo non audierunt? Quomodo autem audient absque prædicante? Ergo fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Et quod Dominus dixit in Euangelio, Amen amen dico vobis, qui recipit quemcunque misero, me recipit, qui autem me recipit, recipit eum, qui me misit. Et quod vir Macedo per visionem Paulo in Asia agenti apparens, submonuit & dixit, Profectus in Macedoniam, succurre nobis. Alibi enim idem Apostolus dixit, Dei sumus cooperarij, Dei agricolatio & ædificatio estis.

Institutio & origo Ministrorum.

Non contemnendum Ministerium.

Rom. 10. 14.

Ioh. 13. 20.

Act. 16, 9.

1. Cor. 3. 9.

Rursus tamen & hoc cauendum est, ne Ministris & Ministerio nimium tribuamus, memores etiam hîc verborum Domini, dicentis in Euangelio, Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eũ. Et verborũ Apostoli, Quis igitur est Paulus? Quis autẽ Appollo, nisi Ministri, per quos credistis? & vt cuique Dominus dedit? Ego plantaui. Apollos rigauit: sed Deus dedit incrementum. Itaque non qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed quid dat incrementum Deus. Credamus ergo Deum verbo suo nos docere foris per Ministros suos, intus autem commouere electorum suorum corda ad fidem per Spiritum sanctum: ideóque omnem gloriam totius hujus beneficii referendam esse ad Deum. Sed ea de re dictum est & 1. cap. hujus Expositionis.

Ioh. 6. 44.

1. Cor. 3. 5. 6. &c.

Deus commouet corda.

Et quidem ab initio mundi, vsus est Deus omnium præstantissimis in mundo (simplicibus quidem pluribus in mundana sapientia vel Philosophia, sed excellentissimis in vera Theologia) hominibus, Patriar-

Quos & quales Ministros dederit Deus sibi.

Patriarchis videlicet, cum quibus non rarò colloquutus est per Angelos. Fuerunt enim Patriarchæ, sui seculi Prophetæ siue Doctores, quos Deus hoc nomine aliquot voluit secula viuere, vt essent veluti patres & lumina orbis.

Sequutus est illos Moses cum Prophetis, per vniuersum mundum celeberrimis. Quid, quòd post hos misit Pater cœlestis Filium suum vnigenitum, Doctorem mundi absolutissimum, in quo est abscondita diuina illa sapientia, & in nos deriuata, per sacratissimam simplicissimámque, & omnium perfectissimam doctrinam. Allegit enim ille sibi discipulos, quos fecit Apostolos. Hi verò exeuntes in mundum vniuersum, collegerunt vbique Ecclesias, per prædicationem Euangelii, deinde verò per omnes mundi Ecclesias, ordinârunt Pastores, atque Doctores, ex præcepto Christi, per quorum successores, hucvsque Ecclesiam docuit ac gubernauit. Itaque, vt Deus veteri populo dedit Patriarchas vnà cum Mose & Prophetis: ita noui Testamenti populo, misit suum vnigenitum Filium vnà cum Apostolis, & Doctoribus Ecclesiæ.

Christus Doctor. Col. 2. 3

Porrò Ministri noui populi, variis nuncupantur appellationibus. Dicuntur enim Apostoli, Prophetæ, Euangelistæ, Episcopi, Presbyteri, Pastores, atque Doctores. Apostoli nullo certo consistebant loco, sed per orbem varias colligebant Ecclesias. Quæ vbi jam constitutæ erant, desierunt esse Apostoli, ac subierunt quique in sua Ecclesia in locum istorum Pastores. Prophetæ quondam præscij futurorum, Vates erant: sed & Scripturas interpretabantur. Quales etiam hodie adhuc inueniuntur. Euangelistæ appellabantur scriptores Euangelicæ historiæ, sed & Præcones Euangelii Christi: quomodo & Paulus Timotheum jubet implere opus Euangelistæ. Episcopi verò, sunt inspectores vigilésque Ecclesiæ, qui victum & necessaria Ecclesiæ dispensant. Presbyteri sunt seniores, & quasi senatores, patrésque Ecclesiæ; gubernantes ipsam consilio salubri. Pastores ouile Domini & custodiunt, & ei de rebus prospiciunt necessarijs. Doctores erudiunt, & veram fidem pietatémque docent. Licebit ergo nunc Ecclesiarum Ministros nuncupare Episcopos, Presbyteros, Pastores, atq; Doctores.

Ministri noui Testamenti. Luc. 6. 13. Act. 13. 1. cap 14. 23. cap. 20. 28. 1. Cor. 12. 18. Eph 4. 11. Apostoli. Prophetæ. Euangelistæ. 2. Tim. 4. 5. Episcopi. Presbyteri. Pastores. Doctores.

Sequentibus porrò temporibus, multò plures in Ecclesiam Dei inductæ sunt nuncupationes Ministrorum in Ecclesia. Alij enim ordinati sunt Patriarchæ, alij Archiepiscopi, alij Suffraganei, item Metropolitani, Archipresbyteri, Diaconi quoque, Subdiaconi, Acoluthi, Exorcistæ, Cantores, Ianitores, & nescio qui alij, vt Cardinales, Præpositi, & Priores, Patres minores & majores, ordines majores & minores. At de his omnibus nihil sumus nos soliciti, quales olim fuerint, aut nunc sint. Sufficit nobis Apostolica de Ministris doctrina.

Ordines Papistarum.

Ita cùm sciamus certò Monachos, & Monachorum ordines vel sectas, neque à Christo, neque ab Apostolis esse institutas, docemus nihil eas Ecclesiæ Dei vtiles esse, imò perniciosas. Tametsi enim quon-

De Monachis.

dam (cùm essent solitarij,& manibus sibi victum quærerent,nec vllis essent oneri,sed Pastoribus Ecclesiarum vbique parerent, vt Laici) fuerint tolerabiles, tamen nunc, quales sint videt,& sentit vniuersus orbis.Prætexunt nescio quæ vota,& viuunt votis suis vitam prorsus contrariam : vt prorsus optimi eorum inter eos numerari mereantur, de quibus dixit Apostolus, Audimus quosdam versantes inter vos inordinatè,nihil operis facientes, sed curiosè agentes. Tales ergo nos in nostris Ecclesijs,nec habemus,nec in Ecclesijs Christi habendos esse docemus.

1.Thess.3,11.

Nemo autem honorem Ministerij Ecclesiastici vsurpare sibi,id est, ad se largitionibus,aut vllis artibus,aut arbitrio proprio: rapere debet. Vocentur & eligantur electione Ecclesiastica & legitima, Ministri Ecclesiæ:id est,eligantur religiosè ab Ecclesia,vel ad hoc deputatis ab Ecclesia,ordine justo,& absque turba,seditionibus,& contentione.

Vocandi & eligendi sunt Ministri. Hebr.5,4.

Eligantur autem non quilibet,sed homines idonei,eruditione justa & sacra,eloquentia pia,prudentiâque simplici, denique moderatione & honestate vitæ insignes, juxta Canonem Apostolicum, quia ab Apostolo contexitur in 1.ad Tim.3.cap.& ad Tit.1.cap.Et qui electi sunt, ordinentur à Senioribus cum orationibus publicis, & impositione manuum.

Non quivis eligendi. 1.Tim 3,2, &c. Tit.1,5,6, &c.

Damnamus hic omnes qui sua sponte currunt, cùm non sint electi, missi vel ordinati. Damnamus Ministros ineptos, & non instructos donis Pastori necessarijs. Interim agnoscimus quorundam in veteri Ecclesia Pastorum simplicitatem innocuam , plus aliquando profuisse Ecclesiæ, quàm quorundam eruditionem variam, exquisitam , delicatámque , sed paulò fastuosiorem. Vnde ne hodie quidem rejicimus simplicitatem quorundam probam , nec tamen omnino imperitam.

Ordinatio. Ier.23,21, &c.

Nuncupant sanè Apostoli Christi omnes in Christum credentes Sacerdotes, sed non ratione Ministerij, sed quòd per Christum , omnes fideles facti Reges & Sacerdotes , offerre possumus spirituales Deo hostias. Diuersissima ergo inter se sunt Sacerdotium & Ministerium. Illud enim commune est Christianis omnibus , vt modò diximus,hoc non item.Nec è medio sustulimus Ecclesiæ Ministerium, quando repudiauimus ex Ecclesia Christi Sacerdotium Papisticum.

Omnes pij Sacerdotes. Exod.19.6. 1.Pet.2.9. Apoc.1,6.

Equidem in nouo Testamento,Christi non est ampliùs tale Sacerdotium, quale fuit in populo veteri , quod vnctionem habuit externam,vestes sacrás,& ceremonias plurimas,quæ typi fuerunt Christi: qui illa omnia , veniens & adimplens,abrogauit. Manet autem ipse solus Sacerdos in æternum : cui ne quid derogemus , nemini inter Ministros Sacerdotis vocabulum communicamus. Ipse enim Dominus noster , non ordinauit vllos in Ecclesia noui Testamenti Sacerdotes,qui accepta potestate à Suffraganeo,offerant quotidie hostiam,

Sacerdotes & Sacerdotium. Heb cap.7. 8,10

ipsam,

ipsam, inquam, carnem & ipsum sanguinem Domini pro viuis & mortuis, sed qui doceant & Sacramenta administrent. Paulus enim simpliciter & breuiter, quid sentiamus de noui Testamenti, vel de Ecclesiæ Christianæ Ministris, & quid eis tribuamus, exponens, Sic nos æstimet homo, inquit, vt Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Proinde vult Apostolus, vt de Ministris sentiamus, tanquam de ministris. Ὑπηρέτας verò nuncupauit Apostolus subremigatores, qui ad Nauclerum vnicè respiciunt, vel homines non sibi, nec suo arbitrio, sed aliis viuentes, Dominis, inquam, suis, à quorum mandatis omnino dependent. Nam Minister Ecclesiæ totus & in omnibus suis officiis, non suo arbitrio indulgere, sed illud duntaxat exequi jubetur, quod in mandatis habet à suo Domino. Et in præsenti quis sit Dominus exprimitur, Christus, cui in omnibus Ministerij negotiis sunt mancipati Ministri. Adjicit præterea quò Ministerium pleniùs explanet, Ministros Ecclesiæ, œconomos esse vel dispensatores mysteriorum Dei. Mysteria verò Dei multis in locis, imprimis ad Ephes. 3. appellauit Paulus Euangelium Christi. Mysteria nuncupauit etiam vetustas, Christi Sacramenta. Proinde in hoc sunt vocati Ministri Ecclesiæ, vt Euangelium Christi annuncient fidelibus, & Sacramenta administrent. Alibi enim legimus in Euangelio de fideli seruo & prudente, quòd eum Dominus constituit super familiam suam, vt tempore opportuno det ei cibum suum. Rursus proficiscitur alibi in Euangelio peregrè homo, relinquens domum, & in hac dat seruis suis potestatem vel substantiam suam, & suum cuique opus.

Ministri noui Testamenti quales. *1. Cor. 4.1* *Ministri dispensatores mysteriorum Dei.* *Ephes. 3.9* *Luc 12,42.*

Nunc ergo commodè dicemus etiam quædam de potestate & officio Ministrorum Ecclesiæ. De potestate hac operosiùs quidam disputârunt, subdiderúntque suæ potestati omnia in terris summa, ídque contra mandatum Domini, qui suis dominium prohibuit, humilitatem autem maximopere commendauit.

De potestate Ministrorum Ecclesiæ. *Matth. 18,3. 4.* *cap. 20,25* *Luc 22,25*

Reuera alia quidem potestas est mera & absoluta, quæ & juris vocatur. Ea potestate Christo Domino vniuersorum subjecta sunt omnia: sicuti ipse testatus est & dixit, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Et iterum, Ego sum primus & nouissimus, ecce sum viuens in secula seculorum, & habeo claues inferni & mortis. Item, Ipse habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Hanc potestatem sibi seruat Dominus, nec in alium quenquam transfert, vt ipse deinceps otiosus assistat, operantibus Ministris spectator. Isaias enim, Clauem domus Dauid, inquit, ponam super humerum ejus, Et iterum, Cujus imperium erit super humerum ejus, Nam gubernationem non injicit aliis in suos humeros, sed seruat & vtitur adhuc potestate sua, gubernans omnia.

Matth. 28, 18. *Apoc. 1,17. 18. cap. 3.7* *Potestatem veram sibi seruat Dominus.* *Isa. 22.22. cap. 9.6*

Alia porrò potestas est officij vel ministerialis, limitata ab eo, qui plena vtitur potestate. Ea ministerio, quàm imperio similior est. Concedit enim Dominus aliquis œconomo suo potestatem in domum

Potestas officij & ministerialis.

Claues. ſuam, quo nomine & claues dat, quibus intromittat in domum, vel ex domo excludat, quos Dominus vel intromitti vult vel excludi. Iuxta hanc poteſtatem, facit miniſter ex officio, quod à Domino juſſus eſt facere: & Dominus ratum habet, quod facit, ipſúmque miniſtri ſui factum perinde vt ſuum, vult æſtimari, atque agnoſci. Quò nimirum pertinent illæ Euangelicæ ſententiæ, Dabo tibi claues regni cœlorum, & quicquid alligaueris aut ſolueris in terra, alligatum aut ſolutum erit in cœlis. Item, Quorumcunque remiſeritis peccata remittentur eis, & quorumcunque retinueritis peccata, retenta erunt. *Matth. 16, 19* *Ioh. 20, 23*

Niſi verò miniſter res omnes ita expediuerit, ſicut juſſus eſt à Domino ſuo, ſed limites fidei tranſilierit, ſanè irritum habetur à Domino, quod fecit. Proinde poteſtas Eccleſiaſtica Miniſtrorum Eccleſiæ, eſt functio illa, quâ Miniſtri Eccleſiam Dei gubernant quidem, verùm omnia in Eccleſia ſic faciunt, quemadmodùm verbo ſuo præſcripſit Dominus: quæ cùm facta ſunt, fideles tanquam ab ipſo Domino facta reputant. Et de Clauibus, antea quoque dictum eſt nonnihil.

Vna & æqualis poteſtas Miniſtrorum. Data eſt autem omnibus in Eccleſia Miniſtris vna & æqualis poteſtas, ſiue functio. Certè ab initio, Epiſcopi vel Preſbiteri Eccleſiam communi opera gubernauerunt: nullus alteri ſe prætulit, aut ſibi ampliorem poteſtatem dominiúmve in Coëpiſcopos vſurpauit. Memores enim verborum Domini, Qui voluerit inter vos primus eſſe, ſit veſter ſeruus, continuerunt ſe in humilitate, & mutuis officijs juuerunt ſe inuicem in gubernanda Eccleſia. *Luc 22, 26*

Ordo ſeruandus. Interea propter ordinem ſeruandum, vnus aut certus aliquis Miniſtrorum, cœtum conuocauit, & in cœtu res conſultandas propoſuit, ſententias item aliorum collegit, denique ne qua oriretur cõfuſio, pro virili cauit. Sic legitur feciſſe in Actis Apoſtolorum S. Petrus, qui tamen ideo nec alijs fuit præpoſitus, nec poteſtate majore cæteris præditus. Rectiſſimè enim Cyprianus Martyr. Hoc erant vtique, inquit, & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis: ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur. *Act. 15, 7* *Cyprianus de ſimplicitate Clericorum.*

Quando & quomodo vnus aliis præpoſitus. Refert item S. Hieronymus non diſparia, in Comment. ad Titum Pauli, & dicit, Antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, communi Preſbiterorum conſilio, Eccleſiæ gubernabãtur, poſtquam verò vnuſquiſque eos, quos baptiſauerat, ſuos putabat, non Chriſti, decretum eſt, vt vnus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchyſmatum ſemina tollerentur. Hoc tamen decretum Hieronymus, non pro diuino venditat. Mox enim ſubjicit, Sicut Presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine, ei qui ſibi præpoſitus fuerit eſſe ſubiectos: ita Epiſcopi nouerint ſe magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis Dominicæ veritate, Preſbyteris eſſe maiores, & in commune debere Eccleſiam regere.

Hæc ille.

Hæc ille. Ideóque nemo jure prohibuerit ad veterem Ecclesiæ Dei constitutionem redire, & illam præ humana consuetudine recipere.

Officia Ministrorum sunt varia, quæ tamen plerique ad duo restringunt, in quibus omnia alia comprehenduntur, ad doctrinam Christi Euangelicam, & ad legitimam Sacramentorum administrationem Ministrorum enim est congregare cœtum sacrum, in hoc exponere verbum Dei, & vniuersam doctrinam accommodare ad rationem vsúmque Ecclesiæ, vt ea quæ docentur, prosint auditoribus, & ædificent fideles. Ministrorum, inquam, est, docere imperitos, hortari item, & vrgere ad progrediendum in via Domini cessantes, aut etiam tardiùs procedentes, consolari item & confirmare pusillanimes, muniréque contra Satanæ tentationes varias, corripere peccantes, reuocare in viam, errantes, lapsos erigere, contradicentes reuincere, lupos denique ab ouili Dominico abigere, scelera item & sceleratos, prudenter & grauiter increpare, neque conniuere aut tacere ad conscelerationem: sed & Sacramenta administrare, vsúmque eorum justum commendare, & omnes ad illa percipienda per sanam doctrinam præparare, in vnitate quoque sancta fideles conseruare, & schismata prohibere, denique catechisare rudes, pauperum necessitatem commendare Ecclesiæ, ægrotantes & varijs impexos tentationibus visitare, instruere, & in via vitæ retinere; præterea orationes publicas, vel supplicationes necessitatis tempore, vnà cum jejunio, id est, abstinentia sancta procurare, & omnia quæ pertinent ad Ecclesiarum tranquillitatem, pacem & salutem, quàm diligentissimè curare.

Quæ sint Ministrorum officia.

1.Cor.14. Ezech.34 Tit.1,9.

Vt autem hæc omnia rectiùs faciliúsque possit Minister præstare, requiritur ab eo imprimis, vt sit Dei timens, oret sedulò, lectioni sacræ intendat, & in omnibus & semper vigilet, & puritate vitæ omnibus præluceat.

1 Tim.4.7 11.13,&c.

Cúmque omnino oporteat esse in Ecclesia disciplinam, & apud Veteres quondam vsitata fuerit Excommunicatio, fuerintque judicia Ecclesiastica in populo Dei, in quibus per viros prudentes & pios exercebatur hæc disciplina, Ministrorum quoque fuerit ad ædificationem, disciplinam moderari hanc, pro conditione temporum, status publici, ac necessitate. Vbi semper tenenda est regula, omnia fieri debere, ad ædificationem, decenter, honestè, sine tyrannide & seditione. Apostolus enim testatur sibi à Deo traditam esse in Ecclesia potestatem ad ædificationem, & non destructionem. Nam ipsemet Dominus vetuit lolium in agro Dominico eradicari, quando periculum sit, ne & triticum euellatur.

Disciplina.

1.Cor.14.40 2.Cor.10,8 cap.13 10 Matth.13, 29

Cæterùm, execramur in præsenti Donatistarum errorem, qui doctrinam & administrationem Sacramentorum, vel efficacem, vel inefficacem, ex mala vel bona Ministrorum vita æstimant. Scimus enim vocem Christi audiendam esse vel ex malorum Ministrorum

Secta.

Ministri quoque mali audiendi

Matth. 23.3

ore. Quando ipse Dominus dixit: Quæ dicunt facite, secundùm opera autem eorum nolite facere. Scimus Sacramenta, ex institutione, & per verbum Christi sanctificari, & efficacia esse pijs, tametsi offerantur ab indignis Ministris. De qua re ex Scripturis, multa contra Donatistas disputauit beatus Dei seruus Augustinus.

Synodi.

Atqui debet interim justa esse inter Ministros disciplina. Inquirendùm enim diligenter in doctrinam & vitam Ministrorum, in Synodis. Corripiendi sunt peccantes, à Senioribus, & in viam reducendi, si sunt sanabiles, aut deponendi, & velut lupi, abigendi sunt per veros Pastores à grege Dominico, si sunt incurabiles. Si enim sint pseudodoctores, minimè ferendi sunt. Neque verò & Oecumenica improbamus Concilia, si ad exemplum celebrentur Apostolicum, ad Ecclesiæ salutem, non perniciem.

Concilia Oecumenica.

Dignus operarius sua mercede.

Ministri quoque fideles omnes, vt boni operarij, mercede sua digni sunt, nec peccant, quando stipendium omniáque interim necessaria pro se & sua familia accipiunt. Nam Apostolus ostendit hæc jure dari ab Ecclesia, & accipi à Ministris, in 1. ad Corinth. 9. & in 1. ad Tim. 5. & alibi quoque. Confutati sunt autem Apostolicâ doctrinâ, & Anabaptistæ, qui Miuistros ex Ministerio suo viuentes, damnant, & conuitijs proscindunt.

1. Cor. 9, 9, 10 &c. 1. Tim. 5. 18.

CAPVT XIX.

DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ CHRISTI.

Sacramenta adiuncta Verbo, & quid sint.

PRÆDICATIONI verbi sui adiunxit Deus mox ab initio, in Ecclesia sua, Sacramenta vel signa Sacramentalia. Ita enim clarè testatur vniuersa Scriptura sacra. Sunt autem Sacramenta, symbola mystica, vel ritus sancti, aut sacræ actiones, à Deo ipso institutæ, constantes verbo suo, signis, & rebus significatis, quibus in Ecclesia summa sua beneficia, homini exhibita, retinet in memoria, & subinde renouat; quibus item promissiones suas obsignat, & quæ ipse nobis interius præstat, exterius representat, ac veluti oculis contemplanda subjicit, adeóque fidem nostram, Spiritu Dei in cordibus nostris operante, roborat & auget: quibus denique nos ab omnibus alijs populis & religionibus separat, sibique soli consecrat & obligat, & quid à nobis requirat, significat.

Sacramenta alia veteris alia noui Testamenti. Gen. 17, 10 &c. Ex 12, 3 &c.

Et sunt quidem alia veteris, alia noui populi Sacramenta. Veteris populi Sacramenta fuerunt, Circumcisio & Agnus paschalis, qui immolabatur: quo nomine ad sacrificia refertur, quæ fuerunt celebrata ab origine mundi. Noui populi Sacramenta sunt, Baptismus & Cœna Domi-

na Dominica.

Matth. 28. 19. Marc. 16 16 Matth. 26. 26. 1. Cor. 11. 23 &c.

Sunt qui Sacramenta noui populi, ſeptem numerent. Ex quibus nos Pœnitentiam, Ordinationem Miniſtrorum, non Papiſticam quidem illam, ſed Apoſtolicam, & Matrimonium agnoſcimus inſtituta eſſe Dei vtilia, ſed non Sacramenta. Confirmatio & Extrema vnctio, inuenta ſunt hominum, quibus nullo cum damno carere poteſt Eccleſia. Neque illa nos in noſtris Eccleſiis habemus. Nam habent illa quædam, quæ minimè probare poſſumus. Nundinationem omnem, quam exercent Romanenſes in diſpenſatione Sacramentorum, omnino exercramur.

Noui populi Sacramenta quot.

Author autem Sacramentorum omnium, non eſt homo vllus, ſed Deus ſolus. Homines Sacramenta inſtituere non poſſunt. Nam pertinent illa ad cultum Dei. At hominum non eſt inſtituere & formare Dei cultum: ſed traditum à Deo recipere & cuſtodire. Præterea habent ſymbola promiſſiones adjunctas, quæ requirunt fidem. Fides autem ſolo Dei verbo innititur. Et verbum Dei habetur inſtar tabularum, vel literarum, Sacramenta verò, inſtar ſigillorum: quæ literis Deus appendit ſolus. Et vt Deus Sacramentorum author eſt, ita perpetuò operatur in Eccleſia, in qua ritè peraguntur Sacramenta: adeò vt fideles, cùm à Miniſtris Sacramenta percipiunt, agnoſcant operari Deum in ſuo inſtituto, ideóque Sacramenta perinde, ac ex ipſius Dei manu percipere, & ipſis Miniſtri vitium (ſi quod inſigne ipſi inſit) non obeſſe, quando agnoſcant Sacramentorum integritatem dependere ab inſtitutione Domini. Vnde etiam diſcriminant apertè in adminiſtratione Sacramentorum, inter Dominum ipſum, & Domini Miniſtrum, confitentes Sacramentorum res dari ab ipſo Domino, ſymbola autem à Domini Miniſtris.

Author Sacramentorum. Chriſtus operatur adhuc in Sacramentis. Diſcriminandum inter authorem & Miniſtrum Sacramentorum.

Cæterùm, præcipuum illud, quod in omnibus Sacramentis proponitur à Deo, & attenditur à pijs omnibus omnium temporum (quod alij nuncupant ſubſtantiam & materiam Sacramentorum) Chriſtus eſt Seruator, hoſtia illa vnica, agnus item ille Dei mactatus ab origine mundi, petra quoque illa, de qua omnes majores noſtri biberunt, per quem electi omnes circumciduntur ſine manibus, per Spiritum ſanctum, abluuntúrque à peccatis ſuis omnibus, & aluntur vero corpore & ſanguine Chriſti ad vitam æternam.

Subſtantia, vel præcipuũ in Sacramentis. 1. Cor. 5. 7. &c. 10. 4. 5. &c. Ioh. 1. 29. Apoc. 13. 8

Et quantum quidem attinet ad illud, quod in Sacramentis eſt præcipuum, & res ipſa, paria ſunt vtriuſque populi Sacramenta. Nam Chriſtus vnicus Mediator, & Seruator fidelium, vtrobique eſt illud præcipuum, & ipſa res Sacramentorum. Vnus & idem Deus, vtrobique horum eſt author. Vtrique populo data ſunt illa, vt ſigna adeóque obſignationes gratiæ & promiſſionum Dei, quæ in memoriam reducant, reparéntque maxima Dei beneficia, quibus item fideles ab omnibus alijs orbis religionibus ſejungerentur, denique quæ ſpiritualiter per fidem perciperentur, & percipientes obſtringerent Eccleſiæ, & ipſos ſui admonerent officij. In his, inquam, & ſimilibus,

Similitudo & differentia Sacramentorum veteris & noui populi. Luc 22. 19 1. Cor. 11. 24 Ioh. 6. 47 Rom. 6. 2. 3. 4 Eph. 5. 26 &c. Act. 2. 41. 42 1. Cor. 10. 17.

non disparia sunt vtriusque populi Sacramenta, quæ tamen in signis sunt diuersa.

Et quidem constituimus etiam in his ampliorem differentiam. Nostra enim firmiora & magis durabilia sunt, vtpote quæ in finem vsque seculi nunquam mutabuntur. Sed & rem, & promissionem completam vel perfectam in Christo testantur, quam complendam illa significabant. Simpliciora item sunt nostra & minùs operosa, minùs item sumptuosa, & ceremoniis inuoluta. Pertinent præterea ad ampliorem populum, per totum terrarum orbem dispersum: cúmque etiam illustriora sint, & majorem (per Spiritum sanctum) excitent fidem, insequitur etiam vberior Spiritus copia.

Veteribus abrogatis, nostra successerunt Sacramenta.

Certè, cùm Christus verus Messias nobis sit exhibitus, & abundantia gratiæ effusa in populum noui Testamenti, abrogata sunt vtique, ac desierunt veteris populi Sacramenta, & subrogata sunt Noui Testamenti symbola, in locum Circumcisionis, Baptismus, & in locum Agni Paschalis sacrificiorúmque, Cœna Dominica.

Quibus rebus constent Sacramenta.

Sicut autem quondam Sacramenta constabant verbo, signo & re significata, ita nunc quoque iisdem veluti partibus absoluuntur. Nam verbo Dei fiunt, quæ antea non fuerunt Sacramenta. Consecrantur enim verbo, & sanctificata esse ostenduntur ab eo, qui instituit. Et sanctificare vel consecrare, est rem aliquam Deo, sacrisque vsibus dedicare, hoc est, à communi vel prophano vsu segregare, & sacro vsui destinare. Sunt enim in Sacramentis signa petita ex vsu vulgari, res externæ & visibiles. In Baptismo enim, signum est elementum aquæ, ablutióque illa visibilis, quæ fit per Ministrum. Res autem significata, est regeneratio, vel ablutio à peccatis. In Cœna verò Domini, signum est panis & vinum, sumptum ex communi vsu cibi & potus. Res autem significata, est ipsum traditum Domini corpus & sanguis ejus effusus pro nobis, vel communio corporis & sanguinis Domini. Proinde, aqua, panis & vinum suâ naturâ, & extra institutionem diuinam, ac vsum sanctum, duntaxat id sunt, quod esse dicuntur, & experimur. Cæterum, si accedat Domini verbum, cum inuocatione diuini nominis, & renouatione primæ institutionis & sanctificationis, signa ista consecrantur, & sanctificata à Christo esse ostenduntur. Manet enim semper efficax in Ecclesia Dei prima Christi institutio, & consecratio Sacramentorum, adeò vt, qui non aliter celebrant Sacramenta, quàm ipse Dominus ab initio instituit, fruantur etiam nunc prima illa consecratione omnium præstantissima. Et ideo recitantur in celebratione Sacramentorum ipsa verba Christi.

Consecratio Sacramentorum.

Act. 2, 38, &c.

Matth. 26, 27, 28. 1. Cor. 10, 16

Signa accipiunt rerum signatarum nomina.

Et quoniam verbo Dei discimus, quòd signa hæc in alium finem sint instituta à Domino, quàm vsurpentur vulgò, ideo docemus signa nunc in vsu sacro, vsurpare rerum signatarum vocabula, nec appellari ampliùs aquam tantùm, panem & vinum, sed etiam regenerationem vel lauacrum renouationis, item corpus & sanguinem Domini, vel symbola, aut Sacramenta corporis & sanguinis Domini. Non

quòd

quòd symbola mutentur in res significatas, & desinant esse id, quod sunt suâ naturâ. Alioqui enim Sacramenta non essent, quæ re significata duntaxat constarent, signa non essent: sed ideo vsurpant, signa rerum nomina, quòd rerum sacrarum sunt symbola mystica, & signa & res significatæ, inter se sacramentaliter conjungantur, conjungantur, inquam, vel vniantur per significationem mysticam, & voluntatem vel consilium ejus, qui Sacramenta instituit. Non enim aqua, panis & vinum, sunt signa vulgaria, sed sacra. Et qui instituit aquam Baptismi, non ea voluntate consilióque instituit, vt fideles aqua duntaxat Baptismi, perfundantur: & qui jussit in Cœna, panem edere, & vinum bibere, non hoc voluit, vt fideles, panem & vinum tantùm percipiant, sine mysterio, sicut domi suæ panem manducant; sed vt rebus quoque significatis; spiritualiter communicent, & verè per fidem abluantur à peccatis, & Christo participent.

Vnio sacramentalis.

Idcirco minimè probamus eos, qui sanctificationem Sacramentorum attribuunt, nescio quibus characteribus, & recitationi, vel virtuti verborum pronunciatorum à consecrato, & qui habeat intentionem consecrandi, aut rebus aliis aduentitiis, quæ neque Christi, neque Apostolorum, vel verbo, vel exemplo nobis traduntur. Neque probamus eorum quoque doctrinam, qui de Sacramentis perinde loquuntur, vt signis communibus, non sanctificatis aut efficacibus. Neque eos probamus, qui propter inuisibilia, aspernantur in Sacramentis visibilia, adeóque signa sibi credunt fore superuacanea, quòd rebus se jam frui arbitrantur, quales Messaliani fuisse dicuntur. Neque verò approbamus istorum quoque doctrinam, qui docent gratiam & res significatas, signis ita alligari & includi, vt quicunque signis exterius participent, etiam interius gratiæ rerúmque significatarum, participes sint, quales quales sint.

Secta.

Sacramentis res neque inclusa sunt, neque alligata.

Interim sicut à dignitate, vel indignitate Ministrorum, non æstimamus integritatem Sacramentorum, ita neque à conditione sumentium. Agnoscimus enim Sacramentorum integritatem, ex fide vel veritate meráque bonitate Dei dependere. Sicut enim verbum Dei manet verum verbum Dei, quo non tantùm verba nuda recitantur, dum prædicatur, sed simul à Deo offeruntur res verbis significatæ, vel annunciatæ, tametsi impij vel increduli verba audiant, & intelligant, rebus tamen significatis non perfruantur: eò quòd vera fide non recipiant: Ita Sacramenta verbo, signis, & rebus significatis, constantia, manent vera & integra Sacramenta, non tantùm significantia res sacras, sed Deo offerente etiam res significatas, tametsi increduli res oblatas non percipiant. Fit hoc non dantis aut offerentis Dei vitio, sed hominum sine fide illegitiméq; accipientium culpa: quorum incredulitas, fidem Dei irritam non facit.

Rom. 3.

Porrò cùm mox ab initio, quando expositum est, quid sint Sacramenta, pariter & obiter explicatum sit, ad quid sint instituta, non est quòd semel dicta, cum molestia repetantur. Consequenter ergo sigil-

Ad quid instituta Sacramenta.

latim dicemus,de noui populi Sacramentis.

CAPVT XX.

DE SANCTO BAPTISMO.

Institutio Baptismi. Matth.3.6.16 Matth.28.19 Marc.16.16 Act.2.38

BAPTISMVS à Deo institutus & consecratus est, primúsque baptisauit Iohannes, qui Christum aquâ in Iordane tinxit. Inde defluxit ad Apostolos, qui & ipsi aquâ baptisârunt. Iussit hos manifestè Dominus Euangelium prædicare, & baptisare, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et Petrus ad Iudæos, interrogantes, quid facere deberent? dixit in Actis, Baptisetur vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi, ad remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Vnde à nonnullis Baptismus nuncupatus est signum initiale populi Dei, vtpotè quo initiantur Deo, electi Dei.

Vnus est Baptismus. Eph.4.6. Heb.10.22, 23 1.Pet.3.21 Baptisari quid sit. &c.

Vnus est duntaxat Baptismus in Ecclesia Dei, & satis est semel baptisari, vel initiari Deo. Durat autem semel susceptus Baptismus per omnem vitam, & est perpetua obsignatio adoptionis nostræ. Etenim baptisari in nomine Christi, est inscribi, initiari, & recipi in fœdus, atque familiam, adeóque in hæreditatem filiorum Dei, imò jam nunc nuncupari nomine Dei, id est, appellari filium Dei, purgari item à sordibus peccatorum, & donari varia Dei gratia, ad vitam nouam & innocentem. Baptismus ergo in memoria retinet, & reparat ingens Dei beneficium, generi mortalium præstitum. Nascimur enim omnes in peccatorum sordibus, & sumus filij iræ. Deus autem, qui diues est misericordiâ, purgat nos à peccatis gratuitò, per sanguinem Filij sui, & in hoc adoptat nos in filios, adeóque fœdere sancto nos sibi connectit, & variis donis ditat, vt possimus nouam viuere vitam. Obsignantur hæc omnia Baptismo. Nam intus regeneramur, purificamus, & renouamur à Deo per Spiritum sanctum: foris autem accipimus obsignationem maximorum donorum in aqua, quâ etiam maxima illa beneficia repręsentantur, & veluti oculis nostris conspicienda proponuntur. Ideóque baptisamur, id est, abluimur, aut aspergimur aqua visibili. Aqua enim sordes mundat, deficientia & æstuantia recreat, & refrigerat corpora. Gratia verò Dei hæc animabus præstat, & quidem inuisibiliter vel spiritualiter.

Rom.5.8,9. &c. Psal 51.7. Ephes.2.4. 1.Cor.6.11 Tit.3.5,6. &c.

Aquâ baptisamur.

Baptismi obligatio. Rom.6.2,3, 4. Gal.3.27,28

Separat item nos Deus Baptismi symbolo ab omnibus alienis religionibus & populis, & sibi consecrat, ceu peculium: nos itaque dum baptisamur, confitemur fidem nostram, & obstringimur Deo adobedientiam & mortificationem carnis vitæque nouitatem, adeóque inscribimur in sanctam Christi militiam, vt toto vitæ cursu pugnemus contra mundum & Satanam, atque carnem propriam. Baptisamur

præterea

præterea in vnum Ecclesiæ corpus, vt cum omnibus membris Ecclesiæ, pulchrè in vna & eadem religione mutuísque officijs, consentiamus.

1.Cor.11,&c.

Credimus perfectissimam esse baptisandi formam, quâ Christus ipse baptisatus est, & quâ baptisârunt Apostoli. Ergo quæ humanâ inuentione posteà adiecta & vsurpata sunt in Ecclesia, non arbitramur necessaria esse ad perfectionem Baptismi: cujus generis est Exorcismus, vsus item ardentis luminis, olei, salis, sputi, & similium rerum, vt quòd Baptismus singulis annis, pluribus ceremonijs bis consecratur. Nos enim credimus vnum Ecclesiæ Baptismum, in prima Dei institutione sanctificatum esse, & consecrari per verbum, efficacémque esse nunc etiam, propter primam Dei benedictionem.

Forma baptisandi.

Docemus, Baptismum in Ecclesiâ non administrari debere à mulierculis, vel ab obstetricibus. Paulus enim remouit mulierculas ab officijs Ecclesiasticis. Baptismus autem pertinet ad officia Ecclesiastica.

Minister Baptismi. 1.Cor.14,34

Damnamus Anabaptistas, qui negant baptisandos esse infantulos recens natos à fidelibus. Nam juxta doctrinam Euangelicam, horum est regnum Dei, & sunt in fœdere Dei, cur itaque non daretur eis signum fœderis Dei? Cur non per sanctum Baptisma initiarentur, qui sunt peculium & in Ecclesia Dei? Damnamus Anabaptistas & in alijs ipsorum dogmatibus, quæ contra verbum Dei peculiaria habent. Non sumus ergo Anabaptistæ, neque cum eis in vlla re ipsorum communicamus.

Secta Anabaptistarum.

Capvt XXI.

De Sacra Coena Domini.

Coena Domini, quæ, & mensa Domini, & Eucharistia, id est, gratiarum actio nuncupatur, ideò Cœna nuncupatur vulgò, quòd à Christo in vltima illa Cœna sua instituta sit, eámque adhuc repræsentet, ac in ipsa spiritualiter cibentur & potentur fideles.

Cœna Domini. 1.Cor.11,&c. Matth.26, 20,26 Marc.14, 17,22

Author enim Cœnæ Dominicæ, non est Angelus aut homo vllus, sed ipse Dei Filius, Dominus noster Iesus Christus, qui primus eam Ecclesiæ suæ consecrauit. Durat autem ea consecratio vel benedictio adhuc apud omnes eos, qui non aliam Cœnam, sed illam ipsam celebrant, quam Dominus instituit: ad quam verba Cœnæ Domini recitant, & in omnibus ad vnum Christum vera fide respiciunt, ex cujus veluti manibus accipiunt, quod per ministerium Ministrorum Ec-

Author & consecrator Cœnæ. 1.Cor.11,&c.

clesiæ accipiunt.

Memoria beneficiorum Dei.

Retinere vult Dominus ritu hoc sacro, in recenti memoria, maximum generi mortalium præstitum beneficium, nempe, quòd tradito corpore & effuso suo sanguine, omnia nobis peccata nostra condonauit, ac à morte æterna & potestate Diaboli nos redemit, iam pascit nos sua carne & potat suo sanguine, quæ vera fide spiritualiter percepta, alunt nos ad vitam æternam. Et hoc tantum beneficium renouatur toties, quoties Cœna Domini celebratur. Dixit enim Dominus: Hoc facite in mei commemorationem. Obsignatur autem hac Cœnâ sacrâ, quòd revera corpus Domini pro nobis traditum, & sanguis ejus in remissionem peccatorum nostrorum effusus est, ne quid fides nostra vacillet.

Luc 22, 19

Signum & res signata.

Et quidem visibiliter hoc foris Sacramento per Ministrum repræsentatur, & veluti oculis contemplandum exponitur, quod intus in anima inuisibiliter, per ipsum Spiritum sanctum præstatur. Foris offertur à Ministro panis, & audiuntur voces Domini, Accipite, edite, Hoc est corpus meum, Accipite & diuidite inter vos, Bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis meus. Ergo accipiunt fideles quod datur à Ministro Domini, & edunt panem Domini, ac bibunt de poculo Domini: intus interim operâ Christi per Spiritum sanctum, percipiunt etiam carnem & sanguinem Domini: & pascuntur his in vitam æternam. Etenim caro & sanguis Christi, verus cibus & potus est ad vitam æternam: & Christus ipse, quatenus pro nobis traditus & Saluator noster est, illud præcipuum Cœnæ est, nec patimur quicquam aliud in locum eius substitui.

Marc. 14, 22, 23, 24, &c.

Ioh. 6, 55

De manducatione corporali.

Vt autem rectiùs & perspicaciùs intelligatur, quomodo caro & sanguis Christi sint cibus & potus fidelium, percipianturque à fidelibus ad vitam æternam, paucula hæc adjiciemus. Manducatio non est vnius generis. Est enim manducatio corporalis, quâ cibus in os percipitur ab homine, dentibus atteritur, & in ventrem deglutitur. Hoc manducationis genere intellexerunt olim Capernaitæ sibi manducandam carnem Domini, sed refutantur ab ipso. Nam vt caro Christi corporaliter manducari non potest circa flagitium aut truculentiam, ita non est cibus ventris. Id quòd omnes fateri coguntur. Improbamus itaque Canonem in Decretis Pontificum. Neque enim credidit vetustas pia, neque nos credimus, corpus Christi manducari ore corporis corporaliter, vel essentialiter.

Ioh. 6, 52.

De Consecrat. Dist. 2. Ego Berengarius, &c.

Spiritualiter manducare Dominum.

Est & spiritualis manducatio corporis Christi, non ea quidem, quâ existimemus cibum ipsum mutari in spiritum, sed quâ, manente in sua essentia & proprietate corpore & sanguine Domini, ea nobis communicantur spiritualiter, vtique non corporali modo, sed spirituali, per Spiritum sanctum, qui videlicet ea, quæ per carnem & sanguinem Domini pro nobis in mortem tradita, parata sunt, ipsam, inquam, remissionem peccatorum, liberationem, & vitam æternam, applicat & confert nobis, ita vt Christus

in nobis

in nobis viuat, & nos in ipso viuamus, efficitque vt ipsum, quò talis sit cibus & potus spiritualis noster, id est, vita nostra, vera fide percipiamus. Sicut enim cibus & potus spiritualis noster, id est, vita nostra, vera fide percipiamus. Sicut enim cibus & potus corporalis, corpora nostra non tantum reficiunt ac roborant, sed & in vita conseruant: ita & caro Christi tradita pro nobis, & sanguis ejus effusus pro nobis, non tantùm reficiunt & roborant animas nostras, sed etiam in vita conseruant, non quatenus quidem corporaliter nobis à Spiritu Dei communicantur, dicente Domino, & panis, quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita. Item, Caro (nimirum corporaliter manducata) non prodest quicquam, spiritus est, qui viuificat. Et verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt.

Ioh. 6. 56. *Christus cibus conseruat in vita.* *Ioh. 6, 51.* *v. 63.*

Et sicut oportet cibum in nosmetipsos edendo recipere, vt operetur in nobis, suámque in nobis efficaciam exerat, cùm extra nos positus, nihil nobis prosit: ita necesse est nos fide Christum recipere, vt noster fiat, viuátque in nobis, & nos in ipso. Dicit enim. Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, viuet & ipse propter me: ac manet in me, & ego in ipso.

Christus editur vel percipitur fide. *Ioh. 6. 48.* *v. 57.*

Ex quibus omnibus claret, nos per spiritualem cibum, minimè intelligere imaginarium, nescio quem cibum, sed ipsum Domini corpus pro nobis traditum, quòd tamen percipiatur à fidelibus, non corporaliter, sed spiritualiter per fidem. In qua re sequimur per omnia doctrinam ipsius Saluatoris Christi Domini, apud Ioh. cap. 6.

Spiritualis cibus.

Et hic esus carni, & potus sanguinis Domini, ita est necessarius ad salutem, vt sine ipso, nullus seruari possit. Fit autem hic esus & potus spiritualis, etiam extra Domini Cœnam, & quoties, aut vbicunque homo in Christum crediderit. Quò fortassis illud Augustini pertinet, Quid paras dentem & ventrem? crede, & manducâsti.

Manducatio ad salutem necessaria.

Præter superiorem manducationem spiritualem, est & sacramentalis manducatio corporis Domini, quâ fidelis non tantùm spiritualiter & internè participat vero corpore & sanguine Domini, sed foris etiam accedendo ad mensam Domini, accipit visibile corporis & sanguinis Domini Sacramentum. Prius quidem, dum credidit fidelis, viuificum alimentum percepit, & ipso fruitur adhuc, sed ideo, dum Sacramentum quoque accipit, nonnihil accipit. Nam in continuatione communicationis corporis & sanguinis Domini pergit, adeóque magis magísque incenditur, & crescit fides, ac spirituali alimonia reficitur. Dum enim viuimus, fides continuas habet accessiones. Et qui foris vera fide Sacramentum percipit, idem ille non signum duntaxat percipit, sed re ipsa quoque, vt diximus, fruitur. Præterea idem ille institutioni & mandato Domini obedit, lætóque animo gratias pro redemptione sua totiúsque generis humani agit, ac fidelem mortis Dominicæ memoriam peragit, atque coram Ecclesia, cujus corporis membrum sit, attestatur: obsignatur item percipienti-

Sacramentaliter manducare Dominum.

Gal. 2. 20 bus Sacramentum, quòd corpus Domini non tantùm in genere pro hominibus sit traditum, & sanguis ejus effusus, sed peculiariter pro quovis fideli communicante, cujus cibus & potus sit ad vitam æternam.

Increduli sumunt sibi Sacramentum in judicium. 1. Cor. 11, 27. 28, 29. Cæterum, qui nulla cum fide ad hanc sacram Domini mensam accedit, Sacramento duntaxat communicat, & rem Sacramenti, vnde est vita & salus, non percipit, Et tales indignè edunt de mensa Domini. Qui autem indignè edunt de pane Domini, & de poculo ejus bibunt, rei fiunt corporis & sanguinis Domini, & ad judicium sibi edunt & bibunt. Nam cùm vera fide non accedant, mortem Christi contumeliâ afficiunt, & ideo damnationem sibi ipsis edunt & bibunt.

Præsentia Christi in Cœna. Ergo corpus Domini & sanguinem ejus, cum pane & vino non ita conjungimus, vt panem ipsum dicamus esse corpus Christi, nisi ratione sacramentali, aut sub pane corporaliter latitare corpus Christi; vt etiam sub speciebus panis adorari debeat, aut quicunque signum percipiat, idem & rem percipiat ipsam. Corpus Christi in cœlis est, ad dextram Patris. Sursum ergo eleuanda sunt corda, & non defigenda in panem, nec adorandus Dominus in pane. *Marc. 16. 19. Hebr. 8. 1. cap. 12, 2.*

Præsens Dominus Ecclesiæ celebranti cœnam. Matth. 28. 20. Gal. 4. 6. Et tamen non est absens Ecclesiæ suæ celebranti Cœnam Dominus. Sol absens à nobis in cœlo, nihilominus efficaciter præsens est nobis: quantò magis sol justitiæ Christus, corpore in cœlis absens nobis, præsens est nobis, non corporaliter quidem, sed spiritualiter per viuificam operationem, & vt ipse se nobis præsentem futurum exposuit, in vltima Cœna Ioh. 14. 15. 16. Vnde consequens est, nos non habere Cœnam sine Christo, interim tamen habere Cœnam incruentam & mysticam, sicuti vniuersa nuncupauit Vetustas.

Alij fines Cœnæ Domini. 1. Cor. 10, 17. cap. 12, 12, 13. Admonemur præterea celebratione Cœnæ Dominicæ, vt memores simus, cujus corporis membra facti simus, & idcirco concordes simus cum omnibus fratribus, vt sanctè viuamus, & non polluamus nos flagitiis, & peregrinis religionibus, sed in vera fide in finem vsque vitæ perseuerantes, studeamus excellere sanctimoniâ vitæ.

Præparatio ad Cœnam. 1. Cor. 11. 28. 2. Cor. 13. 5. Decet ergo, vt accessuri ad Cœnam, priùs nos ipsos juxta præceptum Apostoli probemus, imprimis quali simus fide præditi, an credamus Christum venisse, seruandis peccatoribus, & ad pœnitentiam vocandis, & an quisque credat, se in horum esse numero, qui per Christum liberati seruantur, & an mutare vitam prauam instituerit, ac viuere sanctè, perseueraréque, auxiliante Domino, in vera religione, & in concordia cum fratribus, dignásque Deo pro liberatione agere gratias, &c.

Ritus Cœnæ. Act. 2, 42. Ritum, modum, vel formam Cœnæ, illam existimamus, esse simplicissimam & præstantissimam, quæ proximè accedit ad primam Domini institutionem, & Apostolicam doctrinam: quæ videlicet constat annunciatione verbi Dei, precibus piis, ipsa actione Dominica, & repetitione ejus, manducatione corporis, & potu sanguinis Domini,

memoria

memoria item mortis Dominicæ salubri, & gratiarum actione fideli, nec non sancta consociatione in corporis Ecclesiastici vnionem.

Improbamus itaque illos, qui alteram speciem, poculum, inquam, Domini, fidelibus subtraxerunt. Grauiter enim hi peccant contra institutionem Domini, dicentis, Bibite ex hoc omnes: id quod ad panem, non ita expressè dixit.

Vtraque species.

Matth. 26. 27.

Missa qualis aliquando apud Veteres fuerit, tolerabilis an intolerabilis, modò non disputamus, hoc autem liberè dicimus, Missam, quæ hodie in vsu est per vniuersam Romanam Ecclesiam, plurimas & justissimas quidem ob causas, in Ecclesiis nostris esse abrogatam, quas sigillatim ob breuitatem nunc non commemoramus. Certè approbare non potuimus, quòd ex actione salubri, spectaculum inane est factum, quòd item facta est meritoria, vel celebrata pro precio, quódque in ea Sacerdos dicitur conficere ipsum Domini corpus, & hoc offerre realiter, pro remissione peccatorum viuorum & mortuorum, adde & in honorem & celebrationem, vel memoriam Sanctorum in cœlis, &c.

Missa meritò abrogata.

CAPVT XXII.

DE COETIBVS SACRIS ET ECCLESIASTICIS.

TAMETSI omnibus sacras literas priuatim legere domi, & instruendo ædificare mutuùm in vera religione liceat, vt tamen legitimè annuncietur verbum Dei populo, & preces ac supplicationes fiant publicè, Sacramenta item celebrentur legitimè, & collecta Ecclesiæ fiat in pauperes & omnes Ecclesiæ necessarios sumptus faciendos, aut vsus sustentandos, necessarii sunt omnino cœtus sacri vel Ecclesiastici fidelium conuentus. Constat enim in Ecclesia Apostolica, & primitiua hujusmodi cœtus esse ab omnibus piis frequentatos. Quotquot hos aspernantur, & ab his sese segregant, religionem veram contemnunt, vrgendíque sunt à Pastoribus & piis Magistratibus, ne contumacius se segregare, & cœtus sacros auersari pergant.

Quæ fieri debeant in cœtibus sacris.

Non auersaris sacros cœtus.

Sint verò cœtus Ecclesiastici non occulti & obscuri, sed publici atque frequentes, nisi persequutio hostium Christi & Ecclesiæ non sinat esse publicos. Scimus enim quales fuerint quondam primitiuæ Ecclesiæ cœtus in abditis locis, sub tyrannide Romanorum Principum. Sint autem loca, in quibus coëunt fideles, honesta, & Ecclesiæ Dei per omnia commoda. Deligantur ergo ædes amplæ, aut Templa. Repurgentur tamen ab iis rebus omnibus, quæ Ecclesiam non de-

Cœtus sint publici.

Loca cœtuum honesta.

cent. Instruantur autem omnia pro decoro, necessitate, & honestate pia, ne quid desit, quod requiritur ad ritus & vsus Ecclesiæ necessarios.

Modestè & humiliter versandum in cœtibus. 1. Reg. 8, 27. Act. 17, 24. Ornatus Templorum verus.

Sicut autem credimus Deum non habitare in Templis manu factis, ita propter verbum Dei & vsus sacros, scimus loca Deo cultuique ejus dedicata, non esse prophana, sed sacra, & qui in his versantur, reuerenter & modestè conuersari debere, vtpote qui sint in loco sacro, coram Dei conspectu & sanctorum Angelorum ejus. Longè itaque à Templis & Oratoriis Christianorum, repellendus est omnis vestium luxus, omnis superbia, & omnia quæ humilitatem, disciplinam & modestiam dedecent Christianam. Ac verus Templorum ornatus, non constat ebore, auro, & gemmis, sed frugalitate, pietate, virtutibúsque eorum, qui versantur in Templo.

Peregrina lingua sileant in cœtu. 1. Cor. 14. 27. 40.

Omnia autem decenter & ordine fiant in Ecclesia, omnia denique fiant ad ædificationem. Taceant ergo omnes peregrinæ linguæ in cœtibus sacris: Omnia proponantur lingua vulgari, & quæ eo in loco ab hominibus in cœtu intelligatur.

CAPUT XXIII.

DE PRECIBUS ECCLESIÆ, CANTU, ET HORIS CANONICIS.

Lingua vulgaris

Oratio. Psal. 50. 15. Iac. 1. 5. Ioh. 14. 13. 14. 1. Tim. 2. 5. Marc. 11. 24.

Orationis libertas.

LICET sanè priuatim precari quâvis lingua, quam quis intelligat, sed publicæ preces in sacris cœtibus vulgari lingua, vel omnibus cognita fieri debent. Oratio fidelium omnis, per solum Christi interuentum, soli Deo fundatur, ex fide & charitate. Diuos cœlites inuocare, aut his vti pro intercessoribus, prohibet Sacerdotium Christi Domini, & vera religio. Orandum est autem pro Magistratu, pro Regibus, aut omnibus in eminentia constitutis, pro Ministris Ecclesiæ & omnibus necessitatibus Ecclesiarũ. In calamitatibus verò, & potissimùm Ecclesiæ, absque intermissione, & priuatim & publicè precandum est, Sponte item precandum est, non coactè, neque pro vllo precio. Neque decet orationem superstitiosè astrictam esse loco, quasi alibi non liceat, nisi in Templo precari. Neque oportet preces publicas, quoad formam & tempus, in omnibus Ecclesiis esse pares. Libertate enim sua vtantur Ecclesiæ quælibet. Socrates in Historia, In omnibus vbique regionibus, inquit, non poteris inuenire duas Ecclesias, quæ orando plenè consentiant. Hujusmodi discrepantiæ authores eos esse puto, qui singulis temporibus,

bus, Ecclesiis præfuerunt, Si tamen sunt congruentes, maximopere commendandum, id, & aliis imitandum videtur.

Sed & modum esse decet, vt in re quavis, ita & in precibus publicis, ne nimis sint prolixæ & molestæ. Cedant ergo potiores partes in cœtibus sacris doctrinæ Euangelicæ, caueatúrque, ne nimis prolixis precibus fatigetur in cœtu populus, vt cùm audienda est prædicatio Euangelii, vel egredi ex cœtu, vel hunc in vniuersum solui cupiant defatigati. Talibus in concione nimis videtur prolixum esse, quod aliàs succinctum est satis. Nam & Concionatores modum tenere decet. Sic & cantus in cœtu sacro est moderandus, vbi is est in vsu. Cantus, quem Gregorianum nuncupant, plurima habet absurda: vnde rejectus est meritò à nostris & pluribus Ecclesiis. Si Ecclesiæ sunt, quæ orationem fidelem legitimámque habent, cantum autem nullum habent, condemnari non debent. Non enim canendi commoditatem omnes habent Ecclesiæ. Ac certum est ex testimoniis Vetustatis, vt cantus vsus fuit vetustissimus in Orientalibus Ecclesiis, ita serò tandem receptum esse ab Occidentalibus.

Modus adhibendus precibus publicis.

Cantus.

Horas Canonicas, id est, preces ad certas in die horas compositas, & à Papistis cantatas aut recitatas, nesciuit Vetustas: quod ex ipsis Horarum lectionibus, & argumentis pluribus demonstrari potest. Sed & absurda non pauca habent, vt nihil dicam aliud: proinde omittuntur rectè ab Ecclesiis substituentibus in locum ipsarum res salutares Ecclesiæ Dei vniuersæ.

Horæ Canonicæ.

CAPVT XXIV.

DE FERIIS, IEIVNIIS, CIBORVMQVE DELECTV.

QVANQVAM religio tempori non alligetur, non potest tamen absque justa temporis distinctione vel ordinatione plantari & exerceri. Deligit ergo quævis Ecclesia sibi tempus certum ad preces publicas, & Euangelii prædicationem, nec non Sacramentorum celebrationem. Non licet autem cuivis pro suo arbitrio Ecclesiæ ordinationem hanc conuellere. Ac nisi ocium justum concedatur religionis externæ exercitio, abstrahuntur certè ab eo, negotiis suis homines. Vnde videmus in Ecclesiis vetustis, non tantùm certas fuisse horas in septimana constitutas cœtibus, sed ipsam diem Dominicam ab ipsis Apostolorum temporibus, iisdem sacróque ocio fuisse consecratam: quod etiam nunc rectè propter cultum & charitatem, ab Ecclesiis nostris custoditur. Obser-

Tempus necessarium ad exercendam religionem.

Dies Dominica.

Superstitio.

uationi Iudaicæ & superstitionibus, nihil hic permittimus. Neque enim alteram diem, altera sanctiorem esse credimus, neque ocium Deo per se probari existimamus, sed & Dominicam non Sabbatum, libera obseruatione celebramus.

Festa Christi & Sanctorum. Præterea si Ecclesiæ, pro Christiana libertate, memoriam Dominicæ Natiuitatis, Circumcisionis, Passionis & Resurrectionis, Ascensionis item in cœlum, & missionis sancti Spiritus in discipulos, religiosè celebrent, maximopere approbamus. Festa verò hominibus, aut Diuis instituta, non probamus. Et sanè pertinent feriæ ad tabulam Legis primam, & sunt solius Dei: denique habent feriæ Diuis institutæ, & à nobis abrogatæ, absurda, inutilia, miniméque toleranda plurima. Interim fatemur non inutiliter Sanctorum memoriam, suo loco & tempore, in sacris concionibus populo commendari, & omnibus sancta exempla Sanctorum imitanda proponi.

Ieiunium. Quantò verò grauiùs accusat Christi Ecclesia crapulam, ebrietatem, & omnem libidinem ac intemperantiam, tantò vehementiùs commendat nobis jejunium Christianum. Est enim jejunium aliud nihil, quàm abstinentia & temperantia piorum, disciplina item, custodia, & castigatio carnis nostræ, pro necessitate præsenti suscepta, quâ humiliamur coram Deo, & carni sua fomenta detrahimus, quò faciliùs libentiúsque Spiritui pareat. Proinde non jejunant, qui istorum nullam rationem habent, sed jejunare se credunt, si semel in die farciant ventrem, & certo vel præscripto tempore à certis abstineant cibis, existimantes hoc opere operato, se Deo placere, & bonum opus facere. Iejunium est adminiculum orationis Sanctorum ac virtutum omnium. Non placuit Deo, (vt videre est in Prophetarum libris) jejunium, quo à cibo, non à sceleribus jejunabant Iudæi. *Ies. 1. 11. Cap. 58. 4. 5. & c. Ier. 14. 12. Zach. 7. 5.*

Publica & priuata Ieiunia. Est autem publicum jejunium, & priuatum. Celebrârunt olim jejunia publica calamitosis temporibus rebúsque Ecclesiæ afflictis. Abstinebant in vniuersum à cibo ad vesperam vsque. Totum autem hoc tempus impendebant precibus sacris cultuique Dei & pœnitentiæ. Parùm hæc abfuerunt à luctu: & frequens fit horum mentio in Prophetis, præcipuè apud Ioëlem Cap. 2. Celebrari debet hujusmodi jejunium, etiam hodie in rebus Ecclesiæ difficilibus Priuata jejunia suscipiuntur abs quovis nostrûm, provt quisque senserit detrahi spiritui, Hactenus enim fomenta carni detrahit. *Ioel. 2. 12. & c.*

Qualia sint Ieiunia. Omnia jejunia proficisci debent ex libero, spontaneóque spiritu & verè humiliato, nec composita esse ad plausum vel gratiam hominum consequendam, multò minùs eò, vt per ipsa velit homo justitiam demereri. Iejunet autem in hunc finem quilibet, vt fomenta carni detrahat, & feruentiùs Deo inseruiat. *Matth. 6. 17. 18*

Quadragesima. Quadragesimale jejunium, Vetustatis habet testimonia, sed nulla ex literis Apostolicis: ergo non debet, nec potest imponi fidelibus. Certum est, quondam varias fuisse jejuniorum formas vel consuetudines.

dines. Vnde Irenæus scriptor vetustissimus, Quidam, inquit, putant vno tantùm die obseruari debere jejunium, alij duobus, alij verò pluribus, nonnulli etiam quadraginta diebus. Quæ varietas obseruantiæ, non nostris nunc demum temporibus cœpit, sed multò ante nos, ex illis, vt opinor, qui non simpliciter, quod ab initio traditum est, tenentes, in alium morem, vel per negligentiam, vel per imperitiam postmodùm decidêre. Sed & Socrates Historicus, Quia lectio nulla, inquit, de hoc inuenitur antiqua, puto Apostolos hoc singulorum reliquisse sententiæ, vt vnusquisque operetur, non timore & necessitate, quod bonum est.

Iam verò quod ad delectum ciborum attinet, in jejunijs arbitramur omne id detrahendum esse carni, vnde redditur ferocior, & quo delectatur impensiùs, vnde existunt fomenta carni, siue pisces sint, siue carnes, siue aromata, delitiæve, aut præstantia vina. Alioqui scimus, creaturas Dei omnes conditas esse in vsus & seruitia hominum. Omnia quæ condidit Deus, bona sunt, & citra delectum, cum timore Dei & justa moderatione vsurpanda. Apostolus enim, Omnia, inquit mundis munda sunt. Item, Omne quod in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Idem Apostolus nominat doctrinam eorum, qui jubent abstinere à cibis doctrinam dæmoniorum. Cibos enim creâsse Deum ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem, quòd, quicquid creauit Deus, bonum sit, & nihil rejiciendum, si sumatur cum gratiarum actione, &c. Idem ad Coloss. reprobat eos, qui nimia abstinentia, sibi comparare volunt existimationem sanctitatis. Nos itaque in vniuersum reprobamus Tatianos & Encratitas, omnes denique Eustachij discipulos, contra quos congregata est Gangrensis Synodus.

Delectus ciborum. *Genes. 2.* *Tit. 1. 15.* *1 Cor. 10. 25.* *1 Tim. 4. 1. 2. 3. 4. 5.* *Col. 2. 18. 23.* *Eusta.*

CAPVT XXV.

DE CATECHESI, ET ÆGROTANTIVM CONSOLATIONE, vel visitatione.

DOMINVS veteri suo populo injunxit, maximam curam vt impenderent ab infantia rectè instituendæ juuentuti, adeóque mandauit disertè in Lege sua, erudirent, & Sacramentorum mysteria interpretarentur. Cùm autem ex Euangelicis & Apostolicis literis constet, Deum non minorem rationem habere noui sui populi pubis, cùm palàm testetur & dicat, Sinite pueros venire ad me, talium enim est regnum cœlorum, consultissimè faciunt

Instituenda imprimis pubes. Deut. 4. 9. 10. cap. 6. 7. 20. & 11. 19. Exod. 12. 16. cap. 13. 14. Marc. 10. 14.

Ecclesiarum Pastores, qui juuentutem maturè & diligenter catechisant, prima fidei fundamenta jacientes, ac rudimenta religionis nostræ fideliter docentes, explicando Decalogum mandatorum Dei, Symbolum item Apostolorum, Orationem quoque Dominicam, & Sacramentorum rationem, cum aliis ejus generis primis principiis, & religionis nostræ capitibus præcipuis. Fidem verò & diligentiam hîc suam in adducendis ad Catechismum liberis præstet Ecclesia, cupiens & gaudens liberos suos rectè institui.

Visitatio infirmorum. Cùm verò nunquam grauioribus tentationibus expositi sint homines, quàm dum infirmitatibus exercentur aut ægrotant, morbis cùm animi tum corporis fracti, nunquam sanè conuenit Pastores Ecclesiarum saluti gregis suis inuigilare accuratiùs, quàm in hujusmodi morbis & infirmitatibus. Visitent ergo maturè ægrotantes, vocentur item maturè ab ægrotantibus, siquidem res ipsa postulauerit, consolentur autem illos, & in vera fide confirment, muniant denique contra perniciosas Satanæ suggestiones: instituant item preces apud ægrotantem domesticas, ac si necesse sit, precentur pro ægrotantis salute etiam in cœtu publico, curéntque, quò feliciter ex hoc seculo migret. Papisticam visitationem cum sua illa Vnctione extrema, diximus superiùs nos non approbare, quòd absurda habeat, & à Scriptura Canonica non approbetur. *Iac.5.14.15.16.*

CAPVT XXVI.

DE SEPVLTVRA FIDELIVM, CVRAQVE PRO MORTVIS GERENDA, de Purgatorio, & Apparitione Spirituum.

Sepelire corpora. FIDELIVM corpora, vt Spiritus sancti templa, & quæ in vltimo die rectè creduntur resurrectura, jubet Scriptura honestè absque superstitione humo mandare, sed & honestam eorum, qui sanctè in Domino obdormiuerunt, mentionem facere, relictísque eorum, vt viduis & pupillis, omnia pietatis officia præstare: aliam non docemus pro mortuis curam gerere.

Cynici. Improbamus ergo maximè Cynicos, corpora mortuorum negligentes, aut quàm negligentissimè contemptissiméque in terram abjicientes, nunquam vel verbum bonum de defunctis facientes, aut relictos ipsorum, ne tantillum quidem curantes.

Cura pro defunctis. Improbamus rursus nimis & præposterè officiosos in defunctos, qui instar

qui instar Ethnicorum, suos deplangunt mortuos (luctum moderatum, quem Apostolus 1.Thess. 4. concedit, non vituperamus, inhumanum esse judicantes, prorsus nihil dolere,) & pro mortuis sacrificant, & preculas certas, non sine precio demurmurant, hujusmodi suis officiis liberaturi suos illos ex tormentis, quibus à morte immersos, & inde rursus liberari posse, hujusmodi næniis arbitrantur. Credimus enim fideles rectâ à morte corporea migrare ad Christum, ideóque viuentium suffragiis aut precibus pro defunctis, denique illis suis officiis nihil indigere. Credimus item infideles rectâ præcipitari in tartara, ex quibus nullus impiis aperitur, vllis viuentium officijs, exitus.

1.Thess.4.13.

Anima, migrantis à corpore, status.

Quod autem quidam tradunt de igne purgatorio, fidei Christianæ, Credo remissionem peccatorum, & vitam æternam, purgationique plenæ per Christum, & Christi Domini hisce sententiis aduersatur, Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non veniet, sed transiuit à morte in vitam. Item, Qui lotus est, non opus habet, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus, & vos mundi estis.

Purgatorium.

Ioh.5.24.

Ioh.13.10.

Iam quod traditur de spiritibus vel animabus mortuorum, apparentibus aliquando viuentibus, & petentibus ab eis officia, quibus liberentur, deputamus apparitiones eas inter ludibria, artes & deceptiones Diaboli, qui vt potest se transfigurare in Angelum lucis, ita satagit fidem veram, vel euertere, vel in dubium reuocare. Dominus in veteri Testamento vetuit veritatem sciscitari à mortuis, & vllum cum spiritibus habere commercium. Epuloni verò pœnis mancipato, sicut narrat veritas Euangelica, negatur ad fratres suos reditus: pronunciante interim diuino oraculo atque dicente, Habent Mosen & Prophetas, audiant illos. Si Mosen & Prophetas non audiunt, neque, si quis ex mortuis resurrexerit credent.

Spirituum apparitio.

Deut.18.11.
Luc 16,27. 30.&c.

CAPVT XXVII.

DE RITIBVS ET CEREMONIIS, ET MEDIIS.

Veteri populo traditæ sunt quondam ceremoniæ, vt pædagogia quædam, iis qui sub Lege, veluti sub Pædagogo & tutore quodam, custodiebantur, sed adueniente Christo liberatore, Legéque sublata, fideles sub Lege amplius non sumus, disparuerúntque ceremoniæ: quas in Ecclesia Christi adeò retinere aut reparare noluerunt Apostoli, vt apertè sint testati, se nullum onus velle imponere Ecclesiæ. Proinde Iudaismum videremur redu-

Ceremoniæ & ritus.
Gal.3.24.
Rom.6.14.

Act.15,28.

cere aut restituere, si in Ecclesia Christi, ad morem veteris Ecclesiæ ceremonias ritúsve multiplicaremus. Ideoque minimè approbamus eorum sententiam, quibus visum est Ecclesiam Christi cohiberi oportere, ceu pædagogia quadam, multis variisque ritibus. Nam si populo Christiano Apostoli ceremonias vel ritus diuinitus traditos imponere noluerunt, quis, oro, sanæ mentis, obtrudet illi adinuentiones adinuentas humanitus? Quantò magis accedit cumulo rituum in Ecclesia, tantò magis detrahitur non tantùm libertati Christianæ, sed & Christo & ejus fidei: dum vulgus ea quærit in ritibus, quæ quæreret in solo Dei Filio, Iesu Christo, per fidem. Sufficiunt itaque piis pauci, moderati, simplices, nec alieni à verbo Dei ritus.

Impares ritus, &c.

Quòd si in Ecclesijs dispares inueniuntur ritus, nemo Ecclesias existimet ex eo esse dissidentes. Socrates, Impossibile fuerit, inquit, omnes Ecclesiarum, quæ per ciuitates & regiones sunt, ritus conscribere. Nulla religio eosdem ritus custodit, etiamsi eandem de illis doctrinam amplectatur. Etenim qui ejusdem sunt fidei, de ritibus inter se dissentiunt. Hæc ille. Et nos hodie ritus diuersos in celebratione Cœnæ Domini, & in alijs nonnullis rebus, habentes in nostris Ecclesijs, in doctrina tamen & fide non dissidemus, neque vnitas, societásque Ecclesiarum nostrarum ea re discinditur. Semper verò Ecclesiæ in hujúsmodi ritibus, sicut medijs, vsæ sunt libertate. Id quod nos hodie quoque facimus.

Media.

At cauendum interim monemus, ne inter media deputentur, vt quidam solent. Missam & vsum imaginum in Templo pro medijs reputare, quæ reuera non sunt media. Indifferens (dixit ad Augustin. Hieron.) illud est, quod nec bonum nec malum est, vt siue feceris, siue non feceris, nec iustitiam habeas nec iniustitiam. Proinde, cùm adiaphora rapiuntur ad fidei confessionem, libera esse desinunt: sicuti Paulus ostendit licitum esse carnibus vesci, si quis non submoneat, idolis esse litatas, alioqui fore illicitas, quòd qui his vescitur, jam vescendo idololatriam approbare videatur.

1. Cor. 8. 10. & 10. 27. 28.

CAPVT XXVIII.

DE BONIS ECCLESIÆ.

Bona Ecclesiæ & vsus eorum iustus.

OPES habet Ecclesia Christi ex munificentia Principum, ac liberalitate fidelium, qui facultates suas Ecclesiæ donârunt. Opus enim habet Ecclesia facultatibus, & habuit ab antiquo facultates ad res Ecclesiæ necessarias sustinendas. Ac verus vsus opum Ecclesiæ quondam fuit, & nunc est, conseruare doctrinam in Scholis, & cœtibus sacris, cum vniuerso cultu, ritibus & ædificio sa-

ficio sacro, conseruare denique Doctores, discipulos atque Ministros, cum rebus alijs necessarijs, & imprimis pauperibus juuandis atque alendis. Deligantur autem viri timentes Deum prudentes, & in Oeconomia insignes, qui legitimè bona dispensent Ecclesiastica. *Oeconomi.*

Si verò opes Ecclesiæ per injuriam temporis, & quorundam audaciam, inscitiam, aut auaritiam, translatæ sunt in abusum, reducantur à viris pijs & prudenibus ad sanctum vsum. Neque enim conniuendum est ad abusum maximè sacrilegum. Docemus itaque reformandas esse Scholas & Collegia corrupta, in doctrina, in cultu, & in moribus, ordinandámque esse piè, bona fide, atque prudenter, pauperum subuentionem. *Abusus opum.*

CAPVT XXIX.

DE COELIBATV, CONIVGIO, ET OECONOMIA.

QVi cœlitus donum habent cœlibatus, ita vt ex corde, vel toto animo, puri sint ac continentes, nec vrantur grauiter, seruiant in ea vocatione Domino, donec senserint se diuino munere præditos, & ne efferant se cæteris, sed seruiant Domino assiduè, in simplicitate & humilitate. Aptiores autem hi sunt curandis rebus diuinis, quàm qui priuatis familiæ negotijs distrahuntur. Quòd si adempto rursus dono, vstionem senserint durabilem, meminerint verbi Apostolici, Melius est nubere quàm vri. *Cœlibat. 1. Cor. 7. 10. 1 Cor 7 9.*

Conjugium enim (incontinentiæ medicina & continentia ipsa est) institutum est ab ipso Domino Deo, qui ei liberalissimè benedixit, ac virum ac fœminam inseparabiliter sibi mutuum adhærere, & vnà in summa dilectione concordiáque viuere voluit. Vnde scimus Apostolum dixisse, Honorabile est connubium inter omnes, & cubile impollutum. Et iterum, Si virgo nupserit, non peccauit. Damnamus ergo polygamiam, & eos, qui secundas damnant nuptias. *Conjugium. Matth. 19. 5. Hebr. 13 4. 1 Cor. 7. 28. Secta.*

Docemus contrahenda esse conjugia legitimè in timore Domini, & non contra leges prohibentes aliquot in conjugio gradus, ne incestæ fiant nuptiæ. Contrahantur cum consensu Parentum, ac in illum maximè finem, ad quem Dominus conjugia instituit. Colantur denique sanctè, cum maxima conjugum fide, pietate, & dilectione, nec non puritate. Caueantur itaque rixæ, dissidia, libidines & adulteria. Constituantur legitima in Ecclesia judicia, & judices sancti, qui tueantur conjugia, & omnem impudicitiam impudentiámque coerceant, & apud quos controuersiæ matrimoniales transigantur. *Quomodo contrahenda conjugia. Forum matrimoniale.*

Educatio liberorum. *1.Tim.5,8.* Educentur quoque liberi à Parentibus, in timore Domini: prouideant item Parentes liberis, memores Apostolicæ sententiæ, Qui suis non prospicit, fidem abnegauit, & infideli est deterior. Imprimis autem doceant suos, quibus sese alant, artes honestas, abstrahant ab otio, & veram in his omnibus fiduciam in Deum inserant, ne diffidentia, aut securitate nimia, aut auaritia fœda diffluant, nec ad vllum fructum perueniant.

Verè bona opera. Estque certissimum opera illa, quæ in vera fide fiunt à Parentibus, per conjugij officia & Oeconomiam, esse coram Deo sancta & verè bona opera, & placere hæc Deo, non minùs, quàm preces, jejunia, atque eleemosinas. Sic enim docuit & Apostolus in Epistolis suis, præcipuè verò ad Timoth. & Titum. Numeramus autem cum eodem Apostolo, inter dogmata Satanica illorum doctrinam, qui matrimonium prohibent, aut palàm vituperant, vel obliquè perstringunt, quasi non sanctum, vel mundum sit. Execramur autem cœlibatum immundum, libidines & fornicationes tectas & apertas hypocritarum simulantium continentiam, cùm omnium sint incontinentissimi. Hos omnes judicabit Deus. *1.Tim 4,1, &c.*

Tim.6,17, &c. *Apostolici.* Diuitias, & diuites, si pij sint, & rectè vtantur diuitijs, non reprobamus. Reprobamus aute m sectam Apostolicorum, &c.

CAPVT XXX.

DE MAGISTRATV.

Magistratus à Deo. *Rom.13,1,* MAGISTRATVS omnis generis ab ipso Deo est institutus ad generis humani pacem ac tranquillitatem, ac ita, vt primùm in mundo locum obtineat. Si hic sit aduersarius Ecclesiæ, & impedire & obturbare potest plurimùm. Si autem sit amicus, adeóque membrum Ecclesiæ, vtilissimum, excellentissimúmque membrum est Ecclesiæ, quod ei permultum prodesse, eam denique peroptimè iuuare potest.

Officium Magistratus Eius officium præcipuum est, pacem & tranquillitatem publicam procurare & conseruare. Quod sanè nunquam fecerit feliciùs, quàm cùm fuerit verè timens Dei ac religiosus, qui videlicet ad exemplum sanctissimorum Regum Principúmque populi Domini, veritatis prædicationem, & fidem synceram promouerit, mendacia & superstitionem omnem cum omni impietate & idololatria exciderit, Ecclesiámque Dei defenderit. Equidem docemus religionis curam, imprimis pertinere ad Magistratum sanctum.

Deut.17,18, 19, *Iosu.1,8.* Teneat ergo ipse in manibus verbum Dei, & ne huic contrarium doceatur procuret, bonis item legibus ad verbum Dei compositis, moderetur

moderetur populum sibi à Deo creditum, eundémque in disciplina, officio, obedientiáque contineat. Iudicia exerceat iustè iudicando, ne respiciat personam, aut munera accipiat, viduas, pupillos, & afflictos asserat, injustos, impostores & violentos coërceat atque adeò & excindat. Neque enim frustrà accepit à Deo gladium. Stringat ergo hunc Dei gladium in omnes maleficos, seditiosos, latrones vel homicidas, oppressores, blasphemos, perjuros, & in omnes eos, quos Deus punire ac etiam cædere jussit. Coërceat & Hæreticos (qui verè Heretici sunt) incorrigibiles, Dei Maiestatem blasphemare, & Ecclesiam Dei conturbare, adeóque perdere non desinentes. Quòd si necesse sit etiam bello populi conseruare salutem, bellum, in nomine Domini, suscipiat, modò priùs pacem modis omnibus quæsierit, nec aliter nisi bello suos seruare possit. Et dum hæc ex fide facit Magistratus, illis ipsis operibus, vt verè bonis, Deo inseruit, ac benedictionem à Domino accipit.

2 Chron. 19, 6. &c.

Rom. 13, 4.

Exod. 22.

Leu. 18. 20.

Bellum.

Damnamus Anabaptistas, qui vt Christianum negant fungi posse officio Magistratus, ita etiam negant quenquam à Magistratu justè occidi, aut Magistratum bellum gerere posse, aut iuramenta Magistratui præstanda esse, &c.

Anabaptistæ.

Sicut enim Deus salutem populi sui operari vult per Magistratum, quem mundo veluti Patrem dedit: ita Subditi omnes hoc Dei beneficium in Magistratu agnoscere jubentur. Honorent ergo & reuereantur Magistratum, tanquam Dei ministrum: ament eum, faueant ei, & orent pro illo, tanquam pro Patre: obediant item omnibus ejus iustis & æquis mandatis: denique pendant vectigalia atque tributa, & quæ alia huius generis debita sunt, fideliter atque libenter: & si salus publica, patriæve, & iustitia requirat, & Magistratus ex necessitate bellum suscipiat, deponant etiam vitam & fundant sanguinem pro salute publica Magistratúsque & quidem in Dei nomine libenter, fortiter, & alacriter. Qui enim Magistratui se opponit, iram Dei grauem in se prouocat.

Subditorum Officium.

Rom. 13, 2.

Damnamus itaque omnes Magistratus contemptores, rebelles, Reipubl. hostes, & seditiosos nebulones, denique omnes quotquot officia debita præstare, vel palàm, vel arte, renuunt.

Sectæ & seditiones.

Oramus Deum Patrem nostrum in cœlis clementissimum, vt Principibus populi, nobis quoque & vniuerso populo suo, benedicat, per Iesum Christum Dominum & Seruatorem nostrum vnicum: cui laus & gloria ac gratiarum actio, in secula seculorum,

Amen.

SYMBOLVM DAMASI
EX II. TOM. OPERVM
S. HIERON.

CRedimvs in vnum Deum Patrem Omnipotentem, & in vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Dei Filium, & in Spiritum ſanctum Deũ, non tres Deos, ſed Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, vnum Deum colimus & confitemur: non ſic vnum Deum, quaſi ſolitarium, nec eundem, qui ipſe ſibi Pater ſit, ipſe & Filius: ſed Patrem eſſe, qui genuit, & Filium eſſe, qui genitus ſit: Spiritum verò ſanctum non genitum, neque ingenitum, non creatum neque factum, ſed de Patre Filióque procedentem, Patri & Filio coæternum, & coæqualem, & cooperatorem. Quia ſcriptum eſt, Verbo Domini cœli firmati ſunt, id eſt, à Filio Dei: & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Et alibi, Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Ideóque in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, vnum cõfitemur Deum, quod nomen eſt poteſtatis, non proprietatis. Proprium nomen eſt

Patri,

Patri, Pater; & proprium nomen eſt Filio, Filius; & proprium nomen Spiritui ſancto, Spiritus ſanctus. In hac Trinitate vnum Deum colimus: quia ex vno Patre quod eſt, vnius cum Patre naturæ eſt, vnius ſubſtantiæ, & vnius poteſtatis. Pater Filium genuit, non voluntate, nec neceſſitate, ſed natura. Filius vltimo tempore ad nos ſaluandos, & ad implendas Scripturas deſcendit à Patre, qui nunquam deſiit eſſe cum Patre. Et conceptus eſt de Spiritu ſancto, & natus ex virgine. Carnem & animam, & ſenſum, hoc eſt, perfectum ſuſcepit hominem, nec amiſit, quod erat, ſed cœpit eſſe, quod non erat, ita tamen vt perfectus in ſuis ſit, & verus in noſtris. Nam qui Deus erat, homo natus eſt, & qui homo natus eſt, operatur vt Deus, & qui operatur vt Deus, vt homo moritur, & qui vt homo moritur, vt Deus reſurgit.

Qui devicto mortis imperio, cum ea carne, qua natus, & paſſus, & mortuus fuerat, & reſurrexit, aſcendit ad Patrem, ſedétque ad dexteram eius in gloria, quam ſemper habuit & habet. In hujus morte & ſanguine credimus emundatos nos, & ab eo reſuſcitandos die nouiſſimo, in hac carne, quâ nunc viuimus. Et habemus ſpem, nos conſequuturos præmium boni meriti, aut pœnam pro peccatis æterni ſupplicii. Hæc lege, hæc crede, hæc retine, huic fidei animam tuam ſubiuga, & vitam conſequeris, & præmium à Christo.

Eadem porrò docuit & credidit, cum beato Damaſo & Athana-

ſio, S. Petrus Alexandrinus Epiſcopus, ſicut faciſe colligitur, ex Trip.Hiſt.lib.7.cap.37.& lib.8.cap.14.

Cùm autem nos omnes ſimus huius fidei religioniſque, ſperamus nos ab omnibus habendos, non pro Hæreticis, ſed pro Catholicis & Chriſtianis, &c.

INDEX

INDEX CAPITVM CONFESSIONIS HVIVS.

Cap. pag.

ECCLESIARVM PER HELVETIAM CONFESSIO FIDEI SVMMARIA ET GENERALIS.

Composita Basileæ Anno Domini 1536. Latinè excusa 1581.

SCRIPTVRA Canonica, Verbum Dei Spiritu S. tradita & per Prophetas, Apostolósque mundo proposita, omnium perfectiss.ma & antiquissima Philosophia, pietatem omnem, omnem vitæ rationem sola perfectè continet.

II. Hujus Interpretatio ex ipsa sola petenda est, vt ipsa interpres sit sui, charitatis, fideique regulâ moderante.

III. A quo interpretationis genere, quatenus Sancti Patres non discessêre, eos non solùm, vt Interpretes Scripturæ, recipimus: sed vt organa Dei dilecta veneramur.

IV. Per cætera de Traditionibus Hominum, quantumvis speciosis & receptis, quæcunque nos abducunt vel impediunt, vt de invtilibus & noxiis, sic illud Domini respondemus: Frustra me colunt, docentes doctrinas Hominum.

V. Status hujus Scripturæ Canonicæ totius is est, Bene Deum Hominum Generi velle & eam beneuolentiam per Christum Dominum declarasse, Filium suum, quæ fide sola recipiatur. Hæc autem charitate efficax sit & innocenti vita exprimatur.

VI. De Deo sic sentimus, Vnum Substantiâ, Trinum Personis, Omnipotentem esse, qui vt condiderit per verbum, id est, Filium suum, omnia ex nihilo, sic Spiritu, prouidentiáque sua justè, veréque & sapientiss. gubernet, seruet, foueat omnia.

VII. Homo perfectiss. Dei in terris imago, primásque creaturarum visibliúm habens, ex anima & corpore constans: quorum hoc mortale, illud immortale est, cùm esset sanctè à Deo conditus, suâ culpâ in

vitium prolapsus, in eandem secum ruinam genus humanum totum traxit,ac eidem calamitati,obnoxium reddidit.

VIII. Atque hæc lues,quam Originalem vocant,genus totum sic peruasit,vt nulla ope,iræ filius inimicúsque Dei,nisi diuinâ per Christum,curari potuerit.Nam si quid bonæ frugis hîc superstes est,vitiis nostris assiduè debilitatum,in peius vergit.Superat enim mali vis,& nec rationem persequi,nec mentis diuinitatem excolere sinit.

IX.Vnde sic homini Liberum arbitrium tribuimus,vt,qui scientes & volentes agere nos, bona & mala experimur , mala quidem agere sponte nostra queamus, bona verò amplecti & persequi , nisi gratia Christi illustrati, excitati atque impulsi, non queamus. Deus enim is est,qui operatur in nobis:Velle & perficere pro sua bona voluntate. Et ex Deo salus,è nobis est perditio.

X.Huius generis hominis hac culpâ, damnationi addicti & in indignationem iustam incurrentis , nunquam tamen curam gerere Deus pater desiit:id quod ex primis promissionibus , legéque tota (quæ vt sancta & bona est,docens nos Dei voluntatem, iustitiam,& veritatem ita operatur iram, peccatáque in nobis excitat,non extinguit,non suo quidem,sed nostro vitio) & à Christo in hoc destinato, præstitóque perspicuum est.

XI.Hic Christus,verus Dei Filius,verúsque Deus & Homo verus, cum iuxta præfinitum tempus Hominem totum anima & corpore constantem,assumpsisset,in vna indiuiduáque Persona duas, sed impermixtas Naturas, vt vitæ mortuos nos restitueret,& Dei cohæredes faceret,frater noster est factus.

Is sacrosanctam Diuinitatis Vnione carnem , nostræ, peccato solùm excepto, quoniam illibatam nostram esse oportebat, per omnia similem ex intacta Virgine Maria , Spiritu cooperante , sumens, in mortem tradidit ad vniuersi peccati expiationem.

Idem, vt esset plena nobis perfectáque immortalitatis spes , atque fiducia suam ipse carnem de morte suscitatam,in cœlum ad Omnipotentis Patris dexteram collocauit.

Hic morte,peccato, inferísque omnibus triumphatis Victor, Dúxque & Caput nostrum , ac Pontifex , verè Summus , causam nostram perpetuò tuetur , agitque, dum ad imaginem , ad quam conditi eramus reformet,& ad participationem vitæ æternæ inducat.

Hunc venturum ad seculorum omnium finem verum , rectúmque iudicem, ac sententiam in omnem carnem ad id iudicium prius suscitatam,laturum,ac pios supra æthera euecturum,impios corpore & animo ad æternam damnationem damnaturum expectamus.

Qui vt solus est Mediator , Intercessor,Hostia, idémque & Pontifex Dominúsque & Rex noster, ita hunc solum agnoscimus, ac toto corde credimus conciliationem , redemptionem , Sanctificationem, expiationem, sapientiam,protectionem,assertionem nostram, solum,

omne

omne hinc simpliciter vitæ, salutisque nostræ medium, præter hunc solum Christum, rejicientes.

XII. Itaque in omni Euangelica doctrina primum ac præcipuum hoc ingeri debet, sola nos Dei misericordia & gratia, Christique merito seruari, quod vt intelligant Homines, quàm opus habeant, peccata eis per legem & Christi mortem remitti semper sunt indicanda

XIII. ista verò tam diuina beneficia ac veram Spiritus Dei sanctificationem, Fide, mero Dei dono, haud vllis aut viribus, aut meritis nostris consequimur. Quæ Fides certa & indubitata omnium sperandarum de Dei beneuolentia rerum substantia & apprehensio ex sese charitatem, ac mox præclaros omnium virtutum fructus pullulat, non quicquam tamen suis officiis, licèt piorum, sed ipsi simpliciter partam salutem, gratiæ Dei attribuimus. Atque sic quidem solus verus est Dei cultus, Fides inquam, nulla operum fiducia, operum fœcundissima.

XIV. Ex talibus autem lapidibus super viuam hanc petram, hoc pacto in ædificatis, Ecclesiam construi, sanctámque Sanctorum omnium collectionem, sponsam Christi, quam suo sanguine ablutam patri aliquando sistet immaculatam, tenemus. Quæ quidem cum solius Dei oculis sit nota, extremis tamen quibusdam ritibus ab ipso Christo institutis & verbi Dei, velut publica, legitimáque disciplina non solùm cernitur, cognoscitúrque, sed ita construitur, vt in hanc sine his nemo, nisi singulari Dei priuilegio censeatur.

XV. Atque hanc ob causam ministros Ecclesiæ, Cooperarios, esse Dei, fatemur, per quos ille & cognitionem sui & peccatorum remissionem administret, Homines ad se conuertat, erigat, consoletur, terreat, etiam & iudicet, ita tamen vt virtutem & efficaciam in his omnem Domino, ministerium ministris tamen ascribamus. Nam hanc efficaciam nulli omninò creaturæ alligari, sed libera Dei dignatione dispensari, quomodo & quibus ipse velit, certum est. Nihil enim est, qui rigat, neque qui plantat, sed qui dat incrementum, Deus.

XVI. Ipsa autem verbi & pascendi gregis Dominici authoritas, quæ propriè clauium potestas est, cunctis, summis æquè & imis præscribens, sacrosancta inuiolabilisque esse & vel diuino vel certo & consulto Ecclesiæ suffragio, vel eorum sententia, quibus hoc officii delegauit Ecclesia, electis tantùm & idoneis administrandum committi debet.

XVII. Est enim functio hęc nulli, quem non & legis diuinę peritiâ & vitæ innocentiâ & Christi nominis studio singulari esse compererint & iudicarint Ministri & iis, quibus id negotii per Ecclesiam est commissum, concedenda. Quæ cùm vera Dei electio, sit, Ecclesiæ suffragio & manuum Sacerdotis impositione rectè comprobatur.

XVIII. Christus enim verum suæ Ecclesiæ caput & Pastor solus

est,qui Præsides,Pastores & Doctores dat, vt in externa administratione clauium potestate rectè & legitimè vtantur. Vnde illos titulotenus tantùm Pastores, Capútque Romanum minimè agnoscimus.

XIX. Summum functionis huius munus est,pœnitentiam,& peccatorum per Christum remissionem prædicare, pro populo incessanter orare,sanctis studiis, verbóq; Dei indefessè inuigilare, atque verbo Dei velut gladio spiritus & arte omnigena, Satanam internecino odio semper prosequi ac debilitare Christi ciues sanos quidem tueri: Vitiosos autem monere,reprehendere,coercere,& grassantes longiùs conspiratione pia eorum,qui ex ministris,magistratúque delecti sunt, disciplinâ excludere, vel alia ratione commodâ multare, tantisper dum resipiscant,ac salui fiant. Is enim ad Ecclesiam ciui Christi morbido regressus est,si conuersis animis,studiisque, quo omnis hæc disciplina spectat, errorem agnoscens confiteatur suum, & disciplinam sanam vltrò iam requirat,ac studio pietatis nouo,pios omnes exhilaret. XX. Signa, quæ in Ecclesia Christi Sacramenta vocantur: duo sunt. 1. Baptismus. 2. Eucharistia. Hæc arcanarum rerum symbola non nudis signis sed signis simul & rebus constant. In Baptismo enim aqua signum est,at res ipsa Regeneratio, Adoptióque in populum Dei. In Eucharistia panis & vinum signa sunt. Res autem Communicatio corporis Christi, parta salus,& peccatorum remissio,quæ quidem percipiuntur Fide,quemadmodum signa corpore, & in ipsa re totus fructus Sacramentorum est. Vnde asserimus Sacramenta non solùm tesseras quasdam societatis Christianæ, sed & gratiæ diuinæ symbola esse, quib. ministri Domino ad eum finem, quem ipse promittit, offert, & efficit, cooperentur:sic tamen,qualiter de verbi ministerio dictum, vt omnis virtus saluifica vni Domino transcribatur.

XXI. Baptisma quidem,ex institutione Domini,lauacrum regenerationis,quale Dominus electis suis visibili signo per Ecclesiæ ministerium, qualiter suprà expositum est, exhibeat. Quo quidem sacro lauacro infantes nostros idcirco tingimus, quoniam è nobis,qui populus Domini sumus,genitos populi Dei consortio rejicere nefas est, tantùm non diuina voce hâc designatos, præsertim cum de eorum electione piè est præsumendum.

XXII. Cœnam verò mysticam,in qua Dominus corpus & sanguinem suum, id est seipsum suis verè ad hoc offerat,vt magis magísque in illis viuat,& illi in ipso: non quod pani & vino corpus Domini & sanguis vel naturaliter vniantur,sed quòd panis & vinum ex institutione Domini symbola sint,quibus ab ipso Domino per Ecclesiæ ministerium vera corporis & sanguinis eius communicatio non in periturum ventris cibum,sed in æternæ vitæ alimoniam exhibeatur. Hoc sacro cibo ideo sæpe vtimur,quoniam huius monitu in crucifixi mortem, sanguinémque fidei oculis intuentes ac salutem nostram non

sine

ſine cœleſtis vitæ guſtu & vero vitæ æternæ ſenſu meditantes hoc ſpirituali viuifico intimóque pabulo ineffabili cum ſuauitate reficimur, ac inenarrabili verbi lætitia propter inuētam vitam exultamus, totique ac viribus omnino noſtris omnib. in gratiarum actionem tam pro admirando Chriſti erga nos beneficio effundimur. Itaque immerito ſit noſtro maximo, quod quidam nos parum tribuere ſacris ſymbolis putant. Sunt. n. hæc res ſanctæ, venerandæq; vtpote à ſummo ſacerdote Chriſto inſtitutæ & ſuſceptæ ſuo, quo diximus, modo, res ſignificatas exhibentes, teſtimonium rei geſtæ præbentes, res tam arduas repræſentantes & mirabili quadam rerum ſignificatarum analogia clariſſimam myſteriis iſtis lucem afferentes. Adhæc auxilium, opémque ipſi ſuppeditant Fidei, ac jurisiurandi denique vice initiatum aſtringunt. Tam ſanctè de ſacris ſymbolis ſentimus. At verò viuificantis & ſanctificantis vim & virtutem tribuimus ei perpetuò, qui vita eſt, cui ſit laus in ſecula ſeculorum, Amen.

XXIII. Cœtus autem ſacros ſic peragendos eſſe cenſemus, vt ante omnia verbum Dei in publicum loco publico & ſacris deſtinato plebi quotidie proponatur. Scripturæ abdita per idoneos quotidie eruantur, ediſſerantúrque Sacra Euchariſtia celebranda piorum ſubinde Fides exerceatur, precationi pro omnibus omnium neceſſitudinibus aſſiduè inſtetur. Cæteras verò Cæremoniarum ambages inutiles ac innumerabiles, vaſa, veſtes, vela, faces, aras, aurum, argentum, quatenus peruertendæ Religioni ſeruiunt, idola præſertim, quæ ad cultum proſtant, & offenſionem præbent, ac id genus omnia profana à S. noſtro Cœtu procul arcemus.

XXIV. Arcemus item quotquot ab Eccleſiæ S. ſocietate diſſidentes aliena, impiáque dogmata vel ingerunt, vel ſectantur, quo malo Catabaptiſtæ hodie cum primis laborant, quos ſi obſtinatè monitioni Eccleſiæ & Chriſtianæ eruditioni non obſecundant, per magiſtratum coercendos, ne contagione gregem Dei inficiant, judicamus.

XXV. Quæ media vocantur & ſunt propriè, iis vti vir pius quanquam liberè vbique & ſemper poteſt, tamen ſcienter & ex charitate, nempe ad gloriam Dei & ad Eccleſiæ, proximorúmque ædificationem omnibus vtetur ſolum.

XXVI. Magiſtratus omnis à Deo cùm ſit, officium ejus, niſi Tyrannidem exercere libeat, præcipuum eſt, Religionem omni blaſphemiâ reprimendâ defendere & procurare, ac qualiter ex verbo Dei Propheta docet pro virili exequi: qua quidem in parte locum primũ pura atq; libera diuini verbi prædicatio, juuentutis, ciuium & ſcholarum recta & ſedula inſtitutio diſciplina juſta, Liberalis miniſtrorum Eccleſiæ pauperúmque ſollicita cura habet, quò omnes Eccleſiaſticæ facultates ſpectant. Deinde ſecundùm leges æquas diuináſque judicare populum, judicium & juſtitiam tueri, colere pacem publicam,

Remp. fouere, & sontes pro delicti ratione multare opibus, corpore, vita, quæ cùm facit debitum, Deo cultum præstat. Huic nos etiamsi liberi simus, & corpore & facultatibus omnibus nostris, & animi studio, vera cum fide, sanctè subjiciendos esse fidelitatem ac sacramentum præstare, quantisper hujus Imperia cum eo, propter quem hunc reueremur, palam non pugnant, scimus.

XXVII. Conjugium omnibus hominibus aptis & aliò non vocatis diuinitus institutum, nullius ordinis sanctimoniæ repugnare censemus. Quod vt Ecclesia hortatione solenni, precationéque inaugurat ac sancit: ita Magistratus interest, vt dignè & ineatur & colatur, nec nisi justa de causa soluatur. Proinde cœlibatum istum monasticum, & totum hoc ignauum vitæ genus superstitiosorum hominum abominabile commentum procul rejicimus, æquè & Ecclesiæ & Reipublicæ repugnans.

BASILIENSIS VEL MYLHVSIANA CONFESSIO FIDEI, ANNO M.D.XXXII.

Scripta Germanicè, Latine excusa 1561. & 1581.

I.

CREDIMVS in Deum patrem, in Deum Filium, in Deum Spiritum sanctum, sanctam diuinam Trinitatem: tres personas & vnum æternum Omnipotentem Deum secundum substantiam & essentiam, & non tres Deos. Probatur hoc ex multis locis totius scripturæ veteris & noui Testamenti.

Credimus etiam Deum omnia creasse per Verbum suum æternum: id est, per suum vnigenitum Filium: & omnia sustentare efficeréque per Spiritum suum, id est vi propria. Ideóque Deum, omnia, sicuti creauit, prouidere ac gubernare. Genes. 1. Ioan. 1. 1. Paralip. 29. Act. 2. Hinc confitemur Deum antequam mundum creasset, eos omnes elegisse, quos hæreditate æternæ beatitudinis donare vult. Rom. 8. 9. 11. Ephes. 1.

II. Confitemur hominem ab initio secundum Dei imaginem, justitiam, & sanctitatem à Deo integrè factum. Est autem sua sponte lapsus in peccatum: per quem lapsum totum humanum genus corruptum & damnationi obnoxium factum est. Hinc natura nostra vitiata est, ac in tantam propensionem ad peccatum deuenit, vt nisi eadem per Spiritum sanctum redintegretur, homo per se nihil boni faciat, aut velit. Gen. 3. & 5. & 6. & 8. Rom. 5. 1. Corint. 15. Ephes. 2. Ioan. 3. Rom. 3. Psal. 143.

III. Ac tametsi homo per eundem lapsum, damnationi obnoxius

& Dei

& Dei inimicus factus sit, Deum tamen curam generis humani nunquam deposuisse. Testantur hoc Patriarchæ, promissiones ante & post diluuium: lex item à Deo per Mosen lata: & sancti Prophetæ.

IV. Credimus ac confitemur constanter, Christum nobis tempore ad hoc ordinato, secundum promissionem Dei, à Patre datum, ac ita æternum Dei verbum, carnem factum esse: id est hunc filium Dei humanæ naturę in vna Persona vnitum, nostrum fratrem factum quo nos per eum participes fieremus hæreditatis Dei. Hunc Iesum Christum credimus conceptum à Spiritu sancto, natum ex pura intemerata Virgine Maria: passum sub Pontio Pilato: crucifixum & mortuum pro peccatis nostris. Atque ita vnica sui ipsius oblatione, Deo patri nostro cœlesti pro nostris & omnium fidelium peccatis satisfecisse, ac nos cum eo reconciliasse: sicque morte sua triumphum egisse & vicisse mundum, mortem & inferos. Ad hæc secundum carnem sepultum descendisse ad inferos, & tertia die resurrexisse à mortuis. His sufficienter comprobatis, ipsum corpore & anima in cœlos ascendisse, ibique sedere in dextera, id est in gloria Dei patris cœlestis: Inde venturum esse ad judicandum viuos & mortuos. Præterea discipulis suis vt promisit, suum sanctum Spiritum (in quem sicut & in Patrem & in Filium credimus) misisse.

V. Credimus sanctam Christianam Ecclesiam, id est, communionem sanctorum, congregationem fidelium in spiritu, quæ sancta & sponsa Christi est. In qua omnes illi ciues sunt qui verè confitentur IESVM esse CHRISTVM agnum Dei tollentem peccata mundi: atque eandem fidem per opera charitatis demonstrant.

In Ecclesia vsurpantur eadem Sacramenta, videlicet Baptismus, in introitu ad Ecclesiam: & Cœna Domini suo tempore insequentis vitæ: ad testificandum fidem & fraternam charitatem: sicut in Baptismo promissum est.

Christi Ecclesia omnem operam impendit vt vincula pacis & dilectionis in vnitate tueatur. Ideóque cum sectis & ordinum regulis ad discrimen dierum, ciborum, vestium & cæremoniarum compositis, nullo modo communicat.

VI. Præterea Deus Magistratui suo ministro, gladium & summam externam potestatem bonis ad defensionem, malis ad vindictam & pœnam, delegauit. Quilibet igitur Christianus magistratus (in quorum numero nos esse cupimus) omnes vires eò dirigit, vt apud suæ fideicommissos, nomen Dei sanctificetur, regnum ipsius propagetur, ipsiúsque voluntati cum seria extirpatione scelerum, viuatur.

Et ad marginem.

Hoc officium etiam Gentili Magistratui injunctum fuit, quantò magis Christiano Magistratui commendatum esse debet, vt vero Dei vicario? Rom. 13. 1. Pet. 2.

VII. Confitemur Dominum Iesum sanctam suam Cœnam insti-

tuisse ad memorandam sanctam suam passionem cum gratiarum actione,ad annunciandam mortem suam,atque ad testificandam Christianam charitatem & vnitatem cum vera fide. Et sicut Baptismo (in quo nobis ablutio à peccatis, quæ tamen à solo Patre, Filio & Spiritu sancto perficitur,per Ministrum Ecclesiæ offertur) vera aqua manet: ita etiam in Cœna Domini (in qua nobis cum pane & vino Domini, verum corpus & verus sanguis Christi per Ministrum Ecclesiæ præfiguratur,& offertur) panis & vinum manet. Credimus autem firmiter ipsummet Christum cibum esse credentium animarum ad vitam æternam , & nostras animas per veram fidem in crucifixum Christum , carne & sanguine Christi cibari & potari: ita vt nos, corporis sui,tanquam vnici nostri capitis membra in eo,& ipse in nobis viuat, quibus in nouissimo die per eum & in eo in æternum gaudium & beatitudinem resurgemus.

Et in marginali annotatione. Spiritualis namque cibus est,ideòque fideli animia percipitur;id est animæ saturæ,fortes,potentes,pacificæ, tranquillæ,hilares, & ad omnia agiles redduntur, sicut à corporali cibo corpus. Ita autem homo spirituale membrum,spiritualis corporis Christi,efficitur. Item confitemur Christum in sua sacra Cœna omnibus verè credentibus præsentem esse , Sacramentaliter nimirum,& per memorationem fidei, quæ hominis mentem ad cœlos attollit, nec Christum secundum humanitatem,à dextra Dei detrahat. Ioan.6.& 11.Ephes. 1.4.& 5.Col.1.

Non includimus autem naturale ; verum & substantiale corpus Christi ex pura virgine Maria natum , pro nobis passum , & quod in cœlos ascendit in Domini panem & potum. Itaque nec adoramus Christum in signis panis & vini , quæ communiter Sacramenta corporis & sanguinis Christi vocamus : sed in cœlis ad dexteram Dei patris, vnde venturus est ad judicandum viuos & mortuos. Coloss.3. Heb.1.& 10.Act.3.1.Tim.4.

VIII. Confitemur remissionem peccatorum per fidem in Iesum crucifixum. Et quamvis hæc per opera charitatis se sine intermissione exercet, exerit , atque ita probatur : attamen justitiam & satisfactionem pro peccatis nostris non tribuimus Operibus, quæ fidei fructus sunt : sed tantum veræ fiduciæ, & fidei in effusum sanguinem agni Dei. Ingenuè enim profitemur nobis in Christo qui est nostra justitia,sanctitas,redemptio,via,veritas,sapientia & vita,omnia dono data esse. Fiunt itaque opera fidelium , non vt satisfaciant pro peccatis suis; sed solummodo vt his Deo Domino nostro pro maximis beneficiis , nobis in Christo exhibitis , se aliquo modo gratos esse declarent.

Et in margine. Gratitudo consistit in remuneratione receptorum beneficiorum: Deo autem nihil rependi potest,quia nullius indiget. Respicimus ergo in ea quæ à nobis requirit. Hæc autem sunt fides,& opera charitatis. Fidem postulat sibi ipsi,charitatem proximo. Matth.24.25.1.Tim.4.

IX. Credi-

IX. Credimus vltimum judicium fore, in quo caro nostra resurget,& quilibet provt in hac vita egit,à Christo judice recipiet: videlicet vitam æternam,si ex vera fide, sincera dilectione fructus fidei qui sunt opera justitiæ edidit:& æternum ignem,si absque fide,sine charitate bonum vel malum patrauit.

X. Confitemur quod quemadmodum nemo mandare potest ea quæ Christus non mandauit:ita etiam nemo prohibere possit, quæ ipse non prohibuit.Scriptum est enim,Ipsum audite. *Matth.*17.*Luc* 9 *Deut.*18.*Act.*7.

Itaque cultum & inuocationem demortuorum, Sanctorum venerationem & extructionem idolorum, & id genus, improbamus. Ob hanc causam & Auricularem confessionem, Sanctorum ferias, & quæ eius generis ab hominibus exorta sunt: sicut contrà, Ministrorum matrimonium non prohibitum scimus.

Et rursus interdicere nemo potest quę Deus concessit.Cibis itaque cum gratiarum actione vti, nullo modo interdictum existimanus. *in margine. Deus dixit, Ego Iehoua Deus vester. Leuitic.* 13. *& per Mosen Deuteronom.* 10. *Iehoua enim Deus vester est Deus deorum, Deus magnus & terribilis. Quis ergo inter ipsius creaturas concedere posset quæ ipse prohibuit? Et rursus interdicere nemo potest quæ Deus concessit.*

Sanctos alioqui fatemur coram Deo esse, cum Christo regnare in æternum propterea quòd Christum agnouerunt, & tum operibus tum verbis confessi sunt esse suum Saluatorem, redemptionem & iustitiam sine vllo humani meriti additamento. Hinc laudamus & commendamus ipsos, tanquam eos qui gratiam à Deo consequuti, & iam hæredes regni æterni facti sunt: hoc tamen omne ad gloriam Dei & Christi referentes.

XI. Clarè protestamur nos peregrinas & erroneas doctrinas quas turbarum spiritus inter alias damnatas opiniones proferunt dicentes,In nullo casu iurandum esse,etsi gloria Dei & charitas proximi id requirant,&c.Magistratus Christianos esse non posse, cum omnibus aliis doctrinis quæ sanæ & puræ doctrinæ Iesu Christi aduersantur è diametro,non solùm non recipere,sed vt abominationes & blasphemias rejicere & damnare.

In margine.Suo tempore iuramento vti licet. Deus enim iussit hoc in Veteri Testamento:& in Nouo Christus non prohibuit, imò Christus & Apostoli iurarunt. Item in margine. Magistratus tum bonum Magistratum agit, quando verè Christianus est.

Postremò hanc nostram Confessionem judicio Sacræ Biblicæ Scripturæ subjicimus:eóque pollicemur,si ex prædictis Scripturis in melioribus instituamur, nos omni tempore Deo & sacrosancto ipsius verbo,maxima cum gratiarum actione obsecuturos esse.

GALLICARVM ECCLESIARVM CONFESSIO FIDEI CAROLO IX. REGI

Anno M.DLXI. EXHIBITA.

In Latinum conuersa, Anno Domini 1566. vt omnino constet eas puram Euangelij Domini nostri Iesu Christi doctrinam amplecti.

I.

CREDIMVS & agnoſcimus vnicum Deum, qui ſit vnica & ſimplex eſſentia ſpiritualis, ęterna, inuiſibilis, immutabilis, infinita, incomprehenſibilis, inenarrabilis, omnipotens, ſummè ſapiens, bona, iuſta, & miſericors. Deut. 4. 35. 39. & 6. 4. 1. Cor. 8. 4. 6. Gen. 1. Iohan. 4. 24. Exo. 3. 15. 16. Rom. 1. 20. 1. Tim. 1. 17. Mal. 3. 6. Rom. 11. 33. Ier. 10. 6. Luc. 1. 37. Rom. 16. 27. Matth. 19. 17. Ierem 12. 1. Exod. 34. 6.

II. Hic vnicus Deus talem ſe patefecit hominibus, primùm in operum ſuorum tum creatione, tum conſeruatione & gubernatione: deinde multò clariùs in Verbo ſuo, quod quidem initio certis quibuſdam viſis & oraculis Patribus patefecit: deinde verò iis libris perſcribi voluit quos ſacram Scripturam vocamus. Roman. 1. 19. Heb. 1. Exod. 24. Gen. 15.

III. Tota hæc ſacra Scriptura Canonicis veteris & noui Fœderis libris comprehenſa eſt, quorum hic eſt Catalogus.

Quinque libri Moſis, nempe Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. Ioſue, Iudices, Ruth. Samuelis libri 2. Regum libr. 2. Chronicon ſiue Paralipomenon libri 2. Eſdræ liber vnus. Nehemias Eſther. Iob. Pſalmi. Prouerbia Salomonis. Eccleſiaſtes. Canticum canticorum. Eſaias. Ieremias, cum Lamentationibus. Ezechiel. Daniel. Minores Prophetæ 12. nempe Oſeas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

Sanctum Ieſu Chriſti Euangelium ſecundum Matthæum, ſecun-

dum Marcum, ſecundum Lucam, ſecundum Ioannem. Acta Apoſtolorum. Epiſtolæ Pauli, nempe ad Romanos vna, ad Corinthios duæ, ad Galatas vna, ad Epheſios vna, ad Philippenſes vna, ad Coloſſenſes vna, ad Theſſalonicenſes duę, ad Timotheum duæ, ad Titum vna, ad Philemonem vna. Epiſtola ad Hebræos. Iacobi Epiſtola. Petri Epiſtolæ duæ. Ioannis Epiſtolæ tres. Iudæ Epiſtola vna. Ioannis Apocalypſis.

IV. Hos libros agnoſcimus eſſe Canonicos, id eſt, vt fidei noſtræ normam & regulam habemus, idque non tantum ex communi Eccleſiæ conſenſu, ſed etiam multo magis ex teſtimonio, & intrinſeca Spiritus ſancti perſuaſione: quo ſuggerente, docemur illos ab aliis libris Eccleſiaſticis diſcernere, qui, vt ſint vtiles, non ſunt tamen eiuſmodi, vt ex iis conſtitui poſſit aliquis fidei articulus. Pſalm. 12.7. & 19.8.

V. Credimus Verbum his libris comprehenſum ab vno Deo eſſe profectum, quo etiam vno, non autem hominibus, nitatur ipſius authoritas. Quúmque hæc ſit omnis veritatis ſumma, complectens quicquid, ad cultum Dei & ſalutem noſtram requiritur, neque hominibus, neque ipſis etiam Angelis fas eſſe dicimus quicquá ei Verbo adjicere vel detrahere, vel quicquam prorſus in eo immutare. Ex hoc autem efficitur neque antiquitatem, neque conſuetudines, neque multitudinem, neque humanam ſapientiam, neque judicia, neque edicta vel decreta vlla, neque Concilia, neque viſiones, neque miracula, Scripturæ illi Diuinę opponere licere: ſed potius omnia ad eius regulam & præſcriptum examinari & exigi oportere. 2. Tim. 3. 16. 2. Pet 1. 2. Ioan. 3. 31. & 15. 11. Act. 20. 27. & 5. 28. Deut. 4. 2. & 12. 32. Gal. 1. 8. Apoc. 22. 18. Matt. 15. 9. Quamobrem etiam tria illa Symbola, nempe Apoſtolicum, Nicœnum, & Athanaſianum, idcirco approbamus, quòd ſint illi verbo Dei ſcripto conſentanea.

VI. Hæc ſancta Scriptura nos docet in illa ſingulari & ſimplici eſſentia Diuina ſubſiſtere tres perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum: Patrem videlicet primam ordine cauſam & originem rerum omnium: Filium autem ejus Sapientiam & Verbum æternum: Spiritum ſanctum eiuſdem virtutem, potentiam & efficaciam, Filium ab æterno ex Patre genitum. Spiritum ſanctum ab æterno ex Patre & Filio procedentem: quæ tres perſonæ non ſint confuſæ, ſed diſtinctę, nec tamen ſeparatæ, ſed coeſſentiales, coæternæ, & coæquales. Deuter. 4. 12. Matth. 28. 19. 1. Ioan. 5. 7. Ioan. 1. 1. & 17. 5. 10. Denique in hoc myſterio approbamus quod vetera illa quatuor Concilia determinarunt: & omnes ſectas à vetuſtis illis ſanctis doctoribus, veluti Athanaſio, Hilario, Cyrillo, Ambroſio, & cæteris ex Dei verbo damnatas, deteſtamur.

VII. Credimus Deum, cooperantibus tribus Perſonis, ſua virtute, ſapientia ac bonitate incomprehenſibili, condidiſſe vniuerſa, id eſt,

non

non tantum cœlum & terram, omniáque iis contenta, sed etiam inuisibiles spiritus, quorum alij in exitium præcipites ceciderunt, alij in obedientia perstiterunt. Itaque illos quidem dicimus, vt sunt suapte malitia deprauati, esse omnis boni, ac proinde totius Ecclesiæ perpetuos hostes: hos verò mera Dei gratia conseruatos, ministros esse illius gloriæ, & electorum salutis, Gen.1. Ioan.1.3. Col.1.16. Heb.1.2. 2.Pet.2.4. Iudæ 6. Psal.103.20.21. Iohan.8.44. Heb.1.7.14.

VIII. Credimus Deum omnia non tantum creasse, sed etiam regere & gubernare, vt qui pro sua voluntate disponat & ordinet quicquid in mundo euenit. Negamus tamen illum esse authorem mali, aut eorum quæ perperam fiunt vllam culpam in ipsum transferri posse, quum ipsius voluntas sit summa & certissima omnis justitiæ norma. Habet autem ipse admirabiles potius quàm explicabiles rationes, ex quibus sic vtitur diabolis omnibus & peccantibus hominibus, tanquam instrumentis, vt quicquid illi malè agunt, id ipse sicut justè ordinauit, sic etiam in bonum conuertat. Itaque dum confitemur nihil prorsus non interueniente ipsius prouidentia & ordinatione fieri, humiliter adoramus arcana nobis occulta, neque in ea quæ captum nostrum superant inquirimus. Imò verò vsui nostro applicamus quod Scriptura quietis & tranquillitatis nostræ causa docet. Deum videlicet, cui res omnes subjectæ sint, paterna solicitudine pro nobis excubare, adeò vt ne pilus quidem capitis nostri defluat, absque ejus voluntate: Satanam autem & omnes nostros aduersarios sic tenere constrictos, vt nisi potestate ipsis facta, ne tantillum quidem nobis incommodare possint, Psal.103. Prou.16.4. Matt.10.29. Act.17.24. Rom.9.11. Oseæ 13.9. 1.Ioan.2.16. Psal.5.& 11. Iob.1.6.21. Act.2.23. Rom. 9.19.& 11.33. Matt.10.30. Luc.21.18. Gen.3.15.

IX. Credimus hominem creatum purum & integrum, & imagini Dei conformem sua ipsius culpa excidisse à gratia quam acceperat, ac proinde seipsum à Deo omnis justitiæ & bonorum omnium fonte abalienasse, adeò vt ipsius natura sit prorsus corrupta, & spiritu excæcatus, ac corde deprauatus omnem illam integritatem, sine vlla prorsus exceptione, amiserit. Etsi enim nonnullam habet boni & mali discretionem: affirmamus tamen quicquid habet lucis mox fieri tenebras; quum de quærendo Deo agitur, adeò vt sua intelligentia & ratione nullo modo possit ad eum accedere. Item, quamvis voluntate sit præditus, qua ad hoc vel illud mouetur, tamen quum ea sit penitus sub peccato captiua, nullam prorsus habet ad bonum appetendum libertatem, nisi quam ex gratia & Dei dono acceperit, Gen. 1.26. Eccl.7.30. Gen.6.5.& 8.21. Rom.5.12. Eph.2.2.3. Rom.1.21.& 2.18.19. 1.Cor.2.14. Ioan.1.4.& 8.36.

X. Credimus totam Adami sobolem hac contagione infectam esse quam peccatum originale vocamus, vitium videlicet ex propagatione manans, non autem ex imitatione duntaxat, sicut Pelagiani

senserunt, quorum omnes errores detestamur. Nec putamus necessarium esse inquirere quinam possit hoc peccatum ab vno ad alterum propagari. Sufficit enim quæ Deus Adamo largitus erat,non ipsi soli sed etiam toti ipsius posteritati fuisse data: ac proinde nos in ipsius persona omnibus illis bonis spoliatos, in omnem hanc miseriam & maledictionem incidisse, Genes.6.5.& 8.21.Iob.14.4.Matth.15.19.Rom. 5.12.Ephes.2.1.

XI. Credimus hoc vitium esse verè Peccatum,quod omnes & singulos homines,ne paruulis quidem exceptis adhuc in vtero matrum delitescentibus, æternæ mortis reos coram Deo peragat. Affirmamus quoque hoc vitium, etiam post Baptismum, esse verè peccatum, quod ad culpam attinet, quamvis qui filij Dei sunt, minimè idcirco condemnentur, quoniam videlicet Deus pro gratuita sua bonitate & misericordia, illud ipsis non imputat. Dicimus præterea hanc peruersitatem semper edere fructus aliquos malitiæ & rebellionis,adeò vt etiam qui sanctitate excellunt, quamvis ei resistant, multis tamen infirmitatibus & delictis sint contaminati quandiu in hoc mundo versantur, Psal. 51.7. Roman.3.9. & 5.12. & 7.7.18. 2. Corinth. 12.7.

XII. Credimus ex hac corruptione & damnatione vniuersali, in qua omnes homines natura sunt submersi, Deum alios quidem eripere, quos videlicet æterno & immutabili suo consilio sola sua bonitate & misericordia, nulloque operum ipsorum respectu in Iesu Christo elegit: alios verò in ea corruptione & damnatione relinquere, in quibus nimirum justè suo tempore damnandis justitiam suam demonstret, sicut in aliis diuitias misericordiæ suæ declarat. Nec enim alij alijs sunt meliores,donec illos Deus discernat ex immutabili illo consilio, quod ante seculorum creationem in Iesu Christo determinauit:neque posset quisquam sua vi sibi ad bonum illud aditum patefacere, quum ex natura nostra ne vnum quidem rectum motum, vel affectum seu cogitationem habere possimus,donec nos Deus gratis preueniat,& ad rectitudinem formet,Rom.9.23.& 3.2.& 9.22.Eph. 1.4.2.Tim.1.9.& 2.20.Tit.3 4.Exod.9.16.Ierem.10.23.

XIII. Credimus quicquid ad salutem nostram requiritur, nobis in vno demum illo Iesu Christo offerri & communicari,vt qui,quum nobis seruandis sit datus,simul etiam sit nobis factus Sapientia,Iustitia, Sanctificatio, & Redemptio, adeò vt quicunque ab eo declinat, misericordiæ Patris, id est vnico refugio nostro renunciet, 1. Cor.1.30. Eph.1.6.7 Coloss.1.13.14 Tit.2.14.

XIV. Credimus Iesum Christum,Sapientiam,& Filium æternum Patris, naturam nostram assumpsisse, ita vt vna sit persona Deus & Homo, homo, inquam, & corpore & anima passibilis, nobisque per omnia, excepto peccato, similis, vtpote cujus caro sit verè semen Abrahæ & Dauidis,quamvis arcana & incomprehensibili Spiritus sancti virtu-

cti virtute fuerit suo tempore in vtero beatæ illius Virginis conce-pta. Ac proinde omnes illas hæreses quibus olim turbatæ sunt Ecclesiæ, vt illi veritati contrarias detestamur, ac nominatim quidem diabolicas Serueti imaginationes, Domino nostro Iesu Christo imaginariam Deitatem tribuentis: vt quem videlicet dicat idæam & exemplar fuisse rerum omnium, & Filium Dei personatum siue figuratiuum appellat: denique corpus ei fabricantis ex tribus increatis elementis compactum, ac proinde vtranque naturam miscentis ac destruentis, Ioan.1.14. Phil.2.6. Hebr.2.17. & 4.15. Act.13.25 Rom.1.3. & 8.3. & 9.5. 2. Cor.5.21. Phil.2.7. Matt.1.8. Luc.1.35.

XV. Credimus in vna eademque persona, quæ est Iesus Christus; verè & inseparabiliter duas illas naturas sic esse conjunctas, vt etiam sint vnitæ: manente tamen vnaquaque illarum naturarum in sua distincta proprietate, ita vt quemadmodum in ista conjunctione, Diuina Verbi natura proprietates suas retinens, mansit increata, infinita, & omnia replens: sic etiam natura humana manserit mansuraque sit in æternum, finita, suam illam naturalem formam, dimensionem, atque adeò proprietatem habens, cui nimirum veritatem humanæ naturæ non ademerit resurrectio, & glorificatio, siue assumptio ad dexteram Patris. Itaque sic Christum consideramus in sua Deitate, vt ipsum sua Humanitate non spoliemus, Matth.1.23. Luc.1.35. Ioan.2.14. Tim.2.5. & 3.16. Luc.24.38. Rom.1.4. Phil.2.9.

XVI. Credimus Deum immensam suam in nos charitatem ac bonitatem in eo demonstrasse, quòd Filium miserit, qui moreretur & resurgeret, & justitiam omnem impleret, vt nobis cœlestem vitam acquireret, Ioan.3.16. & 15.3.

XVII. Credimus eo vnico sacrificio, quod Iesus Christus in cruce obtulit, nos esse Deo reconciliatos, vt pro justis reputemur coram ipso, quoniam non possumus ipsi esse grati, neque adoptionis nostræ fructu potiri, nisi quatenus peccata nobis ignoscit. Itaque testamur Iesum Christum esse integram & perfectam nostram ablutionem, in cujus morte plenam satisfactionem nanciscimur, qua liberemur ab omnibus peccatis quorum rei sumus, & à quibus absolui alio remedio non possumus, 2. Corint.5. Hebr.5.7.1. Pet.1.24.25. & 1.18.19. Hebr. 9.14.

XVIII. Credimus totam nostram justitiam positam esse in peccatorum nostrorum remissione, quæ sit etiam, vt testatur Dauid, vnica nostra felicitas. Itaque cæteras omnes rationes quibus homines existimant se coram Deo posse justificari, planè repudiamus, omnique statutum & meritorum opinione abjecta, in sola Iesu Christi obedientia prorsus acquiescimus, quæ quidem nobis imputatur, tum vt tegantur omnia nostra peccata, tum etiam vt gratiam coram Deo nanciscamur. Denique credimus non posse nos, si vel tantillum ab hoc fundamento declinemus, reperire vbi conquiescamus, sed po-

tius inquietos semper fore, quoniam pacem cum Deo habere non possumus, donec certò nobis sit persuasum, nos in Iesu Christo diligi, quoniam in nobis ipsis omni odio digni sumus, Ps.32. Rom. 4.7.2. Cor.5.19.20. Act.4.12. Rom.5.19.1. Tim.2.5.1. Ioan.2.1.

XIX. Credimus nos hac vna ratione libertatem obtinere Dei inuocandi, certa cum fiducia futurum, vt sese nobis Patrem demonstret. Nec enim vllus nobis ad Patrem aditus nisi hoc Mediatore, patet: atque, vt in ejus nomine exaudiamur, conuenit vt ab eo vitam nostram tanquam à capite nostro teneamus, Rom.5.10. & 8.15. Gal.4.6. Ephes.3.12.

XX. Credimus nos sola fide fieri hujus justitiæ participes, sicut scriptum est ipsum passum esse acquirendæ nobis saluti, vt quicunq; crediderit in eum non pereat. Hoc autem ideo fit quòd promissiones vitæ, nobis in ipso oblatæ, tunc vsui nostro applicantur, & nobis redduntur efficaces quum eas amplectimur, nihil ambigentes nobis obuentura de quibus ore Dei certiores simus. Itaque justitia quam fide obtinemus, pendet à gratuitis promissionibus, quibus nos à se diligi Deus declarat & testificatur, Rom.3.27. Gal.2.16. & 3.24. Ioan.3.15.16. Matth 17.10. Rom.1.17. & 3.24.25.

XXI. Credimus nos arcana sancti Spiritus gratia donari fidei lumine, quæ sit gratuitum Dei donum, & iis vnis proprium quib. Deo libuit illud tribuere, vt non habeant fideles de quo in seipsis glorientur, quum potius duplo sint obligatiores quòd cæteris præferantur. Sed & illud credimus, fidem electis dari, non vt semel tantùm in rectam viam introducantur, quin potius vt in ea ad extremum vsque pergant, quia sicut à Deo initium est, ita etiam est complementum, Ephes.1.18. & 2.8.1. Thessalonis.1.5. 2.Pet.1.3.1. Corinth.1.8. Phil.1.6. & 2.1.

XXII. Credimus nos qui natura serui sumus peccati, hac eadem fide intercedente in nouam vitam regenerari. Recipimus autem per fidem hanc sanctè viuendi gratiam, dum promissionem illam Euangelicam amplectimur, quòd daturus sit nobis Dominus Spiritum sanctum. Tantùm abest igitur, vt benè & sanctè viuendi studium fides extinguat, vt etiam illud cieat, & inflammet in nobis, vnde bona opera necessariò consequuntur. Cæterum quamvis Deus vt nos plenè seruet, regeneret nos, & ad sanctam vitam formet: tamen profitemur bona opera, quæ duce ipsius Spiritu edimus, non respici à Deo, vt per ea justificemur, aut Filij Dei censeri mereamur, quoniam perpetua dubitatione & trepidatione fluctuaremus, nisi satisfactione illa niteremur, per quam nos omni noxæ Iesus Christus exemit, Rom.6. & 7. Coloss.2. 3. & 3.10. Petr.1.3. Galat.5.6. Iac.2.14. 1. Iohan.2.3. & 3.3. & 3.18. Deuteron.30.6. Ioan. 3.5. Psalm.16.2. Luc.17.10. Romanor.4.1. Tit.3.3.

XXIII. Credimus omnes Legis figuras aduentu Iesu Christi sublatas esse,

latas esse,quamvis earum veritas & substantia nobis in eo constet in quo sunt omnes impletæ. Legis tamen doctrina,& Prophetis nobis vtendum est,tum ad vitam nostram formandam, tum vt eò magis in promissionibus Euangelicis confirmemur,Rom. 10.4. Gal.3.& 4.Col. 2.17.1.Tim.3.16.2.Pet.1.19.

XXIV.Credimus,quoniam Iesus Christus datus est nobis vnicus aduocatus,qui etiam præcipit vt ad Patrem suo nomine confidenter accedamus,neque nobis licet alia forma preces concipere,nisi ea quā nobis Deus verbo suo dictauit: quicquid homines de mortuorum sanctorum intercessione commenti sunt, nihil aliud esse quàm fraudem & fallacias Satanæ,vt homines à recta precandi forma abduceret.Repudiamus etiam quæcunque alia media excogitarūt homines vt sese iræ diuinæ eximant, vtpote quæ sacrificio & morti Iesu Christi tantundem derogent, quantum illis tribuitur. Denique Purgatorium arbitramur figmentum esse ex eadem officina profectum: vnde etiam manarunt vota monastica, peregrinationes, interdicta matrimonii,& vsus ciborum, ceremonialis certorum dierum obseruatio, confessio auricularis indulgentiæ, cæteræque res omnes eiusmodi, quibus opinantur quidam se gratiam & salutem mereri. Ea verò omnia non tantùm rejicimus, propter falsam meriti opinionem ipsis adiunctam,sed etiam quoniam sunt humana commenta & jugum ex hominum authoritate conscientiis impositum, 1. Tim. 2.5.1 Ioan.2.1. Ioan.16.23 Matt.6.9. Luc.11.2.Act.10.25.14.15. Apoc.19.10. Matt.15.11. Rom.14.Gal.4.9.Col.1.16.1.Tim.4.

XXV.Credimus quoniam non nisi per Euangelium simus Christi compotes, oportere sacram & inuiolabilem εὐταξίαν eius authoritate in Ecclesia sancitam conseruari: ac proinde requiri in Ecclesia Pastores quibus onus docendi Verbi & administrandorum Sacramentorum incumbat,quos etiam honore prosequi & reuerenter audire oporteat siquidem legitimè vocati officio suo fungantur: minimè id quidem quasi Deus eiusmodi adminiculis, & subsidiis inferiorib. egeat,sed idcirco potius,quoniam ita illi videtur nos hoc veluti fræno adhibito regere. Itaque fanaticos illos omnes detestamur, qui quantum in se est, sacrum ministerium,siue prædicationem verbi & administrationem sacramentorum,abolita cupiunt,Romanor.1.16.& 10.17.Matt.18.20.Ephes.5.22.& 4.11.Mat.10.40.Ioan. 13.20.Roman.10. 14.& 5.

XXVI.Credimus igitur nemini licere,sese cœtibus subducere,& in seipso acquiescere,sed potius omnibus simul tuendā & conseruandam esse Ecclesiæ vnitatem,sese communi institutioni & jugo Christi subjiciendo,vbicunque Deus veram illam disciplinam Ecclesiasticam constituerit, etiamsi Magistratum edicta reclament, à quo ordine quicunque seipsos seiungunt, ordinationi Dei resistunt, Ps.5.& 42.Eph.4.11.Heb 10.25.Act.4.19.& 5.29.

XXVII. Credimus summo studio & prudentia discernendam esse veram Ecclesiam, cujus nomine nimium multi abutuntur. Itaque affirmamus ex Dei verbo, Ecclesiam esse fidelium cœtum qui in verbo Dei sequendo, & pura religione colenda consentiunt, in qua etiam quotidie proficiunt, crescentes & confirmantes se mutuò in Dei timore, vt qui quotidiano progressu & profectu indigeant, quos etiam, quantuncumque promoueant, oporteat tamen assiduè ad remissionem peccatorum confugere. Minimè tamen inficiamur quin fidelibus hypocritæ & reprobi multi sint permixti, sed quorum malitia Ecclesiæ nomen delere non possit. Ier. 7. 4. 8. 11. Matth. 3. 9. & 7. 22. Eph. 2. 20. & 4. 11. 1. Tim. 3. 15. Rom. 3. 24. & 5. Matth. 13. 3. 2. Tim. 18.

XXVIII. Itaque dum hoc ita esse credimus, simul etiam palàm affirmamus, vbi verbum Dei non recipitur, nec vlla est professio obedientiæ quę illi debetur, nec vllus sacramentorum vsus, ibi, propriè loquendo, non posse nos iudicare vllam esse Ecclesiam. Papisticos igitur conuentus damnamus, quòd pura Dei veritas ab illis exulet, in quibus etiam sacramenta fidei corrupta sunt, adulterata, falsificata, vel penitus etiam abolita, in quibus denique omnes superstitiones & idolomaniæ vigent. Ac proinde arbitramur omnes eos qui sese eiusmodi actionibus adiungunt, & iis communicant, à Christi corpore seipsos separare: Quia tamen in Papatu exigua quædã Ecclesię vestigia, ac pręsertim Baptismi substantia remansit cuius etiam efficacia ab eo non dependet à quo administratur, fatemur illic baptizatos, secundo baptismo non egere, quamvis propter admixtas corruptiones nemo baptizandos illic infantes offerre possit, quin seipsum polluat, Matt. 10. 14. Ioan. 10. 4. 1. Cor. 3. 9. & 6. 14. Matt. 3. 11. & 28. 19. Marc. 1. 8. Act. 1. 5.

XXIX. Credimus veram Ecclesiam gubernari debere ea politia siue disciplina quam Dominus noster Iesus Christus sanciuit, ita videlicet vt in ea sint pastores, presbyteri, siue Seniores, & diaconi, vt doctrinę puritas retineatur, vitia cohibeantur, pauperibus & reliquis calamitosis, provt opus est, consulatur, & sacri cœtus ædificandis tum paruis tum magnis habeantur, Actor. 6. 4. Ephes. 4. 11. 1. Tim. 3. 1. Tit. 1. 5.

XXX. Credimus omnes veros Pastores, vbicunque locorum collocati fuerint, eadem & æquali inter se potestate esse præditos sub vnico illo capite, summóque & solo vniuersali Episcopo Iesu Christo: ac proinde nulli Ecclesiæ licere sibi in aliam imperium aut dominationem vendicare. Matt. 20. 26. & 18. 2. 2. Cor. 1. 27. 1. Pet. 5. 3.

XXXI. Credimus nulli fas esse suapte authoritate inuadere Ecclesiæ gubernacula, sed legitima electione quoad eius fieri potest, & quandiu Dominus eius rei potestatem facit, præeunte, adscisci vnumquemque oportere. Addimus autem nominatim illam exceptionem, quoniam interdum, vt nostris etiam temporibus, interrupto Ec-

clesiæ

clesiæ statu, necesse fuit nonnullos extra ordinem Diuinitus excitari,qui Ecclesię collapsæ ruinas instaurarent. Vtcunque sit tamen,credimus semper sequendam esse hanc normam,vt omnes Pastores,Seniores, & Diaconi suæ vocationis testimonium habeant, Matth.28. 10.16.Marc. 16.15.Ioan. 15.16. Act.1.21. Rom. 10.15.Tit.1.5. Galat.1.15.1. Timot.3.7.8.

XXXII. Credimus expedire,vt qui electi sunt,Ecclesiæ alicuius præfecti, inter se dispiciant, qua ratione totũ corpus cõmodè regi possit. Ita tamen vt ab eo quod Dominus noster Iesus Christus instituit nusquam deflectant.Hoc autem non impedit quominus quędam singulis locis peculiaria sint instituta, provt commodum visum fuerit.Act.14.23.15.& 6.7.25.28.1.Cor.14.40.1.Pet.5.

XXXIII. Excludimus autẽ humana omnia commenta, & leges omnes quę,cultus Dei prætextu,astringendis conscientijs inuehuntur,& eas tantum admittimus quæ fouendę concordię, & vnicuique in obedientia debita retinendo subseruiunt, qua in re sequendum nobis putamus, quod Dominus noster Iesus Christus de Excommunicatione statuit,quam quidem approbamus,& vnà cum suis appendicibus necessariam esse arbitramur.Rom.16.17.

XXXIV. Credimus adiuncta esse verbo Sacramenta, amplioris confirmationis causa, gratiæ Dei nimirum pignora & tesseras, quibus infirmæ & rudi fidei nostræ subueniatur.Fatemur enim talia esse signa hæc exteriora, vt Deus per illa, sancti sui Spiritus virtute, operetur, ne quicquam ibi frustra nobis significetur. Arbitramur tamen omnem illorum substantiam & veritatem esse in Christo Iesu, à quo si separentur, nihil sint quàm inanes vmbræ & fumi.

XXXV. Agnoscimus duo tantùm Sacramenta toti Ecclesiæ communia, quorum prius est Baptismus, nobis testificandæ nostræ adoptioni datus,quoniã in eo inserimur Christi corpori, vt eius sanguine abluti,simul etiam ipsius Spiritu ad vitæ sanctimoniam renouemur.Illud etiam dicimus, quanvis non nisi semel baptizemur, fructum tamen Baptismi ad totius nostræ vitæ cursum pertinere,vt certo stabilique sigillo in nobis obsignetur hęc promissio,Christum semper nobis fore sanctificationem & iustificationem, Præterea quamvis Baptismus sit fidei & resipiscentiæ sacramentum, tamen quum vnà cum parentibus posteritatem etiam illorum in Ecclesia Deus recenseat,affirmamus infantes sanctis parentibus natos,esse ex Christi authoritate baptizandos. Act.12.16.Rom.6.3.Tit.3.5. Matt.3.11.Marc.16. 16. Matt.19.14.1.Cor.7.14.

XXXVI. Affirmamus sanctã Cœnã Domini, alterũ videlicet Sacramẽtum, esse nobis testimonium nostræ cum Domino nostro Iesu Christo vnitionis,quoniam non est duntaxat mortuus semel & excitatus à mortuis pro nobis,sed etiã verè nos pascit & nutrit carne sua

& ſanguine, vt vnum cum ipſo facti vitam cum ipſo communem habeamus. Quamvis enim nunc ſit in cælis, ibidem etiam manſurus, donec veniat mundum judicaturus: credimus tamen eum arcana & incomprehenſibili Spiritus ſui virtute nos nutrire & viuificare ſui corporis & ſanguinis ſubſtantia per fidem apprehenſa. Dicimus autem hoc ſpiritualiter fieri, non vt efficaciæ & veritatis loco, imaginationẽ aut cogitationem ſupponamus: ſed potius, quoniam hoc myſterium noſtrę cum Chriſto coalitionis tam ſublime eſt, vt omnes noſtros ſenſus totúmque adeò ordinem naturæ ſuperet: denique quoniam cùm ſit diuinum ac cæleſte, non niſi fide percipi & apprehendi poteſt.

XXXVII. Credimus, ſicut antea dictum eſt, tam in Cœna quàm in Baptiſmo, Deum nobis reipſa, id eſt, verè & efficaciter donare quicquid ibi ſacramentaliter figurat, ac proinde cum ſignis conjungimus veram poſſeſſionem ac fruitionem ejus rei, quæ ibi nobis offertur. Itaque affirmamus eos qui ad ſacram menſam Domini puram fidem tanquam vas quoddam afferunt, verè recipere quod ibi ſigna teſtificantur, nempe corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti, non minus eſſe cibum ac potum animæ, quàm panis & vinum ſunt corporis cibus. Ioan.6.51.1.Cor.11.24.

XXXVIII. Dicimus itaque elementum aquæ, quantumvis caducum, nobis nihilominus verè teſtificari interiorem animi noſtri ablutionem in ſanguine Ieſu Chriſti per ſancti Spiritus efficaciam. Rom.6.3.Eph.5.16. Itémque panem illum, & vinum illud quod nobis in Cœna datur, verè nobis fieri ſpirituale alimentum, quatenus videlicet velut oculis noſtris ſpectandum præbent carnem Chriſti noſtrum cibum eſſe, & ejuſdem ſanguinem nobis eſſe potum. Itaque fanaticos illos omnes rejicimus, qui hæc ſigna & ſymbola repudiant, cùm Chriſtus Dominus noſter pronuntiarit, Hoc eſt corpus meum, & Hoc poculum eſt ſanguis meus. Ioan.6.51.1.Cor.1.24.& 11.24.

XXXIX. Credimus Deum velle mundum legibus & politia gubernari, vt aliqua ſint fræna quibus immoderatæ mundi cupiditates coerceantur: ideóq; conſtituiſſe Regna, Reſpublicas, & reliquas principatuum ſpecies, ſiue hæreditario jure obueniant, ſiue minus: neque id duntaxat, ſed etiam quicquid ſpectat ad ſtatum Iuſtitiæ, quam vocant, cujus author agnoſci poſtulat. Ideò etiam gladium in Magiſtratuum manus tradidit, reprimendis nimirum delictis, non modò contra ſecundam Tabulam, ſed etiam contra primam commiſſis. Oportet igitur propter illum hujus ordinis authorem non tantùm pati vt ij dominentur quos ille nobis præfecit, ſed etiam honore & omni reuerentia eos proſequi, tanquam ejus legatos ac miniſtros, ad legitimum & ſanctum munus obeundum ab ipſo deſignatos. Exod.18.20. Matth.17.24.Rom.13.1.1.Pet.2.13.1.Tim.2,2.

XL. Affirmamus ergo parendum eſſe legibus & ſtatutis, ſoluenda tributa, & reliqua onera perferenda, ſubjectionis denique jugum voluntariè

luntariè tolerandum, etiam si infideles fuerint Magistratus, dummodo Dei summum imperium integrum & illibatum maneat. Matt. 17. 24. Act. 4. 17. & 5. 29. Iudæ vers. 8. Itaque detestamur omnes eos, qui dominationes repudiant, communitatem & confusionem bonorum inuehunt, omnem denique iuris rationem euertere moliuntur.

FINIS.

Quemadmodum in multis aliis Confessionibus, adscripta sunt nomina eorum qui eas approbarunt: ita in hac apponimus Gallica verba eorum, qui eam confirmarunt, ex ipso autographo desumpta: vt cognoscatur quàm sanctè constituta, quanta authoritate & à quantis qui ei subscripsère, sancita fuerit.

CEste Confession de foy des Eglises Reformees du Royaume de France arrestee au premier Synode National tenu à Paris le 19. May 1569. regnant lors Henri II. & depuis presentee à Charles IX. par la grace de Dieu Roy de France, à Poissi l'an 1561. Apres auoir esté leuë au Synode National assemblé à la Rochelle, il a esté declaré par ledit Synode representant toutes les Eglises de ce Royaume, Que toutes lesdites Eglises Françoises approuuent & ratifient la sus-escrite Confession en tous ses chefs & articles: comme estant entierement fondée sur la pure & expresse parole de Dieu. Et en tesmoignage de ce consentement, ladite Confession de foy a esté signee par les Ministres & Anciens deputez des prouinces de ce Royaume au nom desdites Eglises. Et furent presens audit Synode tenu à la Rochelle, Ieanne par la grace de Dieu Royne de Nauarre: hauts & puissans Princes Henry Prince de Nauarre, Henri de Bourbon Prince de Condé, tres-illustre Prince Louys Conte de Nassau, Messire Gaspard Conte de Coligni Amiral de France, & plusieurs Seigneurs, Gentilhommes & autres personnes. Faict à la Rochelle le 13. Auril, l'an de grace mil cinq cents & soixante & vnze.

Iehanne.

Henry.

Henry de Bourbon.

Louys de Nassau.

Chastillon.

Theodore de Besze esleu pour conduire l'action du Synode. Chandieu, pour le Lyonnois & Bourgongne. Nicolas des Gallars. Iean Lyeuin pour l'isle de France & la Picardie. Lemaison pour Touraine, Aniou, le Mayne & Ven-

dosinois. Delescourre pour la Normandie. Payan pour le bas Languedoc. Claude du Moulin pour Poictou. Guillemot pour Poictou. Doyseau pour Bretaigne. Digne de Bergemont pour Perigort & Lymosin. Arnaud Banc dit la Source, pour le Quercy, Rouërgue, &c.

Odet de Nort, deputé pour les Eglises de Xaintonge. Desouches deputé pour Orleans & Berri. Morange pour l'Auuergne. Dumont pour Angoulmois.

Raymonet Ancien. Montein Ancien. Couffeau Diacre de Niort. Lyene Ancien. La Borde Diacre. Martin Diacre. Berrende Ancien pour Quercy & Rouërgue. Pontemer Ancien & deputé d'Angoulmois. Perochon Ancien pour Xaintonge.

De L'estang secretaire esleu. De la Rogeraye secretaire esleu.

ANGLI-

ANGLICA CONFESSIO FIDEI, QVÆ EXTAT IN APOLOGIA ECCLESIÆ ANGLICANÆ INTER OPERA magni Theologi Iohannis Iuelli Episcopi Sarisburiensis, edita anno Domini 1562.

CREDIMVS vnam quandam naturam esse & vim diuinam, quam appellamus Deum, eámque in tres personas æquales distinctam esse, in Patrem, in Filium, in Spiritum Sanctum ejusdem omnes potestatis, ejusdem majestatis, ejusdem Æternitatis, ejusdem Diuinitatis, ejusdem Substantiæ. Et quamvis tres illæ Personæ ita distinctæ sint, vt nec Pater sit Filius, nec Filius sit Spiritus Sanctus aut Pater: Deum tamen esse vnum, & vnum illum creasse cœlum, & terram, & omnia quę cœli complexu continentur.

Credimus Iesum Christum Filium vnicum æterni Patris, quemadmodum iam olim ante omnia initia decretum fuerat, cum venisset plenitudo temporis, suscepisse carnem & omnem naturam humanam, Ex Beata illa & pura Virgine vt indicaret hominibus arcana, & reconditam voluntatem Patris sui, quæ abdita fuerat à seculis & generationibus, vtque in humano corpore perageret Mysterium redemptionis nostræ, & peccata nostra, & Syngrapham illam quæ erat scripta contra nos affigeret ad crucem Gal. 4.

Eum credimus nostra causa esse mortuum, sepultum, descendisse ad inferos, tertia die vi diuina redijsse ad vitam, & resurrexisse, post quadraginta dies spectantibus discipulis, ascendisse in cœlum, vt impleret omnia, & corpus illud ipsum, in quo natus, in quo versatus, in quo ludibrio habitus, in quo grauissimos cruciatus, & dirum genus mortis passus fuerat, in quo resurrexerat, in quo ascenderat ad Patris dexteram, supra omnem principatum & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, in Maiestate & gloria collocasse: Ibi eum nunc sedere, & sessurum esse, donec omnia perficiantur. Et quamvis

Maiestas & Diuinitas Christi vbique diffusa sit, tamen corpus eius, vt Augustinus ait, in vno loco esse oportere: Christum corpori suo Maiestatem dedisse, naturam tamen corporis non ademisse: neque ita asserendum esse Christum Deum, vt eum negemus esse hominem. Vtque ait martyr Vigilius: Christum humana sua natura nos reliquisse: diuinitate autem non reliquisse: eúmque cùm absit à nobis per formam serui, tamen semper esse nobiscum per formam Dei.

Ab illo loco credimus Christum rediturum esse ad exercendum publicum illud judicium, tam de illis quos inueniet adhuc in corpore superstites, quàm de mortuis.

Credimus Spiritum S. qui est tertia persona in sacra Triade, illum verum esse Deum: non factum, non creatum, non genitum, sed ab vtroque, Patre scilicet & Filio ratione quadam mortalibus incognita, ac ineffabili, procedentem. Illius esse duritiem humani cordis emollire, quum aut per salutiferam prædicationem Euangelii, aut alia quaque ratione in pectora hominum recipitur: Illum eos illuminare, & in agnitionem Dei, atque in omnem viam veritatis & in totius vitæ nouitatem, & perpetuam salutis spem perducere.

Credimus vnam esse Ecclesiam Dei, eámque non vt olim apud Iudæos, in vnum aliquem angulum aut regnum, conclusam: sed Catholicam atque vniuersalem esse, & diffusam in totum terrarum orbem, vt nulla nunc natio sit quæ possit verè conqueri, se exclusam esse, & nō posse ad Ecclesiam, & populum Dei pertinere: Eam Ecclesiam esse regnum, esse corpus, esse sponsam Christi: eius regni Christum solum esse principem: eius corporis Christum solum esse caput: eius sponsæ Christum solum esse sponsum. Varios in Ecclesia esse ordines Ministrorum: alios esse Diaconos, alios Presbyteros, alios Episcopos, quibus institutio populi & Religionis cura & procuratio commissa sit: neminem tamen vnum nec esse posse, qui summæ rerum vniuersæ præsit. Nam & Christum semper adesse Ecclesiæ suæ, & vicario homine, qui ex asse in integrum succedat, non egere: & neminē mortalem posse existere, qui vniuersam Ecclesiam, hoc est, omnes partes orbis terrarum vel animo complecti, nedum ordine collocare, & rectè ac commodè administrare possit: Apostolos, vt Cyprianus ait, De simplicitate prælatorum, pari omnes inter se fuisse potestate: atque hoc quidem fuisse alios quod Petrus fuit: omnibus ex æquo dictum fuisse, Pascite: omnibus, Ite in mundum vniuersum: omnibus, Docete Euāgeliū: & vt ait Hieronymus, ad Euagrium, Omnes Episcopos vbicunque tandem sint, siue Romæ, siue Eugubii, siue Constantinopoli, siue Rhegii, eiusdem esse meriti, eiusdem sacerdotii. Vtque Cyprianus ait: Episcopatum vnum esse, & eius partem insolidum teneri à singulis: & de sententia Niceni concilii, Romanū Episcopum nihilo plus iuris in Ecclesiā Dei obtinere, quàm reliquos Patriarchas Alexandrinum, & Antiochenum: Romanum verò Episcopum, qui nunc ad se vnum

omnia

omnia reuocat, nisi officium faciat, nisi administret sacramenta, nisi instituat populum, nisi moneat, nisi doceat, ne Episcopum quidem aut omnino Presbyterum iure dicendum esse. Episcopum enim, vt Augustinus ait, nomen esse operis, non honoris: vt ille se intelligat non esse Episcopum qui velit præesse, & non prodesse. Caput verò Ecclesiæ totius, aut vniuersalem Episcopum, non magis aut illum, aut alium quemvis mortalem esse posse, quàm sponsum; quàm lucem, quàm salutem, quàm vitam Ecclesiæ. Hæc enim esse Christi vnius priuilegia, & nomina, & illi vni propriè atque vnicè conuenire: neque vnquam quenquam Romanum Episcopum ante Phocam Imperatorem, quem scimus (interfecto Imperatore Mauritio domino suo) per nefarium scelus ad imperium aspirasse; hoc est, ante 613. annum à Christo nato, vnquam passum fuisse sese tam superbo nomine salutari: concilium etiam Carthaginense disertè cauisse, ne quis Episcopus aut summus Pontifex, aut Primus sacerdos diceretur: Episcopum verò Romanum, quoniam ita hodie dici vult, & alienam potestatem sibi vendicat: præterquam quòd apertè facit contra vetera Concilia, contráque Patres, si Gregorio suo velit credere, nomen arrogans, prophanum, sacrilegum, Antichristianum sibi imponere: esse Regem superbiæ: esse Luciferum, qui se fratribus suis anteponat abiecisse fidem: esse præcursorem Antichristi. Greg. lib. 4. epist. 76. 78 80. & lib. 7. epist. 69.

Ministrum legitimè vocari oportere, & rectè atque ordine præfici Ecclesiæ Dei: neminem autem ad sacrum ministerium pro suo arbitrio, & libidine posse se intrudere. Quo maior nobis ab istis fit iniuria, quibus nihil sæpius in ore est, quàm apud nos nihil ordine, nihil decenter, omnia confusè ac perturbatè fieri: omnes apud nos esse Sacerdotes, omnes esse Doctores, omnes esse interpretes.

Ministris à Christo datū esse dicimus ligandi, soluendi, aperiendi, claudendi potestatem. Ac soluendi quidem munus in eo situm esse, vt Minister, vel deiectis animis & verè resipiscentibus per Euangelij prædicationem merita Christi, absolutionémque offerat, & certam peccatorum condonationem ac spem salutis æternæ denunciet: aut vt eos qui graui scandalo, & notabili publicóque aliquo delicto fratrum animos offenderint, & sese à communi societate Ecclesiæ, & à Christi corpore quodammodò abalienarint, resipiscentes, recōciliet, & in fidelium cœtum atque vnitatem recolligat ac restituat. Ligandi verò illum claudendique potestatem exercere dicimus, quoties vel incredulis & contumacibus regni cœlorum ianuam occludit, illisque vindictam Dei, & sempiternum supplicium edicit, vel publicè excommunicatos Ecclesiæ gremio excludit. Sententiam autem, quamcunque ministri Dei ad hunc modum tulerint, Deus ipse ita comprobat, vt quicquid illorum opera soluitur & ligatur in terris, idem ipse soluere & ligare velit, & ratum habere in cœlis. Clauis au-

N...

tem quibus aut claudere regnum cœlorum, aut aperire possint; vt Chrysostomus ait, dicimus esse scientiam Scripturarum: vt Tertullianus, esse Interpretationem Legis: vt Eusebius, esse verbum Dei. Accepisse autem Discipulos Christi hanc potestatem, non vt audirent arcanas populi confessiones, aut captarent murmura, quod Sacrificuli nunc omnes passim faciunt: atque ita faciunt quasi in eo solo sita sit omnis vis atque vsus clauium: sed vt irent, vt docerent, vt publicarent Euangelium: vt essent credentibus odor vitæ ad vitam: vt essent incredulis atque infidelibus odor mortis ad mortem: vt piorum animi conscientia superioris vitæ & errorum consternati, pòstquam aspicere cœpissent lucem Euangelij, & in Christum credere, vt fores claue, ita illi verbo Dei aperirentur: Impij autem & contumaces, quíque nollent credere & redire in viam, quasi obserati & clausi relinquerentur, & proficerent, vt Paulus ait, in deterius. Hanc esse rationem clauium: Hoc pacto aut aperiri aut claudi hominum conscientias: Sacerdotem quidem esse Iudicem, nullius tamen eum potestatis, vt ait Ambrosius, jus obtinere: Idcirco Christum his verbis increpuisse Scribas & Pharisæos, vt coargueret illorum in docendo negligentiam: Væ, inquit vobis Scribæ & Pharisæi, qui abstulistis claues scientiæ, & clausistis regnum cœlorum coram hominibus. Cúmque clauis qua aditus nobis aperitur ad Regnum Dei sit verbum Euangelij, & interpretatio Legis & Scripturarum, vbi non sit Verbum, ibi dicimus non esse Clauem: Et cum vnum omnibus datum sit Verbum, vnaque sit omnium Clauis, vnam esse Ministrorum omnium, quod quidem ad aperiendum, aut claudendum attinet, potestatem: Imò etiam Pontificem ipsum, quamvis illi suauiter cantillentur illa verba à parasitis suis, Tibi dabo claues Regni cœlorum, ac si eæ illi vni, & præterea mortalium nemini conuenirent: nisi id agat, vt hominum flectantur conscientiæ, & succumbant verbo Dei, negamus aut aperire: aut claudere, aut omnino habere claues. Et quamvis doceat, & instituat populum, quòd vtinam aliquando & verè faciat, & inducat aliquando animum, esse eam aliquàm saltem partem officij sui: tamen ejus Clauem nihilo aut meliorem aut majorem esse, quàm aliarum. Quis enim illum discreuit? Quis illum docuit doctius aperire, aut melius absoluere, quàm fratres suos?

Matrimonium in omni genere & statu hominum, in Patriarchis, in Prophetis, in Apostolis, in sanctis Martyribus, in Ministris Ecclesiarum, in Episcopis, sanctum & honorificum esse dicimus: Et vt Chrysostomus ait, in Tit. 1. homil. 11. Theoph. ad Titum 10. cap. 5. fas & jus esse cum eo ad cathedram Episcopalem ascendere: vtque Sozomenus ait de Spiridione, & Nazianzenus de patre suo, Episcopum Piũ, & industrium nihilo deterius ea causa, imò melius etiam & vtilius versari in Ministerio. Legem autem illam quæ hominibus eam libertatem per vim adimat, & inuitos adigat ad Cœlibatum, esse, vt Diuus

Paulus

Paulus ait, doctrinam dæmoniorum: Et ex eo (quod Episcopus Augustanus Faber, Abbas, Panormitanus, Latomus, opus illud Tripartitum quod adjunctum est secundo Tomo Conciliorum, aliíque Pontificiarum partium satellites résque adeò ipsa, & omnes historiæ confitentur) incredibilem vitæ ac morum impuritatem in Ministris Dei, & horrenda flagitia esse consequuta. Et rectè dixisse Pium secundum Romanum Episc. videre se multas causas, cur eripiendæ fuerint vxores Sacerdotibus, multò autem & plures videre, & grauiores cur sint reddendæ.

Recipimus & amplectimur omnes Canonicas Scripturas, & veteris & Noui Testamenti. Deóque nostro gratias agimus, qui eam lucem nobis excitarit, quam semper haberemus in oculis, ne vel humana fraude, vel insidiis Dæmonum, ad errores & fabulas abduceremur: Eas esse Cœlestes voces, per quas Deus voluntatem suam nobis patefecerit: In illis solis posse hominum animos acquiescere: In illis ea omnia, quæcunque ad nostram salutem sint necessaria vt Origenes, Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus docuerunt, cumulatè & plenè contineri. Eas esse vim & potentiam Dei ad salutem: eas esse fundamenta Prophetarum & Apostolorum, in quibus ædificata sit Ecclesia Dei: eas esse certissimam normam, ad quam ea, si vacillet aut erret, possit exigi, & ad quam omnis doctrina Ecclesiastica debeat reuocari: contra eas nec legem, nec traditionem, nec consuetudinem vllam audiendam esse: ne, si Paulus quidem ipse, aut Angelus de cœlo veniat, & secus doceat.

Recipimus Sacramenta Ecclesiæ, hoc est, sacra quædam signa & cæremonias, quibus Christus nos vti voluit, vt illis, Mysteria salutis nostræ, nobis ante oculos constitueret, & fidem nostram, quam habemus in ejus sanguine, vehementius confirmaret, & gratiam suam in cordibus nostris obsignaret. Eáque cum Tertulliano, Origene, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Basilio, Dionysio, aliísque catholicis Patribus, Figuras, signa, Symbola, Typos, Antypa, Formas, Sigilla, Signacula, Similitudines, Exemplaria, Imagines, Recordationes, memorias appellamus. Nec dubitamus etiam cum eisdẽ dicere, esse illa visibilia quædam verba, signacula justitiæ, symbola gratiæ: disertéque pronunciamus in Cœna credentibus verè exhiberi corpus & sanguinem Domini, carnem filij Dei, viuificantem animas nostras, cibum supernè venientem, immortalitatis alimoniam, gratiam, veritatem, vitam, eámque communionem esse corporis & sanguinis Christi, cujus participatione viuificamur, vegetamur, & pascimur ad immortalitatem, & per quam conjungimur, vnimur, & incorporamur Christo, vt nos in illo maneamus, & ille in nobis.

Duo autem Sacramenta, quæ eo nomine propriè censenda sint, agnoscimus: Baptismum, & Eucharistiam. Tot enim videmus tradita esse & consecrata à Christo: & à veteribus Patribus, Ambrosio, &

Auguſtino approbata. Et Baptiſmum quidem Sacramentum eſſe remiſſionis peccatorũ,& eius ablutionis quam habemus in Chriſti ſanguine:Et ab eo neminem,qui velit profiteri nomen Chriſti,ne infantes quidem Chriſtianorum hominum, quoniam naſcuntur in peccato,& pertinent ad populum Dei, arcendos eſſe.Euchariſtiam eſſe Sacramentũ,hoc eſt,Symbolũ conſpicuũ corporis & ſanguinis Chriſti, in quo ſubiicitur quodammodo oculis noſtris Mors Chriſti, & eius Reſurrectio,& quæcunq; geſſit in Humano corpore: vt de eius morte & noſtra liberatione gratias agamus,& frequẽtatione Sacramẽtorũ,eius rei memoriam aſſiduè renouemus,vt vero Chriſti corpore & ſanguine alamur,in ſpẽ reſurrectionis vitæ æternæ,vtque pro certiſſimo habeamus, id eſſe animis noſtris alendis corpus & ſanguinem Chriſti,quod alẽdis corporibus eſt panis & vinũ.Ad hoc epulum inuitandũ eſſe populũ,vt omnes inter ſe cõmunicent,& ſocietatẽ ſuam inter ſe,ſpémq; eã quã habẽt in Chriſto Ieſu, publicè ſignificẽt, & teſtificẽtur.Itaque ſi quis fuiſſet,qui ſpectator tãtũ eſſe vellet,& à ſacra cõmunione abſtineret, illũ veteres Patres, & Romanos Epiſcopos in primitiua Eccleſia,antequã nata eſſet priuata Miſſa, tanquã improbũ atque Ethnicum excõmunicaſſe:neque vllũ fuiſſe eo tẽpore hominem Chriſtianũ, qui cęteris ſpectãtibus, cõmunicaret ſolus, Chryſoſt. ad Epheſ ſer.3.c.1.De cõſ.diſt.1.ca.omnes.Diſt 2.ca.ſeculares.Ita olim decreuit Calixtus,vt peracta Cõſecratione,omnes cõmunicarẽt,niſi mallẽt carere Eccleſiaſticis liminibus. Sic enim ait Apoſtolos ſtatuiſſe, & ſanctã Romanã Eccleſiam tenere. Populo verò ad ſacrã cõmunionem accedẽti,vtrãque partẽ Euchariſtię tradẽdã eſſe:id enim & Chriſtum iuſſiſſe, & Apoſtolos vbique terrarũ inſtituiſſe, & omnes veteres patres & catholicos Epiſcopos ſequutos eſſe: & ſi quis contra faciat, eum, vt Gelaſius ait, committere ſacrilegium, De conſecr. Diſt. 2. ca. peracta. De conſecr. Diſt. 2. cap. Comperimus. Et aduerſarios hodie noſtros, qui exploſa atque abdicata communione ſine verbo Dei, ſine veteri Concilio ſine vllo Catholico patre, ſine exemplo primitiuæ Eccleſiæ, ſine etiam ratione, priuatas Miſſas & mutilationem Sacramentorum defendant, idque non tantùm contra expreſſum mandatum & iuſſum Chriſti, ſed etiam contra omnem Antiquitatem faciant, improbè facere, & eſſe ſacrilegos.

Panem & vinum dicimus eſſe Sacra & Cœleſtia myſteria Corporis & Sanguinis Chriſti:& illis Chriſtum ipſum,verum panem æternæ vitæ ſic nobis præſentem exhiberi,vt eius corpus ſanguinémque per fidem verè ſumamus: non tamen id ita dicimus, quaſi putemus naturam panis & vini prorſus immutari atque abire in nihilum, quemadmodum multi proximis iſtis ſeculis ſomniarunt: neque adhuc potuerunt vnquam ſatis inter ſe de ſuo ſomnio conuenire. Neque enim id Chriſtus egit,vt panis triticeus abiiceret naturam ſuam,

ac

ac nouam quandam Diuinitatem indueret: sed vt nos potius immutaret, vtque Theophilactus loquitur, transelementaret in Corpus suum. Quid enim magis perspicuè dici potest, quàm quod Ambrosius ait: Panis & vinum sunt quæ erant, & in aliud commutantur? Aut quod Gelasius, in Ioan. cap.6. Non desinit esse substantia panis, vel natura vini: Aut quod Theodoretus, De sacra. li. 4. ca.4. in Dialogis 1.& 2. In sermone ad infantes. De consecr. Dist. 2. cap. Qui manducat. Luc. 22. Post sanctificationem mystica symbola naturam suam propriam non abiiciunt: Manent enim in priori sua substantia & figura, & specie: Aut quod Augustinus, Quod videtis, panis est & Calix, quod etiam oculi renuntiant: quod autem fides vestra postulat instruenda, Panis est Corpus Christi, calix sanguis: Aut quod Origenes, Ille panis qui sanctificatur per verbum Dei, quòd quidem ad materiam attinet in vetrem abit, & in secessum ejicitur: Aut quod Christus, non tantùm post consecrationem calicis, sed etiam post Communicationem dixit, Non bibam amplius de hac generatione vitis. Certũ enim est ex vite progenerare vinum nõ sanguinem. Nec tamen cum ista dicimus, extenuamus Cœnam Domini, aut eam frigidam tantum Ceremoniam esse docemus, & in ea nihil fieri, quod multi nos docere calumniantur. Christum enim asserimus, verè sese præsentem exhibere in sacramentis suis. In Baptismo vt eum induamus: In Cœna, vt eum fide & spiritu comedamus, & de eius cruce ac sanguine habeamus vitam æternam: Idque dicimus non perfunctoriè, & frigidè sed re ipsa & verè fieri. Etsi enim Christi corpus dentibus & faucibus non attingimus, eum tamen fide, mente, spiritu, tenemus & premimus. Neque verò vana ea fides est, quæ Christum complectitur, nec frigidè percipitur, quod mente, fide, & spiritu percipitur. Ita enim nobis in illis mysterijs, Christus ipse totus quantus quantus est, offertur & traditur, vt verè sciamus, esse iam nos carnem de eius carne, & os de ossibus eius, & Christum in nobis manere, & nos in illo.

Itaque in peragendis Mysterijs antequàm ad Sacram Communionem veniatur, rectè admonetur populus, vt sursum habeant corda, & animos in cœlum dirigant: ibi enim esse illum, de quo nos oporteat satiari ac viuere, De consecr. Dist. 1. cap. Quando. Et Cyrillus in percipiendis Mysterijs, excludendas esse ait crassas cogitationes: & Concilium Nicænum, vt græcè citatur à quibusdam, disertè vetat, ne humiliter intenti simus ad propositum panem & vinum. Et vt Chrysostomus rectè scribit, corpus Christi dicimus esse cadauer, nos oportere esse aquilas, vt intelligamus in altum subuolandum esse, si velimus ad Christi corpus accedere. Hanc enim aquilarum esse mensam, non gracculorum. Et Cyprianus, De Cœna Domini. In Iohan. tract. 50. Hic inquit, Panis, cibus mentis est, non cibus ventris. Et Augustinus, Quomodo, inquit, tenebo absentem? Quomodo in cœlum mittam manum, vt ibi se-

dentem,teneam? Fidem,inquit,mitte,& tenuiſti.

Nundinationes verò & auctiones Miſſarum,& circumgeſtationes, atque adorationes panis, & alias idololatricas & blaſphemas ineptias, quas nemo iſtorũ affirmare poteſt Chriſtum & Apoſtolos tradidiſſe in Eccleſiis noſtris, non ferimus:& Epiſcopos Romanos rectè reprehendimus, qui ſine verbo Dei, ſine authoritate ſanctorum Patrum, ſine exemplo, nouo more non tantùm proponunt populo panem Euchariſticum diuino cultu adorandum, ſed etiam illum in equo gradario,quocunque ipſi iter faciunt, Libro de ceremonijs Eccleſiæ Rom. vt olim ignem Perſicum, aut Iſidis ſacra circumferunt, & Chriſti ſacramenta ad ſcenam iam,& pompam traduxerunt, vt in ea re, in qua mors Chriſti inculcanda & celebranda erat, & in qua myſteria Redemptionis noſtræ ſanctè ac reuerenter erant agitanda, hominum oculi nihil aliud quàm inſanis ſpectaculis,& ludicra leuitate paſcerentur. Quòd autem dicunt, & interdum etiam ſtultis perſuadent,ſeſe Miſſis ſuis poſſe diſtribuere atque applicare hominibus,(ſæpe etiam nihil de ea re cogitantibus,nec quid agatur intelligentibus) omnia merita mortis Chriſti,& ridiculum & Ethnicum & ineptum eſt. Fides enim noſtra mortem & crucem Chriſti nobis applicat, non actio ſacrificuli : Fides (inquit Auguſtinus) ſacramentorum, juſtificat non ſacramentum. Et Origenes, ille,inquit, eſt ſacerdos,& propitiatio, & hoſtia, quæ propitiatio ad vnumquemque venit per viam fidei. Atque ad hunc modum ſine fide, ne viuis quidem prodeſſe dicimus ſacramenta Chriſti : mortuis verò multò minus. Nam quòd de Purgatorio iſti ſuo iactare ſolent, etſi illud ſcimus non ita nouum eſſe, tamen non aliud quàm fatuum & anile commentum eſt. Auguſtinus quidem, modò huiuſmodi quem locum eſſe ait, modo poſſe eſſe non negat, modò dubitat, modò prorſus pernegat,& in eo homines humana quadam beneuolentia putat falli. Tamen ab hoc errore vno, tanta creuit ſeges ſacrificulorum, vt cum in omnibus angulis Miſſæ palam & publicè venderentur : Templa Dei facta fuerint tabernæ meritoriæ, & miſeris mortalibus perſuaſum fuerit,nihil prorſus eſſe vendibilius:iſtis quidem certè nihil erat vtilius, Aug.in Pſal.85.in Enchiridio ca.67. De ciuitate Dei lib.21.ca. 26.contra Pelagianos libro hipognoſticon 5.

De multitudine otioſarum ceremoniarum, ſcimus Auguſtinum grauiter ſuo tempore conqueſtum eſſe. Itaque nos magnum earum numerum reſecauimus, quòd illis ſciremus affligi conſcientias hominum,& grauari Eccleſiam Dei, Ad Ianuarium epiſt.119.

Retinemus tamen & colimus non tantùm ea, quæ ſcimus tradita fuiſſe ab Apoſtolis, ſed etiam alia quædam, quæ nobis videbantur ſine Eccleſiæ incommodo fieri poſſe : quòd omnia cuperemus in ſacro cœtu, vt Paulus iubet, decenter, atque ordine adminiſtrari. Ea verò omnia,quæ aut valde ſuperſtitioſa,aut frigida,aut ſpurca, aut ridicu-

la, aut cum sacris literis pugnantia, aut etiam sobrijs hominibus indigna esse videbamus, qualia infinita sunt hodie in Papatu, prorsus sine vlla exceptione repudiauimus: quod nollemus Dei cultum ejusmodi ineptiis longiùs contaminari.

Precamur ea lingua, quam nostri, vt par est, omnes intelligant: vt populus, quemadmodum Paulus monet, à communibus votis vtilitatem communem capiat: quemadmodum omnes pii patres, & Catholici Episcopi, non tantùm in Veteri, verùmetiam in Nouo Testamento & precati sunt ipsi, & populum precari docuerunt: ne, vt Augustinus ait, tanquam psittaci, & merulæ videamur sonare quod nescimus.

Mediatorem & precatorem per quem accedendum sit ad Deum patrem, non alium habemus quàm Iesum Christum, cuius vnius nomine, omnia à Patre impetrantur. Turpe autem & planè Ethnicum est, quod in istorum Ecclesiis videmus passim fieri, non tantùm quòd initum numerum habere volunt peccatorum, idque prorsus sine authoritate verbi Dei, vt quemadmodum Hieremias ait, cap. 2. Diuorum numerus æquet nunc, vel potiùs superet numerum ciuitatum, & miseri mortales nesciant, ad quem se potissimùm debeant vertere: quódque cùm tot sint vt numerari non possint, illis tamen singulis suum cuique ab illis munus & officium, quid impetrare, quid dare, quid efficere debeant, descriptum est: sed etiam quòd ita non tantùm impiè sed etiam impudenter appellant Virginem Matrem, vt se matrem esse meminerit, vt imperet Filio, vt in illum vtatur iure suo,

Dicimus hominem natum esse in peccato, & in peccato vitam agere: neminem posse verè dicere, mundum esse inutilem: Legem Dei perfectam esse, & à nobis requirere perfectam & plenam obedientiã. Illi à nobis in hac vita satisfieri non posse vllo modo, neque esse mortalium quenquam qui possit in conspectu Dei proprijs viribus justificari: itaque vnicum receptum nostrum & perfugium esse ad misericordiam Patris nostri per Iesum Christum, vt certò animis nostris persuademus illum esse propitiationem pro peccatis nostris: eius sanguine omnes labes nostras deletas esse: illum pacificasse omnia sanguine crucis suæ: illum vnica illa Hostia, quam semel obtulit in cruce, omnia perfecisse, & ea causa cum animam ageret, dixisse, consummatum est: quasi significare vellet, persolutum iam esse pretium pro peccato humani generis.

Hoc sacrificium, si qui sunt qui non putant esse satis, eant sanè & quærant aliud melius. Nos quidem & quia illud vnicum esse scimus, vno contenti sumus, nec expectamus aliud, & quia semel tantùm offerendum erat, non iubemus repeti: & quia plenum & omnibus numeris, & partibus perfectum erat, non substituimus continentes hostiarum successiones.

Quamvis autem dicamus nihil nobis esse præsidij in operibus & factis nostris, & omnem salutis nostræ rationem constituamus in solo Christo, non tamen ea causa dicimus laxè & absolutè viuendum esse, quasi tingi tantùm & credere, satis sit homini Christiano, & nihil ab eo aliud expectetur. Vera fides viua est, nec potest esse otiosa.

Sic ergo docemus populum, Deum vocasse nos, non ad luxum & libidinem: Ephe.3. Coloss.1. sed, vt Paulus ait, ad opera bona, vt in illis ambulemus: Deum eripuisse nos à potestate tenebrarum, vt seruiamus Deo viuenti: vt rescindamus omnes reliquias peccati: vt in timore & tremore operemur salutem nostram: vt appareat spiritum sanctificationis esse in membris nostris, & Christum ipsum per fidem in cordibus nostris habitare, Ephes.3.

Postremò credimus hanc ipsam carnem nostram, in qua viuimus, quamvis mortua abierit in puluerem, tamen vltimo die redituram esse ad vitam, propter spiritum Christi qui habitat in nobis. Tum verò quicquid hic interim patimur eius causa, Christum abstersurum esse omnem lachrymam ab oculis nostris, Apoc.7.21. & nos propter illum fruituros esse æterna vita, & semper futuros cum illo in gloria, Amen.

ANGLI-

ANGLICANA CONFESSIO FIDEI, IN ARTICVLIS DE QVIBVS CONVENIT INTER ARCHIEPISCOPOS & Episcopos vtriusque prouinciæ & Clerum Vniuersum: in Synodo Londinensi, anno Domini 1562. ad tollendam opinionum dissensionem, & ad consensum in vera Religione firmandum.

DE FIDE IN SACROSANCTAM TRINITATEM.

I.

VNus est viuus & verus Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, impassibilis, immensæ potentiæ, sapientiæ ac bonitatis: creator & conseruator omnium tum visibilium, tum inuisibilium. Et in vnitate huius diuinæ naturæ tres sunt personæ, eiusdem essentiæ, potentiæ, ac æternitatis, Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

De Verbo, siue Filio Dei qui verus homo factus est.

II. Filius qui est Verbum patris, ab æterno à patre genitus, verus & æternus Deus, ac patri consubstantialis in vtero beatę Virginis, ex illius substantia naturam humanam assumpsit, ita vt duæ naturæ, diuina & humana integrè atque perfectè in vnitate personæ fuerint inseparabiliter coniunctæ, ex quibus est vnus Christus verus Deus & verus homo, qui verè passus est, crucifixus, mortuus & sepultus, vt panem nobis reconciliaret, essétque hostia non tantum pro culpa originis, verùm etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis.

De descensu CHRISTI ad inferos.

III. Quemadmodum Christus pro nobis mortuus est & sepultus, ita est etiam credendus ad inferos descendisse.

De Resurrectione Christi.

IV. Christus verè à mortuis resurrexit, suúmque corpus cum car-

ne, offibus, omnibúsque ad integritatem humanæ naturæ pertinentibus, recepit, cum quibus in cœlum ascendit, ibique residet quoad extremo die ad iudicandos homines reuersurus sit.

De Spiritu Sancto.

V. Spiritus sanctus à patre & filio procedens, eiusdem est cum patre & filio essentiæ, maiestatis & gloriæ, verus ac æternus Deus.

De diuinis Scripturis quod sufficiant ad salutem.

VI. Scriptura sacra continet omnia quæ ad salutem sunt necessaria, ita vt quicquid in ea nec legitur, neç inde probari potest, non sit à quoquam exigendum, vt tanquam articulus fidei credatur, aut ad salutis necessitatem requiri putetur.

Sacræ Scripturæ nomine eos Canonicos libros veteris & noui Testamenti intelligimus, de quorum authoritate in Ecclesia nunquam dubitatum est.

De nominibus & numero librorum sacræ Canonicæ Scripturæ veteris Testamenti.

Genesis. Exodus. Leuiticus. Numeri. Deuteron. Prior liber Paralipomenon. Secundus liber Paralipomenon. Primus liber Esdræ. Secundus liber Esdræ. Liber Esther. Iosuæ, Iudicum, Ruth. Prior liber Samuelis. Secundus liber Samuelis. Prior lib. Regum. Secundus liber Regum. Liber Iob. Psalmi. Prouerbia. Ecclesiastes vel Concionator. Cantica Salomonis. 4. Prophetæ maiores. 12. Prophetæ minores.

Alios autem libros (vt ait Hieronymus) legit quidem Ecclesia, ad exempla vitæ & formandos mores, illos tamen ad dogmata confirmanda non adhibet, vt sunt.

Tertius liber Esdræ. Quartus liber Esdræ. Liber Tobiæ. Liber Iudith. Reliquum libri Esther. Liber Sapientiæ. Liber Iesu filij Sirach. Baruch Propheta. Canticum trium puerorum. Historia Susannæ. De Bel & Dracone. Oratio Manasses. Prior liber Machabæor. Secundus liber Machab.

Noui Testamenti omnes libros (vt vulgò recepti sunt) recipimus & habemus pro Canonicis.

De veteri Testamento.

Testamentum vetus nouo contrarium non est, quandoquidem tam in veteri quàm in nouo per Christum, qui vnicus est mediator Dei & hominum, Deus & homo, æterna vita humano generi est proposita. Quare malè sentiunt qui veteres tantùm in promissiones temporarias sperasse confingunt. Quanquam lex à Deo data per Mosen (quoad ceremonias & ritus) Christianos non astringat, neque ciuilia eius præcepta in aliqua republica necessariò recipi debeant, nihilominus tamen ab obedientia mandatorum (quæ moralia vocantur) nullus quantumvis Christianus est solutus.

De

De tribus Symbolis.

VIII. Symbola tria, Nicenum, Athanasii, & quod vulgo Apostolorum appellatur, omnino recipienda sunt, & credenda: nam firmissimis Scripturarum testimoniis probari possunt.

De peccato originali.

IX. Peccatum originis non est (vt fabulantur Pelagiani) in imitatione Adami situm, sed est vitium & deprauatio naturæ cujuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati, qua fit vt ab originali justitia quàm longissimè distet, ad malum sua natura propendeat, & caro semper aduersus spiritum concupiscat, vnde in vnoquoque nascentium iram Dei atque damnationem meretur. Manet etiam in renatis hæc naturæ deprauatio: qua fit vt affectus carnis (Græci φρόνημα σαρκὸς, quod alii sapientiam, alij sensum, alii affectum, alii studium carnis interpretantur) legi Dei non subiiciatur. Et quanquam renatis & credentibus nulla propter Christum est condemnatio, peccati tamen in sese rationem habere concupiscentiam, fatetur Apostolus.

De libero Arbitrio.

X. Ea est hominis post lapsum Adæ conditio, vt sese naturalibus suis viribus & bonis operibus ad fidem & inuocationem Dei conuertere ac præparare non possit. Quare absque gratia Dei quæ per Christum est nos præueniente vt velimus, & cooperante dum volumus ad pietatis opera facienda, quæ Deo grata sunt & accepta nihil valemus.

De hominis justificatione.

XI. Tantum propter meritum Domini ac Seruatoris nostri Iesu Christi per fidem, non propter opera & merita nostra, iusti coram Deo reputamur. Quare sola fide nos justificari doctrina est saluberrima, ac consolationis plenissima, vt in homilia de justificatione hominis fusius explicatur.

De bonis operibus.

XII. Bona opera quæ sunt fructus fidei & justificatos sequuntur, quanquam peccata nostra expiare & diuini iudicij seueritatem ferre non possunt, Deo tamen grata sunt & accepta in Christo, atque ex vera & viua fide, necessariò profluunt, vt planè ex illis æquè fides viua cognosci possit, atque arbor ex fructu iudicari.

De operibus ante iustificationem.

XIII. Opera quæ fiunt ante gratiam Christi, & Spiritus eius afflatum, cùm ex fide Iesu Christi non prodeant minimè Deo grata sunt, neque gratiam (vt multi vocant) de congruo merentur. Immò cùm non sint facta vt Deus illa fieri voluit & præcepit, peccati rationem habere non dubitamus.

De operibus supererogationis.

XIV. Opera quæ supererogationis appellant, non possunt sine ar-

rogantia, & impietate prædicari. Nam illis declarant homines non tantum se Deo reddere quæ tenentur, sed plus in ejus gratiam facere quàm deberent, cùm apertè Christus dicat, Cùm feceritis omnia quęcunque præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus.

De Christo qui solus est sine peccato.

XV. Christus in nostræ naturæ veritate per omnia similis factus est nobis, excepto peccato, à quo prorsus erat immunis, tum in carne, tum in spiritu. Venit vt agnus absque macula, qui mundi peccata per immolationem sui semel factam tolleret; & peccatum (vt inquit Iohannes) in eo non erat: sed nos reliqui etiam baptizati, & in Christo regenerati, in multis tamen offendimus omnes. Et si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.

De peccato post Baptismum.

XVI. Non omne peccatum mortale post Baptismum voluntariè perpetratum, est peccatum in Spiritum sanctum, & irremissibile. Proinde lapsis à Baptismo in peccata, locus pœnitentiæ non est negandus: post acceptum Spiritum sanctum possumus à gratia data recedere, atque peccare: denuóque per gratiam Dei resurgere ac resipiscere: ideóque illi damnandi sunt qui se quandiu hic viuant, amplius non posse peccare affirmant, aut verè resipiscentibus, veniæ locum denegant.

De Prædestinatione & Electione.

XVII. Prædestinatio ad vitam est æternum Dei propositum, quo ante jacta mundi fundamenta suo consilio, nobis quidem occulto, constanter decreuit, eos quos in Christo elegit ex hominum genere à maledicto & exitio liberare, atque (vt vasa in honorem efficta) per Christum ad æternam salutem adducere. Vnde, qui tam præclaro Dei beneficio sunt donati, illi spiritu ejus, opportuno tempore operante, secundùm propositum ejus vocantur, vocationi per gratiam parent, justificantur gratis, adoptantur in filios Dei, vnigeniti ejus Iesu Christi imagini efficiuntur conformes, in bonis operibus sanctè ambulant, & demum ex Dei misericordia pertingunt ad sempiternam felicitatem.

Quemadmodum prædestinationis & electionis nostræ in Christo pia consideratio, dulcis, suauis & ineffabilis consolationis plena est verè piis, & iis qui sentiunt in se vim spiritus Christi, facta carnis & membra quæ adhuc sunt super terram mortificantem, animúmq; ad cœlestia & superna rapientem: tum quia fidem nostram de æterna salute consequenda per Christum plurimum stabilit atque confirmat, tum quia amorem nostrum in Deum vehementer accendit. Ita hominibus curiosis, carnalibus, & Spiritu Christi destitutis ob oculos perpetuò versari prædestinationis Dei sententiam, perniciosissimum est præcipitium, vnde illos diabolus protrudit vel in desperationem,

vel in

vel in æquè perniciosam impurissimæ vitæ securitatem. Deinde promissiones diuinas sic amplecti oportet, vt nobis in sacris literis generaliter propositæ sunt, & Dei voluntas in nostris actionibus ea sequenda est quam in verbo Dei habemus disertè reuelatam.

Desperanda æterna salute tantùm in nomine Christi.

XVIII. Sunt & illi anathematizandi qui dicere audent vnumquemque in lege aut secta quam profitetur esse seruandum, modò juxta illam & lumen naturæ accuratè vixerit, cum sacræ literæ tantùm Iesu Christi nomen prædicent in quo saluos fieri homines oporteat.

De Ecclesia.

XIX. Ecclesia Christi visibilis est cœtus fidelium in quo verbum Dei purum prædicatur, & Sacramenta quoad ea quæ necessario exiguntur juxta Christi institutum rectè administrantur. Sicut errauit Ecclesia Hierosolymitana, Alexandrina & Antiochena, ita & errauit Ecclesia Romana, non solùm quoad agenda, & ceremoniarum ritus, verùm in iis etiam quæ credenda sunt.

De Ecclesiæ authoritate.

XX. Ecclesiæ non licet quicquam instituere quod verbo Dei aduersetur, neque vnum Scripturæ locum sic exponere potest, vt alteri contradicat. Quare licèt Ecclesia sit diuinorum librorum testis, & conseruatrix, attamen vt aduersus eos nihil decernere, ita præter illos, nihil credendum de necessitate salutis obtrudere.

De authoritate Conciliorum generalium.

XXI Generalia Concilia sine jussu & voluntate principum congregari non possunt, & vbi conuenerint, quia ex hominib. constant, qui non omnes spiritu & verbo Dei reguntur, & errare possunt, & interdum errarunt etiam in his quæ ad normam pietatis pertinent: ideóque quæ ab illis constituuntur vt ad salutem necessaria, neque robur habent neque authoritatem, nisi ostendi possint è sacris literis esse desumpta.

De Purgatorio.

XXII. Doctrina Romanensium de Purgatorio, de indulgentiis, de veneratione & adoratione tum imaginum, tum reliquiarum, nec non de inuocatione Sanctorum, res est futilis, inaniter conficta, & nullis Scripturarum testimoniis innititur, imò verbo Dei contradicit.

De vocatione Ministrorum.

XXIII. Non licet cuiquam sumere sibi munus publicè prædicandi, aut administrandi Sacramenta in Ecclesia, nisi prius fuerit ad hæc obeunda legitimè vocatus & missus. Atque illos legitimè vocatos & missos existimare debemus, qui per homines, quibus potestas vocandi Ministros atque mittendi in vineam Domini publicè concessa est, in Ecclesia, coaptati fuerint, & asciti in hoc opus.

De precibus publicis dicendis in lingua vulgari.

XXIV. Lingua populo non intellecta publicas in Ecclesia preces peragere, aut Sacramenta administrare, verbo Dei & primitiuæ Ecclesiæ consuetudini planè repugnat.

De Sacramentis.

XXV. Sacramenta à Christo instituta, non tantùm sunt notæ professionis Christianorum, sed certa quædam potius testimonia, & efficacia signa gratiæ atque bonæ in nos voluntatis Dei, per quæ inuisibiliter ipse in nos operatur, nostrámque fidem in se non solùm excitat, verùm etiam confirmat.

Duo à Christo Domino nostro in Euangelio instituta sunt Sacramenta, scilicet Baptismus, & Cœna Domini.

Quinque illa vulgò nominata Sacramenta: scilicet confirmatio, pœnitentia, ordo, matrimonium, & extrema vnctio, pro Sacramentis Euangelicis habenda non sunt, vt quæ partim à praua Apostolorum imitatione profluxerunt, partim vitæ status sunt in Scripturis quidem probati: sed Sacramentorum eandem cùm Baptismo & Cœna Domini rationem non habentes, vt quæ signum aliquod visibile seu ceremoniam à Deo institutam non habeant.

Sacramenta non in hoc instituta sunt à Christo vt spectarentur, aut circumferrentur, sed vt rite illis vteremur, & in iis duntaxat qui dignè percipiunt salutarem habent effectum: qui verò indignè percipiunt, damnationem (vt inquit Paulus) sibi ipsis acquirunt.

De vi institutionum diuinarum, quòd eam non tollat malitia hominum.

XXVI. Quamvis in Ecclesia visibili, bonis mali semper sunt admixti, atque interdum ministerio verbi, & Sacramentorum administrationi præsint: tamen cùm non suo, sed Christi nomine agant, ejúsque mandato & authoritate ministrent, illorum ministerio vti licet, cùm in verbo Dei audiendo, tum in Sacramentis percipiendis. Neque per illorum malitiam effectus institutorum Christi tollitur, aut gratia donorum Dei minuitur, quoad eos qui fide & rite sibi oblata percipiunt, quæ propter institutionem Christi & promissionem efficacia sunt, licèt per malos administrentur.

Ad Ecclesiæ tamen disciplinam pertinet vt in malos ministros inquiratur, accusentúrque ab his qui eorum flagitia nouerint, atque tandem justo conuicti judicio deponantur.

De Baptismo.

XXVII. Baptismus non est tantùm professionis signum ac discriminis nota, qua Christiani à non Christianis discernantur: sed etiam est signum regenerationis, per quod tanquam per instrumentum rectè Baptismum suscipientes, Ecclesiis inseruntur, promissiones de remissione peccatorum atque adoptione nostra in filios Dei per Spiritum san-

tum sanctum visibiliter obsignantur, fides confirmatur, & vi diuinæ inuocationis gratia augetur.

Baptismus paruulorum omnino in Ecclesia retinendus est, vt qui cum Christi institutione optimè congruat.

De Cœna Domini.

XXVIII. Cœna Domini non est tantum signum mutuæ beneuolentiæ Christianorum inter sese, verùm potius est Sacramentum nostræ per mortem Christi redemptionis.

Atque adeò ritè dignè & cum fide sumentibus panis quem frangimus est communicatio corporis Christi: similiter poculum benedictionis est communicatio sanguinis Christi.

Panis & vini transubstantiatio in Eucharistia ex sacris literis probari non potest, sed apertis Scripturæ verbis aduersatur, Sacramenti naturam euertit & multarum superstitionum dedit occasionem.

Corpus Christi datur, accipitur, & manducatur in Cœna tantùm cœlesti & spirituali ratione. Medium autem quo corpus Christi accipitur & manducatur in Cœna fides est.

Sacramentum Eucharistiæ ex institutione Christi non seruabatur, circumferebatur, eleuabatur, nec adorabatur.

De manducatione corporis Christi, & impios illud non manducare.

XXIX. Impij & fide viua destituti licet carnaliter, & visibiliter (vt Augustinus loquitur) corporis & sanguinis Christi Sacramentum dentibus premant, nullo tamen modo Christi participes efficiuntur; sed potius tantæ rei sacramentum seu symbolum ad judicium sibi manducant & bibunt.

De vtraque specie.

XXX. Calix Domini, Laicis non est denegandus, vtraque enim pars dominici sacramenti ex Christi institutione & præcepto omnibus Christianis ex æquo administrari debet.

De vnica Christi oblatione in cruce perfecta.

XXXI. Oblatio Christi semel facta perfecta est redemptio, propitiatio & satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi tam originalibus quàm actualibus. Neque præter illam vnicam est vlla alia pro peccatis expiatio: vnde Missarum sacrificia quibus vulgò dicebatur sacerdotem offerre Christum in remissionem pœnæ aut culpæ pro viuis & defunctis, blasphema figmenta sunt & perniciosæ imposturæ.

De coniugio Sacerdotum.

XXXII. Episcopis, Presbyteris, & Diaconis nullo mandato diuino præceptum est vt aut cœlibatum voueant, aut à matrimonio abstineant. Licet igitur etiam illis, vt cæteris omnibus Christianis vbi hoc ad pietatem magis facere judicauerint, pro suo arbitratu matrimonium contrahere.

De excommunicatis vitandis.

XXXIII. Qui per publicam Ecclesiæ denunciationem ritè ab vnitate Ecclesiæ præcisus est & excommunicatus, is ab vniuersa fidelium multitudine (donec per pœnitentiam publicè reconciliatus fuerit arbitrio Iudicis competentis) habendus est tanquam ethnicus & publicanus.

De traditionibus Ecclesiasticis.

XXXIV. Traditiones atque ceremonias easdem non omnino necessarium est esse vbique aut prorsus consimiles: nam & variæ semper fuerunt, & mutari possunt pro regionum, temporum, & morum diuersitate, modo nihil contra verbum Dei instituatur.

Traditiones & ceremonias Ecclesiasticas quæ cum verbo Dei non pugnant, & sunt authoritate publica institutæ atque probatæ, quisquis priuato consilio volens & data opera publicè violauerit, is, vt qui peccat in publicum ordinem Ecclesiæ, quique lædit authoritatem magistratus, & qui infirmorum fratrum conscientias vulnerat, publicè vt cæteri timeant, arguendus est.

Quælibet Ecclesia particularis siue nationalis, authoritatem habet instituendi, mutandi aut abrogandi ceremonias, aut ritus Ecclesiasticos, humana tantum authoritate institutos: modò omnia ad ædificationem fiant.

De Homiliis.

XXXV. Tomus secundus Homiliarum quarum singulos titulos huic articulo subjunximus continet piam & salutarem doctrinam, & his temporibus necessariam non minus quàm prior tomus Homiliarum quæ editæ sunt tempore Eduuardi sexti: itaque eas in Ecclesiis per ministros diligenter & clarè vt à populo intelligi possint recitandas esse judicauimus.

De nominibus Homiliarum.

Of the right vse of the church.
Agaynst perill of Idolatrie.
Of repairing & keping cleane of Churches.
Of Good vvorkes.
First of fastyng.
Christ.
Of the giftes of the holy ghost.
Agaynst excesse of apparel.
Of prayer.
Of the place & time of praier.
That common prayers and Sacramentes ought to be ministred in a knovvne tonge.
Agaynst gluttony and drunkennes.
Of the Natiuitie of Christ.
Of the passion of Christ.
Of the resurrection of Christ.
Of the vvorthy rereiuing of the Sacrament of the body and bloude of
Of the reuerent estimation of Gods vvord.
Of almes doyng.
For the Rogation dayes.
Of the state of matrimonie.
Of repentance.
Agaynst Idlenes.
Agaynst rebellion.

De Episco-

De Episcoporum & Ministrorum consecratione.

XXXVI. Libellus de consecratione Archiepiscoporum , & Episcoporum , & ordinatione Presbyterorum , & Diaconorum editus nuper temporibus Eduuardi sexti , & authoritate Parlamenti illis ipsis temporibus confirmatus , omnia ad ejusmodi consecrationem & ordinationem necessaria continet : & nihil habet quod ex se sit aut superstitiosum , aut impium : itaque quicunque juxta ritus illius libri consecrati aut ordinati sunt , ab anno secundo prædicti Regis Eduuardi vsque ad hoc tempus , aut in posterum juxta eosdem ritus consecrabuntur aut ordinabuntur , ritè atque ordine atque legitimè statuimus esse & fore conseruatos & ordinatos.

De ciuilibus Magistratibus.

XXXVII. Regia majestas in hoc Angliæ regno ac cæteris ejus dominiis summam habet potestatem ad quam omnium statuum hujus regni, siue illi Ecclesiastici sint, siue Ciuiles in omnibus causis suprema gubernatio pertinet, & nulli externæ jurisdictioni est subjecta, nec esse debet.

Cum Regiæ Majestati summam gubernationem tribuimus, quibus titulis intelligimus animos quorundam calumniatorum offendi, non damus Regibus nostris, aut verbi Dei , aut Sacramentorum administrationem , quod etiam injunctiones ab Elizabetha Regina nostra nuper editæ, apertissimè testantur. Sed eam tantum prærogatiuam quam in sacris Scripturis à Deo ipso, omnibus piis Principibus videmus semper fuisse attributam : hoc est, vt omnes status atque ordines fidei suæ à Deo commissos , siue illi Ecclesiastici sint siue Ciuiles in officio contineant, & contumaces ac delinquentes gladio ciuili coerceant.

Romanus Pontifex nullam habet jurisdictionem in hoc regno Angliæ.

Leges Regni possunt Christianos propter capitalia & grauia crimina morte punire.

Christianis licet ex mandato magistratus arma portare , & justa bella administrare.

De illicita bonorum communicatione.

XXXVIII. Facultates & bona Christianorum non sunt communia quoad jus & possessionem, (vt quidam Anabaptistæ falsò jactant) debet tamen quisque de his quæ possidet pro facultatum ratione pauperibus eleemosynas benignè distribuere.

De Iurejurando.

XXXIX. Quemadmodum juramentum vanum & temerarium à Domino nostro Iesu Christo & Apostolo ejus Iacobo, Christianis hominibus interdictum esse fatemur: ita Christianorum Religionem minimè prohibere censemus quin jubente magistratu in causa fidei, &

charitatis jurare liceat, modo id fiat juxta Prophetæ doctrinam in justitia, in judicio & veritate.

Confirmatio Articulorum.

XL. Hic liber antedictorum articulorum jam denuo approbatus est per assensum & consensum Serenissimæ Reginæ Elizabethæ Dominæ nostræ, Dei gratia Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginæ, defensoris fidei &c. retinendus, & per totum Regnum Angliæ exequendus. Qui articuli: & lecti sunt, & denuo confirmati subscriptione D. Archiepiscopi, & Episcoporum superioris domus, & totius Cleri inferioris domus in Conuocatione Anno Domini 1571.

SCOTICANA CONFESSIO FIDEI, ORDINES REGNI SCOTIÆ, OMNESQVE IN ILLO REGNO PROfitentes Iesum Christum, Sanctúmque ejus Euangelium natiuis suis popularibus, alijsque Regnis & Nationibus vnà cum ipsis eundem Christum Iesum profitentibus, gratiam, misericordiam & pacem à Deo Patre Domini nostri Iesu Christi cum Spiritu recti Iudicij & Salutis, comprecantur.

DIV sitiuimus (Charissimi fratres) mundo patefacere summam illius doctrinæ quam profitemur, & pro qua infamiam & periculum sustinuimus: Sed tanta fuit Satanæ, contra nos & æternam Iesu Christi nuper inter nos natam veritatem, rabies, quod in hunc vsque diem non fuerit data nobis commoditas exponendi mentem nostram, sicut lubentissimè voluissemus. Nam quomodò hactenus jactati fuerimus, magnam Europæ partem non latere arbitramur. Verum, quum ex infinita Dei nostri bonitate (qui nunquam sinit afflictos suos penitus confundi) supra spem, aliquam libertatem & quietem obtinuimus, noluimus non in lucem edere breuem hanc & planam Confessionem illius doctrinæ, quæ nobis proponitur, quámque nos credimus & profitemur: partim vt satisfiat fratribus, quorum corda proculdubio grauiter fuerunt & adhuc sunt vulnerata, acerbis, & malitiosis calumniis eorum, qui adhuc bene loqui non didicerunt: partim vt obturemus talium impudentium blasphematorum ora, qui temerè & audacter illud damnant, quod nunquam vel audiuerunt, nedum intellexerunt. Non quòd putemus virulentam ejusmodi hominum malitiam, hac nostra simplici Confessione posse curari, quum sciamus dulcem Euangelij odorem esse & futurum mortiferum filiis perditionis, sed præcipuè infirmorum fratrum rationem habemus, quibus cupimus intima animi nostri sensa communicare, ne diuersitate rumorum quos Satan contra nos dispersit, vt sanctissimum nostrum propositum disturbet & euertat: protestantes, quod si quis in hac nostra Confessione articulum, vel sententiam repugnantem sancto Dei verbo notauerit,

nósque illius scripto admonuerit, promittimus Dei gratia ex Dei ore, id est, ex sacris Scripturis, nos illi satisfacturos, aut correcturos, si quis quid erroris inesse probauerit. Deum enim in conscientijs nostris testem aduocamus, nos ex animo omnes sectas, hæreses, omnésque falsæ doctrinæ doctores detestari: omníque cum animi submissione & reuerentia puritatem Euangelij Christi, quod est vnicum animarum nostrarum alimentum nos amplecti: ideóque tanti apud nos pretij, quod decreuimus extrema quæque mundana pericula potius subire, quàm vt nos eo fraudari patiamur. Hoc enim certissimè persuasum habemus, quod quicunque Christum negauerit, illiúsque coram hominibus puduerit, illum etiam Christus coram cœlesti Patre & eius Angelis est negaturus. Ideóque Omnipotentis eiusdem Domini Iesu Christi auxilio freti, firmiter proponimus ad finem vsque in huius nostræ fidei Confessione ad finem persistere, sicut in sequentibus articulis continetur.

SCOTI-

SCOTICANA CONFESSIO FIDEI.

I. DE DEO.

CONFITEMVR & agnoſcimus vnum ſolum Deum, cui ſoli nos adhærere oportet: cui ſoli nos ſeruire oportet: quem ſolum colere debemus, & in quo ſolùm fiduciam noſtram oportet collocare, qui eſt æternus, infinitus, immenſus, incomprehenſibilis, omnipotés, inuiſibilis, vnus eſſentia, & tamen in tres perſonas diſtinctus, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Per quem confitemur, omnia in cœlo & in terra, tam viſibilia quàm inuiſibilia, creata in ſuo eſſe retineri, ipſiúſque inſcrutabili prouidentia regi & gubernari, in talem finem, qualem æterna ipſius ſapientia, bonitas & iuſtitia, in manifeſtationem gloriæ ſuæ ipſis deſtinauit, Deuter.6.4. Iſa.44.6. Deuter. 4.35. Matth.28.19 Geneſ.11. & 26. Prouerb.16.4.

2. *De creatione hominis.*

Confitemur & agnoſcimus hunc Dominum Deum noſtrum, creaſſe hominem videlicet primum noſtrum parentem Adamum in imaginem & ſimilitudinem ſuam, Gen.1.27. Cui ſapientiam, dominium, juſtitiam, liberum arbitrium, & claram ſui ipſius notitiam dedit: adeò vt in tota hominis natura nulla potuerit notari imperfectio. Ab iſta perfectione & honore vir & mulier defecerunt, Gen.3.6. mulier decepta à ſerpente, & vir aurem voci mulieris præbens, vterque conſpirans contra ſupremam Dei maieſtatem, qui diſertis verbis mortem antea eſt interminatus, ſi præſumerent de arbore illa vetita edere.

3. *De originali peccato.*

Qua tranſgreſſione, quæ vulgò dicitur originale peccatum, prorſus deformata eſt illa Dei in homine imago, ipſéque & eius poſteri natura facti ſunt inimici Dei, mancipia Satanæ, & ſerui peccati, adeò vt mors æterna habuerit & habitura eſt potentiam & dominium in omnes, qui non fuerunt, non ſunt, nec futuri ſunt cœlitus regeniti: quæ regeneratio, efficitur virtute Spiritus ſancti, operantis in cordibus electorum Dei, certam fidem in Dei promiſſionem, eius verbo, nobis reuelatam: qua fide, Ieſum Chriſtum cum gratuitis eius donis, & beneficijs in ipſo promiſſis, apprehendimus, Epheſ.2.1.2.3. Rom.5.v.6.8. Ioh.3.5.6. item 15.v.

4. De reuelatione promißionis.

Hoc enim constanter credimus Deum, post tremendam, & horrendam hominis defectionem ab eius obedientia, Adamum quæsiuisse, ad se vocasse, ipsius peccatum reprehendisse, eiusdẽ eum cõuicisse, & tandẽ gratuitã & iucũdissimã promissionẽ illi fecisse, scilicet quod semẽ mulieris caput serpentis contereret, id est opera Diaboli destrueret, quæ promissio, sicut sæpius repetita fuit, & temporis successu clarior facta, sic fideles omnes, ab Adamo ad Noachũ, cõstanter & cũ gaudio eam sunt amplexi, Gen. 3. 5. ibid. 12. 3. Isa. 7. 14. Similiter etiam à Noacho ad Abrahamum, ab Abrahamo ad Dauidem, & sic deinceps, ad incarnationem Iesu Christi, omnes (scilicet patres fideles sub lege) Iucundissimos illos Christi dies viderunt & gauisi sunt.

5. Conseruatio, incrementum & præseruatio Ecclesiæ.

Constantissimè credimus Deum præseruasse, docuisse, multiplicasse, honorasse, decorasse, atque à morte ad vitam omnibus ætatibus Ecclesiam suam ab Adamo vsque ad aduentum Christi in carne, vocasse. Abrahamum enim è patria sua euocauit, illum instituit, Semen eius multiplicauit, atque mirabiliter conseruauit, & magis myrificè è seruitute & tyrannide Pharaonis liberauit, illis leges, statuta & ceremonias suas dedit, terrámque Canaam dedit possidendam. Post Iudices & Saulem, illis dedit Dauid Regem: cui promisit fore vt ex fructu lumborum eius vnus perpetuò ipsius solio insideret. Ad eundem hunc populum, continuo temporis successu, misit Prophetas, qui eum ad rectam Dei sui viam reducerent, à qua idololatria sæpius deflexerunt. Et quanquam, propter pertinacem justitiæ contemptum, quasi coactus fuit, illos in hostium potestatem tradere, sicut antea per os Moysis est interminatus, adeo vt sancta ciuitas fuerit funditus euersa, templum igne combustum, totáque terra desolata annos 70. tamen gratuita misericordia ipsos Hierosolymam reduxit, vbi ciuitas & templum sunt restaurata, & illi contra omnes Satanæ tentationes & insultus, vsque in aduentum Messiæ, iuxta promissionem manserunt. 2. Reg. c. 24. & 25. Deuter. 28. Agg. 1. c. 2 Zach. 3. 1. 2.

6. De Christi incarnatione.

Cùm plenitudo temporis aduenit, Deus Filium suum, æternam suam prudentiam, substantiam gloriæ suæ, in mundum misit, qui naturam humanam ex substantia fœminæ assumpsit, nempe ex virgine, idque per operationem Spiritus sancti. Sicque natum est iustum illud Dauidis semen, Angelus magni consilij Dei, ipse Messias promissus, quem nos agnoscimus & confitemur Emmanuelem, verum Deum & verum hominem, duabus naturis vnitis & coniunctis, in vnam personam. Qua confessione nostra damnamus damnabiles & pestilentes hæreses Arrij, Marcionis, Eutichetis, Nestorij, & aliorum, qui vel negarunt æternam illius deitatem, aut veritatem humanæ naturæ,

naturæ, vel qui eas confuderunt aut diuiserunt. Gal.4.4. Luc.2.6.

7. Cur oportuerit mediatorem esse verum Deum & verum hominem

Agnoscimus & confitemur, hanc maximè admirandam coniunctionem inter deitatem & humanitatem in Iesu Christo, ab æterno & immutabili Dei decreto processisse, vnde etiam nostra salus oritur & dependet.

8. Electio.

Nam idem æternus Deus & Pater, qui ex mera gratia elegit nos in Iesu Christo filio suo, ante iacta mundi fundamenta, ipsum, vt nostrum esset caput, noster frater, noster pastor, & magnus animarum nostrarum Episcopus destinauit. Verùm quia inimicitia inter Dei iustitiam & nostra peccata erat eiusmodi, vt nulla caro ex se, aut quiuerit, aut potuerit ad Deum peruenisse, opus fuit filium Dei ad nos descendere, & sibi corpus ex nostro corpore assumere, carnem ex nostra carne, os ex ossibus nostris, vt sic esset perfectus inter Deum & homines mediator: omnibus quotquot in Deum credunt, dans potestatem, vt fiant Dei filij, vt ipse testatur: Ego ascendo ad meum patrem & vestrum Deum. Per quam sanctissimam fraternitatem, quicquid in Adamo amisimus, rursus nobis restituitur: & hac de causa non veremur Deum patrem nostrum vocare, non tam quia nos creauit, (quod commune habemus cum ipsis reprobis) quàm quia dedit nobis in fratrem filium suum vnigenitum, nobisque gratiam dedit, vt illum pro nostro mediatore agnoscamus & amplectamur, vt antè dictum est. Oportuit porro Messiam, & redemptorem, verum Deum & verum hominem esse, quia pœnas nostris transgressionibus debitas erat laturus, séque ipsum stiturus, quasi in nostra persona coram judicio Patris pro nostra transgressione & inobedientia pati, morte, mortis authorem superare. Verùm quia sola Deitas mortem pati nequiuit, neque etiam sola humanitas eandem superare, vtramque in vnam personam coniunxit, vt vnius imbecillitas pateretur, & morti (quam nos meriti sumus) subjiceretur, & infinita atque inuincibilis potentia alterius, scilicet Deitatis, triumpharet: & vitam, libertatem & perpetuam victoriam nobis procuraret, atque sic confitemur, maximéque indubitanter credimus. Ephes.1.4. Hebr.2.11.12.1. Petr.2.25, Ioh.1.12. ibid.20.17. Isa.3.5.

9. Christi mors, passio & sepultura.

Quod Dominus noster Iesus Christus obtulit se voluntarium Sacrificium Patri pro nobis, quod passus sit contradictionem peccatorum, quod vulneratus & plagis affectus pro nostris transgressionibus fuit, quod cùm esset purus & innocens agnus Dei, damnatus sit in præsentia judicis terreni, vt nos coram tribunali Dei nostri, quod ipse non tantùm crudelem crucis mortem sit passus (quæ, Dei sententiâ fuit maledicta) sed etiã quod ad tempus iram patris, quã pec-

catores meriti sunt, subiuit. Verùm nihilominus profitemur, quod permansit vnicè dilectus & benedictus Patris filius in medio angoris sui, & tormento, & quod animo & corpore passus est, vt pro populi peccatis plenè satisfaceret, atque nunc nullum aliud sacrificium pro peccatis superesse affirmamus & profitemur. Quod si qui aliud asserãt, illos in Christi mortẽ, ęternam purgationem & satisfactionẽ per eandem nobis procuratam blasphemos esse, non dubitamus profiteri.

Isa.53.10.12.Hebr.7.27 ibid.9.26. Heb.12.3. Isa.53.3.4.5. Deuteron.21. 23.Galat.3.13.Hebr.10.1.2.Item 9.28.

10. *Resurrectio.*

Sine omni dubio credimus, quum impossibile esset, vt dolores mortis, authorem vitæ, captiuum tenerent, quod Dominus noster Iesus Christus, crucifixus, mortuus & sepultus, qui descendit ad inferos, pro nostra justificatione resurrexit, & destruens eum qui erat peccati author, vitam nobis, qui morti ejúsque seruituti subjiciebamur, reduxit. Scimus hanc ejus resurrectionem confirmatam fuisse testimoniis ipsiusmet inimicorum, resurrectione mortuorum, quorum sepulchra aperta fuerunt, illique resurrexerunt, & multis intra ciuitatem Hierosolymitanam apparuerunt, id etiam testimoniis Angelorum, sensibus atque judicio Apostolorum, & aliorum qui cum ipso conuersati sunt, quique cum ipso post resurrectionem ederunt & biberunt, est confirmatum.

Act.2.24.Rom.6.4.Matt.28.Ioh.20.& 21.

Ascensio.

Nequaquam dubitamus, quin ad ipsum corpus quod natum fuit ex Virgine, crucifixum, mortuum & sepultum, quod illud resurrexit & ascendit in cœlos, vt omnia adimpleret: vbi nostro nomine, & ad nostram consolationem, omnem potestatem in cœlo & in terra accepit, vbi ad dextram patris sui sedet, coronatus in regno suo, aduocatus & solus mediator pro nobis: quam gloriam, honorem & pręrogatiuam ipse solus inter fratres possidebit, donec omnes ipsius inimici fiant scabellum pedum ipsius. Act.1.9.Matth.28.18. 1.Iohan.2.1.item 2.5.Psalm.110.1.

Sicut etiam sine dubio credimus, vltimum judicium futurum, ad cujus executionem, certò confidimus, eundem Dominum Iesum visibiliter rediturum, sicut visus est ascendere, & quod tunc tempus recreationis & restitutionis rerum omnium veniet, firmiter credimus: adeo vt qui ab initio vim passi sunt & injuriam propter justitiam, beatam illam immortalitatem ab initio promissam possidebunt. Apoc. 20.11.12. &c. Sa.66.18.19. &c. Sed è contra, refractarij, inobedientes, crudeles, oppressores, homines impuri, idololatræ, & omnis generis infideles, in carcerem exteriorum tenebrarũ, vbi ipsorum vermis non morietur, nec ignis extinguetur, conjicientur. Cujus diei judiciíque in ipso exequendi recordatio, non tantùm est nobis frænum ad cohibendum

bendum carnales appetitus, sed etiam tanta támque incomparabilis consolatio, quod nec minæ potentissimorum huius mundi principum, nec metus mortis temporalis, & præsentis periculi, poterit nos adigere, vt renunciemus, aut abnegemus beatam illam societatem, quam nos membra habemus cum capite, & vnico nostro mediatore Iesu Christo: quem esse Messiam promissum, vnicum Ecclesiæ caput, iustum nostrum legis latorem, vnicum nostrum summum Sacerdotem, aduocatum & mediatorem, confitemur & profitemur. In quos honores & munera si homo vel angelus sese ingerere præsumant, illos vt contumeliosos & blasphemos in nostrum Seruatorem & supremum gubernatorem, Iesum Cristum penitus detestamur, & ab illis abhorremus. Col.1.18. Iac.4.12. Heb.c.9.& 10.

11. Fides in Spiritum sanctum.

Fides hæc eiúsque certitudo, ex carne & sanguine, id est ex naturali quæ in nobis est facultate, nō procedit, sed est inspiratio Spiritus sancti, quē confitemur eum æqualem Patri & Filio qui nos sanctificat & ducit operatione sua, in omni veritate, sine quo Dei inimici, & ignari Filij eius Iesu Christi, in æternum maneremus. Matt.16.17. Ioh. 14.15.19. Natura enim ita sumus mortui, cæci & peruersi, vt nec sentiamus cum pungimur, videamus lucem cum splendet, nec Dei voluntati, cum nobis reuelatur, quimus assentiri, nisi spiritus Domini nostri, quod mortuum est, viuificet, auferat tenebras mentium nostrarum, & rebellionem cordium, in obsequium benedictæ voluntatis ipsius flectat. Itaque sicut confitemur Deum patrem cum non essemus nos creasse, & Filium eius Dominum nostrū Iesum Christum, cùm eius inimici essemus, nos redemisse: ita etiam confitemur, Spiritum sanctum, sine omni meriti nostri respectu, (siue sit ante, siue post regenerationem) nos sanctificasse & regenerasse. Et vt hoc vnum adhuc planius dicamus, sicut nos omni gloria & honore creationis & redemptionis nostræ spoliamus, sic etiam & regenerationis & sanctificationis: nam ex nobis ne cogitare quidquam boni sufficimus, sed qui incepit opus in nobis, is solus est, qui ad laudem & gloriam, immeritæ suæ gratiæ, id ipsum in nobis continuat. Rō.5.10. 2. Cor.3.5.

13. Causa bonorum operum.

Itaque confitemur, causam bonorum operum esse non nostrum liberum arbitrium, sed Domini nostri Iesu spiritum, Iohan. 3.6. qui per veram fidem habitans in nostris cordibus talia bona opera producit, qualia Deus præparauit, vt in illis ambularemus. Ephes.2.10. Hoc enim audentissimè affirmamus, blasphemum esse dicere, Christum in talium cordibus habitare, in quibus nullus prorsus est sanctificationis spiritus. Ideóque non veremur affirmare, homicidas, oppressores, crudeles, persecutores, adulteros, fornicatores, impuros homines, idololatras, ebriosos, fures, & alios iniquitatis operarios, nec veram fidem, nec vllam Spiritus sancti portionem habere,

Q

quandiu in tali iniquitate pertinaciter perseuerauerint. Nam quamprimum Spiritus Domini Iesu, quem Dei electi per veram fidem recipiunt, possessionem in alicujus corde accipit, tum statim hominem illum regenerat, & renouat: sic, vt odio habere incipiat, quod antea amauerat, & illud incipiat amare, quod antea oderat: & inde procedit continua illa inter carnem & spiritum pugna: adeò quod caro & naturalis homo, secundùm suam corruptionem, placentia sibi & jucunda concupiscit, murmurat in aduersis, in secundis effertur, & omnibus momentis est prona & parata ad Dei majestatem offendendum. Rom. 8. 16. Sed Dei Spiritus qui testatur spiritui nostro nos esse Dei filios, facit nos resistere immundis voluptatibus, & in Dei præsentia suspirare, pro liberatione ab hac seruitute corruptionis. Et tandem ita de peccato triumphat, ne in mortalibus corporibus regnet. Pugnam hanc carnales homines non habent, quum sint Spiritu Dei destituti, sed sequuntur & obtemperant peccato cum auiditate sine pœnitentia, provt Satan & ipsorum praua cupiditas eos stimulat. Verùm Dei filij, vt antè dictum est, pugnant contra peccatum, suspirant & gemunt, cùm se iniquitate sentiunt tentari: & si lapsi fuerint, non ficta pœnitentia resurgunt; hæc autem non sua, sed virtute Domini Iesu faciunt, sine quo nihil possunt facere. Iohan. 15. 5.

14. *Quæ opera bona coram Deo reputantur.*

Confitemur & agnoscimus Deum sanctam suam legem homini dedisse, Exod. 20. 1. Deuteron. 5. 6. in qua non solùm opera, quæ displicent, & offendunt diuinam majestatem prohibentur, sed etiam quæcunque ipsi placent, quæque remunerare promisit, præcipiuntur. Atque hæc opera, duorum sunt generum, quorum vnum fit in Dei honorem, alterum in proximorum nostrorum commodum: vtrumque autem authoritate voluntatis diuinæ nititur. Vnum habere Deum, ipsum colere & honorare, illum in omnibus nostris aduersis inuocare, sanctum ejus nomen reuereri, verbum ejus audire, ei fidem dare, sanctis ejus Sacramentis communicare, sunt primæ Tabulæ opera. Patrem, matrem, principes, gubernatores, potestates eminentes, honorare, amare, juuare, mandatis ipsorum (quæ diuinis non repugnant) obtemperare, innocentum vitas seruare, Ephes. 6. 1. Ierem. 21. 3. 4. Ezech. 22. 3. 4. tyrannidem reprimere, oppressos defendere, corpora nostra munda & sancta conseruare, sobriè & temperanter viuere, cum omnibus in verbo & facto justè agere, denique omnes appetitus, quibus proximus noster læditur, aut lædi possit, reprimere, sunt bona illa opera secundæ Tabulæ, quæ Deo maximè grata & accepta sunt, vt quæ ab ipso nobis sunt imperata. Quicquid autem his contrariatur, est peccatum maximo dignum odio, quod omni ratione illi displicet, eúmque ad iram prouocat. Esa. 50. 10 11. 1. Thess. 4. 3. 4. 5. Vt ipsum solum non inuocare, in nostra necessitate, ejus verbum cum reuerentia non audire, illud contemnere & spernere, ha-

bere vel

bere vel colere idola, idololatriam fouere vel defendere, parui pendere reuerendum illud Dei nomen, sancta Iesu Christi Sacramenta prophanare, abuti aut cõtemnere, illis quos Deus in authoritate collocauit (dum se intra vocationis suæ limites continent) non parere, aut resistere, Roman. 13.1. homicidium committere aut ei consentire, odio proximum habere, sanguinem innocentem fundi permittere, si illud quominus fiat possis impedire: & tandem transgressionem cuiusvis mandati in prima vel secunda Tabula, quo Dei ira aduersus superbum & ingratum mundum accenditur. Itaque illa tantum bona opera esse affirmamus, quæ fide secundum Dei mandatum fiunt, qui in lege sua, quid sibi placet exposuit. Mala autem opera dicimus esse, non solum illa, quæ expresse contra Dei mandatum fiunt, sed etiam quæcunque in religione & Dei cultu, non aliam habent certitudinem quàm inuentionem & opinionem hominis, quæ Deus ab initio semper reiecit, sicut per Prophetam Esaiam & Dominum nostrum Iesum Christum istis verbis docemur, Frustra colunt me, doctrinas & mandata hominum docentes. Isa. 29.13. Matth.15.8.

15. *Perfectio Legis & hominis imperfectio.*

Legem Dei justissimam, æquissimam, sanctissimam & perfectissimam esse confitemur & agnoscimus, quódque ea præcipit, quæ si perfectè efficerentur, illuminarent, & hominem ad æternam felicitatem perducere possent, verùm natura nostra adeò est corrupta, infirma & imperfecta, vt nunquam opera Legis perfectè implere valeamus. Rom 7.18. Psalm.19 12. Deuteron.5.25. Roman.10.3.1. Iohan.1.8. Imò si postquam regenerati sumus, peccatum nos non habere dixerimus, nosmetipsos decipimus, & veritas Dei in nobis non est, & ideò oportet nos Christum cùm ipsius iustitia & satisfactione apprehendere, qui est finis & complementum Legis, per quem hac libertate donamur, vt quamvis nos Legem in omnibus non impleamus, tamen ab execratione Dei sumus immunes. Rom. 10. 4. & 9. Gal. 3. 24. Deut. 16. 13. Nam Deus Pater nos in corpore Iesu Christi Filij sui intuetur, imperfectam nostram obedientiam quasi perfectam acceptat, omniáque opera nostra, quæ in se multis maculis fœdantur, perfecta justitia Filij sui tegit, Ephes. cap. 1. vers. 5. 11. Roman. cap. 4. vers. 1. non existimamus nos ita libertate donatos, quasi nullam Legi obedientiam debeamus (contrarium enim antè confessi sumus) Sed hoc affirmamus, neminem in terra (Christo solo excepto) opere & reuera ita præstitisse, præstare aut præstiturum, eam in opere obedientiam legi quam lex requirit: sed quum omnia fecerimus, oportet procumbere & ingenuè confiteri nos esse seruos inutiles. Luc. 17.10. Itaque quicunque merita operum suorum iactitant, aut operibus supererogationis confidunt, de vanitate se iactitant, & damnandæ idololatriæ confidunt.

16. *De Ecclesia.*

Sicut in vnum Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum credimus, ita etiam ab initio fuisse & nunc esse, Matth. 3. 9. & in consummationem vsque mundi futuram vnam Ecclesiam constanter credimus, id est, societatem & multitudinem hominum à Deo electorum, qui illum rectè per veram fidem in Iesum Christum colunt & amplectuntur, qui ejusdem Ecclesiæ solus est caput, quæ etiam est corpus & sponsa Christi Iesu, quæ Ecclesia est Catholica, id est, vniuersalis, quia electos omnium seculorum, regnorum, nationum & linguarum continet, siue sint ex Iudæis, siue ex Gentibus, qui communionem cum Deo Patre & Filio ejus Iesu Christo, per sancti Spiritus sanctificationem habent: Ephes. 1. 22. ibid. 5. 23. Coloss. 1. 18. Apocal. 7. 9. Ideo vocatur communio, non prophanorum, sed sanctorum, qui tanquam ciues cœlestis Hierosolymæ beneficiis, omnem æstimationem superantibus fruuntur, videlicet vno Deo, vno Domino Iesu Christo, vna fide vnoque Baptismo: extra quam Ecclesiam nec est vita, nec æterna felicitas. Itaque prorsus detestamur illorum blasphemiam, qui dicunt homines viuentes secundùm æquitatem & justitiam, quamcunque religionem professi fuerint, seruatum iri. Nam vt sine Christo nec est vita nec salus, ita nemo ejus erit particeps, nisi quem Pater Filio Iesu Christo tradidit, illósque opportuno tempore ad illum venire, ejus doctrinam profiteri, in illum credere (liberos n. cum parentib. fidelibus comprehendimus) oportet. Hæc Ecclesia est inuisibilis, soli Deo nota, qui solus nouit quos elegit: comprehenditque, sicut dictum est, tam electos defunctos, qui vulgo Ecclesia triumphans vocantur, quàm eos qui adhuc in hac vita supersunt, militantes contra peccatum & Satanam, & posthac sunt victuri. Ioh. 6. v. 37. 39. & 65.

17. *Animarum immortalitas.*

Electi defuncti, sunt qui in pace & quiete à laboribus suis. Apoc. 14. 3. non quod dormiunt, & in quandam obliuionem veniunt, vt phantastici quidam affirmant: sed quod ab omni metu & tormentis omnique tentatione liberantur, quibus nos & omnes Dei electi in hac vita subjicimur, Apoc. 7. 14. Ideóque Ecclesia militans appellatur, vt contra reprobi & infideles defuncti, angorem, tormenta & pœnam supra quam exprimi potest patiuntur: adeò vt neque hi neque illi ita dormiunt, quin sentiunt in qua conditione versentur, sicut parabola Iesu Christi, Lucæ 16. ejus verba in cruce ad latronem & clamor animarum sub altare (Domine qui es justus & æquus, quóvsque sanguinem nostrum inultum in habitatores terræ relinques) manifestè attestantur, Luc. 23. 43. & Apoc. 6. 10.

18. *De notis, quibus Ecclesia vera, à falsa discernitur, & quis doctrinæ iudex constituendus.*

Quia Satan ab initio operam nauauit, pestiferam suam Synagogá, Ecclesiæ Dei titulo ornare, & inflammauit corda crudelissimorum

homicida-

homicidarum, persequi, turbare & molestia afficere veram Ecclesiam, ejúsque membra vt in Caino & Abele, Ismaële & Isaaco, Esauo & Iacobo, omnibúsque Iudæorum sacerdotibus, & Iesu Christo, & ejus Apostolis qui eum secuti sunt, Gen. 4. 8. 21. 9. 27. 41. Mat. 23. 29. Iohan. 11. 53. Act. 4. 1. Imprimis necesse est vt vera Ecclesia ab ejusmodi sordidis synagogis, perspicuis & perfectis notis discernatur, ne decepti, ad nostram damnationem falsam pro vera, recipiamus & amplectamur. notæ, signa & certa indicia, quibus immaculata Iesu Christi sponsa ab impuro & horribili scorto, Ecclesia malignantium dignoscitur, nec esse antiquitatem, vsurpatum titulum, linealem descensum, nec multitudinem hominum, approbantium errorem, affirmamus. Cain enim, ætate & titulo Abeli & Setho præferebatur. Ierusalem etiam prærogatiuam supra omnia terræ loca habebat: vbi etiam Sacerdotes per lineam ab Aarone descenderunt: major etiam numerus, Scribas, Pharisæos & Sacerdotes sequebatur, quam qui verè in Christum Iesum crediderunt, ejúsque doctrinam approbarunt: & tamen neminem sani judicij arbitramur falsurum, aliquem prædictorum, Dei Ecclesiam fuisse. Notas ergo veræ Ecclesiæ Dei credimus, confitemur, & profitemur, primùm & ante omnia, veram prædicationem Verbi Dei, in quo Deus seipsum nobis patefecit, sicut Prophetarum & Apostolorum scripta nobis declarant. Ioh. 1. 23. 16. 5. 39. 1. Cor. 3. 10. 11. Ephes. 2. 20. Rom. 4. 11. 1. Cor. 5. 3. Deinde recta Sacramentorum Iesu Christi administratio, quæ verbo & promissioni Dei annecti debent, vt illud in cordibus nostris confirment & obsignent. Postremo loco est disciplina Ecclesiastica rectè administrata, sicut Dei verbum præscribit ad reprimendum vitium & virtutem fouendam. Vbicunque prædictæ hæ notæ videntur, & tempore aliquo continuantur (etsi numerus duo vel tres non excedat) illic proculdubio esse Ecclesiam Christi, in cujus medio ipse (provt est pollicitus) præsens adest, non in vniuersali de qua diximus antea, sed particulari qualis erat Corinthi in Galatis, Ephesi & in aliis locis, in quibus ministerium fuit à Paulo plantatum, & ab Apostolo, Ecclesiæ Dei nominatæ fuerunt. Tales nos qui in Scotia habitamus in Scotiæ regno, Iesu Christi professores, in vrbibus & pagis & locis reformatis habere nos profitemur. Doctrina enim quæ in Ecclesiis nostris docetur, verbo Dei scripto continetur, videlicet in libris Veteris & Noui Testamenti, de libris enim illis loquimur, qui à veteribus Canonici habiti fuerunt. In quib. omnia credenda ad hominum salutem sufficienter expressa affirmamus. Cujus interpretationem, neque ad priuatam aliquam aut publicam personam pertinere confitemur, neq; ad Ecclesiam aliquam, propter præeminentiam aut prærogatiuam quancunque vel personalem vel localem, quam vna supra aliam habet: sed jus & authoritas hæc esse solius Spiritus Dei, per quem S. Scripturæ, literis sunt mandatæ. Cùm ergo contingit quod contrauertitur pro recto sensu alicujus loci, vel sen-

tentiæ Scripturæ aut pro reformatione alicujus abusus in Ecclesia Dei, non tam videndum nobis est, quid homines ante nos, vel dixerunt, vel fecerunt, quam quid Spiritus sanctus vniformiter, in corpore Sacræ Scripturæ dicat, & quid Iesus Christus ipse fecit, & faciendum præcepit. Hoc enim omnes sine controuersia fatentur Spiritum Dei, qui est vnitatis Spiritus, nullibi sibi contrarium esse, 1. Cor. 12. 4. Si itaque interpretatio, determinatio, vel sententia cujusvis doctoris Ecclesiæ vel consilij, expresso Dei verbo, in quovis alio Scripturæ loco repugnet; certum est illam interpretationem, non esse mentem & sensum Sancti spiritus, quamvis Concilia, Regna & nationes eam admiserint, & approbauerint: nullam enim interpretationem admittere audemus, quæ alicui principali articulo fidei, aut alicui plano textui Scripturæ aut charitatis regulæ repugnat.

19. *Scripturarum authoritas.*

Sicut credimus & confitemur Scripturas Dei sufficienter instruere, & hominem Dei perfectum reddere: ita ejus authoritatem à Deo esse, & nec ab homine vel Angelo pendere affirmamus & profitemur, 1. Timoth. 3. 16. Asserimus itaque quod qui dicunt Scripturas non aliam habere authoritatem, sed eam quam ab Ecclesia accepit, sunt in Deum blasphemi, & veræ Ecclesiæ injuriam faciunt quæ semper audit, & voci sponsi & pastoris sui obsequitur, nunquam autem magistram agere sibi arrogat, Iohannes 10. 3. & 14.

20. *De Conciliis generalibus; eorum potestate, authoritate, & caussis cur conueniunt.*

Quemadmodum non temerè damnamus illud quod viri pij, congregati in generali Concilio legitimè conuocato, nobis proposuerunt. Ita sine justo examine non admittimus quicquid hominibus, generalis concilij nomine obtruditur: manifestum enim est, quod sicut fuerunt homines, ita etiam eorum quidam manifestè errarunt, idque in rebus maximi ponderis & momenti. Quatenus ergo concilium, sententiam & mandatum quod dat, probat plano Dei verbo, eatenus statim idipsum reueremur & amplectimur. Verùm si qui Concilij nomine nouos fidei nostræ articulos nobis cudere aut constitutiones verbo Dei repugnantes facere prætendant: tamen oportet omne illud quod animas nostras à voce solius Dei nostri auocat, vt hominum doctrinas & constitutiones sequamur, tanquam doctrinas dæmoniorum penitus rejicere, 1. Timoth. 4. 1. Causa igitur cur generalia Concilia conuenerunt, non fuit, vt aliquam perpetuam non antea à Deo latam legem conderent, neque vt nouos fidei nostræ articulos fabricarent, vel vt Dei verbo vllam authoritatem tribuerent; multò minus vt facerent illud esse verbum Dei, aut veram ipsius interpretationem, quæ antea non fuerit, sancta ejus voluntas verbo ipsius expressa. Verùm causa conciliorum (loquimur enim de illis quæ conciliorum nomina merentur) partim fuit ad hæreses confutandum

futandum, & vt publicam fidei confessionem posteris sequendam darent, quod vtrunque authoritate verbi Dei scripti fecerunt, idque sine opinione cujusvis prærogatiuæ, quod quia in generali concilio essent, ideo non poterant errare. Hæc fuit prima & principalis generalium conciliorum ex nostra sententia, causa. Altera fuit propter bonam politiam constituendam & obseruandam in Ecclesia, in qua (vt in Dei domo) omnia decenter & ordine fieri conuenit. Non quod eandem in omnibus politiam, eundémque prorsus, in singulis cæremoniis ordinem pro omnibus ætatibus, temporibus & locis constitui posse arbitremur: nam vt ceremoniæ ab hominibus inuentæ tantùm sunt temporales, ita & possunt & debent mutari, cùm potius superstitionem pati vel fouere, quàm ipsarum vsu, Ecclesiam Dei ædificare, inueniuntur.

21. *De Sacramentis.*

Sicut Patres sub Lege, duo præcipua, præter veritatem sacrificiorum, habuerunt Sacramenta, scilicet Circuncisionem & Pascha, quæ qui despexerunt aut contempserunt, pro Dei populo non sunt habiti, 1. Cor. 10. 2. 3. 4. ita etiam nunc tempore Euangelij, nos duo solùm habere præcipua à Christo instituta Sacramenta, agnoscimus & confitemur, quæ ab omnibus illis vtenda præcipiuntur, qui volunt corporis ipsius membra haberi, scilicet Baptismus & Cœna vel mensa Domini, quæ vulgò communio corporis & Sanguinis ejus vocatur. Atque Sacramenta illa tam Veteris quàm Noui Testamenti nunc à Deo instituta, non tantùm visibiliter inter populum ejus & eos qui extra fœdus sunt distinguere, sed etiam fidem suorum filiorum exercere, & participationem eorundem Sacramentorum in illorum cordibus, certitudinem promissionis ejus, & fœlicissimæ illius conjunctionis, vnionis & societatis, quam electi cum capite suo Iesu Christo habent, obsignare. Itaque vanitatem eorum, qui affirmant Sacramenta nil aliud quam mera & nuda signa esse, omnino damnamus. Quin potius, certo credimus per baptismum, nos in Christo Iesu inseri: justitiæque ejus per quam omnia nostra peccata teguntur & remittuntur, participes fieri: atque etiam quod in Cœna Domini ritè vsurpata, Christus ita nobis conjungitur, quod sit ipsissimum animarum nostrarum nutrimentum & pabulum: non quod panis in naturale Christi corpus, & vini in naturalem ejus sanguinem, transubstantiationem vllam imaginemur sicut Pontificij perniciosè docuerunt, & in damnationem credunt: Sed vnio hæc & conjunctio quam habemus cum corpore & sanguine Iesu Christi in recto Sacramenti vsu, operatione Spiritus sancti efficitur, qui nos vera fide, supra omnia quæ videntur, quæque carnalia & terrestria sunt, vehit, & vt vescamur corpore & sanguine Iesu Christi semel pro nobis effusi & fracti, efficit, quódque nunc est in cœlo, & in præsentia Patris pro nobis

apparet. Et quamvis magna sit loci distantia inter corpus ipsius nunc in cœlis glorificatum, & nos nunc in his terris mortales: nihilominus tamen firmiter credimus, panem quem frangimus esse communionem corporis, & poculum cui benedicimus esse communionem sanguinis eius, sic quod fideles in recto vsu Cœnæ Dominicæ ita edere corpus & bibere sanguinem Iesu Christi confitemur, & certò credimus quòd ipse in illis & illi in ipso manent, imo ita fiunt caro de carne & os de ossibus eius, quod sicut æterna deitas carni Iesu Christi vitam & immortalitatem tribuit, ita etiam caro & sanguis eius, dum à nobis editur & bibitur, easdem nobis prærogatiuas confert. Quæ quanquam confitemur, neque nobis dantur eodem tempore solùm, neque propria facultate & virtute Sacramentorum solum: nihilominus fideles in recto vsu Cœnæ Dominicæ, talem habere coniunctionem cum Christo Iesu, qualem naturalis homo non potest apprehendere, affirmamus. Imò & insuper vtcunque fideles, negligentia & humana infirmitate oppressi, non quantum velint proficiunt, in ipso tempore dum Cœna celebratur, tamen postea velut semen viuificum bonæ terræ commissum, fructum producturum asserimus. Nam Sp. S. qui nunquam potest ab Institutionis Christi recto vsu diuidi fideles, fructu illius mysticæ actioni non frustrabitur. Verum totũ hoc ex vera fide Iesum Christum apprehẽdẽte, qui solus facit Sacramenta nobis efficacia prouenire dicimus. Itaque quicunque nobis detrahunt, quasi nos affirmaremus vel crederemus Sacramẽta nil aliud esse, quam nuda & vacua signa, iniuriam nobis faciunt, & cõtra manifestam veritatem loquuntur. Verùm hoc liberè & vltrò confitemur, nos inter Christũ in æterna ipsius substantia & elementa, in signis Sacramentalibus distinguere, adeò quod nec signa loco rei signatæ adoramus, nec adoranda putamus, nec despicimus, aut tanquam inutilia & vana interpretamur, verum cum omni reuerentia illis vtimur. Et antequam illis vtimur, quam possumus diligentissimè nos examinamus. Quia hoc nobis est persuasum ex ore Apostoli, quod qui edunt ex illo pane, & ex calice illo bibunt indignè, rei sunt corporis & sanguinis Iesu Christi.

22. *De recta Sacramentorum administratione.*

Vt Sacramenta rectè administrentur, duo necessariò requiri arbitramur. Vnum vt per legitimos ministros, administrentur: tales autem solùm dicimus illos, qui ad verbi prædicationem designantur, in quorum ore Deus aliquem posuit exhortationis sermonem, quique sunt tales, qui per aliquam Ecclesiam sunt ad illud legitimè electi: Alterum est vt in eiusmodi elementis, & tali forma admistrentur, sicut Deus constituit, alioqui desinere recta esse Iesu Christi Sacramenta affirmamus. Hinc est quod societatem cum Ecclesia pontificia in suorum Sacramẽtorum participatione fugimus. Primo quòd illorum

ministri,

ministri, non sunt ministri Iesu Christi,(imo quod magis est horrendum,fœminis baptizare permittunt,quas Spiritus S.in congregatione docere non patitur.) Secundò quia vnum & alterum Sacramentum, suis inuentionibus ita adulterarunt quod nulla pars actionis Christi in prima sua originali puritate permaneat: nam oleum, sal, sputum,& talia in Baptismo,sunt tantùm inuentiones humanæ,adoratio, veneratio, circumgestatio per plateas vrbium,conseruatio panis in pixide,vel capsula non sunt legitimus vsus Sacramenti corporis Christi, sed mera eiusdem profanatio. Nam Iesus Christus dixit accipite,edite,facite hoc in mei recordationem, quibus verbis & mãdato,sanctificauit panem & vinum in Sacramentum corporis & sanguinis sui,idcirco vt vnum comederetur,& ex altero omnes biberẽt: & non vt seruentur & tanquam Deus adorentur & honorentur sicut Pontificij hactenus fecerunt, qui etiam suffurando à populo, poculum illud benedictionis horrendum sacrilegium commiserunt. Insuper ad rectum Sacramentorum vsum requiritur, vt finis & causa propter quem Sacramenta sunt instituta, non minus à communicantibus, quam administris intelligatur & obseruetur.Nam si intentio in participante mutetur,rectus vsus cessat, quod euidentissimum est, in sacrificiorum reiectione (sicut etiam si Minister planè falsam doctrinam docuerit, quod esset coram Deo odiosum & detestandum) etsi ipsius essent instituta, quia homines impij in alium finem illis vtuntur, quam à Deo sunt ordinata. Idem affirmamus de Sacramentis in Ecclesia Pontificia, in qua totam Iesu Christi actionem adulterari affirmamus, tam in externa forma quam in fine & opinione. Quid Iesus Christus fecit,& faciendum præcepit,ex Euangelistis & D.Paulo est manifestum,quid Sacerdos Pontificius ad altare suum faciat, non est necesse repetere. Finis & causa institutionis Christi, & cur illud quod instituit à nobis fieri debet, illis verbis exprimitur, hoc facite in mei recordationem, quotiescunque ex isto pane ederitis,& ex isto poculo biberitis annunciate, id est extollite, prædicate, magnificate & laudate mortem Domini donec venerit. Verum in quem finem, quáve opinione, Sacerdotes Missam suam dicant, eorum verba in Missa testentur: videlicet quod illi, velut mediatores inter Christum & ipsius Ecclesiam, Deo Patri sacrificium propitiatorium, pro peccatis viuorum & mortuorum offerunt, quam doctrinam, velut sufficientię vnius sacrificij Christi semel oblati ad purgationem omnium qui sanctificantur derogantem, atque in ipsum Iesum Christum blasphemam nos penitus abhorremus,detestamur & repudiamus.

23. Ad quos Sacramenta pertinent.

Baptismum pertinere, tam ad infantes fidelium quam ad ipsos fideles adultos & intellectu præditos agnoscimus & confitemur, atque ita errorem Anabaptistarum damnamus, qui negant Baptismum infantibus vsque dum cognitionem & fidem habuerint. Cœna verò

Domini, tantùm domesticis fidei, qui se examinare & probare possunt, tam in fide quam in fidei officijs erga proximos pertinere confitemur. Qui sine fide, aut qui cum fratribus suis in dissensione manent, in sacra illa mensa edunt & bibunt, indignè edunt. Hinc est quod in Ecclesia nostra pastores publicum & particulare examen, tum cognitionis tum conuersationis & vitæ ineunt, eorum qui ad Cœnam Domini Iesu sunt admittendi.

24. *De ciuili magistratu.*

Confitemur & agnoscimus, Imperia, Regna, Dominia & Ciuitates à Deo distincta & ordinata esse. Potestatem & authoritatem in iisdem siue imperatorum in imperia, regum in sua regna, Ducũ & Principum in sua dominia, aliorúmque magistratuum, in ciuitates suas, sanctam esse Dei ordinationem, ad manifestationem gloriæ ipsius & singularem vtilitatem humani generis destinatam: adeò vt quicunq; quærant tollere vel confundere totum ciuilis politiæ statum, iamdiu stabilitum, illos non tantum humani generis hostes, sed impiè contra manifestam Dei voluntatem pugnare affirmamus. Præterea confitemur & agnoscimus, omnes illos, qui in authoritate collocati sunt, esse amandos, honorandos, timendos, atque in maximè reuerenda æstimatione habendos esse: propterea quòd vicem Dei gerunt, in quorum subsellijs Deus ipse sedet & judicat, imò ipsi Iudices & Principes sunt ij, quibus à Deo datur gladius in laudem & protectionem bonorum, & in maleficorum justam pœnam & vindictam. Insuper Regum, Principum, Gubernatorum & Magistratuum esse potissimum & imprimis Religionis purgationem & conseruationem, affirmamus. Adeò vt non tantum propter ciuilem politiam, sed etiam propter conseruationem veræ religionis, & vt idololatria & superstitio quævis supprimatur à Deo sunt ordinati: vt in Dauide, Iosaphato, Iosia, Ezechia & alijs summis laudibus propter singularem zelum ornatis est videre. Ideo confitemur & profitemur quod qui supremæ authoritati resistunt, vsurpantes quod ad illius munus pertinet, illi Dei ordinationi resistunt, ideóque coram illo innocentes esse non possunt. Et præterea affirmamus quod quicunque auxilium, consilium & consolationem principibus & gubernatoribus fideliter in executione muneris incumbentibus, negant iidem auxilium, consilium & suppetias Deo, qui hæc per præsentiam sui vicem gerentis petit, recusant.

25. *Priuilegia Ecclesiæ gratis data.*

Quanquam Dei verbum verè prædicatum, & Sacramenta rectè administrata, atque disciplina secũdùm Dei verbum in executione missa, certa sint & indubitata veræ Ecclesiæ signa, non tamen propterea singulas talium societatum personas, electa esse Christi membra arbitramur. Agnoscimus enim & confitemur, zizania & paleas cum bono tritico, & posse seminari, crescere, & in magna copia in medio tritici

latere,

latere, id est, quòd reprobi possunt iungi cœtibus electorum, & cum illis in externis verbi & Sacramentorum beneficijs possunt communicare. Sed cùm tales tantùm oretenus ad tempus profitentur, &non ex animo, deficiunt, & non perseuerant vsque ad finē. Ideo ex Christi morte, resurrectione & ascensione nullum fructum percipiunt. Sed qui corde sine simulatione credunt, & ore audenter Iesum Christum confitentur, vt antea diximus, dona illa certissimè percipient, primò, in hac vita, remissionem peccatorum, idque sola fide in Christi sanguine: adeò vt quamvis peccatum maneat & continuò insit in mortalibus istis nostris corporibus, tamen non imputatur nobis, sed remittitur, & tegitur Christi justitia. Secundò in generali judicio, dabitur vnicuique viro & fœminæ resurrectio carnis: mare enim suos mortuos, terra eos qui in ipsa inclusi sunt reddet: imò æternus Deus manum suam super pulverem terræ extendet, & mortui incorruptibiles resurgent, idque in eiusdem carnis substantia, quam vnusquisque nunc gerit, secundùm opera, vel gloriam vel pœnam reportare. Nam qui nunc in vanitate, crudelitate, impuritate, superstitione vel idololatria delectantur, igni qui nunquam extinguetur, adiudicabuntur, in quo tam corporibus quàm animis, quæ nunc diabolo ad omnem abominationem committendam mancipant, cruciabuntur. Qui autem bene agendo perseuerant audenter Dominum Iesum profitentes, constanter credimus eos gloriam, honorem & immortalitatem possessuros, vt perpertuò in æterna vita cum Christo Iesu regnent, cuius glorificato corpori, omnes electi conformes reddentur, cùm ipse rursus in judicio apparebit, & regnum Deo Patri suo tradet, qui tunc erit & in perpetuo manebit, omnia in omnibus Deus benedictus in seculum, cui cum Filio & Spiritu sancto, sit omnis honor & gloria, nùnc & in æuum. Amen.

GENERALIS CONFESSIO VERÆ ET CHRISTIANÆ FIDEI ET RELIGIONIS secundùm Dei verbum,& acta nostrorum Parlamentorum,cui regia Majestas ejúsq;familia,aliíque varij ad Dei gloriam, bonúmq; omnium exemplũ subscripserunt. Apud Edimburgum 28. Ianuarij anno Domini 1581. annóque regni Majestatis regiæ 14.

NOs omnes, nostrûmque vnusquisque qui infra subscripsimus, protestamur post longam & debitam examinationem conscientiarum nostrarum in rebus veræ & falsæ religionis, nunc ex Dei verbo & ipsius Spiritu,de veritate plenè persuasi sumus.Ideóque cordibus nostris credimus, ore nostro confitemur, manibúsque nostris subscribimus, & constanter coram Deo & toto mundo affirmamus, hanc solam esse veram Christianam fidem, Deo placentem,hominique salutem afferentem,quæ nunc ex Dei misericordia,benedicti Euangelij prædicatione est mundo patefacta,quæque à multis & diuersis insignibus Ecclesiis & regnis recipitur, creditur & defenditur,& præcipuè ab Ecclesia Scoticana,Majestate Regia,& tribus hujus regni ordinibus, tanquam æterna Dei veritas, & vnicum nostræ salutis fundamentum, vt particularius exprimitur in Confessione fidei nostræ stabilitæ & publicè confirmatæ,diuersis actis Parlamentorum, & jam à longo tempore Regis nostri Majestas, totúmque regni Scotiæ corpus, cùm in vrbib.tũ rure,publicè professi sunt. Cui Confessioni, & Religionis formæ nos libenter in omnib. articulis in conscientiis nostris assentimur, tanquá indubitatæ Dei veritati,quæ verbo ipsius scripto tantummodo innititur.Ideóq;ab omni contraria religione & doctrina abhorremus,eámq;detestamur,præsertim verò, omne genus Papismi in genere,& particularia ejus capita,sicut à Dei verbo & Ecclesia Scoticana dánantur & confutantur:nominatim autem detestamur,& repudiamus vsurpatam illam Rom. Antichristi authoritatem in Scripturas Dei,in Ecclesiam,in ciuilem Magistratum & conscientias hominum;omnes ipsius leges tyrannicas,de rebus adiaphoris contra Christianam nostram libertatem : erroneam ejus doctrinam,contra sufficientiam verbi scripti,perfectionem Legis,officiũ Christi,& benedictum Euangelium.Corruptá ejus doctrinam,de peccato ori-

cato originali, nostra naturali impotentia, & rebellione contra Dei legem, nostram justificationem per solam fidem, imperfectam nostram sanctificationem & obedientiam legi naturæ, ministerium, & vsum sacrosanctorum Sacramentorum: quinque spuria ejus Sacramenta, cum omnib. ejus ritibus, ceremoniis & falsa doctrina, administrationi verorum Sacramentorum addita sine Dei verbo: crudele ipsius judicium contra infantes sine baptismo morientes, baptismi, absolutam ipsius quam asserit necessitatem: blasphemam ipsius opinionem transsubstantiationis siue realis præsentiæ corporis Christi in elementis, & de receptione ejusdem ab impiis vel hominum corporibus, ejus dispensationes cum solennibus juramentis, perjuriis & gradibus in matrimonio prohibitis à verbo Dei: ipsius crudelitatem contra innocentem in diuortio repudiatum, Missam ejus diabolicam, Sacerdotium ejus blasphemum, prophanum ipsius pro peccatis viuentium & mortuorum sacrificium: canonizationem hominum, inuocationem Angelorum, aut Sanctorum defunctorum: imaginum, reliquiarum, & imaginum crucis cultum: dedicationem templorum, altarium, dierum, vota quæ fiunt creaturis: ipsius purgatorium, preces pro mortuis, orationes & sermones lingua peregrina cum ipsius processionib. & blasphemam ejus litaniam, & multitudinem aduocatorum & mediatorum: multiplices ordines, auricularem confessionem, dispersam & incertam ejus pœnitentiam generalem ejus & dubitantem fidem, ejus satisfactiones hominum pro suis peccatis, ipsius justificationem ex operibus, opus operatum, opera supererogationis, merita, indulgentias, peregrinationes, & stationes, aquam sanctam, baptismum cāpanarum, spirituum conjurationem, crucis formationem, benedictionem, vnctiones, exorcizationes, consecrationes bonarum Dei creaturarum, vnà cum superstitiosa de his adjuncta opinione: terrenam ejus monarchiam, cum impia hierarchia, tria ejus solennia vota cum omnibus ipsius diuersarum sectarum rasis. Erronea & sanguinolenta ipsius Concilij Tridentini decreta, cum omnibus subscriptoribus & approbatoribus crudelis & sanguinei illius fœderis conjurati contra Dei Ecclesiam. Et tandem omnes ejus vanas allegorias, ritus, signa & traditiones in Ecclesiam Dei præter, vel contra Dei verbum & doctrinam hujus vere reformatæ Ecclesiæ introducta, cui nosmetipsos in doctrina, fide, religione, disciplina & vsu sacrorum Sacramētorum, tanquam viua membra, ejusdem corporis sub Christo capite, libenter adjungimus. Promittentes & solenniter jurantes per magnū illud nomen Domini Dei nostri nos perseueraturos in doctrina & disciplina hujus Ecclesiæ, quódque pro vocatione & facultate nostra eadem defendemus omnibus diebus vitæ nostræ, sub pœna omnium maledictionum in lege contentarum, & periculo corporis & animæ, in die tremendi illius judicij Dei. Quúmque multi à Satana & Romano illo Antichristo incitentur promittere, jurare, subscribere, &

ad tempus sanctis Sacramentis fraudulenter contra ipsorummet cõscientias vti, hac ratione intendentes, sub externo religionis prætextu, primùm, veram Dei religionem in Ecclesia corrumpere & subuertere, & postea commodam opportunitatem nacti, apertos hostes se profiteri, & eandem persequi, lactati vana spe indulgentiarum pontificis, quas contra Dei verbum excogitauit, ad majorem ipsiusmet confusionem, & ipsorum in die Domini Iesu, duplicem condemnationem. Nos igitur, omnem talis hypocrisis & fraudis, in hoc cum Deo & Ecclesia negotio suspicionem remouere cupientes, protestamur & inuocamus scrutatorem cordium & renum in testem, quod mentes & corda nostra plenè huic confessioni, promissioni, juramento & subscriptioni assentiuntur: adeò quòd non moueamur vllo mundano respectu, sed tantùm persuasi sumus in nostra conscientia, cognitione & amore veræ religionis Dei nostri, per sanctum Spiritum cordibus nostris impressæ, sicut illi respondebimus in die illo, cum secreta omnium cordium fient manifesta. Et quia percipimus, quietem & stabilitatem religionis & Ecclesiæ nostræ proximè sub Deo à salute, & bona dispositione, & gestu Majestatis regiæ pendere, tanquam ab instrumento consolationis pleno, ex Dei misericordia huic regno indulto ad Ecclesiæ suæ conseruationem & justitiæ inter nos administrationem, protestamur & ex animis promittimus, sub eodem jurejurando, chirographo, & pœnis, nos ejus personam & authoritatem, nostris bonis corporibus & vitis, in Euangelij Christi defensione, patriæ libertate, justitiæ administratione & iniquitatis vltione contra omnes hostes, intus vel extra regnum, defensuros, quemadmodum optamus Deum esse nobis potentem & propitium protectorem in die nostræ mortis, & aduentus Domini nostri Iesu Christi: cui cum Patre, & sancto Spiritu, sit omnis honos & gloria in æternum. Amen.

MANDATVM REGIÆ MAIESTATIS, OMnibus mandatarys, & verbi Ministris, intra ipsius regnum datum.

QVum nos, nostrique subscripserimus, hancque publicã fidei nostræ Confessionem dederimus, in bonum subditorum nostrorum exemplum: Omnibus mandatariis & ministris præcipimus & injungimus vt eandem hanc Confessionem ab omnibus suis parœcis exigant, & contra recusantes, secundùm leges nostras & ordinem Ecclesiæ procedant, illorum nomina cum legitimo processu, quumprimum & cum omni diligentia, ministris domus nostræ deferentes, sub mulcta quadraginta librarum ab ipsorum stipendiis detrahendarum, vt nos ex Senatus nostri consilio, ejusmodi Dei & legum nostrarum contemptores, in ordinem cogamus.

Subscriptum manu nostra, in ædibus Sanctæ Crucis, Anno Domini 1581. 2. die Martij. Anno verò Regni nostri 14.

ECCLE-

ECCLESIARVM BELGICARVM CHRISTIANA ATQVE ORTHODOXA CONFESSIO,

SVMMAM DOCTRINÆ DE DEO ET ÆTERNA animarum salute, complectens

Provt in Synodo DORDRECHTANA fuit recognita & approbata.

ARTICVLVS I.

Corde credimus, & ore confitemur omnes, vnicam esse & simplicem essentiam spiritualem, quam Deum vocamus, eúmque æternum, incomprehensibilem, inuisibilem, immutabilem, infinitum, omnipotentem, summè sapientem, justum & bonum, omniúmque bonorum fontem vberrimum.

II.

Duobus auté modis eum cognoscimus: primo, per creationem, conseruationem, atque totius mundi gubernationem: quandoquidem is, coram oculis nostris est, instar libri pulcherrimi, in quo creaturæ omnes, magnæ minoresque, loco characterum sunt, qui nobis Dei invisibilia contemplanda exhibent; æternam nempe ejus potentiam & diuinitatem, vt Paulus Apostolus loquitur, Rom. 1. 20. Quæ omnia ad conuincendos, & inexcusabiles reddendos homines, sufficiunt. Secundo, ipse sese nobis longe manifestius & plenius in sacro & diuino suo Verbo cognoscendum præbet, quantum quidem id, ad gloriam ipsius: nostrámque, in hac vita salutem, necessarium est.

III.

Confitemur, hoc Dei verbum, non humana voluntate allatum, traditumque fuisse; sed sanctos Dei viros diuino afflatos Spiritu, locutos esse, vt beatus Petrus ait. Postea vero Deus, pro singulari cura, quam de nobis nostraque salute gerit, servis suis Prophetis & Apostolis mandauit, vt sua illa oracula scriptis consignarent. Quin & ipse, duas tabulas legis, digito suo exarauit. Atque hanc ob causam, scripta hujusmodi, Sacras & Divinas Scripturas appellamus.

IV.

Sacram autem Scripturam, duobus voluminibus, Veteris nimirum & Noui Testamenti, complectimur: qui sunt libri Canonici. Quibus, nihil opponi potest. Eorum in Dei Ecclesia hic est Catalogus Veteris quidem Testamenti, Quinque Libri Moysis; nempe, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: Liber Iosuæ, Iudicum, Ruth, duo Libri Samuelis, & duo Regum, duo Libri Chronicorum, qui Paralipomenon dicuntur, primus Esdræ, Nehemias, Esther. Item, Iob, Psalmi Dauidis, Tres libri Salomonis; videlicet Prouerbia, Ecclesiastes & Canticum Canticorum: Quatuor Prophetæ Maiores, Esaias, Ieremias, cum eiusdem Threnis, Ezechiel & Daniel: inde reliqui duodecim Minores Prophetæ; nempe, Oseas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Habacuc, Zophonias; Aggæus, Zacharias & Malachias. Noui vero Testamenti, Quatuor Euangelistæ; Sanctus scilicet Matthæus, Marcus, Lucas & Iohannes; Acta Apostolorum: Quatuordecim Epistolæ S. Pauli, quæ sunt, ad Romanos, ad Corinthios duæ, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, ad Thessalonicenses duæ, ad Timotheum duæ; ad Titum, Philemonem, Hebræos: & septem epistolæ reliquorum Apostolorum; nempe Iacobi, Petri duæ, Iohannis tres, Iudæ: Apocalypsis denique S. Iohannis Apostoli.

V.

Hosce omnes libros solos pro Sacris & Canonicis recipimus, vt ad eos, veluti ad regulam, fides nostra exigatur; ijsque tanquam fundamento, innitatur, & stabiliatur. Eaque omnia, quæ illis continentur, absque omni dubitatione credimus: idque non tam, quod Ecclesia eos pro hujusmodi recipiat & approbet, quam inprimis, quod Spiritus S. in cordibus nostris testetur à Deo profectos esse, comprobationemque ejus in se ipsis habeant: quum vel ipsi cæci ea, quæ in illis prædicta fuerunt, euenire, ipso quasi contractu deprehendant.

VI.

Differentiam porro constituimus inter libros hosce Sacros, & Apocryphos; qui sunt, Tertius & Quartus Esdræ: Libri Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici; Baruch cum epistola Ieremiæ, adiectiones ad Estherem, Canticum in fornace trium puerorum, Historia Susannæ, Idoli Belis, & Draconis: Oratio Manassis, duo præterea libri Machabeorum; quos quidem Ecclesia legere, & ex ijs documenta de rebus

cum

cum libris Canonicis consentientibus, desumere potest. At nequaquam ea ipsorum vis & autoritas est, vt ex vllo testimonio ipsorum aliquod dogma de fide aut Religione Christiana, certo constitui possit: tantum abest, vt diuinorum illorum librorum autoritatem imminuere valeant.

VII.

Credimus Sacram hanc Scripturam, Dei voluntatem perfecte complecti, & quodcunque ab hominibus, vt salutem consequantur, credi necesse, est, in illa sufficienter edoceri. Nam quum illic omnis diuini cultus ratio quem Deus à nobis exigit, fusissime descripta sit, nulli hominum, ne Apostolis quidem, fas est aliter docere, quam jampridem in Sacris Literis edocti sumus; imo vero, etiamsi è cœlo Angelus foret, vt ait Apostolus Paulus. Quum enim vetitum sit, ne quis Dei verbo quicquam addat aut detrahat, satis eo ipso demonstratur, doctrinam illius perfectissimam omnibúsque modis consummatam esse. Sed nec cum diuinis iisdem scripturis, vlla hominum, quantávis sanctitate præditorum scripta, neque vlla consuetudo, cum diuina veritate, (veritas enim rebus omnibus antecellit) neque multitudo, neque antiquitas, neque temporum, personarumque Successio, neque Concilia, Decreta, aut Statuta, comparari possunt. Omnes enim homines mendaces ex seipsis sunt, ipsaque vanitate vaniores. Idcirco, toto animo rejicimus quicquid cum certissima hac regula non convenit, quemadmodum edocti ab Apostolis sumus, cum dicunt, Probate Spiritus an ex Deo sint. Item, si quis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum in domum vestram.

VIII.

Secundum hanc veritatem & Dei verbum credimus, in vnum Deum, qui est vnica essentia, in qua tres sunt personæ, incommunicabilibus proprietatibus ab æterno reuera ac reipsa distinctæ; nempe Pater, Filius & Spiritus S. Pater, omnium rerum tam visibilium quam inuisibilium caussa, origo atque principium est: Filius est verbum, sapientia, & imago Patris: Spiritus S. virtus & potentia æterna, à Patre filioque procedens. Verumtamen hæc distinctio non efficit, vt Deus in tres sit diuisus; quandoquidem Scriptura nos docet, Patrem, Filium & Spiritum S. singulos distinctam habere suis proprietatibus hypostasin. Ita tamen, vt tres hæ Personæ, tantum sint vnus & solus ille Deus. Manifestum itaque est, Patrem non esse Filium, neque Filium esse Patrem, similiter, Spiritum S. nec Patrem neque Filium esse. Interim Personæ illæ, ita distinctæ, non sunt diuisæ; neque inter se confusæ aut permixtæ. Non enim Pater carnem assumpsit, vt nec Spiritus S. sed solus Filius. Pater nunquam sine Filio suo, nec sine Spiritu suo Sancto fuit. Quia tres hi in vna eademque essentia, æternitate sunt æquales. Nihil hic prius est aut posterius, quum omnes tres vnum sint, tum veritate & potentia, tum bonitate & misericordia.

IX.

Hæc vero omnia cognoſcimus, tam ex S. Scripturæ teſtimonijs, quam ipſarum Perſonarum effectis; ijſque potiſſimum, quæ in nobiſmet ipſis percipimus. Et ſacrę quidem Scripturæ teſtimonia, quæ nos docent Sanctam hanc Trinitatem credere, in compluribus Veteris Teſtament. Locis extant; quæ non tam numeranda, quam ſeligenda diſcernendaque ſunt. Libro Geneſeωs dicit Deus, Faciamus hominem, ad imaginem noſtram, & ſecundum ſimilitudinem noſtram, &c. Deus itaque creavit hominem ad imaginem ſuam: marem & fœminam creavit eos. Item, Ecce Adam factus eſt, tanquam vnus è nobis. Ex eo quod ait, faciamus hominem ad imaginem noſtram, plures eſſe in Deitate Perſonas apparet: Cum vero inquit, Deus creauit, vnitatem indicat. Verum id quidem eſt, ibidem non exprimi quot ſint perſonæ, ſed quod nobis in Teſtamento Veteri paulò eſt obſcurius, id perſpicuum eſt admodum in Nouo. Nam quum Dominus noſter in Iordane baptizaretur, Patris vox audita fuit, dicentis, Hic eſt Filius meus dilectus: Filius, in aquis viſus eſt: Spiritus Sanctus, ſub ſpecie columbæ apparuit. Quin etiam in omnium fidelium Baptiſmo hæc formula à Chriſto præſcripta fuit, Baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. In Euangelio S. Lucæ, Angelus Gabriel Mariam matrem Domini noſtri ita alloquitur, Spiritus S. ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit te: propterea id etiam quod naſcetur ex te Sanctum, Filius Dei vocabitur. Item, Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti, ſit vobiſcum. Et, Tres ſunt qui teſtificantur in cœlo; Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus? atque hi tres, vnum ſunt. Quibus omnibus Locis, plene docemur, tres eſſe in vnica Dei eſſentia, Perſonas. Quamvis autem hæc doctrina, omnem humani ingenij captum longe excedat; nihilominus illam ex Dei verbo nunc quidem credimus; expectamus vero perfectam ejus notitiam fruitionemque in cœlis. Notanda ſunt porro etiam, ſingularia trium harum Perſonarum erga nos officia & effecta. Pater vocatur noſter Creator, virtute ſua; Filius noſter eſt Servator & Redemptor, ſanguine ſuo; Spiritus autem Sanctus noſter ſanctificator, ſua in cordibus noſtris inhabitatione. Atque hæc Sanctę Trinitatis doctrina, jam inde ab Apoſtolorum ætate, in hunc vſque diem, in vera Eccleſia ſemper aſſerta & conſeruata fuit, aduerſus Iudæos, Mahumetanos, atque quoſdam Pſeudo-Chriſtianos hæreticóſque, vtpote Marcionem, Manetem, Praxeam, Sabellium, Samoſatenum, Arrium, & ſimiles alios, qui jure meritoque ab Orthodoxis Patribus, condemnati fuerunt. Idcirco in hoc negotio, lubenter recipimus, tria illa Symbola; Apoſtolorum ſcilicet, Nicœnum & Atahanaſij: ſimiliterque ea, quæ à Veſteribus patribus juxta illorum Symbolorum ſententiam ſtatuta ſunt.

X. Credi-

X.

Credimus, Iesum Christum, secundum naturam suam diuinam, vnigenitum Dei filium esse; ab æterno genitum, non factum aut creatum [ita enim foret creatura] sed ejusdem cum patre essentiæ, coæternum, expressam imaginem hypostaseos Patris, & splendorem gloriæ ipsius, in omnibus illi æqualem. Qui quidem Dei filius est, non tantum ab eo tempore quo nostram naturam assumpsit, sed ab omni æternitate, vt hæc testimonia inter sese collata, nos docent, Moyses ait, Deum mundum creasse: Sanctus vero Iohannes, Omnia per Sermonem facta fuisse, quem & Deum vocat: Et Apostolus, Deum secula fecisse per Filium suum. Item, Deum creasse omnia per Iesum Christum. Necesse itaque eum, qui Deus, Sermo; Filius & Iesus Christus nominatur, jam tum extitisse, quum ab ipso omnia crearentur Ideoque Propheta Micheas inquit, Exitus ejus ab initio, à diebus æternitatis Et Apostolus, Est absque initio dierum, & absque fine vitæ. Est igitur verus & æternus ille Deus, atque omnipotens, quem inuocamus, adoramus & colimus.

XI.

Credimus preterea & confitemur, Spiritum sanctum, à Patre & Filio ab ęterno procedere: non itaque factum, nec creatum, neque etiam genitum; sed solummodo, ab vtroque procedentem: qui ordine tertia in Trinitate persona est, ejusdem essentiæ, Majestatis & gloriæ cum Patre, Filioque: adeoque verus & æternus Deus, vt nos sacra Scriptura docet.

XII.

Credimus Patrem per verbum, hoc est, Filium suum, cœlum & terram cæterasque creaturas omnes, quandoque ipsi visum fuit, ex nihilo creasse; illisque singulis suam essentiam, formam, & figuram, variaque officia tribuisse, vt creatori suo inseruirent: cumque etiam nunc eas omnes, pro æterna sua Prouidentia, & immensa sua virtute, sustentare & regere: idque, vt illæ quidem homini, homo vero Deo suo inseruiat. Creauit præterea Angelos, eosque bonos; vt nuncij ejus essent, electis ejus ministrarent: quorum alij, ab excellentia, in qua eos Deus creauerat, in perditionem æternam prolapsi sunt; alij, diuina gratia, in primo illo statu perstiterunt, atque permanserunt. Diaboli autem & cacodæmones ita corrupti sunt, vt Dei omnisque boni sint hostes, qui omnibus viribus, Ecclesiæ ac singulis ejus membris, veluti prædones, insidiantur, vt imposturis suis omnia destruant perdántque: Ideoque propria sua malitia, æternæ condemnationi adiudicati, horrenda tormenta indies expectant. Ac proinde detestamur Sadducæorum errorem, qui Spiritus & Angelos vllos esse negant: itemque & Manichæorum, qui asserunt, diabolos ex seipsis originem suam ducere, & ex propria sua natura absque sui corruptione malos esse.

XIII.

Credimus benignum illum Deum postquam res omnes creasset, minime eas casui aut fortunæ permisisse, sed secundum sanctam suam voluntatem eum in modum regere & gubernare, vt nihil in hoc mundo absque ipsius ordinatione eueniat, quamvis tamen Deus peccatorum quæ fiunt neque author neque reus sit. Tanta enim tamque incomprehensibilis ipsius potentia & bonitas, vt opus suum optimè justissiméque ordinet & exsequatur, etiam quum & diabolus & impij injuste agunt. Quæ vero ita agit, vt humanum excedant sensum, in ea nolumus curiose vltra quam fert captus noster inquirere. Quinimo omni animi submissione & reuerentia, occulta nobis Dei judicia, adoramus: sufficitque nobis, Christi esse discipulos, vt ea duntaxat discamus quæ ipse verbo suo nos docet, vt ne vsque hosce limites transiliamus. Hæc doctrina, ineffabilem nobis adfert consolationem, dum ea erudimur, nihil nobis fortuito, nec sine optimi Patris nostris & cœlestis voluntate, euenire posse. Qui pro nobis cura vere paterna excubat, omnesque sibi creaturas ita subditas habet; vt ne capillus quidem capitis nostri, qui omnes numerati sunt, imo nec passerculus vllus humi cadere, sine Patris nostri voluntate, possit. In quo quidem toti conquiescimus: persuasi, eum diabolos omnesque inimicos nostros veluti habenis continere, vt sine eius permissione & voluntate, nobis nocere nequeant. Eoque rejicimus detestandum Epicureorum errorem, qui dicunt, nihil Deum curare, omniaque fortunæ permittere.

XIV.

Credimus, Deum ex terræ pulvere, hominem creasse, & ad suam imaginem & similitudinem fecisse atque efformasse; bonum nempe, justum, & sanctum. Qui suo sesé arbitrio ad diuinam voluntatem per omnia componere posset. Verum, cum in honore esset, idipsum non intellexit, nec excellentiam suam cognouit, sed seipsum, verbis diaboli aurem præbens, peccato, ac proinde morti & maledictioni, volens subjecit. Nam mandatum vitæ quod acceperat, transgressus est: seséque à Deo, qui vera ipsius erat vita, peccato suo, penitus divulsit, totamque naturam suam corrupit. Quo se morti corporeæ & spirituali obnoxium reddidit. Atque ita improbus peruersúsque effectus, & in vijs studijsque suis corruptus, præclara illa omnia dona, quæ à Deo acceperat, amisit. Adeo vt ipsi tantum exigua quædam illorum vestigia remanserint: quæ tamen ad reddendum eum inexcusabilem sufficiant; quoniam, quicquid in nobis est lucis, in tenebras versum est vt Scriptura nos docet; dicens, Lux in tenebris lucet; & tenebræ eam non comprehenderunt. Vbi S. Iohannes, homines tenebras appellat. Idcirco rejicimus, quæcunque cum his pugnantia de libero hominis arbitrio docentur; vtpote qui tantum seruus est peccati, neque quidquam ex se habere potest, nisi datum sit illi cœlitus. Quis enim

jactare

jactare audeat, se boni quidquam, tanquam ex seipso, præstare posse, quum Iesus Christus dicat, Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui me misit, traxerit eum. Quis voluntatem suam ostentat, qui intelligat, Affectionem carnis inimicitiam esse aduersus Deum? Quis de intelligentia vel hiscere audeat, qui sciat; Hominem animalem non esse capacem eorum, quæ sunt Spiritus Dei? In summa, Quis vel vllam cogitationem in medium proferat, cum intelligat; Nos non esse idoneos ex nobis ipsis ad cogitandum quidquam, veluti ex nobis ipsis, sed quod idonei simus, ex Deo esse? Firmum ergo & ratum merito manere oportet, dictum illud Apostoli, Deum esse qui efficit in nobis & ipsum velle, & perficere, pro suo beneplacito. Nulla enim intelligentia, nec voluntas conformis est diuinæ, nisi quam Christus in illis fuerit operatus. Quod nos docet cum ait, Sine me nihil potestis facere.

XV.

Credimus, Adami inobedientia peccatum Originis in totum genus humanum diffusum fuisse: quod est totius naturæ corruptio, & vitium hæreditarium: quo & ipsi infantes in matris suæ vtero polluti sunt, quodque veluti radix, omne peccatorum genus in homine producit; ideoque ita fœdum & execrabile est coram Deo, vt ad generis humani condemnationem sufficiat. Neque vero hoc ipsum per Baptismum etiam penitus aboletur, aut radicitus euellitur: quandoquidem assidue veluti aqua ebulliens, ex ea tanquam ex infausta scaturigine, peccatum emanet: quamvis Dei Filijs in condemnationem id non imputetur, verum gratia & misericordia ejus condonetur. Non tamen vt secure peccato indormiant, sed vt corruptionis hujus sensus crebriores gemitus in fidelibus excitet, qui desiderant, ab hoc corpore mortis liberari. Quapropter rejicimus Pelagianorum errorem, qui asserunt, hoc peccatum, tantum ex imitatione esse.

XVI.

Credimus, posteaquam tota Adami progenies sic in perditionem & exitium primi hominis culpa, præcipitata fuit, Deum se talem demonstrasse, qualis est; nimirum, misericordem & justum. Misericordem quidem, eos ab hac perditione liberando & seruando, quos æterno & immutabili suo consilio, pro gratuita sua bonitate in Iesu Christo Domino nostro elegit & selegit, absque vllo operum eorum respectu: Iustum vero, reliquos in lapsu & perditione, in quam sese præcipitauerant, relinquendo.

XVII.

Credimus, benignissimum illum Deum nostrum, cum cerneret hominem sese ita in mortem tam corporalem, quam Spiritualem præcipitem dedisse, prorsúsque miserum effectum; ipsummet pro admirabili sua sapientia & bonitate, eum, cum ab ipso totus tremebundus fugeret, quæsiuisse ac consolatum esse; promissione illi facta de do-

verum autem hominem, vt secundum carnem suam infirmam, pro nobis mori posset.

XX.

Credimus, Deum qui perfectissime misericors & justus est, Filium suum misisse, vt naturam eam, in qua inobedientia perpetrata erat, assumeret, qui in ea ipsa satisfaceret, pœnas peccatis debitas acerbissima passione sua & morte expiaret. Deus igitur justitiam suam erga Filium suum, quem peccatis nostris onerarat, declarauit, & bonitatem atque misericordiam suam in nos reos & condemnatione dignos effudit, dum filium suum ex summa dilectione pro nobis in mortem dedit, & è mortuis excitauit ad nostri justificationem, vt immortalitatem & vitam æternam per eum consequeremur.

XXI.

Credimus, Iesum Christum summum sacerdotem esse in æternum jurejurando constitutum, secundum ordinem Melchisedech. Qui se nostro nomine coram Patre stitit, ad iram ipsius plena satisfactione sua placandum, offerens se ipsum in ligno crucis, pretiosumque sanguinem suum ad purgationem peccatorum nostrorum effundens, provt Prophetæ prædixerát. Scriptum enim est, Castigationem pacis nostræ Dei Filio impositam, & vibicibus ejus nos sanatos esse: ipsum tanquam ouem ad mortem ductum, inter sceleratos reputatum, & à Pontio Pilato, tanquam maleficum, condemnatum: etsi illum prius innocentem pronunciasset. Quæ ergo non rapuerat persoluit, & justus pro injustis, tum in corpore tum in anima sua passus est, ita vt horribiles illas pœnas, peccatis nostris debitas sentiens, grumos quasi sanguinis in terram defluentes, sudauerit, tandemque exclamauerit, Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti? Atque hæc omnia pro remissione peccatorum nostrorum pertulit. Quamobrem merito cum Apostolo Paulo dicimus, Nos nihil aliud scire, quam Christum eumque crucifixum. Quin omnia pro stercoribus ducimus, propter excellentiam cognitionis Iesu Christi Domini nostri: In cujus vulneribus omnem consolationem reperimus. Neque necesse habemus, vt rationes vllas alias quæramus, aut excogitemus, quibus Deo reconciliemur; præter hanc solam & vnicam oblationem, semel peractam, qua fideles in perpetuum consummati sunt. Atque hæc ipsa causa est, quod ab Angelo Dei, Iesus, id est, Seruator, vocatus sit, quod populum suum à peccatis ejus seruaturus esset.

XXII.

Credimus, vt hujus magni mysterij veram cognitionem adipiscamur Spiritum S. veram in cordibus nostris fidem accendere: quæ Iesum Christum cum omnibus suis meritis amplectitur, eumque suum ac sibi proprium efficit, nihilque amplius extra eum quærit. Necessarium est enim, aut omnia quæ ad salutem nostram requiruntur in Iesu Christo non esse, aut si in eo sunt omnia, tum eum qui fide Iesum

Christum possidet, totam salutem habere. Asserere itaque, Iesum Christum minime sufficere, sed alijs quoque præter illum opus esse; horrenda omnino in Deum blasphemia est. Nam inde sequeretur, Iesum Christum ex parte tantum seruatorem esse. Merito igitur cum Paulo dicimus, Nos sola fide justificari, seu, fide absque operibus. Interim proprie loquendo, nequaquam intelligimus, ipsam fidem esse, quæ nos justificat, vt quæ sit duntaxat instrumentum, quo Christū justitiam nostram, apprehendimus: sed Iesus Christus nobis imputans omnia sua merita, & tam multa sancta opera quæ præstitit pro nobis ac nostro loco, est nostra justitia. Fides autem est instrumentum, quo nos cum illo in commune omnium bonorum ejus retinemur: quæ cum nostra facta sint, plus quam satis nobis sunt, ad nos à peccatis nostris absoluendos.

XXIII.

Credimus nostram beatitudinem sitam esse, in peccatorum nostrorum, propter Iesum Christum, remissione, atque in ea justitiam nostram coram Deo contineri, vt Dauid & Paulus docent, pronunciantes, Beatum hominem, cui Deus justitiam absque operibus imputat. Sed & idem Apostolus ait, Nos gratis aut gratia justificari, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. Ac propterea, hoc fundamentum firmum perpetuo retinemus, omnemq; gloriam Deo tribuimus, nosque coram eo humiliamus, ac qui qualesque simus, recognoscimus, nec de nobismetipsis meritisque nostris quidquam præsumimus, sed sola Iesu Christi crucifixi obedientia innitimur, in eaque acquiescimus. Quę quidem nostra est, cum in eum credimus. Hæc sufficit ad omnes iniquitates nostras obtegendas, & vt fiduciam nobis faciat accendendi ad Deum, à conscientijs metum, horrorem, formidinem remouens, ne imitemur primi illius nostri Parentis exemplum, qui tremebundus ficulneis sese obtegere conatus est. Et reuera, si nobis ipsis aut vlli creaturæ vel tantillum innitentes, coram Deo nos sistere oporteret (eheu!) statim absorberemur. Idcirco cum Dauide singulis nobis potius est precandum, Domine ne intres in judicium cum seruo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo vllus viuens.

XXIV.

Credimus veram hanc fidem per auditum verbi Dei, & Spiritus S. operationem, homini insitam, eum regenerare, nouumque hominem efficere, adeoque ad nouam vitam viuendam excitare, & à peccatorum seruitute liberum reddere. Tantum ergo abest, vt fides hæc justificans, homines in recta sanctaque vita tepidiores efficiat, vt prorsus è contrario, sine illa ipsa, nemo vnquam quidquam ex amore Dei, sed amore tantum sui, vel condemnationis metu effecturus sit. Fieri itaque non potest, vt sancta hæc fides in homine otiosa sit: siquidem non loquimur de fide vana, sed de ea quæ in scriptura dicitur, Fides per charitatem efficax. Quæ inducit hominem, vt illis operibus, quæ Deus,

Deus verbo ſuo præcepit, ſeſe exerceat. Atque hæc opera quæ à bona fidei radice proficiſcuntur, coram Deo bona, eique accepta ſunt. Quoniam omnia, per illius gratiam ſanctificantur. Veruntamen ad nos juſtificandos, in cenſum rationemque non veniunt. Fide vtique in Chriſtum juſtificamur, & quidem priuſquam bona opera præſtiterimus. Alias bona opera eſſe non poſſent, non magis quam arboris fructus bonus eſſe poteſt, priuſquam arbor bona fuerit. Facimus igitur bona quidem opera, ſed neutiquam vt ijs promereamur, (quid enim mereamur?) imo potius, ob bona opera quæ facimus, obſtricti Deo ſumus, non autem Deus nobis. Siquidem ipſe eſt, qui efficit in nobis vt & velimus, & vt perficiamus proprio ejus beneplacito. Habita ratione ejus quod ſcriptum eſt, Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus; nam quod debuimus facere, hoc fecimus. Interim tamen non negamus, Deum bona opera remunerari: verum gratiæ eſſe dicimus, quod coronet ſua dona. Cæterum, quamvis bona opera faciamus, non tamen ſalutis noſtræ fundamentum in ijs collocamus. Nullum enim opus facere poſſumus, quod non ſit carnis vitio pollutum, ac proinde pœnis dignum. Et quamvis vel vnum ejuſmodi opus proferre poſſemus; vnius tamen peccati recordatio ad illud rejiciendum coram Deo ſufficeret. Proinde ſemper in dubio, & ſine vlla certitudine hinc illinc fluctuaremus miseræque noſtræ conſcientiæ perpetuo torquerentur, niſi in vnico merito mortis & paſſionis Seruatoris noſtri conquieſcerent.

XXV.

Credimus ceremonias & figuras Legis, Chriſti aduentu ceſſaſſe, omneſque vmbras finem accepiſſe: ideoque earum vſum, inter Chriſtianos aboleri debere. Ita tamen, vt nobis illarum veritas & ſubſtantia in Ieſu Chriſto maneat, in quo ſuum complementum habent: Atque interea, etiam è Lege & Prophetis deductis teſtimonijs adhuc vtimur, vt nos in Euangelij doctrina confirmemus, vitamque noſtram, cum omni honeſtate, ad Dei gloriam, juxta ipſius voluntatem, componamus.

XXVI.

Credimus nos vllum acceſſum habere ad Deum, niſi per vnicum Mediatorem & Aduocatum Ieſum Chriſtum, juſtum illum, qui ideo factus eſt homo, vnita humana natura cum diuina, idque, vt nobis hominibus aditus ad diuinam Majeſtatem patefieret, qui nobis alioquin erat præcluſus. Veruntamen hic mediator, quem Pater inter ſe & nos conſtituit, ſua Majeſtate haudquaquam nos terrere debet, vt ad alium, pro arbitratu noſtro quærendum, ideo impellat. Nemo enim neque in cœlo, neque in terra inter creaturas eſt, qui nos impenſius amet, quam Ieſus Chriſtus; qui, quamvis eſſet in forma Dei, ſeipſum exinaniuit, formula hominis ac ſerui pro nobis accepta, & per omnia ſimilis factus eſt fratribus ſuis. Quod ſi igitur nobis alius inter-

cessor, qui bene erga nos affectus sit, quærendus foret, quem, quæso, inueniremus, qui nos magis diligat, quam eum ipsum, qui pro nobis, etiam cum adhuc inimici ejus essemus, vitam suam exposuit Si porro quærendus aliquis est, qui authoritate & potentia valeat, quis est ille qui tanta polleat, atque is, qui ad Dei Patris dexteram sedet, quique omnem potestatem habet in cœlo & in terra? Et quis facilius exaudietur, quam proprius & vnice dilectus filius Dei? Sola igitur diffidentia, morem hunc inuexit, vt sanctos ignominia honoris loco afficiant: dum id agunt, quod illi nunquam fecerunt; nec sibi deferri postularunt; sed constanter & pro officio suo rejecerunt, sicut ex scriptis eorum patet. Neque hic nostra indignitas prætexenda est. Non enim hic quæritur de precibus nostra dignitate Deo, sed sola Domini nostri Iesu Christi excellentia & dignitate offerendis; Cujus justitia nostra est per fidem. Vnde merito Apostolus, vt nobis ineptum timorem, aut potius diffidentiam excutiat, Christum ait, per omnia fratribus suis similem factum fuisse, vt misericors esset & fidelis pontifex, ad expianda peccata populi. Nam ex eo quod perpessus fuit, quum tentatus est, potest & ijs qui tentantur succurrere, & insuper, vt animos majores nobis addat, ad Deum accedendi, dicit: Habentes igitur Pontificem magnum Iesum Filium Dei qui penetrauit cœlos, teneamus hanc professionem. Non enim habemus Pontificem magnum, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum similiter in omnibus excepto peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, vt consequamur misericordiam & gratiam inueniamus, ad opportunum auxilium. Idem Apostolus ait, Nos habere libertatem ingrediendi sacrarium per sanguinem Iesu. Accedamus igitur (inquit) cum certa persuasione fidei, &c. Item, Christus perpetuum habet sacerdotium: Vnde & seruare potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper viuens, vt interpellet pro eis. Quid amplius requiri potest? Cum Christus ipse pronuntiet, Ego sum via, veritas & vita: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Cur, quæso, alium nobis aduocatum quæramus? Quandoquidem Deo placuit, filium suum aduocatum nobis dare, ne hoc derelicto assumamus alium: aut quæramus potius, quem nusquam alibi inueniamus. Sciebat enim probe Deus, cum hunc nobis daret, peccatores nos esse. Proinde secundum mandatum Christi, Patrem cœlestem per Christum vnicum Mediatorem nostrum inuocamus, quemadmodum in Oratione Dominica edocti sumus: certo persuasi, nos ea omnia impetraturos, quæ à Patre in nomine ipsius petierimus.

XXVII.

Credimus & confitemur, vnicam Ecclesiam Catholicam seu Vniuersalem, quæ est congregatio sancta, seu cœtus omnium vere fidelium Christianorum, qui totam suam Salutem in vno Iesu Christo expectant, sanguine ipsius abluti, & per Spiritum ejus sanctificati atque obsignati.

obsignati. Hæc porro Ecclesia & ab initio mundi fuit, & vsque ad ejus finem perdurabit: vt ex eo apparet, quod Christus Rex æternus est, qui sine subditis esse nequit. Atque hanc Sanctam Ecclesiam Deus contra totius mundi furorem defendit; quamvis ad aliquod tempus exigua sit, & quasi extincta in hominum conspectu, appareat: Quemadmodum durante periculosissimo illo Achabi tempore, Deus septem millia virorum sibi reseruarat, qui coram Baal genu non flexerant. Præterea sancta hæc Ecclesia certo in loco non est sita, vel limitata, aut ad certas singularesque personas alligata, sed per totum mundum sparsa atque diffusa. Quamvis corde ac voluntate, in vno eodemque Spiritu, virtute fidei, conjuncta vnitaque sit.

XXVIII.

Credimus, quod cum Sanctus hic cœtus & congregatio, seruandorum sit cœtus, atque extra eam nulla sit salus, neminem cujuscunque ordinis aut dignitatis fuerit, sese ab ea subducere debere, vt seipso contentus separatim degat: sed omnes pariter teneri huic se adjungere, eique vniri, Ecclesiæ vnitatem conseruare, seseque illius doctrinæ & disciplinæ subjicere, collum Iesu Christi jugo submittere, & tanquam communia ejusdem corporis membra, fratrum ædificationi inseruire, prout Deus vnicuique sua dona fuerit largitus. Vt porro melius hoc obseruetur, omnium fidelium officium est, sese secundum Dei verbum, ab ijs omnibus qui extra Ecclesiam sunt, disiungere, vt huic se congregationi adjungant, vbicunque illam Deus constituerit: quamvis Magistratus Principúmque Edictis aduersantibus, quinimo, licet mors aut qualiscunque corporis pœna subeunda esset. Quicunque igitur à vera illa Ecclesia recedunt, aut se illi non aggregant, Dei mandato repugnant.

XXIX. Credimus, imprimis diligẽter ac circumspectè ex verbo Dei discernendum esse, quænam vera sit Ecclesia, siquidem omnes sectę, quotquot hodie in mũdo sunt, Ecclesię nomen prętexunt. Nequaquam vero hic de hypocritarum cœtu loquimur, qui quanquam bonis in Ecclesia permixti sint, de Ecclesia tamen non sunt, etiam si corpore in ea sint: Sed Ecclesiæ veræ corpus & communionem ejus ab omnibus alijs sectis, quæ se dictitant Ecclesiam, distinguimus. Notæ quibus vera Ecclesia cognoscitur, hæ sunt: Si Ecclesia pura Euangelij prædicatione, si sincera Sacramentorum, ex Christi præscripto, administratione, vtatur: si disciplina Ecclesiastica, vt vitia corrigantur, obtineat. In summa, si ad normam Verbi diuini omnia exigantur; ac quæcunque huic repugnant, rejiciantur. Iesus Christus denique, vnicum caput agnoscatur. Atque hinc vera Ecclesia certo dignosci potest, à qua fas non est quenquam se disiungere. Quantum autem eos attinet, qui Ecclesiæ membra sunt, ij ex Christianorum notis cognosci possunt, ex fide scilicet, & quando Iesu Christo, vt vnico Seruatore, recepto, peccatum fugiunt, justitiam consectan-

tur, verum Deum ac proximos suos diligunt, neque ad dexteram aut sinistram deflectunt; carnemque suam, cum ejus operibus crucifigunt. Minime id quidem quasi magna in illis non supersit infirmitas, sed quod aduersus illam, per omne vitæ tempus, Spiritu depugnent, ac perpetuo ad sanguinem, mortem, passionem, & obedientiam D. Iesu refugiant; per quem remissionem peccatorum suorum fide in ipsum habent. Quod ad falsam vero attinet Ecclesiam, ea sibi, suisque institutis plus authoritatis, quam verbo Dei attribuit; Christi jugo se subjicere recusat; neque Sacramenta, prout Christus in verbo suo præscripsit, administrat; sed illis pro arbitrio addit, detrahitque hominibus plus quam Iesu Christo nititur; & eos qui sancte secundum Dei verbum viuunt, quique vitia illius, veluti auaritiam & Idololatriam reprehendunt, persequitur. Ex his igitur facile est vtramque Ecclesiam cognoscere, & vnam ab altera discernere.

XXX.

Credimus, veram hanc Ecclesiam, Spirituali illa politia, quam nos Deus verbo suo docuit gubernari debere: vt, videlicet, Ministri seu Pastores sint, qui verbum Dei annuncient, & Sacramenta administrent: Seniores quoque sint & Diaconi, qui cum Pastoribus, Senatum quasi Ecclesiæ constituant: vt hac ratione vera religio conseruari, veráque doctrina passim propagari possit, quin & homines vitiosi, spiritualiter corripiantur, atque refrænentur: pauperibus item & afflictis, auxilio & consolatione, pro cujusque necessitate, succurratur. Hac quidem ratione, rite omnia & ordine gerenturin Ecclesia, cum viri fideles eligentur, juxta regulam ab Apostolo Paulo in sua ad Timotheum Epistola, præscriptam.

XXXI.

Credimus Ministros diuini verbi, Seniores & Diaconos, ad functiones suas legitima Ecclesiæ electione, cum nominis diuini inuocatione, eoque ordine qui verbo Dei docetur, eligi debere. Quilibet itaque cauere debet, ne illicitis medijs sese ingerat; sed expectet tempus, quo à Deo vocetur; vt habeat vocationis suæ testimonium, quo certus & persuasus sit eam à Domino esse. Quantum vero attinet diuini verbi Ministros, vbicumque locorum sint, eandem illi potestatem & authoritatem habent, vt qui omnes sint Christi, vnici illius Episcopi vniuersalis, vnicique capitis Ecclesiæ, Ministri Insuper ne sancta hæc Dei ordinatio violetur, aut in contemptum abeat, dicimus teneri omnes, vt verbi diuini Ministros & Seniores Ecclesiæ, propter opus cui incumbunt, omni honore prosequantur, cumque illis, sine obmurmuratione, rixis & contentionibus, quantum quidem ejus potest fieri, pacem colant.

XXXII.

Credimus interea, quamvis vtile & bonum sit, Gubernatores Ecclesiæ, ordinem aliquem certum inter se, ad conseruationem corporis Eccle-

ris Ecclesiæ instituere & stabilire: debere tamen eos studiose cauere, ne ab ijs deflectant, quæ Christus vnicus Magister noster instituit. Quapropter, rejicimus omnia inuenta humana, omnésque leges quæ pro cultu Dei, à quocunque introduci possunt, vt ijsdem conscientiæ vllo omnino modo deuinciantur atque constringantur. Illud itaque solum suspicimus, quod ad conseruandam & alendam concordiam atque vnitatem, omnésque in Dei obedientia retinendos, idoneum est. Ad id vero inprimis requiritur. Excommunicatio, juxta verbum Dei, cumr eliquis ejus appendicibus vsurpata.

XXXIII.

Credimus, benignum illum Deum nostrum; habita habitudinis & infirmitatis nostræ ratione, Sacramenta nobis instituisse, vt promissa sua in nobis obsignaret, vtque diuinæ erga nos beneuolentiæ ac gratiæ, essent pignora. Quin etiam ad fidem nostram fouendam & sustentandam. Quæ quidem verbo Euangelij addidit, vt efficacius sensibus nostris externis exhiberet, tam ea quæ nobis externe verbo suo declarat, quam quæ in cordibus nostris internè operatur; vt eo magis ratam in nobis faciat salutem, quàm nobis communicat. Sunt enim Symbola & sigilla visibilia, rei internæ & inuisibilis, per quæ, ceu media, Deus virtute Spiritus Sancti; in nobis operatur. Signa itaque minime vana sunt & vacua, aut nos decipiendos ac frustrandos instituta. Iesum Christum enim pro sua veritate habent; sine quo, nullius prorsus essent momenti. Præterea sufficit nobis; is Sacramentorum numerus, quem Christus, Magister noster, instituit: quę duo duntaxat sunt, nimirum Sacramentum Baptismi, & S. Cœnæ Iesu Christi.

XXXIV.

Credimus & confitemur Iesum Christum, qui finis legis est, suo sanguine effuso, omni alij sanguinis effusioni, finem imposuisse, quam ad peccatorum propitiationem aut satisfactionem quisquam adhibere possit, aut velit: & abolita circumcisione, quæ per sanguinem fiebat; Baptismi Sacramentum illius loco instituisse; quo in Dei Ecclesiam recipimur, & à cunctis alijs gentibus, ac peregrinis omnibus religionibus, segregamur. Vt illi toti consecremur, cujus characterem & insignia gestamus. Estque nobis testimonio, illum perpetuo Deum nostrum & patrem propitium fore. Mandauit itaque, vt omnes qui sui sunt, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. pura puta aqua baptizentur: vt eo significet, quod sicuti aqua in nos effusa, & super corpus baptizati conspicua, ipsumque aspergens, sordes corporis absoluit: sic & sanguis Christi per Spiritum Sanctum idem præstat interne in anima, adspergens eam & à peccatis suis mundans, nósque ex filijs iræ in filios Dei regenerans. Non quod aqua materialis id efficiat, sed aspersio preciosi sanguinis filij Dei: qui nobis est, ceu mare illud rubrum, per quod transeundum est, vt è tyrannide Pharaonis, id est, Diaboli; egredi, & in Spiritualem terram Canaan, ingredi possimus.

Ac proinde, Miniſtri quidem,quantum ad ſe attinet, præbent nobis Sacramentum & rem viſibilem, Dominus vero noſter,donat id,quod Sacramẽto ſignificatur;dona nempe & inuiſibilem gratiam,abluens, purgans,mundánſque noſtras animas,à cunctis ſordibus & iniquitatibus;renouans item corda noſtra,eaque omni conſolatione replens, veram fiduciam paternæ ſuæ benignitatis nobis largiens, nouóque homine nos induens:vetere autem,cum omnibus factis ejus,exuens. Hanc ob cauſſam credimus,omnem hominem,qui id ſatagit,vt vitam æternam conſequatur; ſemel vnico baptiſmo illo qui in poſterum non iteretur, baptizari debere: cum ne naſci quidem bis poſſimus. Neque tamen hic Baptiſmus tunc duntaxat prodeſt, cum aqua ſuper nos effunditur & à nobis ſuſcipitur, cum illius vſus ſeſe ad totum vitæ noſtræ curriculum extendat. Anabaptiſtarum itaque errorem deteſtamur,qui vnico & ſemel ſuſcepto baptiſmo contenti non ſunt: ac præterea, baptiſmum infantium fidelibus parentibus natorum, damnant: quos baptizandos & fœderis ſigno obſignandos eſſe credimus,ſicuti olim infantes circumcidebantur in Iſraële,propter eaſdem promiſſiones infantibus noſtris factas. Quin etiam reuera Chriſtus non minus ſanguinem ſuum profudit, vt fidelium infantes, quam vt adultos,ablueret,ideóque ſignum ſeu Sacramentum ejus,quod Chriſtus pro eis præſtitit ſuſcipere debent:quemadmodum in Lege jubebat Dominus,vt Sacramentum mortis & paſſionis Chriſti, pueris recens natis communicaretur: offerendo pro ipſis agnum, qui Ieſu Chriſti Sacramentum erat. Præterea quod circumciſio præſtabat populo Iudaico, id pueris noſtris præſtat baptiſmus. Atque hæc cauſſa eſt,cur Paulus,baptiſmum vocet circumciſionem Chriſti.

XXXV.

Credimus & confitemur Ieſum Chriſtum Seruatorem noſtrum, ſanctæ Cœnæ Sacramentum ordinaſſe & inſtituiſſe, vt ea nutriat & ſuſtentet eos, quos jam regenerauit, & in familiam ſuam,nempe Eccleſiam, inſeruit. Qui porro regeniti ſunt, duplicem in ſe vitam habent,vnam quidem corporalem & temporariam, quam ſecum à prima ſua natiuitate attulerunt, quæque omnibus communis eſt. Alteram vero ſpiritualem & cœleſtem, quæ altera natiuitate ſua illis donatur, & per verbum Euangelij in communione corporis Chriſti efficitur. Atque hæc vita non niſi Electis Dei communis eſt. Similiter nobis Deus panem terrenum & materialem, ad vitæ corporalis & terrenæ conſeruationem idoneum attribuit, qui omnibus, ſicuti & vita ipſa, communis eſt. At vero,ad conſeruationem vitæ Spiritualis & cœleſtis,quam fideles jam habent, Deus illis panem viuificum miſit,qui è cœlo deſcendit, nempe Ieſum Chriſtum, qui manducatus,id eſt,ſi applicetur & recipiatur, ſpiritu per fidem, vitam fidelium ſpiritualem nutrit & ſuſtentat. Vt autem panem hunc Spiritualem & cœleſtem, Chriſtus nobis repræſentaret, panem terreſtrem ac viſibilem,

bilem, in Sacramentum corporis sui, vinumque in sanguinis sui Sacramentum instituit, vt ijs ipsis testificetur, nos, quam vere hoc Sacramentum manibus nostris accipimus & tenemus, illudque ore comedimus & bibimus, vnde postmodum vita nostra sustentatur; tam vere, etiam nos fide (quæ animæ nostræ & manus & os est) in animis nostris recipere verum corpus, & verum sanguinem Christi, vnici seruatoris nostri, ad vitam nostram spiritualem. Certissimum porro est Christum non frustra Sacramenta sua nobis commendasse. Quapropter, omne id in nobis efficit, quodcumque sacris suis signis nobis repræsentat; quamvis modus ipse, mentis nostræ captum superet, nobisque sit incomprehensibilis; sicut & operatio Spiritus Dei occulta & incomprehensibilis est. Interea vero nequaquam errauerimus, dicentes, id quod comeditur, esse proprium & naturale corpus Christi, idque quod bibitur proprium ejus sanguinem. At manducandi modus talis est, vt non fiat ore corporis, sed Spiritu per fidem. Atque ita Christus ad dexteram Patris sui in cœlis perpetuo sedet, neque eo minus se nobis per fidem communicat. Conuiuium hoc, mensa est Spiritualis, in qua Christus seipsum nobis cum omnibus bonis suis communicat, efficitque vt in illa tam ipsomet, quam passionis mortisque ipsius merito fruamur: miseram nostram animam, omnique solatio destitutam, carnis suæ esu nutriens, corroborans & consolans, sanguinisque sui potu reficiens ac recreans. Præterea, etiamsi Sacramenta conjuncta sint rei significatæ, vtrúmque tamen simul ab omnibus non accipitur. Impius enim recipit quidem Sacramentum in suam condemnationem: sed veritatem Sacramenti non recipit: veluti Iudas & Simon Magus, acceperunt quidem vterque Sacramentum, sed non etiam Christum, qui illo significabatur, qui solummodo fidelibus communicatur. Postremo sanctum hoc Sacramentum in cœtu populi Dei cum summissione animi ac reuerentia sumimus: memoriam mortis Christi Seruatoris nostri cum gratiarum actione sancte celebrantes: ibidémque fidei & religionis Christianæ confessionem edimus. Nemo itaque ad hanc mensam se sistere debet, qui prius sese rectè non probauerit, ne de hoc pane edens, & de hoc poculo bibens, judicium sibi edat & bibat. In summa, vsu hujus Sacramenti ad flagrantem Dei & proximi nostri amorem commonemur. Quare omnes mixturas & damnanda commenta, quæ homines Sacramentis addiderunt, & admiscuerunt, vt eorum profanationes rejicimus: atque affirmamus, contentos nos esse debere eo ordine, quem Christus & ejus Apostoli nos docuerunt: eodémque modo loquendum esse, quo & ipsi loquuti sunt.

XXXVI.

Credimus, benignum illum Deum nostrum, ob generis humani deprauationem, Reges, Principes, & Magistratus constituisse; ac velle vt mundus legibus & certa politia gubernetur, ad confusionem ho-

minum coercendam; vtque omnia inter homines recto ordine gerantur. Eum in finem Magistratui gladium commisit; puniendis quidem sceleratis, bonis vero defendendis. Horum autem officium est, vt non modo curam gerant & pro conseruanda politia excubent, verum etiam vt sacrum tueantur Ministerium, omnemque idololatriam, & adulterium à Dei cultu submoueant & euertant: regnum Antichristi diruant, Christi vero regnum promoueant, operamque dent, vt verbum Euangelij vbique prædicetur, quo Deus ab vnoquoque, provt verbo suo exigit, honoretur & colatur. Præterea quilibet, cujuscunque ordinis, conditionis ac status sit, Magistratibus subjici, tributa ei pendere, honorem & reuerentiam deferre, ijsque obedire in omnibus quæ verbo Dei non aduersantur, debet; pro ijsdem in precibus suis orare, vt eos Deus in omnibus ipsorum actionibus regere ac dirigere velit, vtque vitam quietam & tranquillam, in omni pietate & honestate, ducamus. Quamobrem Anabaptistas aliosque homines seditiosos detestamur, atque in vniuersum omnes eos, qui supremas Dominationes & Magistratus rejiciunt: justitiam euertunt: bonorum communionem interturbant: atque honestatem, quam Deus inter homines stabiliuit, confundunt.

XXXVII.

Postremo ex Dei verbo credimus: Vbi tempus à Domino præstitutum omnibus autem creaturis ignotum, aduenerit, numerusque Electorum fuerit completus, Dominum nostrum Iesum Christum è cœlo, corporaliter & visibiliter, sicuti adscendit, magna cum gloria & Majestate, venturum, vt se viuorum atque mortuorum declaret judicem: vetere mundo igne & flamma succenso, vt expurget eum. Tunc vero omnes homines, tam viri quam mulieres & infantes, quotquot jam inde ab initio mundi vsque ad finem fuerunt, coram summo hoc judice comparebunt, voce Archangeli, & clangore tubæ diuinæ eo citati. Omnes enim antea mortui, è terra resurgent; Spiritu cum corpore proprio, in quo vixerat, conjuncto atque vnito. Quod vero eos attinet qui tunc superstites erunt, non vt reliqui morientur, verum ictu oculi à corruptione in incorruptionem mutabuntur. Tunc aperientur libri (id est conscientiæ cujusque) & mortui judicabuntur, secundum ea quæ in hoc mundo egerint, siue bona siue mala. Quinimo, omnes de omnibus verbis otiosis quæ loquuti fuerint, rationem reddent, (quæ quidem mundus nunc pro ludo reputat & ioco:) omniaque tunc hominem abdita, omnisque hypocrisis, palam coram omnibus retegetur. Ac proinde merito judicij istius memoria, iniquis & sceleratis horribilis & formidabilis est: bonis vero & electis, summe exoptanda & immensæ consolationis plena: quoniam totalis ipsorum redemptio tunc plane perficietur; laborumque istic & dolorum suorum, quos pertulerunt, fructus percipient. Innocentia ipsorum aperte ab omnibus agnoscetur & horrendam quam Deus de improbis sumet,

bis sumet, qui tyrannice exercuerunt eos, afflixerunt, & excruciarunt in hoc mundo, vindictam conspicient. Qui quidem proprio conscientiæ suæ testimonio conuicti, immortales quidem reddentur, ita tamen, vt in igne æterno, qui Diabolo & Angelis ejus paratus est, crucientur. Contra vero fideles & electi, corona gloriæ & honore coronabuntur, Filiusque Dei eorum nomina coram Deo patre & electis Angelis profitebitur. Abstergentur omnes lachrymæ ab oculis eorum, ipsorumque causa quæ in præsentia à judicibus & Magistratibus quamplurimis, veluti hæretica & impia condemnatur, causa filij Dei esse tunc agnoscetur. At pro gratuita remuneratione Dominus illos in tantæ gloriæ possessionem mittet, quantam nemo hominum animo concipere possit. Magnum ergo illum Diem maximo desiderio expectamus, vt promissis Dei in Christo Domino nostro, plene perfruamur. Amen.

VERA CONFESSIO EX VERBO DEI SVMPTA ET IN SYNODO CZENGERINA VNO consensu exhibita & declarata.

I. De vno & solo Deo, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus.
II. De vnigenito Dei Filio ab æterno.
III. De Spiritu sancto vero & solo Deo & Domino subsistente, & in se vitam habente.
IV. De Vocabulis & Phrasibus quibus Spiritus sanctus vtitur, de Deo per Prophetas & Apostolos.
V. De Regulis explicantibus Phrases loquendi de Deo.
VI. De Lege & Euangelio in Ecclesia.
VII. De Ritibus & Sacramentis Ecclesiæ, de Baptismo infantium, & de Cœna Domini.
VIII. De libertate Christiana in Cibo, Potu, Vestitu, & de locis conventus Ecclesiæ.
IX. De Aprosopolepsia in Deo, dum hos saluat, illos indurat.
X. De causa peccati. De Mediatore Filio Dei
XI. De tollendis fœdis Hæreticis & Antichristis.

Debrecini: Excusa ab Andrea Lupino. Anno Domini M.D. LXX.

Hoc

HOC VNICVM ARGVMENTVM DE vno ſolo Deo deſtruit omnes munitiones Antitrinitariorum: ſumptum ex Bibliis.

I.

VNvs *ſolus eſt Deus quicunque eſt Iah, Iehoua, Deut.4.5.6.*

2. *Vnus ſolus eſt Deus quicunque eſt El Scaddai omnia preſciens, Gen.17.18.31.35. Eſa.21.40.41.*

3. *Solus Deus eſt qui vtrunque fœdus fecit, & Deus Patrum eſt, Hier.31. Deu.5.6*

4. *Vnus ſolus eſt Deus qui omnium eſt Creator, & conſeruator, Eſai.40.43. 44. Deu.4.5.6.32.*

5. *Vnus ſolus Deus eſt qui ſcrutator eſt cordium & renum, Hie.10.27. Pſal. 7. Apoc.1.2. Acto.12.*

6. *Vnus ſolus Deus eſt qui eduxit Populum ſuum ex Ægypto, Exod. 5. 6. 20.32 Deu.4.5.6.10.30.32. Pſa.78.95.*

7. *Vnus ſolus Deus eſt qui fecit miracula in Ægypto, tentatus, irritatus & prouocatus eſt in deſerto, Pſalm.95.102. Exod.20.23.32. Num.23. Deut.32.1. Cor.10.*

Sed hæc omnia fecerunt, & ſunt Filius & Spiritus ſanctus, Eſa.63. Angelus faciei & Spiritus S. eduxit eos, irritauerunt Spiritum S. eius, ſolus Deus eduxit eos, Deu.32. Filius & Spiritus S. eduxit eos, & tentatus eſt, 1. Cor.10. Eſa.63. Pſal.68.95. Spiritus Iehouæ creauit cœlos: Spiritus Iehouæ eſt Iah, Iehoua, Deus Patrum, fœdus nouum & vetus cum Patribus pepigit, Hie.31. Ezech.2.3.8.11. Hebr.3.4.8.10. Spiritus S. dicitur Deus, qui fœdus iniit, cuius fœdus violauerunt Iudæi: Hæc dicit Spiritus S. Fœdus nouum feriam, non ſecundum fœdus, quod pepigi cum eis tunc cum educerem eos: ſic dicit Spiritus ſanctus: Nolite Corda veſtra obdurare, ſicut patres veſtri me tentauerunt, irritauerunt me in deſerto, Heb.3.4.8.10. Chriſto tribuuntur hæc, Rom.14. 1. Cor. 10. Eſa 45.63. Ibidem Spiritui S. Vere igitur & immutabiliter ſunt vnus & ſolus Deus Iehoua Filius & Spiritus ſanctus.

Aliud argumentum.

1. *Quicunque non eſt Iehoua æternus immutabilis, æternitates, habitans omni tempore, qui non eſt Sum, Fui, Ero: non eſt Deus.*

2. *Maledictus eſt Deus Zar, id eſt, recens nouus, nouiter ortus qui ab æterno non fuit, non fecit omnia, non fuit ab æterno, ſed eſt Nechar, id eſt alienus, formatus extra vnius Dei naturam ex creaturis ortus Deu. 5. 6. 10. 30.32. Pſalm.81. pereant tales dij, non adorentur: Hie. 7.10.23.31.33. Deus qui eſt è vicino factus, non fecit omnia, non fuit ab æterno pereat, Deut.5.10.31. Pſal.81 Hie. 7.10.*

3. *Maledictus est & non adorandus, qui non est vnus solus Deus, omnia non fecit: Sed Christus & Spiritus S. fecerunt omnia, adorantur ita vt Pater Psalm. 95. Ezec. 2. 3. 8. 11. Esa. 45. 48. 63. Iob 26. 27. 33. Nec sunt Filius & Spiritus S. Dij recentes, maledicti noui: ergo sunt vnus & solus Deus ita vt Pater. Nisi ergo Filius & Spirit. S. sint vnus solus, Iehoua, creator, conseruator, pro vero Deo adorari non possunt, sed erunt dij maledicti, recentes, alieni, non ex Patris Iehouali & æterna Deitate ab æterno sine initio temporali orti, Hie. 10. 13. Psal. 81.*

Responsio ad calumniam aduersariorum.

Non Spiritum S. & Filium dici Iah. Deum, Iehouam & Psal. 95. 6. non de Patre tantum, nec de Filio solo, sed & de Spiritu sancto quoque dicitur, cùm inquit: Venite procidentes adoremus Iehouam, quia ipse est Deus, & factor noster: nos Populus pascuæ eius, si modo vocem eius audieritis, ne obduretis cor vestrum sicut in die disceptationis, vbi tentauerunt & probauerunt me patres vestri & viderunt opera mea quadraginta annis, Psal. 95.

Hæc licet de Patre & de Filio quoque rectè prædicentur in Bibliis sacris, tamen Spiritui quoque S. cum Patre & Filio Apostolus Hebr. 3. & 4. Sic applicat, ex more Scripturæ. Mos enim est Scripturæ vt vnus & idem locus de tribus testibus exponitur, vt locus creauit Deus, eduxit Deus, tentatus est Deus, miracula edidit Deus, Patri, Filio, & Spiritui sancto tribuitur. Esaiæ 6. 40. 43. 45. 48. 63. Deuteron. 4. 5. 32. 1. Corinth. 8. Iohann. 1. 5. 8. 10. Iob. 26. Hebr. 2. 3 4. Romanorum 14. vide. Est enim mos Scripturæ vt sæpius de tertia persona loquatur in prima, & secunda persona. Vt hæc dixit Iehoua ad me: Ego sum Iehoua, Creator, Saluator, Elscaddai sic dices ad eos verba mea: Hæc dicit Iehoua: Nolite impiè agere contra legem meam: Apostolus ergo Hebr. 3. 4. 8. 10. sic locum, hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut Patres vestri tentauerunt me: Psalm. 78. 95 105. Num. 14. 23. 1. Cor. 10. Item hunc locum, Hoc est fœdus meum quod disponam vobiscum: de eodem exponit in prima, & tertia persona. De primo loco cap. 3. Hebr. sic loquitur: Quapropter, sicut dicit Spiritus sanctus, si hodie vocem eius audieritis, nolite corda vestra obdurare. Hîc dicit Spiritum sanctum loqui de eo qui patres eduxit ex Ægypto: Eduxit autem Iehoua Pater, eduxit Filius, eduxit Spiritus sanctus: vt Esa. 63. 1. Cor. 10. Exo. 3. 5. 6. 14. 15. 32. 34. Deut. 4. 5. 6. 32. Ezech. 2. 3. 8 11. Spiritus sanctus eduxit eos, & requiescere fecit eos Esaias 63. Ezech. 2. 3. 8. 11. Hieronym. 31. Reprehendens eos Iehoua, ipse Spiritus sanctus dicit: Hebr. 8. 10. Hieron. 31. Ecce venient dies, sicut testatur Spiritus sanctus: Hoc est testamentum quod disponam cum illis, dicit Iehoua: In Hier. 31. Eze. 2. 3. 4. 8. 11. Eundem Spiritum sanctum sic annunciat: Venit in me spiritus Iehouæ, & statuit me spiritus super pedes meos, & dixit ad me spiritus. Ecce ego loquar tecum, ego mittam te ad gentes rebelles, & verba mea loquêris ad eos, & dices, sic dicit Iehoua, siue audiant, siue non audiant: quia sunt rebelles, sicut & patres eorum præuaricati sunt fœdus meum, & non perstiterunt in fœdere meo, sed transgressi sunt pactum meum, & fecerunt abominationes & scelera multa, propter quæ & ego abjeci eos & deserui eos. Vnde Ezechiel eundem Iehouam Deum, nunc Spiritum, nunc Iehouam, Dominum exercituum & Adonai, vocat. Hic quoque ergo Psalm. 95. Hebr.

Hebr. 3. 4 8. 10. eodem idiotismo Hebræorum, Spiritus in tertia persona dicit de se: Hæc dicit Iehouah. In prima persona dicit, Ego sum Iehoua qui eduxi eos, Spiritus sanctus testatur & dicit: Hoc est testamentum quod disponam ad eos, dicit Iehoua. Primò Spiritum dicit, deinde Iehouam: sicut Ezech. 2. 3. 4. 8. 11. Venit in me Spiritus Iehouæ, & locutus est mecum Iehoua, & dixit, Ego sum Iehoua qui eduxi vos: Primò vocat Spiritum sanctum, secundò vocat Iehouam Adonai propter naturam: Spiritum sanctum propter proprietatem à Patre procedentem, & à Filio emissam. Iehoua Adonai vocatur propter naturam diuinam, quam habet communem cum Patre, vt Esa. 6. 40. 63. Dicitur Iehoua qui sedet in solio, qui mittit Christum & Prophetas: In Actis verò Paulus Spiritum sanctum esse dicit: Ita Hier. 31. Iehoua exercituum dicitur qui fœdus nouum feriet, & Iudæos eduxit ex Ægypto: Sed Esa. 40 48. 63. Hebr. 3. 10. dicitur Spiritum S. esse, qui fœdus nouum feriet super domum Iuda, & Iudæos eduxit ex Ægypto. Esa 63. Cùm ergo Hebraicè dicitur Kihu Elohenu, & nos, am, vezon iado: Haiom bekalo tiſmáu, id est, Quia ipse est Deus noster, & nos populus & grex manus eius: Hodie si vocem eius audieritis: Hæc de Iehoua Deo nostro: eius refertur ad Deum, qui suprà dicitur El Iehoua, Deus noster, factor noster adorandus. Hæc de tertia persona, quæ sequuntur de tertia & prima dicuntur: Dicit Iehoua, nolite corda vestra indurare, sicut in deserto in die tentationis, vbi tentauerunt me Patres vestri, & ego iuraui in ira mea, si introibunt. Vides suprà in tertia persona dicebatur Kolo, id est, Vocem Iehouæ factoris si audieritis, hic idem qui dicit: Si audiueritis vocem I E H O V Æ, idem dicit de secunda persona: Nolite vos corda vestra indurare. De se autem in prima sic loquitur: Sicut patres vestri probauerunt & irritauerunt me in deserto, & ego iuraui in Exod. 4. 5. 6. 13. 14. Esaiæ 63. Ezechielis 2. 3. 8. 11. Hieremiæ 31. 1. Corinthiorum 10. dicitur Spiritus sanctus irritatus & prouocatus: Irritauerunt Spiritum sanctum, eius, qui eduxit, & Spiritus sanctus requiescere fecit eos. Esaiæ 63. Hebr. 3. 4. 10, in Esaia 1 Hierem. 31. Deuteron. 4. 5. 32. I E H O V A vnus solus Deus dicitur eduxisse Iudæos, & Iehoua vnus requiescere fecit: Iehoua irritatus est. Et 1. Corinth. 10. Psalmo 68. Christus dicitur eduxisse, Christus tentatus. Et Esaiæ 63. Ezechiel. 2. 3. 8. 10. 11. Spiritus dicitur eduxisse Iudæos, Spiritus sanctus irritatus, prouocatus, & Psalm. 95. Hebr. 3. 4. Spiritus sanctus dicitur tentatus, irritatus in deserto.

Non enim simpliciter verba Dauidis sunt: Nolite corda vestra indurare, sicut patres vestri indurauerunt & tentauerunt me in deserto. Psalmo 95. Numer. 14. 23. 1. Corinthior. 10. Nam non Dauid tentatus est. Et Hebræor. 4. dicit, Prædefinit autem in Dauide Deus diem hodie dicens: Hodie si vocem eius audieritis. Quem suprà Spiritum sanctum dixit, capite quarto Deum dicit, vt Psalmo 95. Quia ergo subjiciuntur Elogia vni soli Deo propria, sicut dicit Spiritus sanctus: Nolite corda vestra obdurare, sicut patres vestri me tentauerunt, hæc verba ex Ezechielis 2 3. 8. 11. & Esaiæ 6. 63. de Spiritu sancto explico. Nam si de Patre diceret, si vocem eius Patris audieritis, nolite corda vestra indurare, sicut eum tentauerunt Patrem. Sed Mysticè propter identitatem naturæ dicit. Eum Deum Iehouam audite, qui ego sum cum Patre, & Filio: vt ostendat idem-

titatem naturæ in Patre & Filio & Spiritu sancto. Ideo dicit, si vocem eius audieritis, si Patres vestri me non audierunt. Nam Spiritus de se nunc in prima, nunc in tertia persona loquitur ex perpetua Scripturæ consuetudine, & in Actis Petrus & Apostolus probat Spiritum sanctum per os Dauidis & per Prophetas locutum esse tanquam Iehouam & verum Deum. Act.1.2.3.13.28.1. Pet.1.3.2. Pet.1.

CONFESSIO PASTORVM ECCLESIÆ IESV CHRISTI, EXHIBITA IN CZENGER DE VNO ET SOLO DEO, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, confirmata explicatione Phrasium Hebræarum; & Regulis certis ex verbo Dei desumptis.

DE VNO ET SOLO DEO.

VERE & sincerè confitemur secundùm Scripturas sacras Deum verum esse vnum & solum, authorem & conseruatorem omnium, qui sic se patefecit, vt sit Pater, Filius & Spiritus sanctus.

DE TRINITATE VNIVS Iehouæ.

Hunc vnum & solum Deum, tres in cœlo testes Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse credimus: qui licèt tres sint subsistentibus suis proprietatibus, & officiis dispensatoriis: tamen hi tres vnum quoque sunt, vt Apostolus testis est. 1.Iohann.cap.5.

De Patre æterno.

Patrem vocamus ex verbo Dei, Deum & Iehouam in se vitam habentem, à nullo existentem, & omni origine carentem, qui ex sua hypostasi tanquam characterem & splendorem suæ gloriæ, Filium vnigenitum ab æterno sine omni principio & mutatione genuit, per quē omnia ab æterno præscijt, & disposuit, & in principio creauit, & conseruat & electos iustificando saluat, impios autem condemnat.

De Filio Dei.

Christum juxta carnem Dauidis filium, per omnia fratribus similem

lem excepto peccato credimus. Hunc eundem Christum, secundùm Logon, credimus & confitemur Filium Dei vnigenitum à Patre, Deũ & Iehouam æqualem Patri, & ab initio ante omnia opera, ex ore altissimi, tanquam splendorem gloriæ, & characterem substantiæ eius genitum esse, per quem omnia facta sunt ante creationem, in creatione & post creationem. Qui dicitur Angelus fœderis, & Sermo Dei, carnem in fine seculorum assumens: Rom.1. 8.9. Heb. 1. 2.3. Gal. 3. 4. Psal. 2. 1. Tim. 3. Ro. 3 4.8. Hebr. 3.8.9. Qui cùm subsistens esset in forma Dei, patri æqualiter se humiliauit ac formam serui assumsit, sic totum andilytron seu æquiualens precium virtute & potentia Spiritus æterni in carne assumta persoluit. Quia in ipso Somaticôs seu verè placuerit Patri, totam plenitudinem Deitatis inhabitare, vt sic omnia per eum restaurari possint, Eph.1. Coloss.1 2.2.Cor.5.

Huic Christo licèt juxta carnem temporalis tribuatur origo & natiuitas, tamquam vero homini fratribus per omnia simili, excepto peccato: tamen, quatenus est vnigenitus à Patre, subsistens in forma Dei, ita in se vitam habens vt Pater, caret omni origine, & temporali mutatione. Quia est IEHOVA à Iehoua egressus, & missus à diebus æternis, sola mystica & ineffabili generatione vnigenitus à Patre.

Matt.1.3.Luc.1.2.3.Rom.1,8.9,Heb.3.8.9.Ioa.1.3.8.10.Philip.2. Mich. 5.Zachar.2.3.10.Prouerb.8.Psalm.2.

De Spiritu sancto.

Spiritum quoque sanctum credimus & confitemur, à Patre procedentem, & à Filio emissum in corda credentium, esse Adonai Iehovam: vt in Ezechiele se Spiritus sanctus appellat, capite 2.3. 8. 10. Cui omnia elogia, vni soli Deo propria tribuuntur. Perinde vt Patri ac Filio, scilicet, primò Iehoua Adonai, Deus vocatur. Psalm.95. Heb.3. Secundò vocatur Deus Iehoua scrutans corda & renes, seu Deus omnipotens. Tertiò, creator, conseruator, regenerator, sanctificator. Esa. 6. 1. Corinth. 1. 2.3. Quartò, author & distributor omnium donorum Dei, 1. Corint. 12. Gal.5.6. Ephes.5.6. Fructus Spiritus sancti sunt fides, spes, charitas. Ro.3.4.8. Gal.3.4. Quintò, quia futura prædixit in Prophetis, elegit, & emisit Apostolos sua authoritate. Actorum 13. Hi tres, Pater, Sermo, & Spiritus quia vnum sunt in Iehouali & in æterna deitate voluntate, consilio & operibus, vt Ioan.3.5.6.10.14.15.16. dicitur. Sunt vnum & in adoratione, sicut enim Deus Pater sine Filio suo, & Spiritu sancto eligere, creare, sanctificare non potest: ita Pater sine Filio & Spiritu sancto Deus Iehoua adorandus esse non potest.

De Cœna Domini.

Cœnam Domini vocamus Sacramentum à Christo ex pane & vino institutum in memoriam mortis suæ. Sicut autem Papisticam trãssubstantiationem ex verbo Dei negamus: ita pernegamus sarcophagiam corporalem & cruentam, hoc est ore corporali naturale Christi

corpus ex virgine natum ſumi in cœna. Et panem ſubſtantialiter, & realiter ſine vlla tranſſubſtátiatione, corpus Chriſti eſſe, aut in panem corpus Chriſti contra fidei & naturæ regulam includit, & in pane ore carnali ab omnibus in cœna ſumi: cùm Symbolum & Scriptura doceant corpus Chriſti aſcendiſſe in cœlum. Deinde impoſſibile & contra naturam eſt contentum ſuo continente, locatum ſuo loco majus eſſe: vt plantæ & arbores, animalia ipſa terra continente vel orbe maiore eſſet panem cœnæ, poſſe totum Chriſti corpus capere, & poculum totum Chriſti ſanguinem continere, aut includere. Deinde, quin & poſt verborum Chriſti pronuntiationem, Chriſtus Apoſtolis panem dedit, & non corpus ſuum quod pro nobis poſtridie obtulit. Et Paulus dicit, Si quis panem hunc indignè comederit, reus erit corporis Chriſti. Panis quem frangimus, nonne eſt communicatio corporis Chriſti? 1. Cor. 10. 11.

Tertiò: quia vocatur Panis memoria mortis & corporis Chriſti: memoria autem vocatur ex Dei inſtitutione ſignum fœderis. Quicquid enim recordari facit, rectè memoraculum ſeu ſignum vocatur, vt Gen. 9. 17. dicitur. 1. Cor. 11. Luc. 22. Quarta ratio: Impoſſibile eſt diverſas ſpecies, diſparatam & aliam ſpeciem & formam eſſe poſſe naturaliter & realiter in ſua forma ſubſtantiali, ſine tranſſubſtantiatione & mutatione diſparatarum ſpecierum de ſua forma, & ſubſtantia prima aut ſubjecto in aliam naturam. Vt virga Moſis non fuit ſerpens, ſine tranſſubſtantiatione, aqua non fuit ſanguis in Aegypto, nec aqua vinum fuit in nuptijs, ſine mutatione: ita nec panis Cœnæ realiter, & ſubſtantialiter, ac corporaliter corpus Chriſti eſſe poteſt, neque ore corporali ſumi poteſt, niſi in carnem Chriſti tranſmutetur, amiſſa forma & ſubſtantia panis.

Quemadmodum damnamus Papiſticum delirium dum ſic nugantur: primò panem tranſſubſtantiari, & offerri in Miſſa: deinde ſola accidentia panis manere, ſed ſub illa forma viſibili panis, corpus Chriſti latitari, cùm impoſſibile ſit accidentia manere ſine ſuis ſubiectis, & formas ſubſtantiales quæ dant eſſe rei, id eſt, ob quas res ſuis nominibus appellantur, ſine primis ſubſtantijs ſubſiſtere poſſe: vt in cœna cũ panis ſit forma corporalis, & tamen ſubſtantia prima, aut ſubiectum corporis Chriſti naturalis lateat ſub forma panis. ita & eorum inſaniam damnamus, qui aſſerunt Sarcophagiam, id eſt, ore corporalis ſumi corpus Chriſti naturale, ſanguinolentum, ſine vlla mutatione, & tranſſubſtátiatione. Nam vt impoſſibile eſt accidentia manere, & ſumi ſine ſubiecto, vt Papiſtæ nugantur, videri quidẽ accidentia panis, ſed corpus Chriſti in Miſſa ſumi. Ita iſti Creophagi, aut Sarcophagi, delirant, dum ſomniant panem quidem videri, & panem non mutari in corpus; tamen, pane manducato, corpus Chriſti realiter & ſubſtantialiter ore corporali ſumi: id quod contra fidei & naturæ regulam eſt, ſcilicet diſparatas ſpecies, in alijs ſpecierum formis eſſe poſſe ſubſtantiali-

tialiter,& sumi sine mutatione: sicut aqua vinum esse in nuptijs, nec pro vino sumi potuit, sine versione aquæ in vinum. Ioan.2. Sola ergo appellatione transsubstantiatores Papistæ à Sarcophagis corporarijs differunt, sed reipsa in re Sacramentaria per omnia conueniunt.

De Sacramentariis.

Rejicimus & eorũ delirium, qui Cœnam Domini vacuum signum, vel Christi absentis tantùm memoriam his signis recoli docent. Nam sicut Christus est Amen, testis fidelis, verax, veritas & vita. Apoc. 1. 3. Matth. 18. 15. 1. Cor. 8. 10. ita Cœna Domini est præsentis & infiniti, æternique Filij Dei vnigeniti à Patre memoria: qui se & sua bona, carnem suam & sanguinem suum, id est, panem viuum & potum cœlestem Spiritus sancti ope per verbum promissionis gratiæ, offert & exhibet electis fide vera Euangelium Christi apprehendentibus; vt Ioan. 6. 14. 15.

De præsentia in Cœna.

Christum credimus vbique electis suis præsentem, vt Filium Dei Iehouam vnigenitum à Patre, quatenus hi tres sunt vnum, id est vnus Deus. Sed hic filius Dei vt Deus sermo est mysticè & spiritualiter quoque, dum enter præsenter Iehouali sua deitate, &cum donis in vnigenito & primogenito somaticè & verè habitantis adest, perinde vt Pater, sicut vitis in palmitibus caput in membris adest: Ioan. 15. 1. Corinth. 10. 12. Ephes. 4. 5. 6. Vt autem est homo fratribus per omnia similis, id est in Ecclesia sua mysticè & spiritualiter. Primò adest per vnionem cum Logo, quatenus vnitus est Logo vbique præsenti. Secundò adest in sua promissione per verbum & fidem, communicando se electis, vt vitis in palmitibus distantibus & dissitis à vite, caput in membris dissitis à capite adest per venas, 1. Corinth. 8. 10. Ephe. 1. 4. 5. 6. Ita vitis & caput homo Christus quoque nostrum adest per promissiones gratiæ, dum panem viuum, & potum cœlestem nobis communicat. Ioan. 6. 8. 10. 14. 15. Tertiò adest institutione sua Sacramentali aut Spiritus sancti effusione in electos. Quartò, officio dispensatorio, aut intercessione pro electis. Iohan. 15. 16. Hebr. 1. 7. 9. 10. Marc. 14. 16. Non est autem præsens carnaliter sicut in vtero matris in Iudea: in sepulchro fuit præsens localiter: quia ascendit in cœlum corporaliter, surrexit, non est hic, & oportet in cœlo esse vsque ad diem judicij. Act. 3.

De veris Sacramentis.

Scriptura sacra, hæc quatuor in omnibus signis noui fœderis proponit. Primò fœdus seu pactum ipsum, quod est Dei gratia, reconciliatio cum hominibus propter Christum, dona propter Christum per Spiritum sanctum, electis fide exhibita, & applicata. Secundò materia rei ex qua Sacramentum instituitur, vt iris cum Noah, præputium carnis cum Abraham, jumenta & panis in sacrificiis: in Baptismo aqua: in Cœna, panis & vinum. Tertiò, causa formalis, diuersis enim

formis signa erecta sunt cum Noah, Abraham, & populo Iudaico: & in nouo Testamento in baptismo diuersæ sunt formæ Sacramenti. Quarta causa finalis quæ respicit Deum & homines, hinc dicta sunt signa fœderis, memoria pacti aut noui Testamenti inter Deum & homines: respectu causæ finalis dicta sunt res sacramentariæ signa aut memoria in signum fœderis, & reconciliationis instituta, vt iridis erectio & circuncisio vocatur Berith, id est fœdus; deinde Otth Berith, id est signum fœderis. Gen.9.17. Ita in cœna panis & vinum respectu causæ finalis sunt memoria mortis Christi, id est signa commonefacientia de morte Christi. Matth. cap.26. Luc. cap.22. 1.Corinth.10.11. Panis & vinum sunt per se & sua natura sine vlla mutatione Papistica aut Creophagica, vt Papistæ somniant, corpus & nouum Testamentum aut communicatio corporis sunt mystica & sacra Christi institutione & appellatione sine transformatione corporaria, sicut suprà dictum est: signa enim non substantiam signatorum, sed tantùm accipiunt nomina, vt Gen.9.17.1.Cor.10. Luc.22. Iris & circuncisio nunc fœdus, nunc signum, & in cœna elementum nunc Panis, nunc corpus Christi appellatur: 1. Corinth.10.11. Sed non mutatur panis in corpus Christi, sed accipit nomen corporis & vinum sanguinis, non essentiam aut naturam carnis & sanguinis Christi, vt Papistæ somniant.

De æternitate.

Æternum quoque variè sumitur, primò, Dei respectu, quoties Deo Patri, Filio, Spiritui sancto tribuitur, significat principio, & fine mutationéque carentem perpetuitatem, Tu Iehoua habitans æternitates: Tu Iehoua Deus es in æternum. Esa.9. & 57.cap.

Secundò sumitur pro Christi descriptione filiali & infinita natura, virtute & efficacia vel natiuitate, vt Pro.8 Sap.7.9. Ecc.24. Ab æterno ante omnia genuit me. Mich.5. egressus ejus ab æterno à dieb. æternis Esa.9. Christus est filius Dei, Deus fortis, pater æternitatis. Hoc est autor æterni fœderis, testamenti, salutis, justitiæ & vitæ æternæ causa: Heb.1.9.13. Angelus est fœderis, Testamentum in Christo confirmatum. Testamentum æternum in sanguine Christi confirmatum est: Effectum æternum, salutem, vitam, Testamentum, seu fœdus æternum tribuit Filio Dei dato, vnigenito à Patre infinito æterno: Qualis effectus, talis causa: Sed effectus Christi, redemptio, salus, Testamentum sunt æternum: Ergo & Filius est pater æternitatis, id est, Deus æternus infinitus vt Pater, Esa.9. Tertio, sumitur pro continuo tempore, hoc est, pro spacio quo mundus creatus est, pro diebus in quibus mundus factus est: Hinc dicitur: Elegit nos ante tempora æterna, id est ante septem dies creationis, ante creationem ab æterno elegit, Eph.1.2.3.4. 2.Timoth.1.2.3. Quarto, sumitur pro infinita piorum salute, & cruciatu impiorum. Quæ vt se in electis & vasis iræ habent initium, tamen jam fine carent salus & condemnatio.

De Be-

De Baptismo infantium.

Infantes omnes Ecclesiæ oblatos, qui canes & porci non sunt: In nomine Patris, Filij & Spiritus S. Baptismo Baptizádos esse docemus, sicut promissio & signatum vel fœdus ad infantes & electos pertinet, & Sacramentum circumcisionis infantibus quoque institutum fuit, Rom.5.6.1.Cor.15.Coloss.2.

Scriptura nomen Baptismi variè vsurpat. Primo pro afflictione, & cruce electorum, vt Matt.20. Potestis baptizari quo ego baptizor? id est, potestis ferre illam crucem infinitam, aut pœnas infinitas? Secundo sumitur Baptismus pro regeneratione, & causa regenerationis pro Spiritu & igne aut gratiæ Dei plenitudine. Ille baptizabit nos igne & spiritu. Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non poterit ingredi in vitam, Matt.3.Marc.1.1.Ioan.1.3. Tertio sumitur baptismus pro signo regenerationis & lauacri interioris quod à Christo institutum est, in nomine Patris, Filij & Spiritus S. Matt.28. Quarto, sumitur pro Christi baptismo, vel pro nomine Christi, pro pœnitentia & conuersione, vt Matt.3. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum: id est, agite pœnitentiam, vt propter Christum accipiatis remissionem peccatorum & donum spiritus. Quinto, pro religione & confessione Christiana, & vnione insertionéque fidei, doctrinæ & confessione Christi, vt Act. 10. Nunquid aquam prohibere potest aliquis, ne baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, & jussit eos baptizari Petrus in nomine Domini Iesu Christi. Hic baptismus aquæ primo. Secundo baptismus Spiritus & ignis. Tertio baptismus nominis Christi explicatur. Baptizati sunt in nomine Iesu. Hoc est, primo in nomine Patris, Filij & Spiritus S. aqua sunt baptizati: postea susceperunt nomen Christi, facti sunt Christiani, fidem, doctrinam, & religionem Christi susceperunt, & apprehenderunt, Gal.3.1.Cor.3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Sexto pro lotione & communi lauacro sumitur Iudith 12. Baptizabat se Iudith in fonte, Marc.1. Iudæi non comedunt, nisi baptizentur prius.

De Lege.

Lex ad peccata arguenda, & Euangelium propter annunciandam remissionem peccatorum prædicandum est: Neque enim pœnitentia prædicari potest, neque peccata argui possunt, sine lege. In suis ergo finibus Lex & Euangelium prædicanda sunt.

De ritibus Ecclesiasticis. Propositio 47.

Omnes honestos, & pios ritus verbo Dei consentientes & seruientes gloriæ Dei, & ædificationi Ecclesiæ, cantilenas scilicet ex sacris literis compositas, cum intellectu Spiritu & mente canimus, & rejicimus insanos, qui his contradicunt, aut lingua non intellecta in cœtu discantizant, aut reboant ad cœlum vsque, vt Sacerdotes Baal, 1. Cor.14.Eph.5.

De vestitu Pastorum.

Quia in sacris literis in Veteri, Nouo Testamento nulla limitatione, figura, aut mensura ministrorum Ecclesiæ vestes in vsu communi circumscribuntur & limitantur, stultum & impium est hæredes & dominos omnium creaturarum, à Domino Deo factos facere seruos in vestitu, cibo & potu superstitioso. In his ergo omnibus mediocritas pia & sancta seruiens honestati, decoro & necessitati secundum circumstantias seruanda est. Vitanda sunt extrema omnia, luxus, superbia, scandala, sordities, & auaritia, non seruiens, & non parcens naturæ, 1.Cor.6.14.15.

De Templis.

Templa & loca conuentus electorum, remotis Idolis & Papisticis sordibus Idolorum, ararum, & boatuum recipimus: etiam si prius eis Baalaim abusi sunt: nulla enim creatura in terris est, qua impij abusi non sunt. Sed abusus non tollit substantiam bonæ rei. Hoc est, non sunt ideo creaturæ Dei per se bonæ rejiciendæ, quia iis impij abusi sunt.

De cibo & mercede Pastorum.

Scriptura sacra, & natura docet dignos esse operarios cibo & mercede sua: impiè ergo nugantur clamitantes, mercedem non esse veris in Christo ministris dandam: sicut noui hæretici fabulantur, sub Monachorum prætextu, qui licet non paciscantur cum ouibus, sed tamen ijs pellem & carnem excoriando detrahunt, vt Ioan.10.11. Hiere. 23.5. Spiritus Dei falsis propheris loquitur, Ezech.14. Esa.58.

De causa peccati.

Sicut impossibile est contrariè inter se pugnantia, & destruentia se mutuò, causam efficientem formalémque esse posse sibi contrariorum: Vt Lux non est causa tenebrarum, neque caliditas frigiditatis, Psal.5.46.61.66.80. 84.114.135. Ita impossibile est Deum, qui est Lux, Iustitia, Veritas, Sapientia, Bonitas, Vita, causam esse tenebrarum, peccati & mendacij, ignorantiæ, cœcitatis, malitiæ, & mortis: sed horum omnium causa Satanas, & homines sunt. Quæcunque enim Deus prohibet, & propter quæ damnat facere ex se, & per se non potest, Deut.32.

De Aprosopolipsia in Deo.

Sicut qui operantibus æqualiter simul, mercedem æqualem justè reddit, & qui non merentibus donat ex gratia, libero arbitrio quæ vult, non est respector personarum: Ita Deus, mortem & condemnationem tanquam peccati stipendium, dum omnibus merentibus æqualem reddit, ex debito secundùm justitiam & legem suam, justè fecit. Et contra dum non merentibus donat propter Filium ex plenitudine gratiæ suæ, & libera voluntate, justitiam & vitam, non est Prosopoliptis, id est, non est respector personarum, vt dicitur: quod tuum est, & meritus es tolle, & vade: Annon licet mihi facere de meo quod volo?

volo? Annon oculus tuus est nequam? non meus oculus, quia ego bonus sum, Matt.21.

De Mediatore.

Christum Filium Dei & hominis totum secundùm vtramque naturam verum Melchisedecum Pontificem, Regem, Mediatorem, & Saluatorem, Redemptorem confitemur propter has causas.

1. Propter justitiæ & misericordiæ temperamentum: vt justitię infinitæ & legi damnanti propter peccatum satisfaceret in carne moriendo, virtute & efficacia spiritus æterni. Deinde vt & misericordiæ diuinæ viuificanti electos per eiusdem sermonis & Filij Dei vnigeniti omnipotentiam satisfieret, juxta electionem æternam in Christo ab æterno factam, Eph.1.

2. Propter antilytron, aut æquiualens precium, hoc est, vt perfectè Mediator precium salutis pro electis soluere possit: hoc scilicet, propter peccatum hominum mori in carne possit. Deinde peccatum, mortem, Diabolum, infernum, legis maledictionem destruere possit, imaginem autem Dei amissam vitam, justitiam, sapientiam Dei, reparare possit, & viuificare, omnia restaurare possit deitatis suæ virtute, & potentia, Rom.3.4.8.2.Cor.3.5.Col.1.2.Eph.1.3.

3. Quia literaliter Mediator vocatur Filius Dei vnigenitus immortalis, id est verus Deus, vita æterna, id est, immortalis Iehoua Deus æternus, magnus laudandus in secula: Deus magnus, sua potentia & virtute saluans, 1.Cor.1.3.Col.1.Heb.1.7.9.Zach.1.3.10.13.14.Osee 1.2.3.12. Idem Mediator Dei & hominum vocatur homo Iesus Christus. Sunt ergo gloriæ Dei & veritatis, justitiæ deitatis destructores, sunt pacis inter homines hostes, qui Christum mediatorem, id est, Filium Dei vnigenitum à Patre, & hominem verum negant, Luc.1.2. Impossibile enim est gloriam Dei in cœlis perfici Legem & Euangelium impleri, & salutem pacem electorum perfici sine Filio Dei vero Deo, & homine, & sine vero homine, Rom.1.3. Colos.1.2.Ephes.1.3.

FINIS.

CONCILIATIO ARTICVLI

DE COENA DOMINI

INTER MINISTROS,

QVI

IN VTRAQVE POLONIA, LITVANIA ET SAMOGITIA EVANGELIVM CHRISTI, TAM juxtà Augustanam, quàm fratrum Waldensium, & Helueticarum Ecclesiarum, Confessionem, docent.

FACTA IN GENERALI SYNODO SENDOMIRIENSI, 14. Aprilis, Anno 1570.

Accessit breuis de Mediatore CONFESSIO, qua omnis etiam in hoc articulo controuersia sublata est: edita in eadem Synodo 1. Aprilis Anno 1570.

Matth. 5.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

AD LECTOREM.

VTilis & admodum necessaria est, Pauli admonitio. Studete, inquit, seruare vnitatem spiritus, per vinculum pacis, &c. Vnus est Dominus, vna fides, & vnum Baptisma Quemadmodum igitur detestandus est illorum furor potius, quam zelus, qui contendendi libidine, quidvis, quantumvis sobriè & circumspectè dictum, carpunt atque arrodunt: ita illorum studium immortali memoria dignum est, qui quanta possunt diligentia, in hoc toti sunt, vt inter eos, qui eundem Christum crucifixum, vnicum, solum & perfectum generis humani seruatorem annunciant (mitigatis dictis, sententiísque paulò crudioribus, salua denique verbi diuini integritate) mutua animorum coniunctio coalescat. Itaque perpetua laude digni sunt, orthodoxarum in vtraque Polonia, Lituania & Samogitia Ecclesiarum ministri, qui superatis animorum affectibus (quod, Cicerone teste, pulcherrimum victoriæ genus est) ex infelici, & non necessario contentionum de Cœna Domini labyrintho, felicissime tandem emerserunt, ac formulæ huic, quam tibi legendam offerimus, vnanimiter subscripserunt. Superest; vt quotquot vbique terrarum, puram Euangelij doctrinam, aduersus pontificiorum, aliorúmque Sectariorum strophas tuentur, in hunc scopum pacis atque concordiæ colliment, eóque omnia sua studia dirigant. Hoc vt breui fiat, Deus Opt. Max, ardentibus votis rogandus est.

CONSEN-

CONSENSVS MVTVVS IN RELIGIONIS CHRISTIANÆ CAPITIBVS INTER ECCLESIÆ MAJORIS & minoris Poloniæ, Lituaniæ, & Samogitiæ, quæ juxta confessionem Augustanam, fratrum Waldensium, vt vocant, & Helueticam, aliquo modo à se dissentire videbantur, factus in Synodo Sendomiriensi. ANNO 1570. April. 14.

POSTQVAM diu multúmque cum sectariis, Tritheitis, Ebionitis, Anabaptistis cõflictatum esset, tandem diuino fauore ex tot tantísque certaminibus & deplorandis cõtentionibus emersimus. Visum est ijsdem Ecclesiis Polonicis reformatis & orthodoxis, quæ in quibusdam capitibus & formulis doctrinæ (hostibus veritatis & Euangelij) minimè consentire videbantur, pacis & concordiæ studio, Synodum conuocare, ac consensionem mutuam testari. Quare habita collatione amica & Christiana, sic iunctis compositísque animis consenserunt in hæc capita.

Primum. Quemadmodum & nos, qui in præsenti Synodo nostram confessionem edidimus, & fratres, nunquam credidimus eos, qui Augustanam Confessionem amplectuntur, aliter quam piè & orthodoxè sensisse de Deo, & sacra Trinitate, atq; Incarnatione Filij Dei, & justificatione, aliisq; præcipuis capitibus fidei nostræ: ita etiam ij qui Augustanam Confessionem professi sunt candidè & sincerè se vicissim tam de nostrarum Ecclesiarum, quam de fratrum, quos vocant Waldenses, confessione de Deo & sacra triade, incarnatione Filij Dei, justificatione, & alijs primarijs Capitibus fidei Christianæ, nihil agnoscere, quod sit absonum ab orthodoxa veritate, & puro verbo Dei. Ibique sanctè inuicem hujus polliciti, vnanimiter secundùm regulam Verbi Dei defensuros consensum hunc mutuum in vera & pura Christi Religione contra Pontificios, contra sectarios, contra de-

nique omnes hostes Euangelij & veritatis.

Deinde verò quantum ad infelix illud dissidium de Cœna attinet, conuenimus in sententia verborum, vt illa orthodoxè intellecta est à Patribus, ac imprimis ab Irenæo, qui duabus rebus, scilicet terrena & cœlesti, hoc mysterium constare dixit, neque elementa signáve illa nuda & vacua esse asserimus, sed simul reipsa CREDENTIBVS exhibere & præstare FIDE, quod significant. Denique vt expressius clariúsque loquantur, conuenimus vt credamus & confiteamur, substantialem præsentiam Christi, non significari duntaxat, sed verè in Cœna vescentibus repræsentari, distribui, & exhiberi, Symbolis adiectis ipsi rei, minimè nudis, secundùm Sacramentorum naturam. Ne verò diuersitas formularum loquendi contentionem aliquam pariat, placuit, præter articulum, qui est insertus confessioni nostrę mutuo consensu adscribere articulum Confessionis Saxonicarum Ecclesiarum de Cœna Domini, missæ ad Tridentinum Concilium, anno 1551. quem etiam pium agnoscimus, & recipimus. Cuius Confessionis verba sunt hæc.

De Cœna Domini.

ET Baptismus, & Cœna Domini, sunt pignora & testimonia gratiæ, vt antea dictum est, quæ de promissione & tota redemptione nos commonefaciunt, & ostendunt beneficia Euangelij ad singulos pertinere, qui his ritibus vtuntur. Sed tamen hoc discrimen est: per Baptismum singuli inseruntur Ecclesiæ, sed Cœnam Domini simul etiam voluit Dominus esse neruũ publicæ congregationis. Vult enim Deus ministeriũ Euangelij publicum esse, non vult in latebris tantũ inclusam teneri vocem Euangelij, sed exaudiri eam vult à toto genere humano, vult se agnosci & inuocari: Ideò vult publicos & honestos esse cõgressus, & in his vult sonare Euãgelij vocẽ, vult se ibi inuocari & celebrari. Vult etiam hos ipsos congressus, testes esse cõfessionis & seiunctionis Ecclesiæ Dei, ab aliarum gentium sectis & opinionibus. Conuenit Ioannes Ephesi cum suo cœtu, & docet Euangelium, & vsu Sacramentorum, totus cœtus ostendit se hanc doctrinam amplecti, & hunc Deum inuocare, qui Euangelium tradidit, & seiunctum se esse à Dianæ, Iouis, & aliorum idolorum cultoribus. Vult enim Deus conspici & audiri suam Ecclesiam in mundo, & vult sejunctam esse multis publicis signis à reliquis gẽtibus. Sic haud dubiè suos cœtus habuerũt primi parentes, Adam, Seth, Enoch, Noè, Sem, Abraham: & deinceps politia Israel habuit multos ritus, vt seiunctio illa à gentibus esset conspectior. Addidit etiam peculiarem promissionem congregationi: Vbicunque duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ero in medio eorum. Item: Quicquid petent consentientes, fiet eis. Et in Psalm. Laus ejus in Ecclesia Sanctorum. Sintque promissiones, in quibus adfirmat Deus, se Ecclesiam seruaturum esse, eo dulciores, quia intelligimus eum publicum ministerium in congressibus ho-

nestis

nestis conseruare & restituere: sicut & in ipsis verbis Cœnæ Domini inclusa est hæc promissio, cùm iubet annunciari mortem Domini,& hanc Cœnam distribui,donec venerit.

Vt igitur reuerentia maior sit in huius Sacramenti vsu, veræ causæ institutionis cogitentur, quæ ad publicam congregationem,& ad singulorum consolationem pertinent.

Prima causa est: Filius Dei vult in publica & honesta congregatione sonare vocem Euangelij. Huius congregationis vinculum vult esse hanc sumptionem, quæ summa reuerentia facienda est, cùm ibi testimonium exhibeatur mirandæ societatis Domini & sumentium, de qua reuerentia Paulus loquitur,inquiens: Qui sumit indignè,reus erit corporis & sanguinis Domini. Secunda,vult & concionem,& ipsum ritum prodesse ad conseruationem & propagationem memoriæ passionis,resurrectionis,& beneficiorum suorum. Tertia: Vult quemlibet sumentem hoc testimonio singulariter confirmare, vt statuat ad se pertinere beneficia Euangelij, cùm concio sit communis: & hoc testimonio, hac sumptione ostendit, te ipsius membrum esse, & te ablutum esse sanguine suo,& facere se hoc fœdus: Manete in me, & ego in vobis. Item: Ego in eis,& hi in me.

Quarta vult hanc publicam sumptionem, confessionem esse, qua ostendis quod doctrinæ genus amplectaris, cui cœtui te adiungas. Vult & gratias agi publicè & priuatim in hac ipsa cæremonia Deo æterno Patri,Filio & Spiritui sancto, cùm pro cæteris beneficijs, tum nominatim pro hoc immenso beneficio redemptionis & saluationis. Vult & ipsis Ecclesiæ membris inter sese vinculum esse mutuæ beneuolentiæ. Ita multis fines concurrunt.

Harum maximarum causarum commemoratione inuitantur homines ad Sacramenti reuerentiam & vsum. Et docemus,quomodo prosit vsus. Apertè damnamus portentosum errorem monachorum: qui scripserunt,sumptionem mereri remissionem peccatorum,& quidem ex opere operato,sine bono motu vtentis. Hæc Pharisaica imaginatio pugnat cum dicto, Iustus sua fide viuet. Sic igitur erudimus Ecclesiam, accessuros ad Cœnam Domini, oportere pœnitentiam seu conuersionem adferre: & accensa iam fide in cogitatione de morte & resurrectione & beneficijs Filij Dei, quærere hic confirmationem hujus fidei: quia in vsu Sacramenti fit testificatio, quæ ostendit, ad te quoque pertinere beneficia Filij Dei. Fit & testificatio, quòd te sibi membrum adiungat,& quòd sit in te,sicut dicit: Ego in vobis,&c.

Monemus etiam, ne existiment propter hoc opus seu hanc obedientiam remitti peccata, sed vt fiducia intuentur mortem & meritum Filij Dei, & resurrectionem ejus. Et statuant propter ipsum nobis peccata remitti, & velle eum hanc fidem hac commonefactione & testificatione confirmari. Cum hoc modo fides, consolatio, gaudium conscientiæ & gratiarum actio crescunt, prodest sumptio. Nec

admittuntur ulli ad communionem, nisi prius à Pastore aut Collegis ejus auditi sunt, & absoluti. In hac exploratione interrogantur, & sæpè erudiuntur rudiores, de tota doctrina: & deinde absolutio promulgatur.

Docentur etiam homines, Sacramenta esse actiones diuinitus institutas, & extra vsum institutum res ipsas non habere rationem Sacramenti, sed in vsu instituto in hac communione verè & substantialiter adesse Christum, & verè exhiberi sumentibus corpus & sanguinem Christi: Christum testari quòd sit in eis, & faciat eos sibi membra, & quòd abluerit eos sanguine suo, sicut & Hilarius inquit: Hæc accepta & hausta efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. In ipso autem ritu seruamus morem vsitatum vniuersæ Ecclesiæ veteris, Latinæ & Græcæ. Non fiũt priuatæ Missæ, hoc est, tales in quibus non fiat distributio corporis & sanguinis Christi: sicut nec vetus Ecclesia aliquot seculis post Apostolos, tales Missas habuit: vt descriptiones veteres apud Dionysium, Epiphanium, Ambrosiũ, Augustinum, & apud alios ostendunt. Et Paulus expresse iubet, simul fieri multorum communionem. Itaque in publica & honesta congregatione recitantur aut canuntur precationes & symbolum, & lectiones cum sacris canticis, distributæ in dies festos, vsitato more. Deinde fit concio de beneficijs filijs Dei, & de aliqua doctrinæ parte, vt series temporum præbet argumentum. Postea recitat Pastor gratiarum actionem, & precationem pro vniuersa Ecclesia, pro Potestatibus, & pro præsenti necessitate: & orat Deum, vt propter Filium, quem voluit fieri victimam pro nobis, remittat nobis peccata, & nos saluet, colligat & seruet Ecclesiam.

Deinde recitat in loco consueto verba Christi, de Cœnæ institutióne, & sumit ipse, & distribuit sumentibus integrum Sacramentum, qui reuerenter accedunt, antea explorati & absoluti, & ibi suas preces ad publicas adiungunt. Ad extremum, rursus recitatur gratiarum actio. Hunc ritum, & hanc communionem plurium, congruere cum scriptis Apostolorum, & consuetudine veteris Ecclesiæ, ferè vsque ad Gregorij ætatem, nôrunt omnes non prorsus ignari antiquitatis, quod cùm ita sit, probanda, non improbanda est nostrarum Ecclesiarum consuetudo: sed aduersarij improbantes nostram consuetudinem, defendunt multos errores, alij magis tetros, alij nouis iam artificijs fucatos. Multi ante hoc tempus scripserunt, fieri oblationem in Missa pro viuis & mortuis, & mereri eam facienti & alijs remissionem peccatorum ex opere operato. Et hæc plurimorum persuasio fuit, & adhuc est, similis Pharisaicæ & Ethnicæ. Nam eodem modo Pharisæi & Ethnici somniabant, se ex opere operato mereri sibi & alijs remissionem peccatorum, pacem, & alia multa bona. Aut etiamsi qui minus cæci verecundius loquebantur, etsi dicebant mereri ea non sine bono motu sacrificantis, tamen sacrificia ipsa fingebant esse meri-

merita precum. Hac opinione cumulabantur ſacrificia,& creſcebant aucupia quæſtus. Talis eſt & Miſſarum mercatus,& prophanatio Cœnæ Domini,ferè in toto orbe terrarum.

Vult autem Deus,vitioſos cultus taxari & aboleri. Ideo vocem diuinam ſimpliciter & verè proponimus,quæ errores illos damnat. Ac toto pectore adfirmamus coram Deo & tota Eccleſia in cœlo & in terra, tantùm fuiſſe vnicum ſacrificium propitiatorium, ſeu quo ira æterni patris aduerſus genus humanum placata eſt: ſcilicet, Totam filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti crucifixi & reſuſcitati obedientiã. Hic vnicus eſt agnus, qui tollit peccata mundi. De hoc vnico ſacrificio dictum eſt Heb. 10. Vnico ſacrificio conſummauit in perpetuum eos qui ſanctificantur. Et hoc ſacrificium ſingulis ſua fide applicatur, cùm audiunt Euangelium, & Sacramentis vtuntur, vt Paulus inquit: Quem poſuit propitiatorem in ſanguine per fidem. Et, Iuſtus fide ſua viuet. Et in 1. Petr. Sanctificati ſpiritu,ad obedientiam & conſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti. Cætera ſacrificia in veteri Teſtamento fuerunt typica, de quibus ſuo loco copioſius dicitur. Et nequaquam merebantur remiſſionem peccatorum, & omnes juſtitiæ Sanctorum omnibus temporibus, fuerunt, ſunt, & erunt ſacrificia laudis, ſeu εὐχαριστικά, quę non merentur facienti aut alijs remiſsionem, ſed ſunt cultus debiti in ſingulis, & placent propter mediatorem & ſummum ſacerdotem filium Dei: vt dicitur ad Heb. Per ipſum offerimus ſacrificium laudis ſemper Deo. Hanc eſſe immotam & æternam veritatem, manifeſtiſſimum eſt. Quod verò citantur contra tam claram lucem veritatis,centones,quos nominant Canones Miſſæ,etiam manifeſtum eſt, diſſimiles eſſe Canones Græcos & Latinos. Et Græcos ipſos diſſentire inter ſeſe de re maxima: & in hoc Latino,qui vſitatus eſt,apparet paulatim adſutas eſſe lacinias ab ignotis authoribus.

Vetus Eccleſia vtitur nominibus ſacrificij & oblationis: ſed intelligit totam actionem, precationem, ſumptionem, recordationem, fidem, ſpem, confeſſionem, & gratiarum actionem. Hæc tota actio interior & exterior,in quolibet conuerſo ad Deum,& in tota Eccleſia, eſt reuera ſacrificium laudis,ſeu εὐχαριστικὸν, & λογικὴ λατρεία. Et cùm inquit Dominus, Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate: adfirmat, in nouo Teſtamento non præcipi externa ſacrificia,quæ fieri neceſſe ſit,etiamſi in corde nulli ſint motus Spiritus ſancti: ſicut in Lege neceſſe erat cæremoniam Paſchatos ſeruari.

Sed de Cœna Domini dicitur: Probet ſe vnuſquiſque, &c. Ita prodeſt vtenti Cœna Domini, cum adfert pœnitentiam & fidem, & non prodeſt ei alienum opus. Præterea de mortuis manifeſtum eſt, totum hoc ſpectaculum pugnare cum verbis inſtitutionis Cœnæ, in quibus dicitur: Accipite, manducate, &c. Hoc facite in mei recordationem. Quid hoc ad mortuos,vel abſentes? Et tamen in magna parte Europę plurimum miſſarum fit pro mortuis. Magna etiam multitudo pror-

ſus ignorans quid agat, legit miſſas propter mercedem. Cùm autem hæc omnia manifeſtè ſint impia, facere oblationem, vt loquuntur, vt mereantur viuis & mortuis: aut facere neſcientem quid agat: horribiliter peccant, qui hæc ſcelera retinent & defendunt. Et cum ritus extra vſum inſtitutum non habeat rationem Sacramenti, qualis ibi fiat idolorum cultus, cogitent pij & eruditi.

Eſt & manifeſta profanatio, partem Cœnæ Domini circumgeſtare, & adorare: vbi prorſus transfertur pars ad vſum toto genere diuerſum ab inſtitutione, cum textus dicat; Accipite, manducate, cum quidem & recens ſit hoc ſpectaculum.

Poſtremò, quales ſunt mores plurimorum ſacrificulorum & Monachorum in tota Europa, qui non curant hoc dictum: Probet ſe vnuſquiſque. Item, Quicunque indignè ſumit, reus erit corporis & ſanguinis Domini? Etſi autem Pontifices & hypocritæ, qui preſtigias quærunt ad hæc mala ſtabilienda, rident has querelas, tamen certiſſimum eſt, Deum horribiliter iraſci his ſceleribus: ſicut in Iſraël iraſcebatur ſacrificiorum profanationibus. Et videmus iræ exempla manifeſta: Tot regnorum ruinas, vaſtationem orbis terrarum quam faciunt Turcæ, confuſiones opinionum, & multas triſtiſſimas diſſipationes Eccleſiarum.

Te autem, filij Dei, Domine IESV Chriſte, crucifixe pro nobis, & reſuſcitate, ſumme ſacerdos Eccleſiæ tuæ, veris gemitibus oramus, vt propter tuam & æterni Patris tui gloriam, deleas, idola, errores & abominationes: & ſicut ipſe precatus es, ſanctifices nos in veritate tua, & in pectoribus plurimorum accendas lucem Euangelij tui, & veram inuocationem, & corda noſtra ad veram obedientiam flectas, vt grati te in omni æternitate celebremus.

Omnium Angelorum & hominum eloquentiam ſuperat magnitudo peccatorum, quæ profanatio Cœnæ Domini tot jam ſeculis parit. Et nos, cum par oratio tantæ rei nulla poſſit eſſe, breuiores ſumus: & in hoc ingenti dolore Filium Dei oramus, vt ipſe hæc mala emendet: & ſimul ad declarationem copioſiorem nos apud eos offerimus, qui eam audire volunt. Sed in hac quæſtione præcipuè fieri cernimus hoc quod ait Salomon: Perinde facere canentem carmina prauo cordi, ac ſi acetum fundat ſupra nitrum. Has de ſacrificio perſuaſiones, ſciunt aduerſarij neruos eſſe ſuæ potentiæ & opum. Ideo contrariam orationem audire nolunt. Quidam aſtutè jam lenire abſurda diſcunt. Non eſt, inquiunt, meritum oblatio, ſed appellatio: ſtruunt inſidias verbis, & eoſdem abuſus retinent. Dixi autem etiam antea, vnumquemlibet ſua fide facere ſibi applicationem ſacrificij Chriſti, & cùm audit Euangelium, & cùm vtitur Sacramentis. Et ſcriptum eſt: Probet vnuſquiſque ſeipſum. Non igitur ſenſit Paulus, cæremoniam alteri non vtenti prodeſſe, & Filius Dei ipſe ſe obtulit, ingrediens in ſanctum ſanctorum, id eſt, in arcanum conſilium

lium diuinitatis, cernens voluntatem æterni Patris, & ingentem iram ſuſtinens, & cauſas hujus mirandi conſilij intelligens. Hæ res magnæ ſignificantur, cùm dicit Paulus ad Hebr. Seſe obtulit: & cùm inquit Eſaias, Ponet animam ſuam hoſtiam pro peccato. Quid igitur nunc intelligunt ſacrificuli, qui dicunt ſe offerre Chriſtum: nec antiquitas hoc modo locuta eſt. Sed atrociſſima oratione nos accuſant, dicunt nos delere juge ſacrificium: ſicut faciebat Antiochus qui typus eſt Antichriſti. Reſpondimus etiam antea, nos retinere totum ritum Eccleſiæ Apoſtolicæ: & juge ſacrificium eſt, ſonare doctrinam incorruptam Euangelij, & rectè inuocare Deum: denique, vt Dominus inquit, eſt adorare Patrem in ſpiritu & veritate. Complectimur hic etiam verum vſum Sacramentorum. Hæc omnia cum fideliſſimè retineamus, ſumma reuerentia retinemus juge ſacrificium: illi abolent, qui veram inuocationem & Cœnam ipſam Domini multis modis corrumpunt, qui jubent inuocare homines mortuos, qui Miſſas venales habent, qui jactitant ſe oblatione ſua aliis mereri, qui doctrinæ de pœnitentia & remiſſione peccatorum multos tetros errores immiſcent: qui jubent dubitare agentes pœnitentiam, an ſint in gratia, qui libidinib. & idolis Eccleſiam polluunt. Hi ſunt Antiochi ſimiles, non nos, qui obedire Filio Dei ſtudemus, dicenti: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Poſtremò & de vſu integri Sacramenti pauca quædam dicenda ſunt. Remoueatur ſophiſtica à judiciis Eccleſiæ. Norunt omnes, Cœnam Domini ita inſtitutam eſſe, vt detur populo integrum Sacramentum, ſicut ſcriptum eſt: Bibite ex hoc omnes. Nota eſt & conſuetudo veteris Eccleſiæ, Latinæ & Græcæ. Ideo fatendum eſt, prohibitionem vnius partis injuſtam eſſe. Legitima hominum teſtamenta violare, injuſtum eſt: cur Filij Dei teſtamentum, ſanguine ipſius obſignatum, Epiſcopi violant? Dolendum eſt autem, tantam eſſe impudentiam quorundam, vt contra hoc grauiſſimum argumentum, tamen fingant ſophiſmata, ad ſtabiliendam prohibitionem: quorum refutationem in re manifeſta omittimus.

Hujus autem ſancti, mutuique conſenſus vinculum fore arbitrati ſumus, conuenimúſque, vt quemadmodum illi nos, noſtráſque Eccleſias, & confeſſionem noſtram in hac Synodo publicatam & fratrum, orthodoxas eſſe teſtantur: ſic & illorum Eccleſias eodem Chriſtiano amore proſequamur, & orthodoxas fateamur, extremúmque valedicamus, & altum ſilentium imponamus omnib. rixis, diſtractionibus, diſſidiis, quibus Euangelij curſus non ſine maxima multorum piorum offenſione impeditus eſt. Et vnde aduerſariis noſtris non leuis calumniandi, & veræ Chriſtianæ religioni noſtræ contradicendi, occaſio ſit ſubminiſtrata, quia potius paci & tranquillitati publicæ ſtudere, charitatem mutuam exercere, & operas mutuas ad ædificationem Eccleſiæ pro fraterna conjunctione noſtra præſtare debemus.

Ad hæc recipimus mutuo conſenſu, omni ſtudio noſtris omnibus

perſuaſuros atque eos inuitaturos ad hunc Chriſtianum, & vnanimen conſenſum amplectendum, colendum,& conſeruandum,illúmque alendum,& obſignandum,pręcipuè auditione verbi,frequentando tam hujus quàm alterius cujuſque Confeſſionis cœtus, & Sacramentorum vſu, obſeruato tamen recto ordine & gradu tam diſciplinæ,quàm conſuetudinis vniuſcujuſque Eccleſiæ.

Ritus autem liberos vniuſcujuſque Eccleſiæ ex hac concordia, & conjunctione relinquimus.Non enim multum refert, qui ritus obſeruentur,modo ſarta tecta & incorrupta exiſtat ipſa doctrina.Quemadmodum Confeſſio Auguſtana docet, & in hac generali Confeſſione noſtra idipſum expreſſimus.

Quamobrem conſilia officiáve charitatis mutua in nos conferre,& in poſterum de conſeruatione & incremento omnium totius regni piarum reformatarum Eccleſiarum, tanquam de vno corpore conſulere polliciti ſumus,& ſi quando Synodos generales celebrabunt,nobis quoque ſignificent, & ad noſtras etiam generales vocati,non grauatim veniant ſi opus fuerit.

Atque vt colophonem huic conſenſui,& mutuę concordiæ imponamus, ad hanc firmam ſocietatem conſeruandam tuendámque non incommodum fore putamus,in locum certum conuenire,vbi vnà ex mutuis confeſſionibus, improbitate hoſtium ad id adacti, compendium corporis doctrinæ eliceremus, & in publicum ederemus,vt inuidorum horum ora obturarentur,cum maximo omnium piorum ſolatio, ſub titulo omnium Eccleſiarum Polonicarum reformatarum & Lithuanicarum, Samagiticarúmque noſtræ confeſſioni conſentientium.

Datis igitur junctíſque dextris ſanctè promiſimus & recepimus inuicem fidem & pacem colere,fouere, & indies ad ædificationem regni Dei magis magíſque amplificare velle, omnéſque occaſiones diſtractionis Eccleſiarum euitaturos. Denique ſe immemores & oblitos ſui ipſius,vt veros Dei miniſtros decet, ſolius Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri gloriam promoturos, & Euangelij illius veritatem propugnaturos tum dictis tum factis receperunt. Quod vt felix, ratum, firmúmque ſit in perpetuum, oramus ardentibus votis Deum Patrem, totius conſolationis & pacis authorem & fontem vberrimum, qui nos ex denſis Papatus tenebris, noſtráſque Eccleſias eripuit, donauitque puro verbi ſui,& ſacroſancto veritatis lumine,hánceque noſtram ſanctam pacem,conſenſionem,conjunctionem,& vnionem benedicere ad ſui nominis gloriam,& Eccleſiæ ædificationem velit. Amen.

CONSENSVS ECCLESIARVM REFORMATARVM MAIORIS ET MINORIS POLONIÆ, CVM QVIBVSDAM fratribus Miniſtris, qui ſequebantur dogma de Mediatore controuerſum, factus in Generali Synodo Sendomirienſi. Anno M. D. L X X. Aprilis primo.

CVM nihil ſit pernicioſius in Eccleſia Dei, quam lites contentionéſque ab his excitari, qui in primo doctrinæ Chriſtianæ capite, Eccleſiarum reformatarum conſenſum præbent, & ſchiſma interim à corpore Chriſti faciant, placuit quoſdam pios fratres, qui inter nos controuerſam de Mediatore ſententiam, modeſtè & pietatis regula obſeruata componi cupiebant,& Eccleſiæ communionem deſiderabant, in ſinum Eccleſiæ noſtræ recipi. Hanc igitur propoſuerunt, Eccleſiæ formulam ſopiendæ hujus controuerſiæ gratia. Cujus hæc ſunt verba. Credimus mediatorem Dei & hominum eſſe Chriſtum Ieſum, ita vt mediationis in humana natura peractæ vim totam ac efficaciam,à diuinitate ejuſdem filij incarnati,Patris non incarnati,Spiritus ſancti non incarnati, proceſſiſſe non negemus,ſed conſtanter aſſeueremus.

Quam quidem confeſſionem illorum Synodus generalis orthodoxè intellexit,recepit,& approbauit,hóſque fratres,quorum nomina ſubſcripta ſunt, in numerum membrorum Eccleſiæ ſuæ ſuſcepit: his legibus & conditionibus.Primum grauiſſimè dolent ſe à gremio Eccleſiæ noſtræ tamdiu abfuiſſe. Deinde nullas rixas de hoc capite religionis in poſterum moturos, & quæſtiones curioſas, phraſéſque inutiles, quæ hunc conſenſum violarent, non vſurpaturos promittunt, tam in publicis concionibus, quam in priuatis colloquijs fratrum noſtrorum. Denique profeſſi ſunt in vniuerſum ſe amplecti confeſſionem noſtram in hac Synodo propoſitam, eique lubentiſſimè ſubſcripſerunt, atque ſe ſubjicere velle Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, promiſerunt,quo habeantur vnius Eccleſiæ ciues.

Deus itaque Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt author pacis, quíque anîmos hominum diu inter ſe diſſentientes coniungit & conglutinat, omni genere benedictionis Eccleſiam ſuam locupletare velit: cui vnà cum Filio & Spiritu ſancto ſit honor & gloria in ſecula. Amen.

FINIS.

CONFESSIO RELIGIONIS CHRISTIANÆ, SACRATISSIMO IMPERATORI CAROLO V. CÆSARI AVGVsto in Comitijs Augustæ, Anno M.D.XXX. per Legatos Ciuitatum Argentorati, Constantiæ, Memmingæ, & Lindauiæ exhibita.

Si quis voluerit voluntati ejus obtemperare, is cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit, an ego à me ipso loquar. *Iohan.* 7.

Excudebat Argentorati Georgius Vlricherus, Anno M.D.XXXI. Mense Septembri.

MAGISTRATVS ET CONCILIA CIVITATVM, ARGENTORATI, CONSTANTIÆ, MEMMINGÆ, ET Lindauiæ, præcantur vniuersis in Christum Seruatorem nostrum credentibus, incrementa Sancti Spiritus, & sua offerunt obsequia.

FECIT *Sacratissima Cæsarea Maiestas in Comitijs imperialibus superiori anno Augustæ habitis, statim dum illa auspicaretur, Principibus Electoribus, ac reliquis Principibus Sacrique Romani Imperij ordinibus, inter alia exponi, sibi cum primis in votis esse, rationem, viámque quærere, qua graue & noxium illud circa religionem dissidiũ, quod Germaniã iam aliquot annos exagitasset, componeret certãq; restitueret concordiã, hacq; caussa se petere, serióq; poscere, vt Principes Electores, ac cæteri Imperij proceres statúsq; de hisce dissentionibus, & graui nimiũ dissidio, iis etiã quæ vel Ecclesiastici à profanis, vel profani ab Ecclesiasticis, aut vtriq; à sui ordinis hominibus indignè fieri arbitrantur, suam singuli sententiam, quæque profutura istis remedia crederent, quantum quisque cum sua id, tum Reipub. interesse nouisset, Latinè & Germanicè conscriberent, sibíque offerrent, hoc pacto non tam rebus suis, quam publicæ paci consulturi, atque ad illud haud parum commodaturi, vt omnis istius varietatis ac schismatis caussis, rationéque tota, penitius perspectis, cognitis, atque perpensis, pacari facilius omnia, & restitui possent, viuendique ratio reparari, sicut verè concors, ita Christo quoque digna. Huic petitioni tam seriæ, atque vrgenti, nostri, quos legatos ad ea comitia miseramus, volentes vt decebat morem gerere, curarunt capita eorum, quæ apud nos tanquam Christi dogmata, sacris Euangeliis, cæterísque arcanis literis nixa, iam pridem doceri, tradique in Ecclesiis religiosæ plebi solent, per aliquot nostros concionatores, quos illis adiunxeramus, Latinè & Germanicè, in breue compendium, ad modum Confessionis, ita vt à festinantibus, & breui eo tempore, quod ad hæc concedebatur, fieri potuit, digeri, statímque ea S. Cæsareæ Maiestati, ita vt illa iusserat, obtulerunt. Eo & fidei ac religionis quàm sectamur, eorúmque quæ apud nos ad Euangelij præscriptum reformata sunt, rationem illi nostro nomine reddere, & nostrum in eam studium simul testari conati. Cum autem post huiusce confessionis oblationem, per aliquot menses, nihil prorsus hac de re, cum his nostris legatis actum esset, idque præter spem, quam & ex literis, quibus S.C.M. comitia indixit, & ex prima illa, quàm modo memorauimus propositione, initio comitiorum*

facta, non abs re conceperamus, tandem sub finem comitiorum, lecta est nostris legatis, præsentes S.C.M. Principibus, Electoribus, aliisque Principibus, & S. Imperij ordinibus, admissis etiam quibuslibet, Confutatio quædam, quam Doctores quidam, Theologorum se titulo vendicantes, iurati ministri partis aduersariæ, composuerant, Sacratissimaque C. M. nobis loco responsionis ad nostram Confessionem legendam obtruserant. Iam nostra Confessio palam lecta non est, Doctores verò illi multorum nos in sua Confutatione insimularunt, & tanquam ea de nobis ipsi confessi essemus, memorarunt, quorum non modo in nostra Confessione nusquam meminimus, sed ne in mentem vnquam venit: Deinde & ea quæ confessi sumus, inuerterunt pleráque omnia, prauéque adductis scripturis, vanísque paralogismis oppugnarunt. Quibus scilicet rationibus, visum illis est S.C M. in nos prouocare, bonísque & religiosis omnibus, inuisos & abominabiles reddere. Ne igitur nos tam impiæ criminationi tacendo fidem facere, & diris istorum calumnijs, Christi veritatem quam profitemur, prodere quisquam existimaret, visum est, illam Confessionem nostram, in publicum edere, adiuncta eius Apologia, quam nostris Ecclesiastis parare nuper mandauimus. Nam religio erat, saluificam Christi doctrinam, nobis singulari adeo Dei bonitate communicatam, tantis blasphemijs non adserere, & ferre, nos horrendis adeo, sed æque falsis criminibus notatos, publicum offendiculum constitui. Confutatores siquidem isti, per totam illam suam Confutationem, ipsissima Christi dogmata, impietatis & hæreseos traducunt, nos verò secessionis à sacrosancta Catholica Ecclesia, defectionis à sincera fide religionéque Christi, ad quoslibet pestilentissimos & portentosos errores, sectásque, denique & violatæ S.C.M. fidei, negatíque temere ac procaciter debiti obsequij, accusant, & altero quoque versu criminantur. Quo igitur Christiani nominis professores, cognoscere possitis, quàm nulla vel species veri istis calumniis insit, per Christi Iesu gloriam, cui vni hisce in rebus studemus, oramus, hanc nostram Confessionem, eiúsque Apologiam, in qua optima fide Confutatorum verba & argumenta adducta sunt, legere, & ad scripturarum fidem omnia expendere, nostrásque & Confutatorum istorum rationes inter se librare velitis. Quod si exorari vos passi fueritis, certi sumus, vos cognituros, indubitata nos Christi præcepta sequi, & secundum hunc S.C.M. summo veróque studio dicto audientes esse, vt certe non solum huic Cæsari nostro Clementissimo, quem post Deum in terris supremum rerum moderatorem colimus, per omnia obtemperare, sed quibuslibet etiam principibus & proceribus, ac Christianis vniuersis, nos morigeros & officiosos præstare ex animo cupimus. Id quod tandem Deus, quantaslibet nunc calumniarum nebulas filij tenebrarum offundant, orbi etiam patefaciet, vtque solet, sicut veritatem suam, ita nostram quoque innocentiam in lucem proferet. Cui ad hoc ipsum hac Confessionis, Apologiæque nostræ æditione seruire voluimus, neminem verò inhumanius attingere, nedum aspergere, conuiciis, quamlibet ipsi à Confutatoribus immanibus calumniis & conuicijs proscissi atque dilacerati simus. Memores enim cuius caussam agimus, Apologiam nostram minime dentatam esse curauimus. Veritate nanque hisce in rebus, non conuiciis, victoria constat. Tum etiam nostrum est, eius quæ in nobis est spei, rationem reddere cum mansuetudine, & timore, vt D. Petrus docuit. Hac

vero æditio si cui intempestiua videbitur, hunc precamur, de hoc pronunciare tantisper differat, donec lecta Apologia nostra, cognouerit, quibus modis non nos, id enim poterat vtcunque ferri, sed ipsa sacrosancta Christi dogmata Confutatores illi petierint, tractarintque. Scimus profecto neminem esse, cui religio cordi est, cuique adest spiritus Christi, qui vt cognouerit, quemadmodum illi in veritatem debacchati sunt, non imminuta maiestatis Dei, teneri nos affirmaturus fuerit, si ad tantam, támque immanem criminationem tacuissemus. Christus veritas ipsa, & pax nostra, donet, vt in ipso, profligato omni errore impietatéque, certam eius religionem amplexi, vnum euadamus, perpetua felicique inter nos concordia victuri, Amen.

CONFESSIONIS CAPITA.

Exordium, in quo exponitur qua ratione, quáque spe confessio exhibita sit.

CON-

CONFESSIO QVATVOR CIVITATVM, ARGENTORATI, CONSTANTIÆ, MEMMINGÆ, ET LINDAVIÆ, quâ Sacratiſſimæ Cæſareæ Majeſtati, Fidem ſuam in Comitijs Auguſtanis expoſuerunt.

IVssit Sacratiſſima majeſtas tua, Potentiſſime ſimul ac Clementiſſime Cæſar, vt ordines, ſtatúſque ſacri Imperij quantũ cuiuſque interſit, & quiſque ad tranquillandam Eccleſiam Chriſti facturum ſperauerit, ſuam de religione, pariter & erroribus ac vitijs, quæ contra illam irrepſerunt ſententiam, in literas vtraque lingua, Latina & Germana, relatam ſibi offerat, ſic diſcutiendam, examinandámque, quo illa viam & rationem commodius inueniat, ſinceram Chriſto doctrinam, in ſuum locum reſtituendi, erroribus vniuerſis abolitis. Huic iuſſioni natæ ex conſilio, non tam religioſo, rebúſque Eccleſiæ profuturo, quàm incomparabilem illam clementiam, atque humanitatem, qua ſe Sacratiſſima Maieſtas tua, toti iam orbi amabilem reddidit, reſipienti atque exhibenti, morem gerere, vt par eſt, geſſimus. Nam aliud nihil hiſce in rebus vnquam quæſiuimus, quàm vt abrogatis, quæ ſacroſanctis Euangelijs, Chriſtique præceptis aduerſantur, cum nobis, tum alijs omnibus, qui Chriſto nomen dederunt, puram eius doctrinam, quæ ſola viuifica eſt, ſectari liceat. Proinde precamur, & quàm ſuppliciſſimè Sacratiſſimam Maieſtatem tuam rogamus, eo in nos animo, quæ adferemus ad reddendam eius quæ in nobis eſt ſpei rationem, audire & expendere dignetur, vt de quibus nihil addubitet, id nobis ante omnia in votis eſſe, vnicumque ſpectari, quo primum Deo conditori noſtro, & reparatori Chriſto, deinde tuæ quoque Sacratiſſimæ Maieſtati gratificemur, dictoque audientes nos præſtemus, nec alio conſilio aut ſpe, doctrinam à vulgari vſu nonnihil variantem, amplexos eſſe, quàm quod perſuaſi, ſic à nobis exigere eum qui nos finxit ac refinxit, pelliciti nobis quoque ſimus, idque propter illam eximiam laudem, qua iam pridem apud nos, religionis, pietatis & juſtitiæ nominibus, mirum in modum celebraris, forè tandem, vt veritatem de omnibus quæ nos dudum nomine doctrinæ Chriſti, ſynceriorísque religionis recepimus edocta, inſtitutum noſtrum plane probes, interque eos nos numeres, qui optima ſibi fide obtemperare ſtu-

duerunt. Neque enim patiebatur cantatissimum illud Sacratissimæ Maiestatis tuæ in veritatem & æquitatem studium, tum ardens illa in Deum pietas, vel suspicari te, nobis nondum auditis, quicquam preiudicati contra nos allaturum, minúsve beneuolè & attentè auditurum, vel cum nos audisses, nostraque religiosa tecum expensione liberasses, non statim adflante suum spiritum Deo, quo ille alijs in rebus Sacratissimam Maiestatem tuam duxit tam fœliciter, animaduersurum, ipsissima nos Christi dogmata esse sequutos.

De materia concionum. Cap. I.

PRimum igitur cum hinc fermè decennio, Christi doctrina, singulari Dei beneficio paulo certius & luculentius quàm antea, passim per Germaniam tractari cœpisset, & hinc vt alibi, ita & apud nos plæraque religionis nostræ dogmata inter eruditos, & eos maxime, qui docendi Christum in ecclesiis locum obtinebant, publicitus iam & indies grauis controuerterentur, indeque vt necesse erat, Satana videlicet suum quoque negotium, agente vulgus pugnantibus concionibus admodum periculosè scinderetur, considerantes quod diuus Paulus scribit, Scripturam diuinitus inspiratam, vtilem esse ad docendum, ad hoc, vt vbi peccatum sit, deprehendatur, vt corrigatur, vt iustitia quisque formetur, quo Dei homo absolutus euadat, iam ad omne opus bonum appositus, vrgente etiam nos, omnemque moram rescindente, cum metu numinis, tum certo Reipublicæ nostræ periculo, tandem mandauimus ijs, qui concionandi apud nos munere fungebantur, vt nihil aliud quàm quæ sacris literis aut continentur, aut certe nituntur, è suggestu docerent: Videbatur namque nobis haud indignum, eò, in illo tanto discrimine confugere, quo confugerunt olim & semper, non solum sanctissimi patres, Episcopi, & Principes, sed quilibet etiam priuati, nempe ad authoritatem Scripturæ arcanæ. Ad quam nobiliores Thessaloniceniium, auditum Christi Euangelium explorasse, diuus Lucas cum laude illorum memorat, in qua Paulus summo studio versari suum Timotheum voluit, sine cuius authoritate, nulli Pontifices suis decretis obedientiam, nulli Patres suis scriptis fidem, nulli denique Principes suis legibus authoritatem vnquam postularunt, ex qua demum ducendas sacras conciones, & magnum Sacri Imperij concilium Nurembergæ, anno Christi M. D. XXIII. celebratum sanciuit: Si enim verum diuus Paulus testatus est, per diuinam Scripturam hominem Dei penitus absolui, atque ad omne opus bonum instrui, nihil poterit is veritatis Christianæ, nihil doctrinæ salutaris desiderare, scripturam qui consulere religiosè studeat.

DE SA-

DE SACROSANCTA TRINITATE, MYsterióque incarnati Christi.

CAP. II.

EX hac igitur cùm sacræ apud nos conciones ducerentur, ablegatis perniciosis contentionibus, ij mox quibus aliquod pietatis studium erat, Christi doctrinam & certiùs consequuti sunt, & vitâ exprimere feruentiùs cæperunt, sicut reuocati ab ijs, quæ dogmatis Christi malè assuta sunt, ita in ijs confirmati, quæ illis exsistunt consentanea. Inter quæ illa sunt, quæ Christi Ecclesia de sacrosancta Triade hactenus credidit, nempe vnum esse substantia Deum, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, nec vllum quàm personarum discrimen recipere. Seruatorem quoque nostrum Iesum Christum, eundem verum Deum, etiam verum hominem factum, naturis quidem impermixtis, at ita in eadem persona vnitis, vt in omnia secula nunquam rursus soluantur. Nec in ijs quicquam variarunt, quæ Ecclesia ex sacrosanctis Euangelijs docta, credit de Seruatore nostro Iesu Christo, ex Spiritu sancto concepto, dein ex diua virgine Maria nato, demumque postquam euangelizandi munere defunctus erat, in cruce mortuo ac sepulto, quique ad inferna descendit, & à mortuis tertio die in immortalem vitam reuocatus, cumque hanc destinatis ad hoc testibus, varijs argumentis comprobasset, in cœlos ad dexteram patris euectus est, vnde eum expectamus judicem viuorum & mortuorum. Interim agnoscimus eum nihilominus Ecclesiæ suæ, vsque ad consummationem seculi præsentem, hanc instaurare, sanctificare, & tanquam vnicè dilectam sponsam, omnigenis virtutum decoris exornare. In his quoniam nihil à patribus, nihil à communi Christianorum consensu variamus satis fore credimus, hunc in modum nos fidem nostram esse testatos,

DE IVSTIFICATIONE ET FIDE.

CAP. III.

CIrca ea autem, quæ de ratione, qua redemptionis per Christum factæ, participes reddimur, doceri vulgo solent, deque officijs hominis Christiani, variare nonnihil à receptis pridem dogmatis, nostri cœperunt. In his quæ nos secuti sumus, Sacratissimæ Maiestati tuæ quàm simplicissimè exponere, & simul ea Scripturæ loca, quibus huc compulsi sumus, bona fide indicare studebimus. Primum igitur cum iam aliquot annis, ad justificationem hominis, requiri propria eius opera traditum sit, nostri hanc totam diuinæ beneuolentiæ, Christique merito acceptam referendam solaque fide percipi docuerunt. Quo inter cætera scripturæ loca, hæc illos mouerunt: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri,

his qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, aut voluntate carnis, aut voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt, Iohannis cap. 1. Amen amen dico vobis, niſi quis renatus fuerit ex integro, non poteſt videre regnum Dei. Iohannis 3. Nemo nouit filium niſi pater, & cui voluerit filius reuelare, Matt. 11. Beatus es Simon Bar-Iona, caro & ſangnis non reuelauit tibi, Matth. 16. Nemo poteſt ad me venire, niſi pater meus traxerit eum. Iohannis c. 6. Gratia ſeruati eſtis per fidem, & id non ex vobis, Dei iſtud donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus figmentum, conditi in Chriſto Ieſu ad bona opera, quæ præparauit Deus, vt in eis ambulemus, Eph. 2. Etenim cum noſtra juſtitia, & vita æterna, ſit Deum, & Seruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum agnouiſſe, & id adeo carnis & ſanguinis opus eſſe nequeat, vt renaſci ad hoc de integro oporteat, nec poſſimus ad Filium, niſi trahente Patre peruenire, nec Patrem niſi reuelante Filio diſcere, & tam diſertè Paulus ſcripſerit, non ex nobis, non ex operibus, ſatis liquet noſtra opera ad hoc, vt juſti ex injuſtis, quales naſcimur, euadamus, nihil poſſe conferre, quippe qui, vt natura filij iræ, eóque injuſti, ſumus, ita nihil juſtum, aut Deo gratum deſignare valemus, ſed initium omnis noſtræ & juſtitiæ & ſalutis, à miſerente Deo fieri oportere, qui ex ſola ſua dignatione, & mortis Filij ſui contemplatione, primum doctrinam veritatis, & Euangelium ſuum, miſſis qui illud annuncient, offert: deinde cum homo animalis, haud poſſit, vt Paulus inquit, percipere quæ Dei ſunt, 1. Cor. 2. facit ſimul oriri in tenebris cordis noſtri, ſuæ lucis radium, vt jam habere annunciato Euangelio fidem, superno ſcilicet ſpiritu de ejus veritate perſuaſi, móxque Deum, hujus ſpiritus teſtimonio freti, filiali fiducia inuocare, & dicere Abba pater, valeamus, ſalutem inde ſolidam conſecuturi: juxta illud: Quiſquis inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.

De bonis Operibus, ex fide per dilectionem prouenientibus.

CAPUT IV.

NOlumus autem hæc ſic intelligi, quaſi ſalutem ac juſtitiam in ignauis animi cogitationibus, fidéve charitate deſtituta, quam informem vocant, ponamus: quandoquidem certi ſumus, neminem juſtum aut ſaluum fieri poſſe, niſi amet ſumme Deum, & imitetur ſtudioſiſſime. Nam quos præſciuit, eoſdem & præfiniuit, conformes fieri imagini filij ſui, ſane ſicut in gloria vitæ beatæ, ita & in cultu innocentiæ conſummatæque juſtitiæ, figmentum enim ipſius ſumus, conditi ad bona opera. Atqui Deum ante omnia amare, dignóque ſtudio æmulari, niſi qui eum plane nouerit, & de quo ſibi quæque optima polliceatur, poteſt nemo. Iuſtificari ergo, hoc eſt, vt juſti, ita ſalui euadere, juſtitia enim, ipſa noſtra ſalus eſt, aliter prorſus nequimus, quam ſi fide cum primis donemur, qua Euangelio credentes, cóque perſuaſi,

Deum

Deum nos in filios adoptasse, paternámque beneuolentiam in sempiternum nobis exhibiturum esse, toti ab ipsius nutu pendeamus. Hanc fidem vocat D. August. libro de fide & operibus, Euangelicam, efficacem videlicet per dilectionem. Hac demum regeneramur, & restituitur in nobis imago Dei. Hac cum peruersi nati sumus nostris cogitationibus à puero ad malum tantum pronis, euadimus boni, rectique. Nam hinc vno Deo fonte bonorum perenni, copioséque effluo, ipsi abunde saturi, mox aliis nos deos quosdam, id est, germanos Dei filios, per dilectionem illorum commodis pro virili studentes, exhibemus. Etenim qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & ex Deo natus est, totus nouo, ac simul veteri præcepto de dilectione mutua deditus. Et hæc dilectio, totius legis impletio est, dicente Paulo: Tota lex in vno verbo completur, nempe hoc: Diliges proximum tuum vt teipsum, Gal. 5. Nam quicquid lex Dei tradit, huc spectat, hoc vnum requirit, vt tandem ad Dei imaginem solidam reformemur, per omnia boni, vsibúsque hominum & expositi, & accommodati, id quod plane fieri nequit, nisi simul omni virtutum genere simus ornati. Quis enim ad veram ecclesiæ ædificationem, omniúmque solidam vtilitatem, hoc est, juxta legem Dei, & in gloriam Dei omnia instituat & perficiat, id quod est munus Christiani. 1. Cor. 10. nisi ordine & recte singula, & cogitet, & dicat, & gerat, habeátque ideo vniuersum virtutum chorum plane domesticum?

CVI BONA OPERA ADSCRIBENDA, *& quàm necessaria.*

CAPVT V.

AT vero cùm spiritu Christi aguntur, qui filij Dei sunt, potius quam agant, Rom. 8. & ex illo, & per illum, & in illum sunt omnia, Rom 11. non debent alij quam huic ipsi spiritui omnium virtutum largitori vni transcribi, quæcunque pie, recteque gesserimus. Vtcunque ille nos nequaquam cogat, verum ducat volentes, efficiens nimirum in nobis, & velle, & operari, ad Philippenses cap. 2. Vnde scite diuus Augustinus scripsit, sua in nobis Deum opera remunerare. His bona opera, tam non rejicimus, vt prorsus negemus quenquam plene posse saluum fieri, nisi huc per spiritum Christi euaserit, vt nihil jam bonorum operum in eo desideretur, ad quæ quidem Deus illum condidit. Sumus enim diuersa ejusdem corporis membra, vnde nec eadem singuli officia habemus, 1. Corinth. 12. Legem siquidem impleri adeo necesse est, vt cœlum & terra citius transitura sint, quàm possit ex illa iota vnum, vel minimus apiculus remitti. Quia tamen Deus solus bonus est, & ex nihilo omnia condidit, nósque spiritu suo penitus nouos facit, agítque totos, in Christo enim non nisi noua creatura valet, nihil potest horum adscribi viribus humanis, fateri-

que oportet, omnia esse Dei nobis vltro, nec vllo nostro merito fauentis, & beneuoli mera dona. Ex his jam cognosci abunde potest, quid credamus justificationem esse, per quem nobis contingere, quáque demum ratione à nobis percipi, tum quibusnam scripturis, vt ita credamus, simus adducti. Tametsi enim ex plurimis paucas citauimus, ex his paucis tamen, cuivis vel mediocriter in scripturis versato, satis superque manifestum est, hujus generis sententias, quibus nobis nihil nisi peccatum & perditio, vt Hosea inquit, Domino autem omnis nostra & justitia & salus tribuitur, legentibus illas passim occurrere.

De Christiani Hominis officiis.

CAP. VI.

IAm & illud obscurum esse haud poterit, quænam sint Christiani hominis officia, quibúsque actionibus potissimum intentum esse conueniat. Hisce nempe omnibus quibus proximis suis, quisque pro se commodare queat. Primum quidem ad vitam æternam, vt & illi cognoscere, colere, & reuereri Deum incipiant, dein etiam ad præsentem, ne quid desiderent rerum, quas corporis quoque necessitas poscit. Quemadmodum enim vniuersa lex Dei, quæ totius justitiæ absolutissima præceptio est, in hoc vno dicto, Diliges proximum tuum sicut teipsum, sumatur Romanorum decimotertio ita in hujusmodi dilectionis præstatione, omnem summari & absolui justitiam necesse est. Vnde inter Christiani hominis munera, nihil omnino numerandum est, quod non momentum aliquod, rationibus proximi adferat, & hoc sane amplius quódque opus ex officio Christiani fuerit, quò plus ex eo vtilitatis ad proximos peruenerit. Ea propter, post functiones Ecclesiasticas, inter præcipua Christiani hominis officia ponimus, administrationem Reipub. administrantibus eam esse morigeros: nam hæc ad publicam vtilitatem referunt, curam quæ impenditur vxori, liberis, atque familiæ, honorem qui exhibetur parentibus, quod sine his vita hominum consistere nequeat, bonarum denique artium, omniúmque honestarum disciplinarum professiones, quod absque harum cultu maximis, & humano generi propriis bonis destitui necesse sit. In his tamen, & quibusvis aliis humanæ vitæ muniis, nihil cuiquam temerè arripiendum est, sed religiose videndum, quò vocet Deus, Id demum cujusque officium fuerit, hoc autem præstabilius, quo majorem hominibus commoditatem attulerit.

De precibus atque ieiuniis.

CAP. VII.

PRecationes vero & religiosa jejunia, actiones nihilominus sanctissimas, quæque Christianos plurimum deceant, habemus, ad quas

quas Ecclesiastæ nostri diligentissimè auditores suos inhortantur. Verum námque jejunium, quasi quædam vitæ præsentis, & malis cupiditatibus semper obnoxiæ, abdicatio, & futuræ, perturbationúmque liberæ, meditatio est. Precatio autem, animi in Deum subuectio, taléque cum illo colloquium, vt nulla alia res, cœlestibus affectibus tantopere incendat, & ad Dei voluntatem mentem potentius conformet. Quamlibet autem sanctæ, & Christianis necessariæ istæ functiones sunt, cum tamen illis non tam seruitur proximo, quam paratur homo, vt cum fructu seruire proximo queat, sanctæ doctrinæ, piisque hortamentis, & monitionibus, tum etiam aliis officiis, à quibus statim proximus aliquid præcipit commodi, præferendæ non sunt. Vnde de seruatore legimus, quod noctu precationi, die autem doctrinæ & sanandis ægrotis, operam dederit. Vt enim dilectio fide & spe major est, ita quæ proximè hanc referunt, certam nimirum hominibus vtilitatem adferentia, cunctis alijs sacris functionibus, anteponenda credimus. Vnde Diuus Chrysostomus scripsit, Mat. hom. 48. jejunium in choro virtutum, vltimum locum sortiri.

DE IEIVNIORVM PRÆCEPTIS. CAP. VIII.

AT verò quoniam rite atque cum fructu, vel precari, vel jejunare, nullæ nisi ardentiores, & superno afflatu peculiariter incitatæ mentes, possunt, credimus præstare exemplo Apostolorum ac superioris puriorísque ecclesiæ, sanctis exhortationibus ad hæc inuitare, quàm ea extorquere præceptis, iis præsertim, quæ peccatis obligant, id quod sibi permiserunt posteriores, cum jam ordo sacerdotum haud parum degenerasset. Sic & locum, tempus, modum, tum precandi, tum jejunandi, malumus sancto spiritui, sine quo rite nec precari, nec jejunare, quisquam potest, arbitranda relinquere, quàm certis præscribere legibus, maxime quas sine piaculo transgredi non liceat. Propter juniores tamen & imperfectiores, certum ad precandum & jejunandum tempus, modúmque constitui, quod ad hæc velut sanctis progymnasmatis præparentur, nostri haudquaquam improbant, si modo id fiat citra obstrictionem conscientiæ. In hanc vero sententiam, præterquàm quod cum natura harum actionum, omnis ingrata compulsio pugnet, id nos deduxit, quod nec Christus ipse, nec Apostoli, hujuscemodi præceptorum vsquam meminerunt. Quod & D. Chrysostomus testatur in Matth. hom. 48. Vides, inquit, quia vita recta, magis omnibus cæteris juuat. Rectam autem vitam appello, non jejunandi laborem, nec cilicij aut cineris lectulum, sed si pecuniam non aliter quàm oporteat, despicias, si charitate ardeas, famescentes pane tuo nutrias, si superior ira sis, si gloriam inanem non concupiscas, si inuidia non detinearis. Hæc enim ipsius documenta sunt. Ete-

nim non dicit jejunium ſuum iſte imitandum, quamvis quadraginta illos dies poſſit proponere; ſed diſcite à me, quoniam mitis ſum & humilis corde. Imo vero contra, omne, inquit, quod apponitur vobis edite. Sed nec veteri populo vllum ſolemne & ſtatum, præter vnius diei jejunium, indictum legimus. Nam quæ à Prophetis & regibus inſtituta ſcriptura teſtatur, conſtat non fuiſſe ſtata, ſed ſuo tantum tempore indicta, cum id certæ ſcilicet calamitates, vel imminentes, vel jam prementes, poſcerent. Quandoquidem igitur Scriptura, vt D. Paulus diſertè affirmat, omni bono opere inſtruit, ignorat autem hæc præceptis extorta jejunia, non videmus, quî Apoſtolorum ſucceſſoribus licere potuerit, tanto Eccleſiam, támque periculoſo onere grauare. Certè Irenæus teſtatur, olim variam & liberam fuiſſe jejuniorum apud Eccleſias obſeruationem, vti legitur lib. Eccleſiaſt. hiſt. octauo, cap. 14. In eodem libro meminit Euſebius, quendam Apollonium ſcriptorem Eccleſiaſticum inter cætera, etiam hoc argumento Montani hæretici doctrinam confutaſſe, quod primus jejuniorum leges impoſuerit. Adeo putabat iſtud ſanam Chriſti doctrinam profitentibus indignum. Inde Chryſoſtomus alicubi ait: Honeſtum jejunium, ſed nemo cogatur: & alibi non potentem jejunare hortatur, vt abſtineat à delicijs, idque affirmat haud magno à jejunio interuallo diſtare, validúmque eſſe telum ad reprimendum furorem diaboli. Adhæc, ipſa quoque experientia plus nimio comprobat, iſta jejuniorum præcepta, pietati plurimum obfuiſſe. Vt igitur ſatis conſtare nobis viſum eſt, proceres Eccleſiæ hanc poteſtatem, jejunia ſic indicendi, vt peccati conſcientias obſtringerent, præter Scripturæ authoritatem ſumpſiſſe, ita ſolui conſcientias hiſce laqueis permiſimus, ſed per ſcripturas, maxime autem Paulinas, quæ hæc mundi elementa à Chriſtianorum ceruicibus, ſingulari ſtudio ſubmouent. Neque enim leue apud nos momentum habere debuit illud Pauli, Col. 2. Ne quis igitur vos judicet de cibo aut potu, aut delectu diei feſti, aut nouilunij, aut ſabbathorum. Et rurſus: Itaque ſi mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quid tanquam viuentes decretis tenemini? Si etenim D. Paulus, quo nemo vnquam Chriſtum certius docuit, in eam nos libertatem rerum externarum, per Chriſtum adſertos contendit, vt non modo nulli creaturæ jus permittat, eos, qui Chriſto credunt, vel illis quidem ritibus & obſeruationibus, grauandi, quos tamen Deus ipſe inſtituit, & ſuo tempore prodeſſe quoque voluit, ſed etiam denunciat à Chriſto excidiſſe, factúmque eis Chriſtum ocioſum, qui ſe his addici patiantur, quid jam putamus ſentiendum ſit de præceptionibus, quas non ſolum citra omne oraculum, verum etiam abſque vllo imitabili exemplo, ex ſe homines commenti ſunt, quæque ideo non egena tantum & infima, ſed noxia etiam, non elementa, hoc eſt, ſacræ diſciplinæ rudimenta, ſed omnis Veræ pietatis impedimenta plurimis fuère? Quanto injuſtius erit, quenquam ſibi hanc poteſtatem in Chriſti clerum ſu-

rum sumere, vt huiusmodi eum seruitute premat, quantumque à Christo nos remotiores fecerit, si illis nos subiecerimus? Quis enim non videat gloriam Christi, cui nos decet totos viuere, quos ille sibi, idque sanguine suo, totos redemit, vindicauítque, plus obscurari, si præter eius authoritatem, iis legibus conscientiam nostram obstringimus, quæ inuenta hominum sunt, quàm quæ authorem habent Deum, etiamsi suo duntaxat tempore seruandæ? Minus profectò est judaizare, quàm ethnizare. Ethnicorum autem est, leges colendi Deum recipere, quæ inconsulto Deo, ex humano tantum ingenio profectæ sunt. Quare si vspiam alibi, hic certe locum habet illud D. Pauli, 1. Corinth. 7. Empti estis precio magno, nolite fieri serui hominum.

De delectu ciborum.

CAPVT IX.

HAc eadem de caussa, remissus est & delectus ille ciborum in certos dies indictus, quem D. Paulus doctrinæ dæmoniorum attribuit, scribens Timotheo. Nec firmum est, quod hæc quidam in solos Manichæos, Encratitas, Tatianos, & Marcionitas dicta contendunt, qui in totum aliquibus ciborum generibus, & nuptijs interdixerunt. Apostolus damnauit hoc loco eos, qui iubent abstinere à cibis, quos Deus creauit ad sumendum &c. Iam qui etiam in certos duntaxat dies, cibos aliquos sumere prohibent, ij iubent nihilominus abstinere à cibis, quos Deus creauit ad sumendum, dæmoniorúmque doctrinæ affines existunt, id quod ex caussa quoque liquet, quàm Apostolus subiecit: Nam quicquid, inquit, creauit Deus, bonum est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione sumitur. Nulla siquidem tempora excipit, quamvis frugalitati, temperantiæ, ac etiam selectis carnis castigationibus, justísque jeiuniis nemo illo impensius fauerit. Seruanda sane est Christiano frugalitas, sed iugis, castiganda nonnunquam caro, imminuto solito dimenso, sed ad id ciborum vilitas, modúsque potius, quàm species aliquid conferet. Iustum denique ieiunium, identidem suscipere Christianos conuenit, sed quod non certorum, verum omnium ciborum, nec horum tantum, sed simul deliciarum vitæ huius quarumlibet, abstinentia sit. Quale enim hoc ieiunium, quæ abstinentia, speciem tantum mutare lautitiarum, id quod etiam qui hodie religiosiores habentur, solent, cum D. Chrysostomus non agnoscat esse ieiunium, si in totum etiam sine cibis, & ad vesperam vsque permaneamus, nisi cum abstinentia ciborum, à noxijs quoque continentiam exhibeamus, & circa spiritualium rerum studium, multum otij impendamus?

Nullum esse quærendum in precibus & jeiuniis meritum.

CAPVT X.

DEinde & hoc Ecclesiastæ nostri circa ieiunia & preces emendandum docuerunt, quod vulgo homines doceri solent, nescio

quid meriti & iustificationis, hisce sibi actionibus quærere. Gratia enim per fidem sicut salui, ita & iusti reddimur. Et de operibus legis, inter quæ & preces & ieiunia numerantur, sic scripsit Paulus, Gal. 5. Christus nobis factus est otiosus, quicunque per legem iustificamini, à gratia excidistis. Nos enim spiritu & fide, spem iustitiæ expectamus. Precandum igitur est, sed vt à Deo accipiamus, non vt illi hinc quicquam conferamus. Ieiunandum vt precemur expeditius, carnémque in officio contineamus, non apud Deum aliquid nobis mereamur. Hunc solum finem, vsúmque precum & ieiuniorum, & Scriptura, & Patrum cum scripta, tum exempla præscribunt. Ad hæc sic res nostræ habent, vt si etiam tanta cum religione precari & ieiunare possumus, demum omnia quæcunque Deus nobis iniunxit, perficere, vt amplius nihil à nobis requiri posset, quod hactenus nemo mortalium vnquam præstitit, adhuc tamen fateri oporteret, nos seruos esse inutiles. Quid igitur nobis meriti fingemus?

Vnum Deum inuocandum per Christum.

CAP. XI.

Reiectus est & alius circa hęc abusus, quod quidam precibus & ieiunijs, Dei param quoque Virginem Mariam, aliósque diuos sic demereri volunt, vt per eorum intercessionem & merita, cum animę tum corporis malis liberentur, bonísque omne genus cumulentur. Docent enim nostri concionatores, vnicum Patrem in cælis per Christum vnicum mediatorem inuocare, oraréque omnia, qui vt ipse testatus est, nihil nobis denegabit, quod fide modò ipsum, & in nomine Christi orauerimus. Cum itaque Paulus, 1. Timoth. 2. vnum hunc hominem Iesum Christum, Dei & hominum mediatorem prædicet, & nemo nostri amantior esse possit, nemo item apud Patrem plus valere, hortari nostri solent, hoc vno apud Patrem conciliatore & intercessore satis habere. Dei autem parentem sacratissimam Virginem Mariam, diuósque omnes, iubent summo studio colere, sed quod tum demum præstaturi simus, cùm ijs rebus, quę ipsis cum primis cordi sunt, studuerimus, nempe innocentiæ & pietati, quarum illi nobis tam egregia exempla prætulerunt. Cum enim Deum ex toto corde, tota anima, omnibúsque viribus diui omnes amant, haud est quod illis gratius præstemus, quàm vt pariter cum eis Deum, quàm ardentissimè & diligamus, & emulemur. Meritis enim suis illi, nec propriam salutem adscribunt, nedum nos per ea iuuare, vnquam in animum inducunt. Singuli cum hic agerent cum Paulo dicebant. Vitam autem quam nunc viuo in carne, per fidem viuo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Non aspernor gratiam Dei Si iam ipsi gratiæ Dei, & redemptioni Iesu Christi, omnia accepta retulerunt, nulla re magis eis gratificabimur, quàm si & nos hiscę præsidijs nitamur.

EAdem vero caussa, quod omnis nostra justificatio constat fide in Jesum Christum, vnde libertas nobis facta est rerum externarum omnium, monachatus quoque vincula laxari apud nos permisimus. Videbamus enim hanc à D. Paulo Christianorum libertatem vbique grauiter vindicari, qua quisque pro se certus ab vno Christo Jesu domino nostro, omnem justitiam & salutem petendam, certus etiam rebus vitæ huius quibuslibet, semper sicut in vtilitatem proximorum, ita in gloriam Dei vtendum esse, se & sua omnia, sancto Christi spiritui, veræ adoptionis & libertatis largitori, arbitranda, moderanda, & cum in vsus proximorum, tum gloriæ Dei illustrationem, instituenda, exhibendáque, libere permitat. Hanc cum libertatem retinemus, præstamus nos seruos Christi, cum hominibus eam prodimus, ipsorum nos inuentis addicentes, à Christo ad homines, velut fugitiui deficimus. Id quod hoc magis impie facimus, quo minus nos vulgari pretio Christus sui iuris fecit, qui nos sibi ab exitiabili satanę seruitute sanguine suo vindicauit. Et hæc caussa est, cur D. Paulus scribens Galatis, tantopere detestatus sit, quod illi ceremoniis legis, licet diuinæ, se addixissent, cum id tamen quod & supra ostendimus, multo excusatius esset, quam earum se jugo permittere, quas ex se confinxerunt homines. Scripsit enim, & ex vero, qui ceremoniarum illarum jugum admisissent, eos aspernari gratiam Dei, mortemque Christi pro nihilo habere. Et inde ait se metuere, ne frustra erga eos laborauerit; hortaturque, vt in libertate, qua eos Christus liberasset, stare velint, neque rursus iugo seruitutis implicari. Iam constat monachatum nihil aliud esse quàm seruitutem humanarum traditionum, & plane huiusmodi, qualem nominatim Paulus, locis quos adduximus, damnauit. Omnino enim qui monachatum profitentur, inuentis illis hominum spe meritorum sese deuouent. Vnde tantum piaculum faciunt, ab illis se ad Christi libertatem recipere. Proinde cum tam corpus quàm spiritus noster Dei sint, idque duplici nomine, conditionis & redemptionis, haud potest Christianis licere se monasticæ isti seruituti mancipare, multo minus quàm seruis prophanis, suos mutare dominos. Ad hæc, inficiari non potest, per huiusmodi mancipationem & vota viuendi mandatis hominum, necessitatem, vt semper solet, induci transgrediendi legem Dei Matth. 15. Lex siquidem Dei requirit, vt Christianus, magistratui, parentibus, propinquis, ac alijs quibuslibet, quos illi Deus proximos fecerit, & ei juuandos adduxerit, pro virili inseruiat, quocunque id in loco, aut tempore, modóve vsus illorum poposcerit. Tum illud viuendi genus amplectatur, quo rationibus proximorum præcipue consulere valeat, nec cœlibatum deligat, nisi datum sit propter regnum cœlorum, hoc est, caussa promouen-

dæ pietatis, gloriæque Dei, seipsum castrare, matrimonio abdicato. Nam stat edictum illud Dei per Paulum promulgatum, quod nulla hominum vota possunt reddere irritum: Propter stupra vitanda, quisque (neminem excipit) suam vxorem habeat, & vnaquæque suum maritum. Neque enim capiunt omnes verbum illud, de cœlibatu propter regnum cœlorum suscipiendo, vt testatur Christus ipse, quo nemo, vel quid valeat ingenium humanum, vel quid placeat Patri, & nouit certius, & tradidit fide meliore. Iam palam est votis illis monasticis, certo hominum generi sic mancipari eos, qui illa suscipiunt, vt iam nec magistratui, nec parentibus, nec vllis hominibus (vno cœnobiarcha excepto) morigeros & officiosos se præstare, aut facultatibus suis subuenire liceat, minus omnium vero vxorem ducere, etiamsi quàm maxime vrantur, & ideo in quæuis vitæ dedecora necessariò prolabantur. Cum itaque perspicuum sit, vota ista monastica hominem seruitute Christi solutum, seruituti non tam hominum, quàm Satanæ obnoxium facere, transgrediendíque legem Dei necessitatem quandam, vti omnium humanarum traditionum natura est, inferre, ac ideo apertè cum iussis Dei pugnare, merito credimus ea irritanda esse, quando non scripta solum, sed & naturæ lex rescindendam fidem iubeat, si seruata bonis moribus officiat, nedum religioni. Proinde nemini obsistere potuimus, qui vitam monasticam, indubitatam iam Satanæ seruitutem, cum Christiana mutare voluisset. Sicut nec alijs ex ordine ecclesiastico, qui ductis vxoribus, genus vitæ amplexi sunt, à quo proximis plus commodi, maiorque vitæ honestas, quàm ab eo in quo erant, expectari potest. Denique nec eos qui apud nos, in verbi Dei ministerio, perseuerarunt, arcere à iure conjugij, quicquid castitatis nouerint, ob memoratas caussas, nobis permisimus, cum diuus Paulus præcipuus veræ castitatis assertor, Episcopum quoque recipiat maritum. Jure etenim omnibus humanis legibus, hanc vnam diuinam, propter stupra vitanda, vnusquisque suam habeat vxorem &c. anteposuimus. Quæ certe lex, quod reiecta tamdiu fuit, omnia, quamvis infanda libidinis genera (honos sit auribus S. M. tuæ optime Cæsar) nimis quàm horrendæ in ordinem Ecclesiasticum inundarunt, adeo, vt nullum sit hodie mortalium genus, hoc nomine magis abominabile.

DE OFFICIO, DIGNITATE, ET *Potestate ministrorum in Ecclesia.*

CAP. XIII.

DE ministerio & dignitate ordinis ecclesiastici, docetur apud nos, primum, non esse in Ecclesia potestatem nisi ad ædificationem. Dein-

Deinde neminem hujus ordinis aliter debere æstimari, quàm Paulus se, Petrum, Apollo & similes æstimari voluit, 1. Cor. 12. nimirum vt Christi ministros, & œconomos mysteriorum Dei, à quibus hoc præcipuè requiri conueniat, vt fidus quisque reperiatur. Hi claues habent regni cœlorum, ligandi & soluendi, peccata remittendi & retinendi potestatem, sic tamen, vt nihil nisi ministri Christi sint, cujus hoc jus solius & proprium est. Vt enim vnus est qui potest innouare animos, ita solus quoque est, qui sua virtute, cœlos hominibus reserat, peccatisque soluit. Quod vtrúmque nobis tum demum contingit, cum datur animis innouari, haberéque jam nostrum πολίτευμα in cœlis. Ministrorum partes sunt, verbo plantare & rigare, quod vtrunque per se nihil efficit, qui incrementum dat, Deus est. Ex se enim nemo idoneus est quicquam hujusmodi cogitare, tanquam ex se. Verum quod idoneus quis ad hæc fuerit, id ex Deo est, qui quos vult facit ministros noui fœderis, vt homines de Christo rite persuasos, hujus vere participes reddant, nec mortuam literam, hoc est, doctrinam quæ foris tantum perstrepit, animum vero non immutat, sed spiritum simul viuificantem, córque renouantem, administrent. Et sic demum cooperarij Dei sunt, 2. Cor. 3. cœlum vere aperiunt, peccata remittunt. Hinc est quod Christus, cum hanc potestatem Apostolis traderet, flauit in eos, dixitque, Accipite spiritum sanctum: & tum quidem subjecit, Quorumcumque remiseritis peccata illis remittuntur. Esse itaque missos diuinitus quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur Rom. 10 hoc est, facultatem & animum annunciandi Euangelij, pascendíque gregem Christi, tum cooperantem, hoc est, persuadentem cordibus, spiritum accepisse, id demum idoneos ritéque vnctos Ecclesiæ ministros, Episcopos, Doctores & Pastores constituit. Reliquæ virtutes, quibus hujus ordinis homines ornatos esse addecet, enumerat D. Paulus, 1. Tim. 3. Tit. 1. Ad hunc itaque modum, qui missi, vncti, ornatíque sedulam gregis dominici gesserint curam, & pascendo illum bona fide laborauerint, episcoporum, presbyterorum, & pastorum numero habendos, duplicíque honore dignos agnoscimus, quorúmque jussa, quivis Christianus, summa promptitudine capessere debeat. Qui autem diuersis rebus dediti sunt diuerso item ipsi se loco collocant, & nomine insigniunt. Nullius tamen vita sic offendere debet, vt si è Mose, vel Christi cathedra, hoc est, ex lege vel Euangelio quid dixerit, id amplectendum sibi Christiani dubitent. Aliena vero si qui adferant, est ouium Christi, talium vocem non audire, Ioh. 10. In prophanis autem rebus qui potestatem acceperunt, vt à Deo illa ordinata est, ita Dei ordinationi resisteret, qui his nollet esse dicto audiens, in iis rebus quæ cum jussis Dei non pugnant. Calumnia igitur est, quod nostros quidam criminantur, Ecclesiasticorum jurisdictionem labefactare. Quam enim hi temporariam habent, ea nunquam per nostros impedita est. Spiritualem verò, qua verbo Dei con-

ſcientias expedire, & Euangelio Chriſti fideliter paſcere debent, ſæpe implorauerunt, tam abeſt vt ei vnquam reſtitiſſent. Quod autem Eccleſiaſtarum quorundamdoctrinam non ſuſtinuimus, & pro noſtra neceſſitate alios in horum locum ſubſtituimus, aut certe per Epiſcoporum præfectos exautoratos retinuimus, in cauſa fuit, quod hi, paſtoris noſtri vocem purè annunciarunt, illi autem, alienorum. Etenim cum ventum eſt ad negocium Euangelij & doctrinæ ſanæ, conuerti totos oportet ad epiſcopum animarum noſtrarum Ieſum Chriſtum, & alienorum vocem neutiquam admittere, quicunque Chriſto vere credimus. In eo nemini fieri injuria poteſt, ſiquidem vera ſunt illa Pauli: Omnia namque veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura. Omnia namque veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus vero Dei. 1. Corinth. 3. Certe ſi Petrus & Paulus cum toto mundo hactenus noſtri ſunt, nos vero haudquaquam illorum, ſed Chriſti, & quidem ſicut ille patris, nempe vt ipſi vni viuamus quanti ſumus, in hoc quibuſlibet tanquam noſtris vtentes, nemo ſane Eccleſiaſticorum jure de nobis, quaſi parum ipſi obtemperemus, queri poterit, dum conſtiterit Dei nos voluntatem ſequi. Hæc apud nos de officio, dignitate & authoritate miniſtrorum Eccleſiæ docentur, quibus vt fidem haberemus, loca Scripturæ quæ adduximus, & his ſimilia nos perſuaſerunt.

De traditionibus humanis.

CAP. XIV.

PORrò de traditionibus patrum, quáſve hodie Epiſcopi & Eccleſiæ ſanciunt, ſic habet noſtrorum ſententia. Nullas traditiones inter humanas, eas, quidem, quæ in ſcripturis damnantur, numerant, niſi quæ cum lege Dei pugnant, quales ſunt, quæ de cibo, potu, tempore, aliiſque rebus externis, conſcientiam obſtringunt, quæ matrimonio, iis quibus illo ad honeſte viuendum opus eſt, interdicunt, & hujus farinæ reliqua. Nam quæ cum ſcriptura conſonant, & ad bonos mores, vtilitatémque hominum inſtitutæ ſunt, tametſi in ſcripturis ad verbum expreſſæ non ſint, nihilominus cum ex præcepto dilectionis, quæ omnia quàm decentiſſimè inſtituit, dimanant, diuinæ potius quàm humanæ, merito habentur. Hujus ordinis erant illa Pauli, 1. Cor. 11. ne mulieres apertis capitibus, viri obuelatis orarent in Eccleſia, vt communicaturi ſe inuicem expectarent. Ne quis linguis in cœtu loqueretur ſine interprete, vt Prophetæ citra confuſionem, prophetias ſuas in medium adferrent, à ſedentibus dijudicandis, 1 Cor. 14. Tales multas ſane Eccleſia hodie jure obſeruat, & pro occaſione quoque condit nouas, quas qui rejecerit, is non hominum, ſed Dei, cujus traditio eſt, quæcunque vtilis eſt, authoritatem contemnit. Quicquid enim verum, vel dicitur, vel ſcribitur, illo donante dicitur

& ſcri-

& scribitur, qui est ipsa veritas, vt diuus Augustinus pie scripsit. De eo autem sæpe disputari solet, quæ traditio prosit, quæ secus, hoc est, quæ pietatem promoueat, quæ remoretur. Sed qui nihil sui quæsierit, atque vtilitati publicæ se penitus consecrauerit, is nullo negocio videbit, quænam legi Dei respondeant, quæ minus. Porro cum Christianorum res sic habeant, vt & injuriis juuentur, ne iniquis quidem legibus, cunctabitur parere Christianus, modo nihil jubeant impium, juxta illud Christi: Si quis te adegerit ad miliarium vnum, ito cum eo duo. Sic certe Christianus omnia omnibus fieri debet, vt nihil non in gratiam & vsum hominum, & pati & facere studeat, quod modo Dei jussis non aduersetur. Hinc fit vt ciuilibus legibus, quæ cum pietate non pugnant, eo quisque pareat promptius, quo fide Christi fuerit imbutus plenius.

De Ecclesia. CAP. XV.

IAm quid de Ecclesia & Sacramentis sentiamus, exponendum. Ecclesia itaque Christi, quæ subinde regnum cœlorum appellatur, est eorum societas, qui Christo nomen dederunt, fideique ejus se totos commiserunt, quibus tamen ad finem vsque mundi admixti erunt, qui fidem Christi simulant, non vere habent. Id Dominus abunde docuit parabola zizaniorum, Mat. 13. Item retis quod in mare jactum, putres cum bonis pisces attrahit. Tum parabola regis, qui ad nuptias filij sui quoslibet vocari, & postea carentem veste nuptiali, ejici rursus nihilominus jubet, Mat. 22. Porro cum Ecclesia sponsa Christi prædicatur, pro qua ille semetipsum exposuit, vt sanctificaret eam, Ephes. 5. Item cum domus Dei, columna & stabilimentum veritatis, Mons Sion, Ciuitas Dei viuentis, Hierusalem cœlestis, Ecclesia primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis, 1. Tim. 3. Hebr. 12. Hæ laudes, iis tantum competunt, qui quod solide in Christum credunt, vere locum inter filios Dei nacti sunt. In his cum vere regnet Seruator, proprie ejus Ecclesia & sanctorum κοινωνία, id est, societas, vt in symbolo Apostolorum vocabulum Ecclesiæ expositum est, nominantur. Hanc regit Spiritus sanctus, huic Christus nunquam abest, sed sanctificat, vt eam sibi tandem exhibeat, non habentem maculam aut rugam. Hanc denique qui audire non sustinuerit, vt Ethnicus habendus est atque publicanus. Hæc quanquam id, vnde habet quod vere Ecclesia Christi sit, nempe fides in Christum, videri nequeat, ipsa videri tamen, planéque ex fructibus cognosci potest. Horum fructuum præcipui sunt animosa veritatis confessio, sincera omnibúsque exposita dilectio, & fortis rerum omnium præ Christo contemptus. Quæ vtique abesse nequeunt, vbi Euangelium, sacramentáque ejus purè obtinent. Præterea cum Ecclesia regnúmque Dei sit, atque ideo cuncta in eo optimo ordine geri necesse sit, habet varia ministrorum munera. Corpus

ſiquidem eſt ex variis membris,quibus ſingulis ſui actus ſunt,compactum. Et hi dum ſuo miniſterio bona fide funguntur, in verbo & doctrina gnauiter laborantes, Eccleſiam vere repræſentant, vt qui eos audierit,recte dicatur audiſſe Eccleſiam. Verum quò iſtos ſpiritu agi, quáque facultate præditos eſſe oporteat, ſuperius cum fidem noſtram de miniſterio Eccleſiæ exponeremus, memorauimus, fideíque hac in re noſtræ rationem reddidimus. Nequeunt enim vicem Eccleſiæ Chriſti gerere, qui docent quæ Chriſti mandatis pugnant. Id tamen fieri poteſt,& ſæpe fit,vt & mali in nomine Chriſti prophetent,Eccleſiæque ſententiam adferant. Atqui à dogmatis Chriſti aliena proponunt,etiamſi intra Eccleſiam ſint,quia tamen errore præoccupati, paſtoris vocem nequaquam ſonant, Eccleſiam,ſponſam nimirum Chriſti, repræſentare non poſſunt. Quare nec ejus nomine audiendi ſunt. Alienam ſiquidem vocem oues Chriſti non ſequuntur. Hæc noſtri docent de Eccleſia,quæ citatis locis,& ſimilibus nituntur.

De Sacramentis. CAP. XVI.

PОrro quod Eccleſia hic in carne,& ſi non ſecundum carnem agit, viſum eſt Domino, illam externo quoque verbo docere, monere, & hortari,quoque id commodius fieret, voluit ſuos externam etiam inter ſe ſocietatem colere, Qua de cauſſa & ſacra Symbola, quæ Sacramenta vocamus,illis dedit.Inter quæ præcipua ſunt,Baptiſma,& Euchariſtia. Hæc credimus veteribus Sacramenta dicta, non ſolum quòd ſunt inuiſibilis gratiæ, viſibilia ſigna (vt diui Auguſtini verba habent) ſed etiam quòd his quaſi fidei profeſſio fiat.

De Baptiſmo.

CAP. XVII.

DE Baptiſmate itaque confitemur,id quod paſſim Scriptura de illo prędicat. Eo ſepeliri nos in mortem Chriſti, coagmentari in vnum corpus, Chriſtum induere, eſſe lauacrum regenerationis,peccata abluere,nos ſaluare,Rom.6.1.Corin.12.Gal.3.Tit.3.Act.22.1.Pet.3. Hæc verò omnia ſic intelligimus, vt ea D.Petrus interpretatus eſt, cum ait,cuius figuræ nunc reſpondens Baptiſma,nos quoque ſaluos reddit, non depoſitio ſordium in carne; ſed conſcientiæ bonæ in Deum profeſſio.Abſque fide enim impoſſibile eſt placere Deo,& gratia ſeruamur, non noſtris operibus. Cum autem baptiſma ſit Sacramentum fœderis, quod Deus cum ſuis icit, pollicitus ſe illorum, & ſeminis eorum, Deum ac vindicem futurum, & illos vt ſuum populum habiturum,ſymbolum denique ſit renouationis ſpiritus,quę per Chriſtum fit, infantibus quoque illud conferendum noſtri docent, non minus quàm ſub Moſe olim circuncidebantur. Nos enim vere

filij.

filij Abrahæ sumus. Quare non minus ad nos, quàm veteres illa pertinet promissio: Ero Deus tuus & seminis tui, Gal.3.

De Eucharistia.

CAP. XVIII.

DE hoc venerando corporis & sanguinis Christi sacramento, omnia quæ de illo Euangelistæ, Paulus & sancti Patres scripta reliquerunt, nostri fide optima docent, commendant, inculcant. Indéque singulari studio hanc Christi in suos bonitatem, semper deprædicant, qua is non minus hodie, quàm in nouissima illa Cœna, omnibus qui inter illius discipulos ex animo nomen dederunt, cum hanc Cœnam, vt ipse instituit repetunt, verum suum corpus, verúmque suum sanguinem, verè edendum & bibendum, in cibum potúmque animarum, quo illæ in æternam vitam alantur, dare per Sacramenta dignatur, vt iam ipse in illis, & illi in ipso viuant & permaneant, in die nouissimo, in nouam & immortalem vitam per ipsum resuscitandi, iuxta sua illa æternę veritatis verba: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, &c. Bibite ex eo omnes, hic calix est sanguis meus &c. Præcipua verò diligentia populi animos, nostri Ecclesiastę ab omni tum contentione, tum superuacanea & curiosa disquisitione, ad illud reuocant, quod solum prodest, solúmque à Christo Seruatore nostro spectatum est, nempe vt ipso pasti, in ipso & per ipsum viuamus, vitam Deo placitam, sanctam, & ideo perennem quoque & beatam, simúlque inter nos omnes vnus panis, vnum corpus, qui de vno pane in sacra Cœna participamus. Quo sane factum est, vt diuina sacramenta, sacrosancta Christi Cœna, quàm religiosissime, reuerentiáque singulari apud nos & administrentur, & sumantur. Ex his quæ vere ad hunc modum se habent, agnoscit S. T. M. clementissime Cæsar, quàm falso ab aduersarijs nostris iactetur nostros verba Christi immutare, & humanis glossis concerpere, nec nisi merum panem merumque vinum in nostris cœnis administrari, ipsamque adeo Domini cœnam apud nos contemptam esse atque reiectam. Nam summo nostri studio semper docent & hortantur, vt simplici quisque fide, hæc Domini verba, reiectis vniuersis hominum commentis falsisque glossis, amplectatur, eorumque sententiæ, omni submota vacillatione, animum addicat, ipsa denique sacraméta, in viuificam animarum suarum alimoniam, & gratam tanti beneficii commemorationem, identidem, quanta possit religione sumat. Id quod multo quoque jam & sæpius, & religiosius apud nos, quàm antea, fieri solet. Simul autem obtulerunt se nostri ecclesiastæ hactenus semper, & hodie se offerunt ad reddendam, omni, cum modestia, & veritate, rationem fidei & doctrinæ suæ, de omnibus quæ tam circa hoc sacramentum, quam alia

credunt ac docent. Idque non solum S.T.M. sed cujus etiam poscenti.

DE MISSA. CAP. XIX.

PORro cum hunc in modum Christus suam cœnam, quę postea Missa vocari cœpit, instituerit, nempe vt in ea fideles corpore & sanguine ejus in vitam æternam pasti mortem ejus qua redempti sunt, deprædicent, ipsi hoc pacto gratias agẽtes, & hanc salutem aliis quoque commendantes, non potuerunt nostri ecclesiastæ non damnare, quod hæc passim negliguntur, & contra qui Missas celebrant, præsumunt Christum Patri offerre pro viuis & defunctis, Missámque tale opus faciunt, quo solo ferè fauor Dei & salus comparetur, quicquid vel credant homines, vel viuant. Vnde & pudenda illa ac bis terque impia sacri hujus nundinatio irrepsit, factúmque est, vt nihil sit hodie Missa quæstiosius, Priuatas itaque Missas rejecerunt, propterea quod Dominus in commune, discipulis hoc sacramentum commendauit. Vnde & Paulus Corinthios 1. Cor. 11. jubet se inuicem ad S. Cœnam expectare, negátque eos agitare cœnam dominicam, cum propriam vnusquisq; cœnam inter edendum occupat. Porro quod illi se Christum offerre vice hostiæ jactant, hinc nostri damnarunt, quòd Epistola ad Heb. 9. aperte testatur, sicut homines semel moriuntur, ita Christum semel oblatum esse, vt multorum peccata tolleret, támque non posse iterum offerri, quàm non mori amplius. Eoque vna pro peccatis victima perfecta, perpetuo sedere eum ad dexteram Dei, id quod superest expectantem, donec inimici ejus ceu scabellum subjiciantur pedibus ejus. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur. Heb. 10. Id vero quod Missam bonum opus fecerunt, quo à Deo quidvis impetretur, cum eo pugnare nostri docuerunt, quod scriptura vbique prædicat nos spiritu Christi & per fidem justificari, fauorem Dei percipere, de quo scripturarum testimonia superius adducta sunt. Sic quod mors Domini in Missa populo non commendatur, declararunt esse àduersum ei, quod hæc Christus sacramenta sumere jussit in sui commemorationem, & Paulus, vt annuntietur mors Christi, donec veniat. Quod vero jam à multis, sine omni pietatis studio, tantum alendi corporis caussa, vulgo Missæ celebrantur, id demonstrarunt nostri, tam esse execrabile Deo vt si Missa per se pietati nihil aduersaretur, merito tamen, & jussu Dei tollenda esset. Id quod vel ex solo Esaia liquet cap. 1. Spiritus enim & veritas est Deus noster, eóque non nisi in spiritu ac veritate coli sustinet. Quàm autem molesta sit Domino, inuecta circa hæc sacramenta, tam importuna cauponatio, & hinc monuerunt conjiciendum esse, quod Christus tam sæue, & plane præter morem suum, externa sibi vindicatione sumpta, templo ejecit vendentes & ementes, cum ij tantum ad promouenda sacrificia, quæ ex lege fiebant, viderentur negotiari.

Tot ita-

Tot itaque modis, cum ritus Missæ vulgo celebrari solitæ scripturæ Dei aduersetur, sicut & modis omnibus diuersus est ab eo, quem sancti patres obseruarunt, damnatus est apud nos è suggestu admodum grauiter, sicque verbo Dei detestabilis factus, vt cum multi vltro reliquerint, alij, dum magistratus authoritate abrogatus est. Id quod nobis nulla alia caussa permisimus, quàm quod in omni scriptura, spiritus Dei nihil sic detestetur, & tam serio tolli præcipiat, atque commentitium falsúmque sui cultum. Iam nemo qui religione aliquo modo tenetur, ignorat, quàm sit timenti Deum ineuitabilis indicta necessitas, cum persuasus est Deum quippiam exigere. Etenim vt laturi multi essent à nobis circa Missæ ritum tam sacrosanctum aliquid nouari, facile quivis præuidebat, nec erant, qui non maluissent, hic non solum. T.S.M. sed ne quemvis imi subsellij principem offendere. Verùm cùm simul non dubitarent, vulgato illo Missæ ritu, tantopere irritari Deum, ejúsque gloriam, pro qua etiam vita ponenda est, obscurari, non potuerunt illum non submouere, ne & ipsi se imminutæ gloriæ Dei se obligarent conniuendo. Vtique si amandus & colendus est Deus supra omnes, nihil minus ferendum piis, quàm quod ille abominatur. Hanc verò vnam caussam extorsisse nobis, vt circa hæc immutare quædam auderemus, testem citamus eum, quem nullum secretum latet.

De Confessione. CAP. XX.

CVm verò & quæ ex pietate suscipitur peccatorum confessio, à nemine præstari queat, quem huc non sua impulerit pœnitudo, verúsque animi dolor, haud poterit ea extorqueri præcepto. Quare nec Christus ipse, nec Apostoli illam præcipere voluerunt. Hac ergo de caussa, hortantur nostri Ecclesiastæ ad confitendum peccata, & fructum ejus, quod quis apud virum Christianum ac prudentem, secretò sibi consolationem, consilium, doctrinam & exhortationem quærat, ostendunt, præceptis vrgent neminem, sed & pietati istiusmodi præcepta officere affirmant. Nam innumeras animas illa de peccatis sacerdoti confitendis constitutio, in grauem desperationem adegit, tótque aliis vitiis obnoxia est, vt pridem abrogari debuerit, & indubiè abrogata fuisset, si eò zelo ad submouenda offendicula, præsides Ecclesiarum proximis seculis arsissent, quo arsit olim D. Nestorius Episcopus Constantinopolitanus, qui secretam confessionem in sua Ecclesia sustulit, propterea quòd nobilis quædam mulier deprehensa esset, cùm templum frequentius adiret, tanquam pœnitentiæ operibus vacatura, cum diacono crebrius concubuisse. Hujusmodi certè flagitia innumera passim admissa sunt. Ad hæc requirunt pontificum leges, talem confessionis auscultatorem & arbitrum, tam sanctum, doctum, prudentem, misericordem, vt paucissimis

poſſit cui confiteantur contingere, inter eos maximè qui vulgo audiendis confeſſionibus deputantur. Iam cenſent & ſcholaſtici Theologi, præſtare laico peccata confiteri, quàm ei ſacerdoti à quo non ſit expectanda pietatis ædificatio. Summa eſt, quam confeſſionem non ſolida pœnitentia & verus animi dolor ob peccata expreſſerit, ea plus damni quàm commodi dabit. Cum ergo vnus Deus dare poſſit, vt nos peccatorum pæniteat, veréque doleat peccaſſe, nihil poterit hac in re, quod ſalutare ſit, præceptis effici, id quod hactenus ipſa experientia plus ſatis manifeſtum fecit.

De cantionibus & precibus Eccleſiaſticorum.

C AP. XXI.

EAdem verò ex cauſſa, ne ſcilicet ad Dei offenſam, quæ prætextu cultus ejus fieret, qua nulla ipſi grauior, conniueretur, & in cantionibus ac precibus Eccleſiaſticorum, noſtri pleráque damnarunt. Has enim à prima patrum conſtitutione, vsúque degeneraſſe abundè conſtat. Nemo ſiquidem cui veterum ſcripta perſpecta ſunt, ignorat, morem illis fuiſſe, pauculos pſalmos cum capitulo aliquo ſcripturæ grauiter recitare, ſimul & enarrare, cum nunc multum quidem pſalmorum, ſed ferè abſque mente decantatur, & ex ſcripturæ lectione initia duntaxat capitulorum ſuperſunt, innumera autem inuicem aſſumpta, quæ ſuperſtitioni potius quàm pietati ſeruiunt, Primum itaque illud noſtri deteſtati ſunt, quod ſacris precibus & cantionibus, haud pauca quæ ſcripturis aduerſantur, admixta ſunt, vt quib. diuis tribuuntur, quæ ſoli Chriſto competunt, nempe peccatis, aliiſque incommodis liberare fauorem Dei, omnéque genus bonorum non tam impetrare, quàm donare. Deinde quod ſic in immenſum auctæ ſunt, vt attento animo cani recitaríve nequeant. Iam nihil quàm Dei irriſio eſt, quicquid ſine mente cum eo geritur. Poſtremò quòd facta ſunt & hæc meritoria opera, vendíque ſolent haud paruo, vt interim taceatur, quòd contra expreſſum Spiritus ſancti præceptum, in ea omnia dicuntur & canuntur lingua, quam non ſolum populus non intelligit, ſed nonnunquam ne ipſi quidem, qui ex illis cantionibus & precibus viuunt.

De ſtatuis & imaginibus. C AP. XXII.

ET in ſtatuas denique atque imagines, noſtri ſacras orationes ſtrinxerunt, eo potiſſimum, quod aperte coli & adorari cœperunt, inanéſque ſumptus in eas fieri, qui eſurienti & ſitienti, & nudo Chriſto dedebantur, quod denique & cultu illarum ſumptúque, quamlibet cum verbo Dei pugnante, merita apud Deum quærunt. Huic religionis vitio obiecerunt etiam priſcæ authoritatem Eccleſiæ, cui nimirum

mirum abominabile fuit, vllam vel pictam vel sculptam in templ o imaginem videre, id quod abunde vel factum Epiphanii Episco pi Salaminæ Cypri, quod de se ipse testatur, comprobat. Cum enim vidisset in velo cuiusdam Ecclesię, imaginem depictam Christi, vel sancti cuiusdam (scribit enim se non bene meminisse) tanta succensus indignatione fuit, quod contra authoritatem scripturarum, fidem & religionem nostram, vt scribit, vidisset hominis imaginem in Ecclesia pendere, vt exemplo velum ruperit, iusseritque eo pauperem aliquem mortuum inuoluere. Hanc epistolam, qua hic vir Dei, hoc de se testatur scribens ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum, D. Hieronymus vt orthodoxam in Latinam linguam transtulit, nec verbo quidem hanc Epiphanij de imaginibus sententiam vt minus probam notauit. Ex qua re illud satis colligitur, nec ipsum D. Hieronymum, nec Episcopum Hierosolymitanum, ad quem scribebat, aliud de imaginibus sensisse. Etenim quod dici solet, statuis & imaginibus rudiores doceri & moneri, haud quaquam ad id sufficiet, vt imagines & statuæ ferri debeant, præsertim vbi à vulgo adorantur. Rudior erat populus vetus, adeo vt plurimis illum ceremonijs institui oportuerit: attamen imagines huc conducere, vt docerent & monerent rudiores, tam non agnouit Deus, vt habere illas cum primis vetuerit. Et si dicatur vetuisse Deum habere imagines quæ colerentur, statim consequitur, cum omnes adorari pridem cœperint, iam vel propter offendiculum è templis submouendas esse vniuersas. Sunt enim in Ecclesia omnia instituenda, ad certam ædificationem, nedum aliquid ferendum, quod queat occasionem dare ruinæ, nihil vero adferre cōmodi. Præterea quod de admonendo obiici solet, D. Athanasius confutans Gentes, eadem caussatione sua idola defendentes, sic reiicit: Dicant quæso, quo pacto per simulachra noscatur Deus? an per circumpositam illis materiam? an per inductam materiæ formam? Si ob materiam, quæ iam formæ necessitas, vt non prius etiam quàm ista fingerentur, per omnem prorsus materiam apparuerit Deus, cum omnia testentur gloriam suam. Porrò, si superducta effigies diuinę cognitionis caussa est, quid iam pictura cæteráque materia opus est, ac non magis per ipsa vera animalia, quorum formæ simulachra sunt, Deus cognoscitur? Nam clarius profecto Dei gloria innotesceret, si per animata rationabilia & irrationabilia, quam per inanimata atque immobilia manifestaretur. Cum ergo intelligendi Dei gratia sculpitis aut fingitis imagines, rem profecto minime dignam facitis. Hæc ille: Lactantius quoque multa contra hunc prætextum lib. 2. diui. institu. disseruit. Omnino enim ei, qui Dei admoneri cum fructu potest, præter adhortationis verbum, ipsa Dei viua veráque opera huc longe efficacius conducent, vanis illis simulachris, quæ parant homines. Hanc cum suam esse sententiam de imaginibus, Deus tot scripturæ locis abunde testatus sit, haud conueniet nos homines, per eas

quærere vtilitatem, à quibus Deus vitare periculum iussit, maxime cum ipsi quoque experti simus, quantopere pietati officiant. Per se quidem liberum esse vsum imaginum & nostri fatentur, sed quantumvis liber sit, Christiano spectandum est, quid expediat, quid ædificet, & eo loci, eáque ratione imaginibus vti, vt nemini objiciat offendiculum. Paulus enim & carnem & vinum sibi in omnem vitam interdici paratus erat, si id aliorum saluti quovis modo obstare cognouisset.

De Magistratibus. CAP. XXIII.

IN superioribus exposuimus nostros Ecclesiastas obedientiæ, quæ exhibetur magistratibus, inter primi ordinis bona opera locum dedisse, & nocere hoc vnumquemque, studiosius sese accommodare publicis legibus, quo sincerior fuerit Christianus, fidéque ditior, Iuxta docent, fungi magistratu munus esse Sacratiss. quod quidem homini diuinitus contingere possit. Vnde & factum sit, quod qui gerunt publicam potestatem, Dij in scripturis vocentur. Cum enim hi recte & ordine munus suum obeunt, & doctrina & vita in populo rite habent, eo quod sic Deus res nostras moderari soleat, vt ab iis qui rerum potiuntur, pendeat ex bona parte subditorum & salus & pernicies. Quapropter nulli dignius magistratibus funguntur, quàm qui sunt omnium Christianissimi & sanctissimi. Vnde proculdubio id accidit, quod à pientiss. olim Cæsaribus & Regibus, Episcopi aliique Ecclesiastici viri ad externam rerum gubernationem protracti sunt. Qua in re cum illi religiosi & prudentes fuerint, hoc solum peccatum est, quod ad dignam vtriusque muneris administrationem, sufficere haudquaquam potuerunt, & oportuit, aut verbo regendis Ecclesiis, aut imperio gubernandæ Reipub. deesse.

PERORATIO.

HÆc sunt inuictissime ac Religiosissime Cæsar præcipua, in quibus nostri à vulgata Ecclesiasticorum doctrina, sola scripturarum authoritate, omnibus aliis traditionibus merito anteponenda, adacti, nonnihil recesserunt. Ea S.M.T. sic vt à nobis hoc breui tempore fieri potuit, exposita, in hoc afferre volumus, vt & fidei nostræ rationem, tibi quem secundùm Deum in primis suscipimus, ac colimus, redderemus, & simul ostenderemus quàm necesse sit maturè & seriò de via & ratione consultare, qua res tanti momenti hoc pacto cognosci, expendi, ac discuti queat, vti primum obseruantia Dei, in cujus negotio summo vtique cum timore & tremore versandum est, requirit: deinde dignum est S.M.T. quæ religionis ac clementiæ nomine tantopere celebratur, denique ipsa possit ratio pacis ejus, quam S.M.T. molitur, certæ scilicet & solidæ, quæ cum circà fidem & religionem

gionem dissidium sit, aliter parari haud poterit, quam animis ante omnia de veritate plane edoctis. Porro ad id nihil forsan opus fuerat, nos quoque hisce de rebus tam multa memorare, cùm Illust. Prin. Elector Saxonum, & alij quæ in sacra nostra religione hodie controuertuntur, S.M.T. copiose admodum & solide exposuerint. At quia S.M.T. sententiam de religione, ab omnibus, quorum hoc negotij interest, exponi sibi postulauit, existimauimus & nostri officij esse, quæ apud nos docentur S M. tuæ confiteri. Quanquam hæc res tam latè pateat, támque multa complectatur, vt etiam quæ vtrimque exposuimus, pauciora adhuc, & succinctius quoque explicata sunt, quam vt speremus ex eis certum in hisce controuersiis, quódque non omnibus, sed bonæ saltem parti Christiani populi approbetur, in præsentiarum constitui posse. Ea est nimirum veritati subscribentium paucitas. Cum sit itaque negocium hoc tanti momenti, támque varium & multiplex, nec possit cum fructu decidi, nisi sit à pluribus probe cognitum & excussum, oramus S.M.T. & quam supplicissime per Deum & Seruatorem nostrum, cujus gloriam proculdubio imprimis quærit, obsecramus, vt generale, liberum, veréque Christianum Concilium indici quamprimum curet, quod hactenus ad componendas res Ecclesiæ, cum ipsi S.M.T. tum alijs S. imperij Principibus, adeo necessarium visum est, vt in omnibus ferè Imperij conuentibus, qui post exortum hoc de religione dissidium, habiti sunt, & S.M.T. commissarij, & alij Imperij Principes, palam testati sint, nulla alia via hisce in rebus, quod salutiferum sit, posse confici. Vnde in proximis Spiræ habitis comitiis, spem S.M.T. fecit, Pontificem Rom. non repugnaturum, quo minus maturè tale Concilium celebretur. Porro si generalis Concilij nequeat in tempore obtineri oportunitas, saltem Doctorum cujusque ordinis & status, prouincialem, quem vocant conuentum, S.M.T. instituat, quem libere tutóque omnes, quos adesse retulerit, queant adire, singuli audiri, & per hujusmodi viros, cuncta expendi & judicari, quos constet Dei timore præditos, illius gloria nihil prius habere. Neque enim in obscuro est, qua olim grauitate, quáque diligentia, cum Imperatores, tum Episcopi in decidendis fidei controuersiis, quæ tamen sæpe multo minoris momenti erant, quam quæ modo Germaniam commouent, sese habuerint, vt haudquaquam indignum se duxerint, eadem iterum ac tertio in disquisitionem vocare. Jam qui considerauerit, vt modo res habent, is dubitare haud poterit, hodie majore fide, grauitate, mansuetudine, & dexteritate, ad id, vt Christi religio in suum locum restituatur, opus esse, quam antea vnquam. Siquidem penes nos Veritas est, quod indubitato credimus, quanto quæso tempore & labore opus fuerit, vt eam cognoscant & hi, sine quorum consensu, aut saltem tolerantia, pax solida parari non poterit? Sin erramus, à quo abesse nos nihil ambigimus, rursus haud ignauam diligentiam, nec breue

tempus,res poſcet,vt in viam reuocentur tot hominum millia. Quam diligentiam, & tempus inſumere S.M.T. tam non dedecebit, quàm par eſt te ejus ergà nos animum exhibere, cujus nobis vice imperas, Ieſu Chriſti noſtri omnium Seruatoris. Qui cum hoc animo venerit quærere,& ſaluum facere quod perierat, vt pro reſtituendis,qui erāt perditi,mortem etiam oppetierit,non eſt vt S.M.T. grauetur etiamſi indubitato credat,nos à veritate excidiſſe, nonaginta nouem oues in deſerto relinquere, & centeſimam quærere, inque Chriſti caulam reducere, hoc eſt, quævis alia huic negocio poſthabere, vt nobis quamlibet paucis & humilibus,Chriſti ſenſus de ſingulis,quæ modò controuertuntur, ex ſcripturis dilucide, & certo exponatur. Nos certè dociles erimus, aberit omnis peruicacia, modo vocem audire liceat paſtoris noſtri Ieſu Chriſti,& ſcripturis,quæ docent quicquid bonum eſt, ad quę vocabimur, omnia nitantur. Etenim ſi contingeret, docendi nos cura reiecta, compendia quęri edictorum, quod dum res in manu T.S.M fuerint, haudquaquam metuimus, dici non poteſt, in quas anguſtias, innumera hominum millia adducerentur, quos nimirum perſuaſos, Deum imprimis audiendum, tum quæ ſequuntur dogmata indubitatis oraculis Dei niti, iſtę Seruatoris voces, nunquam non percellunt: Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Qui perdiderit animam ſuam, inueniet eam. Qui non oderit patrem, matrem,&c. ac etiam ſuam ipſius animam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Quem puduerit mei coram peruerſa & adultera hac natione, eius me pudebit coram patre meo & angelis eius & ſimiles. His ſanè tonitruis exagitati, minimè pauci, animòsè extrema ſubirent, multos mortis metus differret quidem, ſed in occaſionem, ſi imperio priuſquam doctrina, vi antea quàm indicatione erroris, cum eis hoc in negotio ageretur. Quid enim valeat ſolidior de religione perſuaſio, quamque faciat non rerum modò, ſed & vitæ prodigos, vel hoc decennio, vt ſuperiora ſecula taceamus, ſatis ſuperque in quàm plurimis viſum eſt, qui non exilia tantum & proſcriptiones verum etiam vincula, cruciatus, & mortem ipſam potius ſuſceperunt, quàm vt à ſententia quàm conceperant, quamque veram eſſe crediderant, auelli ſe ſuſtinuiſſent. Si iam cum diſſidium eſt de rebus illis leuioribus, paucos inuenias, quos in certam quis concordiam redegerit, niſi de iure vel æquitate conditionum perſuaſos, quomodo cum de religione diſſenſio ſit, veram pacem, rerumque minime dubiam tranquillitatem, quam ſcilicet S. T. M. conſtituere quærit, expectabimus, niſi vtrimque quæ probet Deus, quæ congruant Scripturis, conſtiterit? Quemadmodum enim religio iure, moréque Gentium rebus aliis omnibus antefertur, ita nulla quoque mortalium inter ſe dimicatio vehementior, duriorque eſſe conſueuit quàm quæ pro aris & numinibus ſuſcipitur. Sed nos cum S. M. T. tam indicibili in hoſtes ſuos, & eos quidē, qui nihil hoſtilitatis, vt alia

tacea-

taceamus, prætermiſerunt, vſa clementia eſt, meritò ſpem de eo optimam concepimus, omnia & in hoc negocio ſic attemperaturam, vt multo amplius in nobis, ſalutis & honoris tui ſtudioſiſſimis (quod re ipſa teſtati ſumus, & teſtari amplius ex animo cupimus) bonitatis & humanitatis laudem quæſiſſe videatur. Nam omnia in hac cauſa ſic attemperauimus, vt bonis quibuſlibet ſatis declarauerimus, nunquam nobis animum fuiſſe quenquam lædendi, aut noſtra accommoda aliorum incommodis aucupandi. Pericula ſane hac cauſſa ſubiuimus, & ſumptus ingentes fecimus, lucri verò ne tantillum quidem, vno hoc excepto, quod de bonitate Dei per Chriſtum exhibita melius edocti, futura (gratia Deo) cœperimus ſperare certius. Id verò jure tanti nobis eſt, vt nihil adhuc dignum eo, cum inæſtimabile ſit & rebus omnibus, quæ vel cœlum vel terra habet, anteferendum, nos vel feciſſe vel pertuliſſe putemus. Eccleſiaſticorum certè opibus, tam abeſt vt inhiauerimus, quod tumultuantibus agricolis, maximis impendiis & periculis, illas ipſis defenderimus. Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti, ita ipſe nos amet, vnum id eſt, quod nos vrget, & ad ea quæ videmur nouaſſe, adduxit omnia. Malit itaque S.M.T. exempla ſequi potentiſſimorum & vere fœlicium Cæſarum, Conſtantini, Jouiniani, Theodoſij, & ſimilium, qui doctrina omni cum manſuetudine quotidie per ſanctiſſ. & vigilantiſſ. Epiſcopos impartita, tum Conciliis rite coactis, grauique omnium rerum diſcuſſione, cum errantibus agere, tentaréque omnia, vt in viam eos reuocarent, prius quam ſeuerius quicquam in eos ſtatuerent, quam eorum quibus conſtat fuiſſe conſultores, & priſcis illis vereque ſanctis patribus diſſimillimos, & euentum quoque contigiſſe pietati illorum parum reſpondentem. Hinc S.M.T. reuocare ſe illud ne patiatur, quod pleraque, de quibus nunc diſceptatur, deciſa ſint olim, & præcipue in concilio Conſtantienſi, maxime cum videat ex innumeris, non minus ſanctis quàm neceſſariis ſuperiorũ conciliorũ decretis, ne pilũ quidē ab eccleſiaſticis ſeruari, ſicq; degeneraſſe apud eos omnia, vt nemo vel cõmuni ſenſu prǫditus, non clamet Concilio ad reſtituendam religionem, Eccleſiaſticiq; ordinis ſanctimoniam, opus eſſe. Si verò illis adeo placet, quod ſancitum eſt Cõſtantiæ, qui factum eſt, vt nulla prorſus ratione, illud interim obtineri potuerit, vt ſingulis decenniis Chriſtiana Concilia haberētur, id quod tum cõſtitutum fuit? Nam hac via multùm pietatis & fidei, vel recuperari, vel ſeruari potuerat. Sed quis non fateatur, quoties morbus incrudeſcit, toties adhibendum eſſe remedium, & qui veritatem vere habent, eos nunquam grauari illam & docere bonos, & defendere contra malos, vbi vllus modò hujus fructus ſperari queat? Iam tot millibus in religionis noſtræ dogmatis miſerè adeo perplexis, quis neget ſpem eſſe fructus ampliſſimi, quæque jure quoſcunque Chriſti ſpiritus regit, impulerit, vt quibuſvis rebus aliis omiſſis, omni labore ſumptúque contempto, in hoc vnum totis viribus

incumbant, vt Christi doctrina, parens omnis justitiæ & salutis, digne excutiatur, cunctísque erroribus expurgetur, suáque natiua facie, quibuscunque pietas & germanus Dei cultus cordi est, offeratur, quo sancta, & in æternum firma pax, rerúmque omnium vera tranquillitas, perturbatis modò plus nimio ouibus Christi, pro quibus hic sanguinem fudit, restituatur, & confirmetur? Quæ illis nulla etiam alia via, vt diximus, restitui & confirmari poterit, certis scilicet, aliis quidem in rebus sibi nihil non cedendum, at in negocio pietatis, sic verbis Dei hærendum, nitendúmque esse, vt si mille animas haberent, omnes lanienæ offerre oportere citius, quàm cedere iota vnum, vel minimum apiculum, quem persuasi sunt esse mandatum diuinitus. Si jam vna duntaxat anima potior est toto orbe, quid facere in salutem tot myriadum addeceat? Tanta nimirum cum spes inuitet, cum ex eo, quod hi, qui apud S.M.T. erroris deferuntur, nihil aliud quàm doceri se orant, & sacris scripturis ad quemlibet errorem confutandum abunde sufficientibus, totos se addixerunt; tum ex illo quod Christus Seruator noster luculenter adeo promisit, vel duobus aut tribus in suo nomine congregatis, se medium futurum, & quacunque de re consenserint, hanc illis præstiturum. Ista vero pientissime Cæsar, haud alia de caussa hic memoramus, quàm vt S.M.T. quæ voluit & nos, quid de restituenda religione sentiamus exponere, nos morigeros præstaremus. Nam bona alioqui est spes, ipsam T. S. M. pridem apud se probe dispexisse, satísque videre, quæ ad id vrgeat necessitas, quis inuitet fructus, quam denique hoc ipsum S.M.T. religionis atque clementiæ, tantopere laudata, dignum sit, vt conuocatis quibusque doctrina & pietate probatissimis viris, ex diuinis literis, quid de singulis dogmatis, quæ modò controuertuntur, sentiendum sit, petatur, ac tum per idoneos Christi ministros, omni cum mansuetudine & fide, cunctis qui erroribus detenti creduntur, explicetur. Verendum tamen juxta, haud deesse qui S.M.T. alio trahere conentur, istis visum est per hæc, velut apud te respondere. S.M.T. & hoc ipsum, & cætera omnia, quæ nullo alio, quàm Christi Iesu Dei nostri gloriam, pro nostra portione adserendi, & S.M.T. vt par est obtemperandi, hic exposuimus, confessique sumus, pro eximiè celebri sua clementia, in meliorem partem accipiat & interpretetur, nósque inter eos habere dignetur, qui profecto non minus, quàm majores nostri illi nos cum summa subjectione, morigeros & addictos præstare ex animo cupimus, in hoc, quoad liceat, res & corpora nostra impensuri. Rex regnum Iesus Christus, S.M.T. in hoc, & aliis negociis, ad gloriam suam omnia transigere donet, eámque incolumem & florentem, in totius Reipublicæ Christianæ salutem diu seruet, fœliciterque prouehat.

Amen.

ARTI-

ARTICVLI GENERALES SINGVLARVM CONFESSIONVM QVÆ SVNT in hac huius Syntagmatis parte.

Helueticæ Confeſſionis Prioris, Poſterioris, & Baſilienſis, Articuli.

Gallicæ Confeſſionis capita ſiue Articuli.

Anglicana Confeſſio habet hos Articulos.

Scoticana Confessio habet hos Articulos.

Belgica Confessio fidei habet hos Articulos.

Confessio

INDEX APHABETICVS.

INDEX.

FINIS.

SYNTAGMATIS CONFESSIONVM FIDEI

Pars illa quæ habet,

I. CONFESSIONEM AVGVSTANAM:
II. SAXONICAM seu Misnicam:
III WIRTEMBERGENSEM:
IV. Illustriss. Electoris PALATINI:
V. BOHEMICAM:
VI. Et CONSENSVM in fide & Religione Christiana inter Ecclesias Euangelicas Maioris & Minoris POLONIÆ, Lithuaniæ, &c.

Psal. CXXXIII. *Quàm bonum, quàm jucundum habitare fratres in vnum!*

I.

AVGVSTANA Confeſſio fidei, à D. Philippo Melanchthone, in ipſis ſcripta Comitiis Imperij, Auguſtę Vindelicorum habitis, Anno Domini 1530. ab Illuſtriſſimis aliquot Germaniæ Principibus, ibi Carolo V. Imperatori exhibita fuit. Poſtea in Latinam linguam conuerſa, cuius variæ ſunt & diuerſæ Editiones, vt apparet ex editione Lipſiæ, anno 1565. Nam recognita, rurſus exhibita fuit Ferdinando Imperatori, in Comitiis Imperij, anno 1558. & anno 1561. Illa verò editio quæ Witebergæ edita fuit anno 1540. hîc exhibetur.

Ad illam Confeſſionem exponendam, de improuiſo ſcriptam, vt in Apologia teſtatur D. Philippus Melanchthon, qui illam ſcripſerat, annectuntur Confeſſiones ſequentes.

II.

SAXONICA CONFESSIO Fidei, ſcripta fuit anno Domini M. D. LI. in Synodo Witebergæ, vbi Saxonicarum & Miſnicarum Eccleſiarum Paſtores, & Academiarum Doctores conuenerant: qui omnes ei ſubſcripſerunt, tanquam Auguſtanæ Confeſſioni repetitæ, Tridentinæ Congregationi proponendæ. Eam comprobarunt Illuſtriſſimi Principes Brandeburgici. Atque Generoſiſſimi Comites à Mansfelt. Et Argentinenſes Miniſtri: Atque Paſtores &

Doctores Ecclesiarum POMERANIÆ, Scriptis Confessioni annexis. Eadem ab aliis Ecclesiis comprobata: & ab Ecclesiis POLONICIS in ipsarum Consensu vel Conciliatione commendata.

III.

WIRTEMBERGICA Confessio eidem Synodo Tridentinæ proposita fuit anno 1552. per legatos Illustrissimi Christophori Ducis Wirtembergensis, &c. Eximia eius Præfatio rem totam indicat.

IV.

Fidei CONFESSIO Illustrimi Principis FRIDERICI Comitis PALALINI sacri Imperij ELECTORIS.

V.

BOHEMICA CONFESSIO Fidei, quæ & WALDENSIVM Confessio nuncupatur, ex Confessionibus longè antiquioribus constituta: à Doctore Luthero & à Melanchthone scripto comprobata, anno 1532. & ab inclyta Academia Witebergensi. Tandem à Liberis Baronibus, & aliis Nobilibus Regni Bohemiæ, oblata, anno 1535. Serenissimo Regi Ferdinando.

VI.

CONCILIATIO Articuli de sacra COENA Domini, inter Ministros qui in vtraque POLONIA, Lithuania, & Samogitia, Euangelium Christi, tam iuxta Augustanam Confessionem, quàm WALDENSIVM & Helveticarum Ecclesiarum Confessionem obseruant. Facta in generali Synodo Sendomiriensi, anno 1570.

CON-

CONFESSIO FIDEI EXHIBITA INVICTISS. IMP. CAROLO V. CÆSARI AVG. in Comitiis Augustæ, anno M.D.XXX.

Excusa Witebergæ, anno 1540.

PRÆFATIO AD CÆSAREM Carolum V.

INVICTISSIME IMPERATOR, *Cæsar Auguste, Domine clementissime. Cùm V. C. M. indixerit conuentum Imperij Augustæ, vt deliberetur de auxiliis contra Turcam, atrocissimum hæreditarium, atque veterem Christiani nominis ac religionis hostem, quomodo illius scilicet furori & conatibus, durabili & perpetuo belli apparatu resisti possit. Deinde & de dissensionibus in causa nostræ sanctæ religionis & Christianæ fidei: & vt in hac causa religionis, partium opiniones, ac sententiæ inter sese, in charitate, lenitate, & mansuetudine mutua audiantur coràm, intelligantur & ponderentur, vt illis quæ vtrinque, in Scripturis secus tractata aut intellecta sunt, sepositis & correctis, res illæ ad vnam simplicem veritatem & Christianam concordiam componantur & reducantur, vt de cætero à nobis vna, sincera & vera religio colatur & seruetur, vt quemadmodum sub vno Christo sumus & militamus, ita in vna etiam Ecclesia Christiana, in vnitate & concordia viuere possimus.*

Cumq; nos infra scripti, Elector & Principes, cum aliis qui nobis coniuncti sunt, perinde ut alij Electores & Principes & Status ad præfata Comitia euocati simus, vt Cæsareo mandato obedienter obsequeremur, maturè venimus Augustam, &, quod citra iactantiam dictum volumus, inter primos affuimus.

Cùm igitur V. C. M. Electoribus, Principibus & aliis Statibus Imperij, etiam hîc Augustæ sub ipsa initia horum Comitiorum inter cætera proponi fecerit, quòd singuli Status Imperij vigore Cæsarei Edicti, suam opinionem & sententiam in Germanica & Latina lingua proponere debeant atque offerre. Et habita deliberatione proxima feria quarta, rursum responsum est V.C.M. nos proxima feria sexta Articulos nostræ Confessionis pro nostra parte oblaturos esse. Ideo vt V.M. voluntati obsequamur, offerimus in hac Religionis causa nostrorum Concionatorum, & nostram Confessionem, cuiusmodi doctrinam ex Scripturis sanctis, & puro verbo Dei, hactenus illi in nostris terris, ducatibus, ditionibus, & vrbibus, tradiderint, ac in Ecclesiis tractauerint.

Quòd si cæteri, Electores, Principes, ac Status Imperij, similibus scriptis Latinis scilicet & Germanicis, iuxta prædictam Cæsaream propositionem, suas opiniones in hac causa Religionis produxerint, hîc nos coram V. C. M. tanquam domino nostro clementissimo paratos offerimus, nos cum præfatis Principibus & amicis nostris, de tolerabilibus modis ac viis amicè conferre, vt quantum honestè fieri potest, conueniamus & re inter nos & partes, citra odiosam contentionem pacificè agitata, Deo dante, dissensio dirimatur, & ad vnam veram concordem Religionem reducatur; sicut omnes sub vno Christo sumus & militamus, & vnum Christum confiteri debemus, iuxta tenorem edicti: V.C.M. & omnia ad veritatem Dei perducantur, id quod ardentissimis votis à Deo petimus.

Si autem, quod ad cæteros Electores, Principes & Status, vt partem alteram attinet, hæc tractatio causæ Religionis, eo modo, quo V. C. M. agendam & tractandam sapienter duxit, scilicet cum tali mutua præsentatione scriptorum, ac sedata collatione inter nos non processerit, nec

aliquo

aliquo fructu facta fuerit, nos quidem testatum clarè relinquimus, hîc nihil nos, quod ad Christianam concordiam (quæ cum Deo & bona conscientia fieri possit) conciliandam conducere queat, ullo modo detrectare. Quemadmodum & V. C. M. deinde & cæteri Electores & Status Imperij, & omnes quicunque sincero Religionis amore & studio tenentur, quicunque hanc causam æquo animo audituri sunt, ex hac nostra & nostrorum Confessione hoc clementer cognoscere & intelligere dignabuntur.

Cùm etiam V. C. M. Electoribus, Principibus, & reliquis Statibus Imperij non una vice, sed sæpe clementer significauerit, & in Comitiis Spirensibus, quæ anno Domini, &c. XXVI. habita sunt, ex data & præscripta forma vestræ Cæsareæ instructionis & commissionis recitari, & publicè prælegi fecerit. Vestram M. in hoc negotio religionis ex causis certis, quæ V. M. nomine allegatæ sunt, non velle quicquam determinare nec concludere posse, sed apud Pontificem Romanum pro officio V. C. M. diligenter daturam operam de congregando Concilio generali. Quemadmodum idem latiùs expositum est ante annum, in publico proximo Conuentu, qui Spiræ congregatus fuit. Vbi V. C. M. per Dominum Ferdinandum, Bohemiæ & Vngariæ Regem amicum & Dominum nostrum clementem. Deinde per Oratorem, & Commissarios Cæsareos, hæc inter cætera proponi fecit, quod V. C. M. intellexisset & expendisset Locumtenentis in V. C. M. imperio, & Præsidentis & Consiliariorum in Regimine & Legatorum ab aliis Statibus, qui Ratisponæ conuenerant, deliberationem de Concilio congregando. Et quod iudicaret etiam V. C. M. utile esse, ut congregaretur Concilium. Et quia causæ, quæ tum tractabantur inter V. C. M. & Rom. Pontificem, vicinæ essent concordiæ & Christianæ reconciliationi, non dubitaret V. C. M. quin Romanus Pontifex adduci posset ad habendum generale Concilium. Ideo significabat se V. C. M. operam daturam, ut præfatus Pontifex maximus unà cum V. C. M. tale generale Concilium, primo quoque tempore emissis literis publicandum congregare consentiret.

In euentum ergo talem quòd in causa religionis, dissensiones inter nos & partes amicè, & in charitate non fuerint compositæ, tunc coram V. C.M. hîc in omni obedientia nos offerimus, ex superabundanti comparituros & causam dicturos in tali generali libero & Christiano Concilio, de quo congregando in omnibus comitiis Imperialibus, quæ quidem annis Imperij V. C. M. habita sunt per Electores, Principes, & reliquos Status Imperij, semper concorditer actum, & congruentibus suffragiis conclusum est. Ad cuius etiam generalis Concilij conuentum, simul & ad V. C. M. in hac longè maxima & grauissima caussa, iam antè etiam debito modo & in forma iuris prouocauimus & appellauimus. Cui appellationi ad V.C.M. simul & Concilium adhuc adhæremus, neque eam per hunc vel alium tractatum (nisi causa inter nos & partes, iuxta tenorem Cæsareæ proximæ citationis amicè in charitate composita, sedata, & ad Christianam concordiam reducta fuerit) deserere intendimus aut possumus. De quo hîc etiam solenniter & publicè protestamur.

ARTI-

ARTICVLI FIDEI PRÆCIPVI.

I.

ECCLESIÆ magno consensu apud nos docent Decretum Nicenæ Synodi, de Vnitate Essentiæ diuinæ, & de Tribus Personis, verum & sine vlla dubitatione credendum esse. Videlicet quòd sit vna essentia diuina, quæ & appellatur, & est Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, creator & conseruator omnium rerum, visibilium, & inuisibilium; & tamen Tres sint Personæ eiusdem essentiæ, & potentiæ, & coæternæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Et nomine *Persona* vtuntur ea significatione, qua vsi sunt in hac causa Scriptores Ecclesiastici, vt significet non partem aut qualitatem in alio, sed quod propriè subsistit.

Damnant omnes hæreses, contra hunc articulum exortas, vt Manichæos, qui duo principia ponebant, Bonum & Malum: item Valentinianos, Arrianos, Eunomianos, Mahometistás, & omnes horum similes. Damnant & Samosatenos veteres & neotericos, qui cùm tantùm vnam personam esse contendant, de Verbo & de Spiritu Sancto astutè & impiè rhetoricantur, quòd non sint personæ distinctæ, sed quòd Verbum significet verbum vocale, & Spiritus motum in rebus creatum.

II.

ITem docent, quòd post lapsum Adæ, omnes homines naturali modo propagati nascentes, habeant peccatum originis. Intelligimus autem peccatum originis, quod sic vocant sancti Patres, & omnes Orthodoxi & piè eruditi in Ecclesia, videlicet reatum, quo nascentes propter Adæ lapsum, rei sunt iræ Dei & mortis æternæ, & ipsam corruptionem humanæ naturæ propagatam ab Adam. Et hæc naturæ humanæ corruptio, defectus iustitiæ seu integritatis, seu obedientiæ originalis, & concupiscentiam complectitur.

Estque defectus, horribilis cæcitas & inobedientia, scilicet carere illa luce ac notitia Dei, quæ fuerat futura in natura integra, item carere illa rectitudine, hoc est, perpetua obedientia, vera, pura ac summa dilectione Dei, & similibus donis integræ naturæ (Quare defectus illi & concupiscentia, sunt res damnata, & sua natura digna morte.) Estque vitium originis verè peccatum, damnans & afferens nunc quoque æternam mortem, his, qui non renascuntur per Baptismum & Spiritum Sanctum.

Damnant Pelagianos, qui negant peccatum originis, & sentiunt defectus illos seu concupiscentiam esse res indifferentes, seu pœnas tantùm, nec esse res sua natura damnatas, & somniant, hominem legi Dei satisfacere posse, & propter hanc propriam obedientiam coram Deo iustum pronunciari.

neficium est finis historiæ: Ideò Christus passus & resuscitatus est, vt propter ipsum nobis donarentur remissio peccatorum & vita æterna.

V

ITaque instituit Christus ministerium docēdi Euangelij, quod prædicat pœnitentiam & remissionem peccatorum. Estque vtraque prædicatio vniuersalis, Omnium peccata arguit, & omnibus credentibus promittit remissionem peccatorum, vt non sit incerta remissio, sed vt omnes perterrefactæ mentes, sciant se debere credere, quòd certò donetur nobis remissio peccatorum propter Christum, non propter nostra merita, aut dignitatem: Et cùm hoc modo consolamur nos promissione seu Euangelio, & erigimus nos fide, certò consequimur remissionem peccatorum, & simul datur nobis Spiritus Sanctus. Nam Spiritus Sanctus datur & est efficax per verbum Dei & per Sacramenta. Cùm Euangelium audimus aut cogitamus, aut Sacramenta tractamus, & fide nos consolamur, simul est efficax Spiritus Sanctus, iuxta illud Pauli ad Galatas 3. *Vt promissio ex fide Iesu Christi detur credentibus.* Et ad Corinthios, *Euangelium est ministerium Spiritus.* Et ad Roman. *Fides ex auditu est.* Cùm igitur fide nos consolamur, & liberamur à terroribus peccati per Spiritum Sanctum, concipiunt corda cæteras virtutes, agnoscunt verè misericordiam Dei, concipiunt veram dilectionem, verum timorem Dei, fiduciam, spem auxilij diuini, inuocationem, & similes fructus Spiritus.

Damnantur illi qui de hac fide, qua remissio peccatorum accipitur, nihil docent, sed iubent conscientias dubitare, an consequantūr remissionem peccatorum. Et addunt hanc dubitationem non esse peccatum. Item, docent homines consequi remissionem peccatorum, propter propriam dignitatem, non docent credendum esse, quòd gratis propter Christum, remissio peccatorum donetur.

Damnantur item phanatici spiritus, qui fingunt Spiritum Sanctum dari, aut efficacem esse, sine verbo Dei. Et ob eam causam contemnunt ministerium Euangelij & Sacramentorum, & quærunt illuminationes sine verbo Dei & extra Euangelium, atque ita abducunt animos à verbo Dei, ad proprias opiniones, quod est perniciosissimum. Tales olim fuerunt, Manichæi, Enthusiastæ, & nunc sunt Anabaptistæ. Huiusmodi furores constanter damnamus: Abolent enim verum vsum verbi Dei & falsò somniant sine verbo Dei accipi Spiritum Sanctum, & freti suis opinionibus comminiscuntur impia dogmata, & efficiunt infinitam dissipationem.

VI.

ITem docent, quòd cùm fide reconciliamúr, necessariò sequi debeat, iustitia bonorum operum, quæ Deus nobis mandauit, sicut & Christus præcepit: *Si vis in vitam ingredi, serua mandata.* Sed quia tanta est infirmitas humanæ naturæ, vt nemo legi satisfacere possit, necesse est docere homines, non solùm quòd legi obediendum sit, sed etiam quomodo placeat hæc obedientia, ne conscientiæ incidant in desperationem, cùm intelligant se non satisfacere legi. Placet igitur hæc obedientia, non quia legi satisfacit, Sed quia persona est in Christo reconciliata fide, & credit sibi reliquias peccati condonari. Sem-

per igitur ſentiendum eſt, nos conſequi remiſsionem peccatorum, & perſonam pronuntiari iuſtam, id eſt, acceptari gratis propter Chriſtum, per fidem. Poſtea verò placere etiam obedientiam erga legem & reputari quandam iuſtitiam, & mereri præmia. Non enim poteſt conſcientia opponere iudicio Dei propriam mundiciem aut opera, ſicut Pſalmus teſtatur; *Non intres in iudicium cum tuo ſeruo, quia non iuſtificabitur coram te omnis viuens.* Et Ioannes ait, *Si dixerimus quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt, vt remittat nobis peccata noſtra.* Et Chriſtus inquit; *Cùm feceritis omnia, dicite, ſerui inutiles ſumus.* Poſtquam autem perſona reconciliata & iuſta fide, id eſt, accepta eſt, placet & obedientia & reputatur eſſe quædam iuſtitia, ſicut Ioannes inquit; *Omnis qui in eo manet non peccat.* Et 2. Cor. 1. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.*

Ac debet hæc obedientia repugnare prauis cupiditatibus & ſubinde ſpiritualibus exercitiis fieri purior, & cauere, ne quid committamus contra conſcientiam, iuxta illud, *Summa legis eſt dilectio ex puro corde & conſcientiá bona, & fide non ficta.* Qui verò obtemperant prauis cupiditatibus & agunt contra conſcientiam, verſantur in peccatis mortalibus, nec fidei iuſtitiam, nec iuſtitiam bonorum operum retinent. Iuxta illud Pauli, *Qui talia agunt, regnum Dei non poſsidebunt.*

VII.

Item docent, quòd vna ſancta Eccleſia perpetuò manſura ſit. Eſt autem Eccleſia Chriſti propriè, Congregatio membrorum Chriſti, hoc eſt, ſanctorum, qui verè credunt & obediunt Chriſto: etſi in hac vita huic congregationi multi mali & hypocritæ admixti ſunt vſque ad nouiſsimum iudicium. Habet autem Eccleſia propriè dicta, ſigna ſua, ſcilicet puram & ſanam Euangelij doctrinam, & rectum vſum Sacramentorum. Et ad veram vnitatem Eccleſiæ ſatis eſt conſentire de doctrina Euangelij, & adminiſtratione Sacramentorum. Nec neceſſe eſt vbique ſimiles eſſe traditiones humanas, ſeu ritus ab hominibus inſtitutos, ſicut & Paulus docet, cùm ait, *Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus & Pater omnium.*

VIII.

Cùm autem in hac vita admixti ſint Eccleſiæ multi mali & hypocritæ, qui tamen ſocietatem habent externorum ſignorum cum Eccleſia, licet vti Sacramentis quæ per malos adminiſtrantur, iuxta vocem Chriſti, *Sedent Scribæ & Pharisæi in Cathedra Moyſi,* &c. Et Sacramenta & verbum Dei propter ordinationem & mandatum Chriſti ſunt efficacia, etiamſi per malos exhibeantur.

Damnant Donatiſtas & ſimiles, qui negabant licere populo vti miniſterio malorum in Eccleſia, & ſentiebant miniſterium malorum inutile & inefficax eſſe.

IX.

De Baptiſmo docent; quòd neceſſarius ſit ad ſalutem, tanquam ceremonia à Chriſto inſtituta. Et quòd per Baptiſmum offeratur gratia Dei: Et quòd infantes ſint baptizandi; Et quòd infantes per Baptiſmum Deo commendati

dati, recipiantur in gratiam Dei, & fiant filij Dei, ſicut Chriſtus teſtatur, loquens de paruulis in Eccleſia, Matth. 18. *Non eſt voluntas Patris veſtri qui in cœlis eſt, vt pereat vnus ex paruulis iſtis.*

Damnant Anabaptiſtas, qui improbant Batiſmum infantium, & affirmant, infantes ſine Baptiſmo & extra Eccleſiam Chriſti ſalvos fieri.

X.

DE Cœna Domini docent, quòd cum pane & vino verè exhibeantur corpus & ſanguis Chriſti, veſcentibus in Cœna Domini.

Hæc in alia editione ſic reperiuntur.

De Cœna Domini docent, quòd corpus & ſanguis Chriſti verè aſsint, & diſtribuantur veſcentibus in Cœna Domini: & improbant ſecus docentes.

XI.

DE Pœnitentia docent, quòd lapſis poſt Baptiſmum contingere poſsit remiſsio peccatorum, quocunque tempore, cùm conuertuntur. Et quòd Eccleſia talibus, redeuntibus ad Pœnitentiam, impertire abſolutionem debeat.

Conſtat autem Pœnitentia, hoc eſt, conuerſio impij, propriè his duabus partibus. Altera eſt *Contritio,* hoc eſt, terrores incuſsi conſcientiæ agnito peccato, in quibus & iram Dei agnoſcimus, & dolemus nos peccaſſe, & peccata deteſtamur ac fugimus, ſicut Ioel concionatur, *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum,* &c. Altera pars eſt *Fides,* quæ concipitur ex Euangelio ſeu Abſolutione, & credit propter Chriſtum certò remitti peccata & conſolatur conſcientiam, & ex terroribus liberat; De qua fide Paulus loquitur, cùm ait, *Iuſtificati fide, pacem habemus.* Deinde ſequi debent boni fructus pœnitentiæ, hoc eſt, obedientia erga Deum, iuxta illud; *Debitores ſumus non carni, vt ſecundùm carnem viuamus: Si enim ſecundùm carnem viuetis, moriemini: Sed ſi ſpiritu actiones corporis mortificabitis, viuetis.*

Damnant Nouatianos, qui nolebant abſoluere eos, qui lapſi poſt Baptiſmum, redibant ad pœnitentiam.

Damnant & illos, qui non docent remiſsionem peccatorum per fidem gratis propter Chriſtum contingere; Sed contendunt remiſsionem peccatorum contingere propter dignitatem contritionis, dilectionis, aut aliorum operum, & iubent dubitare conſcientias in pœnitentia, an conſequantur remiſſionem pecatorum, & affirmant hanc dubitationem non eſſe peccatum.

Damnant & iſtos, qui Canonicas ſatisfactiones docent neceſſarias eſſe ad redimendas pœnas æternas aut pœnas Purgatorij, & ſi fatemur bonis operibus mitigari præſentes calamitates, ſicut Eſaias docet; cap. 58. *Frange eſurienti panem tuum,* &c. *Et requiem tibi dabit Dominus ſemper.* Rejiciunt & indulgentias, quæ ſunt condonationes commentitiarum ſatisfactionum.

Damnant & Anabaptiſtas, qui negant ſemel iuſtificatos, iterum poſſe amittere Spiritum Sanctum. Damnant & illos, qui contendunt aliquibus tantam perfectionem in hac vita contingere, vt ne quidem poſsint iterum peccare.

XII.

DE Confeſsione peccatorum docent, quòd Abſolutio priuata in Eccleſiis retinenda ſit, quanquam in Confeſsione non ſit neceſſaria delictorum enumeratio. Eſt enim impoſsibilis enumeratio omnium delictorum, iuxta illud, *Delicta quis intelligit?*

XIII.

DE vſu Sacramentorum docent, Sacramenta inſtituta eſſe, non modò vt ſint notæ profeſsionis inter homines, ſed multò magis, vt ſint ſigna & teſtimonia voluntatis Dei erga nos, propoſita ad excitandam & confirmandam fidem in his qui vtuntur eis. Itaque vtendum eſt Sacramentis ita, vt accedat fides quæ credat promiſsionibus, quæ per Sacramenta exhibentur & oſtenduntur. Hac fide accipimus promiſſam gratiam, quam Sacramenta ſignificant, & Spiritum Sanctum.

Damnant igitur Phariſaicam opinionem, quæ obruit doctrinam de fide, nec docet fidem in vſu Sacramentorum requiri, quæ credat propter Chriſtum nobis gratiam dari. Sed fingit homines iuſtos eſſe propter vſum Sacramentorum ex opere operato, & quidem ſine bono motu vtentium.

XIV.

DE Ordine Eccleſiaſtico docent, quòd nemo debeat in Eccleſia publicè docere aut Sacramenta adminiſtrare, niſi ritè vocatus: Sicut & Paulus præcipit Tito, vt *in ciuitatibus presbyteros conſtituat.*

XV.

DE ritibus Eccleſiaſticis, qui ſunt humana autoritate inſtituti, docent, ritus illos ſeruandos eſſe, qui ſine peccato ſeruari poſſunt, & ad tranquillitatem & bonum ordinem in Eccleſia conducunt; vt certæ feriæ, certæ cantiones piæ, & alij ſimiles ritus.

Sed de hoc ipſo genere docent, non eſſe onerandas conſcientias ſuperſtitioſis opinionibus, hoc eſt, non eſt ſentiendum, ordinationes illas humanas eſſe iuſtitiam coram Deo, aut mereri remiſsionem peccatorum, aut cultus neceſſarios eſſe ad iuſtitiam Euangelij. Sed ſentiendum eſt, quòd ſint res adiaphoræ, quæ extra caſum ſcandali omitti poſsint: Sed illi peccant, qui cum ſcandalo eas violant, vt qui ſuarum Eccleſiarum tranquillitatem temerè perturbant.

Rejiciuntur igitur traditiones, quæ ſine peccato non poſſunt obſeruari, vt traditio de cœlibatu. Rejicitur & impia opinio, de traditionibus & votis, in qua fingitur, cultus humana autoritate excogitatos mereri remiſsionem peccatorum, eſſe ſatisfactiones pro peccatis, &c. Cuiuſmodi falſæ perſuaſiones de votis, de certis ieiuniis, &c. in Eccleſia ab indoctis ſparſæ ſunt.

XVI.

DE rebus ciuilibus docent, quod legitimæ ordinationes ciuiles, ſint bona opera & ordinationes Dei, ſicut Paulus teſtatur. Quæ ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt. Docent igitur, quòd Chriſtianis liceat Magiſtratus gerere, exercere iudicia, iudicare res ex Imperatoriis & aliis præſentibus legibus,

bus,

bus, ſupplicia iure conſtituere, iure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, iuſiurandum poſtulantibus Magiſtratibus dare, contrahere legitima coniugia, artes probatas legibus exercere.

Damnant Anabaptiſtas qui interdicunt hæc ciuilia officia Chriſtianis.

Damnant & illos qui Euangelicam perfectionem collocarunt in deſertione ciuilium officiorum, cùm Euangelica perfectio ſit ſpiritualis, hoc eſt, conſiſtat in motibus cordis, in timore Dei, fide, dilectione, obedientia. Euangelium enim concionatur de quadam æterna iuſtitia cordis: nec abolet interim Politiam aut Oeconomiam; ſed maximè poſtulat eas in hac vita corporali conſeruari, tanquam ordinationes Dei, & in talibus ordinationibus exercere charitatem. Itaque Chriſtiani neceſſariò debent obedire præſentibus Magiſtratibus ac legibus, niſi cùm iubent peccare, Tunc enim *magis debent obedire Deo quàm hominibus*, Actorum 4.

XVII.

Item docent, quòd Chriſtus apparebit in conſummatione mundi, ad iudicandum, & mortuos omnes reſuſcitabit, & hominibus piis dabit vitam æternam & gaudia perpetua. Impios autem homines & diabolos condemnabit, vt ſine fine crucientur.

Damnamus Anabaptiſtas, qui nunc Iudaicas opiniones ſpargunt, fingunt ante reſurrectionem, pios regna mundi occupaturos eſſe, vbique deletis aut oppreſsis impiis. Scimus enim quod pij debeant obedire præſentibus Magiſtratibus, non eripere eis imperia, non diſsipare politias per ſeditionem, quia Paulus præcipit, *Omnis anima Magiſtratui ſuo ſubdita ſit.* Scimus item, quòd Eccleſia in hac vita ſubjecta ſit cruci, & primùm poſt hanc vitam glorificabitur: Sicut Paulus inquit, *Oportet nos ſimiles fieri imagini filij Dei.* Quare Anabaptiſtarum amentiam & diabolicum furorem prorſus damnamus & execramur.

Damnamus & Origeniſtas, qui finxerunt Diabolis & damnatis finem pœnarum futurum eſſe.

XVIII.

De libero arbitrio docent, quòd humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam ciuilem iuſtitiam, & diligendas res rationi ſubjectas. Sed non habet vim ſine Spiritu Sancto efficiendæ iuſtitiæ ſpiritualis: quia Paulus dicit, *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei*: Et Chriſtus dicit, *Sine me nihil poteſtis facere.* Efficitur autem ſpiritualis iuſtitia in nobis, cùm adjuuamur à Spiritu Sancto. Porrò Spiritum Sanctum concipimus, cùm verbo Dei aſſentimur, vt nos fide in terroribus conſolemur: Sicut Paulus docet cùm ait, *Vt promiſsionem Spiritus accipiatis per fidem.* Hæc totidem verbis dicit Auguſtinus libro tertio Hypognoſticωn.

Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habentibus quidem iudicium rationis, nō per quod ſit idoneum in iis quæ ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare, aut certè peragere, ſed tantùm in operibus vitæ præſentis, tam bonis, quàm malis: Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id eſt, velle laborare in agro: velle manducare & bibere; velle habere amicum; velle habere indumenta; velle fabricare domum; vxorem velle ducere; pecora nutrire; artem diſcere diuerſarum rerum bonarum; velle quicquid bonum ad præſentem pertinet vitam, quæ omnia non ſine diuina gubernatione ſubſiſtunt, imò

ex Deo & per ipsum sunt & esse ceperunt. Malis verò dico, vt est, velle idolum colere: velle homicidium &c. Hæc Augustini sententia præclarè docet, quid libero arbitrio tribuendum sit, & disertè discernit ciuilem disciplinam seu exercitia rationis humanæ, à spiritualibus motibus, vero timore, patientia, constantia, fide, inuocatione, in asperrimis tentationibus inter insidias Diaboli, in terroribus peccati. In his certè opus est regi nos & iuuari à Spiritu Sancto, sicut Paulus inquit, *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.*

Damnamus Pelagianos & similes, qui docent, quòd sine Spiritu Sancto, solis naturæ viribus possimus Deum super omnia diligere, legem Dei facere, quoad substantiam actuum. Hæc somnia ingenuè & necessariò reprehendimus, obscurant enim beneficia Christi. Nam ideò proponitur in Euangelio Mediator Christus, & promittitur misericordia, quia humana natura non potest satisfacere legi, sicut Paulus testatur, cùm ait Rom. 8. *Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum; Legi enim Deo non est subditus, ac ne potest quidem subiici.* Quanquam enim externa opera aliquo modo potest efficere humana natura per sese, potest enim continere manus à furto, à cede, tamen interiores motus, vt, verum timorem, fiduciam, patientiam, castitatem, non potest efficere, nisi Spiritus Sanctus gubernet & adjuuet corda nostra. Et tamen in hoc loco illud etiam docemus, Dei mandatum esse, vt etiam carnales coërceantur diligentia rationis & illa ciuili disciplina, sicut Paulus inquit, *Lex est pædagogus in Christum.* Item, *Lex est iniustis posita.*

XIX.

De causa peccati docent, quòd tametsi Deus creat & conseruat naturam, tamen causa peccati est voluntas malorum, videlicet diaboli & impiorum hominum, quæ auertit se à Deo ad alias res, contra mandata Dei. Ideò Christus inquit de Diabolo, *Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur.*

XX.

Qvòd Aduersarij criminantur nos, negligi à nobis doctrinam de bonis operibus, manifesta calumnia est. Extant enim libri nostrorum, in quibus piè & vtiliter docent de bonis operibus, quæ opera in qualibet vocatione, Deo placeant. Cùmque in Ecclesiis magnum olim fuerit silentium de præcipuis operibus, scilicet de exercitiis fidei, & de laude politicorum operum, & magna ex parte consumerentur omnes conciones in laudibus traditionum humanarum, in Feriis, Ieiuniis, Monachatu, Fraternitatibus, Peregrinationibus, Cultu sanctorum, Rosariis & aliis inutilibus cultibus ornandis: nunc Dei beneficio reuocatur Ecclesia ad veros, & vtiles cultus, quos Deus probat & requirit. Prophetæ grauissimis concionibus deplorant hanc Ecclesiæ calamitatem, quòd veris cultibus extinctis, in Ecclesia regnaturæ sint humanæ cæremoniæ & impia fiducia cæremoniarum. Et ab hoc errore reuocant Ecclesiam ad veros cultus, ad verè bona opera. Quid potest dici grauius concione illa Psalmi 49. *Deus Deorum Dominus locutus est, & vocauit terram.* Hîc Deus vniuerso generi humano concionatur, damnat cæremoniarum fiduciam, & alios cultus proponit, & significat se valde irasci his, qui in Ecclesia ita prædicant cæremonias, vt veros cultus obruant. Similes extant multæ conciones in

Prophetis,

Prophetis, vt Esaiæ 58. Et Zachariæ 7. & Micheæ 6. Et Oseas clamitat, *Misericordiam volo, non sacrificium; & notitiam Dei plus quàm holocausta.* Nec obscurum est, multos bonos & doctos viros etiam ante hanc ætatem desiderasse doctrinam de consolatione conscientiarum & de operum discrimine meliorem. Debet enim in Ecclesia extare vtraque doctrina, videlicet Euangelium de fide, ad erudiendas & consolandas conscientias: debet etiam proponi, quæ sint verè bona opera, qui sint veri cultus Dei. Sed Aduersarij, quia corrumpunt doctrinam de fide, primùm non possunt conscientiis firmam consolationem proponere. Iubent enim dubitare de remissione peccatorum. Et tamen postea iubent quærere remissionem per propria opera, affingunt Monachatus & alia opera. Deinde abolent & veros cultus: Nam inuocatio & cætera spiritualia exercitia excutiuntur animis, non confirmatis fiducia Christi. Præterea nec placent Deo opera secundæ tabulæ, nisi fides accedat, quòd propter Christum placeat hæc inchoata & imperfecta obedientia. Tertiò, obscurant opera à Deo mandata, & longè anteferunt humanas traditiones. Has ornant speciosissimis titulis: Vocant eas Euangelicam perfectionem. Interim de Officiis vocationis, Magistratu, Coniugio, ita frigidè docuerunt, vt multi graues viri dubitauerint, an hæc vitæ genera placerent Deo. Itaque Concionatores nostri, bono studio, vtrumque doctrinæ genus illustrauerunt. Proponunt Euangelium de fide, & addunt piam doctrinam de operibus.

DE FIDE.

PRimùm igitur de Fide & Iustificatione sic docent, Christus aptè complexus est summam Euangelij, cum Lucæ vltimo, iubet *prædicari in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum.* Nam Euangelium arguit peccata, & requirit pœnitentiam, & simul offert remissionem peccatorum propter Christum, gratis, non propter nostram dignitatem. Et sicut vniversalis est pœnitentiæ prædicatio, ita & promissio gratiæ vniuersalis est, & omnes credere iubet & accipere beneficium Christi; sicut Christus inquit, *Venite ad me omnes qui onerati estis.* Et Paulus ait, *Diues est in omnes, &c.* Quanquam igitur contritio aliqua, seu pœnitentia, necessaria est, tamen sentiendum est, donari nobis remissionem peccatorum, & fieri nos ex iniustis iustos, id est, reconciliatos seu acceptos, & filios Dei gratis, propter Christum, non propter dignitatem contritionis aut aliorum operum præcedentium aut sequentium. Sed fide hóc beneficium accipiendum est, qua credere nos oportet, quòd propter Christum nobis donentur remissio peccatorum & iustificatio. Hæc sententia firmam consolationem perterrefactis mentibus affert. Et quam necessaria sit Ecclesiæ, periti conscientiæ facilè iudicare possunt. Et nihil habet absurdi, nihil perplexum, nihil Sophisticum. Non est hìc opus disputationibus de Prædestinatione, aut similibus. Nam promissio est vniuersalis, & nihil detrahit operibus, imò exuscitat ad fidem, & verè bona opera. Nam remissio peccatorum transfertur à nostris operibus ad misericordiam, vt sit beneficium certum, non vt nos nihil agamus, sed multò magis, vt sciamus, quomodo placeat Deo nostra obedientia in tanta infirmitate nostra. Hanc sententiam, qua & illustra-

tur honos Christi, & piis mentibus consolatio dulcissima & firmissima proponitur, quæ veram misericordiæ diuinæ cognitionem continet, & veros cultus, & æternam vitam parit, aspernari ac damnare, plusquam Pharisaica cœcitas est. Olim cùm hæc consolatio non proponeretur, multæ pauidæ conscientiæ mederi sibi conabantur operibus: alij confugiebant ad Monasticam vitam, alij alia opera eligebant, quibus mererentur remissionem peccatorum & iustificationem. Sed nulla est firma consolatio præter hanc doctrinam Euangelij, quæ iubet credere, quòd gratis nobis propter Christum donentur remissio peccatorum & iustificatio. Estque hæc tota doctrina comparata ad verum illud certamen perterrefactæ conscientiæ

Sed addemus aliquot testimonia. Paulus Rom.3. *Iustificamur gratis ipsius gratia, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine suo.*

Roman.4. *Ei autem qui non operatur, credit autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.*

Ephes.2. *Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* In his sententiis & similibus, disertè docet Paulus, gratis nobis donari remissionem peccatorum & iustificationem, non propter nostrorum operum dignitatem. Et in capite quarto ad Romanos, copiosè disputat, quare hac consolatione nobis opus sit. Si enim promissio penderet ex dignitate nostrorum operum, fieret incerta. Vt igitur aduersus torrores peccati & mortis habeamus certam & firmam consolationem, & fides consistere possit, necesse est eam sola misericordia niti, & non nostra dignitate. Propterea Paulus inquit, *Ideò ex fide secundùm gratiam, vt sit firma promissio.* Neque enim opponi iudicio Dei possunt opera nostra, iuxta illud, *Si iniquitates obseruaueris, quis sustinebit?* Ideoque Mediator nobis donatus est Christus, nec transferendus est eius honos in nostra opera.

Cùm igitur dicimus, *Fide iustificamur*, non hoc intelligimus, quòd iusti simus propter ipsius virtutis dignitatem. Sed hæc est sententia, Consequi nos remissionem peccatorum & imputationem iustitiæ per misericordiam propter Christum. Verùm hæc misericordia non potest accipi nisi fide: Et fides hic non tantùm historiæ notitiam significat, sed significat credere promissioni misericordiæ, quæ nobis propter Mediatorem Christum contingit. Et cùm hoc modo fides intelligitur de fiducia misericordiæ, non dissentiunt inter se Iacobus & Paulus. Quod enim inquit Iacobus, *Dæmones credunt & contremiscunt*, intelligit fidem de notitia historiæ, hæc non iustificat. Norunt enim historiam etiam impij ac diaboli. Paulus verò, cùm inquit, *Fides reputatur ad iustitiam*, &c. loquitur de fiducia misericordiæ promissæ propter Christum: Estque sententia, Homines iustos pronuntiari, id est, reconciliari, per misericordiam, non propter dignitatem propriam: sed hanc misericordiam promissam propter Christum, oportet fide accipi. Iam bonas mentes nihil offendet nouitas huius Paulinæ figuræ, *Fide iustificamur*, si intelligant propriè de misericordia dici, eámque veris & necessariis laudibus ornari. Quid potest enim esse gratius conscientiæ afflictæ ac pauidæ, in veris doloribus, quàm audire, hoc esse mandatum Dei, hanc esse vocem sponsi Christi, vt statuant certo donari remissionem peccatorum seu reconciliationem, non propter nostram

ſtram dignitatem, ſed gratis per miſericordiam, propter Chriſtum, vt beneficium ſit certum. Significat autem iuſtificatio in his Pauli ſententiis, remiſſionem peccatorum, ſeu reconciliationem ſeu imputationem iuſtitiæ, hoc eſt, acceptationem perſonæ.

Nec aſſerimus nouum dogma in Eccleſiam. Nam hanc de fide doctrinam Scriptura copiosè tradit: Et Paulus hunc locum præcipuè tractat in aliquot Epiſtolis. Et docent idem S. Patres. Sic enim inquit Ambroſius de vocatione gentium, *Vileſceret redemptio ſanguinis Chriſti, nec miſericordia Dei humanorum operum prærogatiua ſuccumberet, ſi iuſtificatio quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur; vt non munus largientis, ſed merces eſſet operantis.* Et multæ ſunt integræ, hac de re, apud Auguſtinum, diſputationes: Huius hæc ſunt verba. *Quandoquidem per legem oſtendit homini infirmitatem ſuam, vt ad eius miſericordiam per fidem confugiens, ſanaretur. Dictum eſt enim quòd legem & miſericordiam in lingua portet: Legem ſcilicet, qua reos faciat ſuperbos; Miſericordiam verò, qua iuſtificet humiliatos. Iuſtitia ergo Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes qui credunt, &c.*

Et Synodus Mileuitana ſcribit: *Nonne ſatis oſtenditur hoc actum eſſe per legem, vt peccatum cognoſceretur, & ſic aduerſus victoriam peccati ad diuinam gratiam, quæ in promiſſionibus propoſita eſt, confugeretur, vt ad liberationem quærerentur promiſſiones Dei, & incipiat eſſe in homine iuſtitia, non ſua, ſed Dei.*

DE BONIS OPERIBVS.

Cùm neceſſariam de fide doctrinam & conſolationem Eccleſiis proponimus, additur & doctrina de bonis operibus. Quòd videlicet neceſſaria ſit in reconciliatis obedientia erga legem Dei. Nam Euangelium concionatur de noua vita, iuxta illud, *Dabo legem meam in cordibus eorum*: Hæc igitur noua vita, debet eſſe obedientia erga Deum. Et Euangelium prædicat pœnitentiam: Nec exiſtere fides poteſt, niſi in his qui pœnitentiam agunt, quia fides conſolatur corda in contritione & terroribus peccati, ſicut Paulus docet, *Iuſtificati fide pacem habemus*: Et de pœnitentia dicit, Rom. 6. *Vetus noſter homo ſimul crucifixus eſt, vt aboleatur corpus peccati, ne peccato deinceps ſeruiamus*; Et Eſaias inquit, *Vbi habitat Dominus? In Spiritu contrito & humiliato*; &c.

Secundò, Inter bona opera, præcipuum eſt & ſummus cultus Dei, fides ipſa, & parit multas alias virtutes, quæ exiſtere non poſſunt, niſi priùs corda fidem conceperint: Paulus enim dicit, *Quomodo inuocabunt, niſi crediderint?* Donec animi dubitant, an à Deo exaudiantur, donec ſentiunt ſe à Deo rejici, non verè inuocant Deum. Sed cùm fide agnoſcimus miſericordiam, confugimus ad Deum, diligimus, inuocamus, ſperamus, expectamus auxilium, obedimus in afflictionibus, quia iam ſcimus nos eſſe filios, & placere Deo noſtrum ſacrificium, noſtras afflictiones. Hos cultus parit fides: Præclarè igitur inquit Ambroſius, *Fides bonæ voluntatis, & iuſtæ actionis genitrix eſt.* Aduerſarij videri volunt magnificè ornare doctrinam bonorum operum. Et tamen de his ſpiritualibus operibus, de fide, de exercitiis fidei in inuocatione, in omnibus vitæ negotiis, conſiliis & periculis, nihil dicunt: Ac ne poteſt quidem rectè dici de his exercitiis, Si conſcientiæ relinquantur in dubitatione, Si neſciant

Deum requirere fidem, tanquam præcipuum cultum, & cùm offunditur oculis illa ingens species externorum operum, mentes, præsertim non satis institutæ, abducuntur à conspectu horum exercitiorum interiorum. Necesse est autem in Ecclesia de his interioribus operibus, & fructibus spiritus, doceri homines. Nam hæc opera discrimen faciunt inter pios & hypocritas. Externos cultos, externas cæremonias, & alia externa opera præstare etiam hypocritæ possunt. At hi cultus tantùm sunt veræ Ecclesiæ, vera pœnitentia, timor, fides, inuocatio, &c. Hi cultus præcipuè requiruntur & laudantur in Scripturis, vt Psalmo 49. *Immola Deo sacrificium laudis, Inuoca me in die tribulationis* &c.

Tertiò. Et hac fide, quæ consolatur corda in pœnitentia, accipimus Spiritum Sanctum, qui datur, vt gubernet & adiuuet nos, vt peccato & diabolo resistamus, & magis magisque agnoscamus infirmitatem nostram, & in nobis crescant agnitio Dei, timor, fides. Quare debet in nobis obedientia erga Deum & noua vita crescere, sicut Paulus docet, *reuocari nos debere, ad agnitionem Dei, vt efficiatur in nobis noua lux & imago eius qui condidit nos*, &c.

Quartò. Docemus etiam quomodo hæc inchoata obedientia placeat Deo. Nam in hac tanta infirmitate & immundicie naturæ, Sancti non satisfaciunt legi; opus igitur est piis consolatione, vt sciant quomodo hæc exigua & imperfecta obedientia Deo placeat. Non enim ideò placet, quia legi satisfaciat, sed quia personæ reconciliatæ & iustæ sunt propter Christum, & credunt sibi condonari imbecillitatem suam. Sic Paulus docet, *Nulla nunc est condemnatio his, qui sunt in Christo*, &c. Quanquam igitur hæc noua obedientia, procul abest à perfectione legis, tamen est iustitia, & meretur præmia; ideò quia personæ reconciliatæ sunt. Atque ita de operibus iudicandum est, quæ quidem amplissimis laudibus ornanda sunt, quòd sint necessaria, quòd sint cultus Dei & sacrificia spiritualia & mereantur præmia. Sed tamen de persona priùs tenenda est hæc consolatio, necessaria in certamine conscientiæ, quòd fide gratis habeamus remissionem peccatorum, & persona iusta, id est, reconciliata sit, & hæres vitæ æternæ, propter Christum; postea verò placere obedientiam, iuxta illud, *Nunc non estis sub lege, sed sub gratia.* Non enim possunt opponi iræ ac iudicio Dei nostra opera, sed terrores peccati & mortis vincendi sunt fiducia mediatoris Christi, sicut scriptum est, *O mors, ero mors tua.* Et Iohan. 6. ait Christus: *Hæc est voluntas Patris qui misit me, vt omnis qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam.* Et Paulus, *Iustificati fide, pacem habemus.* Et Ecclesia semper orat, *Dimitte nobis debita nostra*: Atque ita de imbecillitate sanctorum, & de fide docent, & ipsi Sancti Patres, Augustinus in enarratione Psalmi 30. inquit, *In tua iustitia me erue.* Est enim iustitia Dei, quæ & nostra fit, cùm donatur nobis. Ideò autem Dei iustitia dicitur, ne homo sese putet à seipso habere iustitiam, sicut enim dicit Apostolus Paulus, *Credenti in eum qui iustificat impium*, id est, qui ex impio facit iustum. Si agat tanquam ex regula legis proposita, damnandus est peccator. Hac regula, *Si ageret, quem liberaret? Omnes enim peccatores inuenit.* Hoc ait Apostolus, *Omnes peccauerunt & egent gloria Dei.* Quid est, Egent gloria Dei? Vt ipse liberet, non tu: Quia tu non potes liberare, indiges Liberatore. Quid est quòd te iactas? quid est quòd de lege, & iustitia præsumis? Non vides quid intus tecum pugnet? Non audis decertan-

certantem, & confitentem, & adiutorium in pugna desiderantem : *Miser ego homo,*&c. Facilè autem iudicari potest, necessariam esse Ecclesiæ hanc doctrinam, vt sciant homines se non satisfacere legi, & tamen habeant consolationem, quomodo hæc imperfecta obedientia placeat. Hanc doctrinam horribiliter obruerunt olim quædam absurdæ persuasiones, in quibus indocti contra autoritatem Scripturæ & veteris Ecclesiæ, finxerunt homines legi Dei satisfacere. Item, iustos esse propter legis impletionem &c. Et Monachos perfectos esse, & ampliora, & præstantiora opera præstare, quàm lex Dei flagitat, interim altissimum silentium erat, quomodo fide apprehendendus sit Mediator Christus; Sed iubebant dubitare, aut confidere propriis operibus.

Cæterùm de hac obedientia etiam docemus, eos qui admittunt peccata mortalia, non esse iustos, quia Deus requirit hanc obedientiam, vt resistamus vitiosis affectibus. Qui autem non repugnant, sed obtemperant eis contra mandatum Dei, & admittunt actiones contra conscientiam, hi sunt iniusti, & neque Spiritum Sanctum, neque fidem, id est, fiduciam misericordiæ, retinent. Nam in his qui delectantur peccatis, nec agunt pœnitentiam, ne potest quidem fiducia exsistere, quæ quærat remissionem peccatorum.

Quintò. Necesse est hoc quoque docere, quomodo facere homines bona opera possint. Modò dictum est, quomodo placeant Deo, hîc addimus etiam quomodò fieri possint. Etsi enim homines suis viribus externa honesta opera vtcunque efficere possunt, & hanc disciplinam debent præstare, tamen homines sine fide sunt in potestate Diaboli, qui impellit eos ad manifestam turpitudinem, occupat animos eorum impiis & blasphemis opinionibus; id enim est regnum & tyrannis diaboli. Adhæc natura per sese infirma est, & non potest sine auxilio Dei se erigere, & spiritualia opera efficere. Ideo docentur homines, in Euangelio promitti Spiritum Sanctum, qui animos eorum, qui agunt pœnitentiam & Euangelio assentiuntur, adiuuet & gubernet. Quare in omni vita, in tanta infirmitate naturæ, inter has diaboli insidias, in omnibus periculis exercenda est fides in inuocatione, vt perseuerare in fide & obedientia erga Deum possimus. Itaque Zacharias inquit, *Effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ & precum.* Ideo enim vocat *Spiritum gratiæ,* quòd Spiritus Sanctus erigat & consoletur perterrefactas mentes, & testetur nos habere Deum placatum. Et vocat *spiritum precum,* vt fidem assiduè in inuocatione exerceamus, vt per hæc exercitia confirmetur fides, & crescat noua vita.

Et veræ virtutes sine vlla dubitatione sunt dona Dei, Fides, perspicacia iudicij in discernendis dogmatibus; Magnitudo animi qualem esse necesse est in his, qui Euangelium docent & confitentur, vera diligentia in regendis Ecclesiis, vera humilitas non appetere potentiam, non frangi populari fauore aut odio, vera castitas, &c. Has heroicas virtutes Paulus vocat *dona Dei,* Roma. 12. *Habentes dissimilia dona secundùm gratiam nobis datam.* Et de his inquit ad Corinthios, *Hæc efficit vnus & idem spiritus, distribuens singulis,* &c. Debet autem ad hæc dona accedere exercitatio nostra, quæ & conseruat ea & meretur incrementum, iuxta illud, *Habenti dabitur* Et Augustinus præclarè dixit, *Dilectio meretur incrementum dilectionis,* cùm videlicet exercetur. Habent enim bona

opera, præmia, cùm in hac vita, tum post hanc vitam in vita æterna. Quia enim Ecclesia in hac vita subiecta est cruci & morti corporali, differuntur præmia pleraque ad futuram vitam, quæ etiamsi per misericordiam certò propter Christum contingit, his qui fiducia Christi iustificati sunt, tamen etiam est compensatio bonorum operum, iuxta illud, *Merces vestra copiosa est in cælis.*

Ex his satis liquet, doctrinam bonorum operum Dei beneficio, piè & rectè doceri in nostris Ecclesiis. Quanta fuerit olim obscuritas, quanta confusio doctrinæ de bonis operibus, bonæ mentes satis norunt. Nemo monebat de discrimine humanarum traditionum & legis diuinæ. Nemo docebat, quomodo placerent bona opera, in tanta nostra imfirmitate. Denique altissimum silentium erat de fide, qua opus est in remissione peccatorum. At explicatis nunc his rebus, tenent piæ conscientiæ consolationem, & certam spem salutis, & intelligunt veros cultus, & norunt quomodo placeant Deo, & quomodo sint meritorij.

XXI.

INuocatio est honos qui tantùm Deo Omnipotenti præstandus est, videlicet, Patri æterno & Filio ac Seruatori nostro, Iesu Christo, & Spiritui Sancto. Ac proposuit nobis Deus Filium suum Iesum Christum Mediatorem & Pontificem, interpellantem pro nobis. Propter hunc solum testatur nostras preces audiri & accipi, iuxta illud, *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Item, *Vnus est mediator Dei & hominum.* Ergo inuocantes Deum, offerant suas preces per filium Dei, sicut in fine precum in Ecclesia dici solet, *Per Iesum Christum,* &c. Hæc de Inuocatione doceri necesse est, sicut aliâs copiosius de Inuocatione nostri scripserunt. Econtra verò taxanda & ex Ecclesia prorsus ejicienda est consuetudo inuocandi sanctos homines, qui ex hac vita decesserunt; quia hic mos gloriam soli Deo debitam transfert ad homines, tribuit mortuis omnipotentiam, quòd Sancti aspiciant motus cordium; tribuit item mortuis officium Mediatoris Christi, & haud dubiè obscurat gloriam Christi. Ideò totum morem inuocandi sanctos homines, qui ex hac vita discesserunt, damnamus & fugiendum esse censemus. Sed illud prodest, recitare veras historias piorum, quia exempla vtiliter docent, si rectè proponantur. Cùm audimus Dauidi condonatum esse lapsum, confirmatur fides in nobis quoque. Constantia Martyrum veterum nunc quoque confirmat animos piorum. Ad hanc vtilitatem recitare historias vtile est; Sed tamen prudentia in accommodandis exemplis opus est.

Hæc summa est doctrinæ quæ in Ecclesiis nostris traditur. Et consentaneam esse iudicamus & Propheticæ ac Apostolicæ Scripturæ, & Catholicæ Ecclesiæ. Postremò etiam Romanæ Ecclesiæ, quatenus ex probatis scriptoribus nota est. Atque idem iudicaturos esse speramus omnes bonos & doctos viros. Non enim aspernamur consensum Catholicæ Ecclesiæ; nec est animus nobis vllum nouum dogma & ignotum sanctæ Ecclesiæ, inuehere in Ecclesiam; nec patrocinari impiis aut seditiosis opinionibus volumus, quas Catholica Ecclesia damnauit. Non enim adducti praua cupiditate, sed coacti autoritate verbi Dei & veteris Ecclesiæ, amplexi sumus hanc doctrinam, vt gloria Dei fieret illustrior, & consuleretur piis mentibus in vniuersa Ecclesia. Constat

enim

enim plerosque abusus irrepsisse in Ecclesiam, qui emendatione opus habent. Et cùm propter gloriam Christi, tum propter salutem omnium gentium, maximè optamus, vt diligenter cognitis his controuersiis, Ecclesia repurgetur, & ab iis abusibus liberetur, qui dissimulari non possunt: quam ob causam diu iam omnes boni viri in omnibus nationibus expetunt Synodum, cuius quidem spem aliquam clementiss. Imperator omnibus gentibus ostendit. Faciet igitur Imperator rem dignissimam sua magnitudine & felicitate, & exoptatam vniuersæ Ecclesiæ, si in Synodo permiserit, iudicium de tantis rebus, non illis qui priuatos affectus in consilium adhibent, sed delectis piis & doctis viris, qui gloriæ Christi, & saluti vniuersæ Ecclesiæ consulere cupiant. Hæc est vsitata & legitima via in Ecclesia, dirimendi dissensiones, videlicet ad Synodos referre controuersias Ecclesiasticas.

Hunc morem seruauit Ecclesia inde vsque ab Apostolis. Et præstantissimi Imperatores Constantinus ac Theodosius, etiam in rebus non valde obscuris, & dogmatibus absurdis, tamen sine Synodo, nihil constituere voluerunt, vt Ecclesiæ libertatem in iudiciis dogmatum conseruarent. Et honestissimum est Cæsari illorum optimorum Principium exemplum imitari, præsertim cùm nos nihil mutauerimus, sine exemplo veteris Ecclesiæ. Et speramus hanc tantam felicitatem Imperatori diuinitus datam esse, ad Ecclesiæ emendationem ac salutem. Certè hanc gratiam Deus ab ipso reposcit, vt potentiam suam conferat ad ornandam Christi gloriam, ad Ecclesiæ pacem, ad prohibendam immanem & iniustissimam crudelitatem, quæ mira quadam rabie passim exercetur in membra Christi, in homines pios & innocentes. Harum maximarum rerum curam mandauit Deus summis Principibus. Ideo excitat Monarchas, vt iniusta imperia prohibeant, quemadmodum excitauit *Cyrum*, vt liberaret à captiuitate populum Iudæorum, *Constantinum*, vt illam infinitam sæuitiam, quæ tunc in Christianos exercebatur, depelleret. Ita optamus vt *Cæsar*, & curam emendandæ Ecclesiæ suscipiat, & iniustam crudelitatem prohibeat.

Nam articuli nostri quos recensuimus, satis clarè testantur, nos nullum dogma contra Catholicam Ecclesiam, nullam impiam aut seditiosam opinionem docere aut probare. Imò quosdam insignes articulos Christianæ doctrinæ à nostris piè & vtiliter illustratos esse. In externis traditionibus abusus quidam mutati sunt, quarum etiam si qua est dissimilitudo, si tamen doctrina & fides pura sit, nemo propter illam traditionum humanarum dissimilitudinem habendus est hæreticus, aut desertor Catholicæ Ecclesiæ. Nam vnitas Catholicæ Ecclesiæ consistit in doctrinæ & fidei consensu, non in traditionibus humanis, quarum semper in Ecclesiis per totum Orbem magna fuit dissimilitudo. Nec verò fidem habeat Cæsarea Maiestas his, qui, vt odia contra nos inflamment, miras calumnias spargunt. Prædicant omnes ceremonias, omnes bonos mores in Eccleſis deleri à nobis. Hæc crimina apertè falsa sunt. Nos enim & ceremonias diuinitus institutas, summa pietate conseruamus, & vt earum reuerentiam augeremus, tantùm nouos quosdam abusus sustulimus, qui contra Scripturam, contra veteres canones, contra veteris Ecclesiæ exempla, sine vlla certa autoritate, vitio temporum recepti sunt. Ac magna ex parte veteres ritus diligenter apud nos seruantur. Quare rogamus, vt Cæsarea Maiestas, clementer audiat, quid in externis ritibus seruetur, quid qua de causa mutatum sit.

ARTICVLI DE ABVSIBVS QVI IN externis ritibus mutati ſunt.

DE MISSA.

FAlsò accuſantur Eccleſiæ noſtræ, quòd Miſſam aboleant. Retinetur enim Miſſa apud nos, & ſumma reuerentia celebratur, ſeruantur & vſitatæ cæremoniæ ferè omnes, præterquam quòd Latinis cantionibus admiſcentur alicubi Germanicæ, quæ additæ ſunt ad docendum populum. Ideò enim opus eſt cæremoniis, vt doceant imperitos, & tractatio verbi Dei excitet aliquos ad verum timorem, & fidem, & inuocationem. Et non ſolùm Paulus præcepit vti lingua intellecta populo, ſed etiam ita conſtitutum eſt humano iure. Adſueſit populus, vt vnà vtantur Sacramento, ſiqui ſunt idonei. Id quoque auget reuerentiam & religionem publicarum cæremoniarum. Nulli enim admittuntur, niſi priùs explorati. Admonentur etiam homines de dignitate & vſu Sacramenti, quantam conſolationem proponat his qui agunt pœnitentiam, vt diſcant homines & timere Deum, & credere, & exerceant inuocationem, petant & expectent bona à Deo. Hi ſunt veri cultus Chriſtianorum. Hos cultus, timorem, fidem, inuocationem, ſpem, &c. probat Deus. Itaque cùm hi cultus exercentur in vſu cæremoniarum, placet Deo Sacramenti vſus. Cùm igitur & ad cæremoniam aſſuefiat populus, & de vſu admoneatur, fiunt Miſſæ apud nos ritè & piè; Et geruntur omnia in Eccleſia maiore cum grauitate & reuerentia, quàm olim.

Conſtat autem multis ſeculis publicam fuiſſe querelam bonorum virorum, de Miſſarum abuſu ac prophanatione. Non enim obſcurum eſt, quàm latè pateat hic abuſus, in omnibus templis, à qualibus celebrentur Miſſæ, contra Canonum interdictum. Deinde quàm turpiter ad ſacrilegum quæſtum conferantur. Plurimi enim celebrant Miſſas, & ſine pœnitentia, & tantùm ventris cauſa. Hæc notiora ſunt, quàm vt diſsimulari poſsint. Nec videtur vnquam vlla res diuina ab initio mundi, adeò vulgò ad quæſtum collata eſſe, ſicut Miſſa. Paulus autem horribiliter minatur his, qui indignè tractant Sacramentum, cùm ait, *Qui indignè ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini, reus erit ſanguinis Domini.* Et in Decalogo ſcriptum eſt, *Qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus.* Vt igitur ſæpe aliàs mundus dedit pœnas pro idololatria, ita haud dubiè hæc ingens prophanatio Miſſarum atrociſsimis pœnis punietur. Et fortaſsis propter eam cauſam præcipuè plectitur Eccleſia his poſtremis temporibus, cæcitate, diſcordiis, bellis, & aliis multis peſtibus. Atque hos manifeſtos abuſus Epiſcopi hactenus, cùm quidem non ignorarent eos, non ſolùm tolerauerunt, ſed ſuauiter etiam riſerunt. Nunc ſerò incipiunt quæri de calamitatibus Eccleſiæ, cùm alia nulla res præbuerit occaſionem tumultibus horum temporum, niſi abuſus ipſi, qui ita erant jam manifeſti, vt tolerari à moderatis hominibus diutius non poſſent. Vtinam Epiſcopi pro ſuo officio ante hæc tempora coërcuiſſent auaritiam atque impudentiam ſeu Monachorum, ſeu aliorum, qui, mutato veteris Eccleſiæ more, Miſſas ad quæſtum contulerunt.

Sed

Sed abusus illi, ex quo fonte orti sint, dicemus. Opinio est sparsa in Ecclesiam, quòd Cœna Domini sit opus, quòd celebratum à sacerdote mereatur remissionem peccatorum, culpæ & pœnæ, facienti & aliis, idque ex *Opere operato*, sine bono motu vtentis. Item quòd applicatum pro mortuis, sit satisfactorium, hoc est, mereatur eis remissionem pœnarum Purgatorij. Sic interpretantur sacrificium, cum Missam vocant sacrificium, opus videlicet, quod applicatum pro aliis, meretur eis remissionem culpæ & pœnarum, idque ex opere operato, sine bono motu vtentis. Sic interpretantur oblationem à Sacerdote fieri in Missa pro viuis & mortuis. Hac persuasione recepta, jam homines docuerunt quærere remissionem peccatorum & omnis generis bona. Item, liberare à pœnis mortuos, beneficio Missæ. Nec referebat à qualibus fierent Missæ, quia docebant eas prodesse aliis, sine bono motu vtentis. Deinde quærebatur, vtrùm vna Missa, dicta pro pluribus, tantundem prosit, quantum singulæ pro singulis. Hæc disputatio & numerum Missarum, & quæstum in infinitum auxit. Sed nos jam non de quæstu disputamus, impietatem accusamus. Docent enim nostri, hanc opinionem de merito & applicatione Missæ, falsam & impiam esse. Hic est huius controuersiæ status. Ac facile est piis iudicium de hac causa, si quis expendat argumenta quæ sequuntur.

Primum: Suprà ostendimus, consequi homines remissionem peccatorum gratis fide, id est, fiducia misericordiæ propter Christum: Ergo impossibile est consequi remissionem peccatorum propter alienum opus, & quidem sine bono motu, id est, sine fide propria. Hæc ratio satis clare refutat illam prodigiosam & impiam opinionem de merito & applicatione Missæ.

Secundum: Passio Christi fuit oblatio & satisfactio, non solùm pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, vt ad Hebræos scriptum est, *Sanctificati sumus per oblationem Iesu Christi semel.* Item, *Vna oblatione consummauit in perpetuum, eos qui sanctificantur.* Denique, bona pars Epistolæ ad Hebræos consumitur in hac sententia confirmanda, quòd solum Christi sacrificium meruerit aliis remissionem peccatorum seu reconciliationem. Inquit, *Ideò quotannis repetita esse Leuitica sacrificia, quia non aboleuerint peccata. Sed Christi sacrificio semel satisfactum esse pro omnium peccatis.* Hic honos sacrificij Christi, non debet transferri in opus Sacerdotis. Disertè enim dicit, *Vna oblatione sanctos consummatos esse.* Ad hæc impium est, fiduciam quæ niti debet ipsa Pontificis Christi oblatione & intercessione, transferre in opus Sacerdotis.

Tertium: In Institutione Cœnæ Domini, non mandat Christus vt offerant Sacerdotes pro aliis viuis ac mortuis. Qua igitur autoritate, hic cultus tanquam oblatio pro peccatis, sine mandato Dei in Ecclesia institutus est?

Multò absurdius est, quòd Missa confertur ad liberandas animas mortuorum. Nam Missa instituta est ad recordationem, hoc est, vt vtentes Cœna Domini, recordatione beneficij Christi erigant & confirment fidem, & consolentur conscientias perterrefactas. Nec Missa satisfactio est pro pœna, sed instituta est propter remissionem culpæ, videlicet, non vt sit satisfactio pro culpa, sed vt sit Sacramentum, quo vtentes admoneamur beneficij Christi & remissionis culpæ. Cùm igitur illa applicatio Cœnæ Domini ad mortuos liberandos, sine Scripturæ autoritate, imò contra Scripturam, recepta sit, damnanda est, tanquam nouus & impius cultus.

De

Quartum: Cæremonia ſine fide in Nouo Teſtamento nihil meretur, nec facienti, nec aliis. Eſt enim opus mortuum, iuxta illud Chriſti, *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* Idem probat totum caput 11. ad Hebræos: *Fide potentiorem hoſtiam obtulit Abel.* Item, *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo.* Ergo Miſſa non meretur remiſsionem culpæ aut pœnæ, ex opere operato. Hæc ratio perſpicuè refutat meritum, quod vocant, ex opere operato.

Quintum: Fide propria fit applicatio beneficij Chriſti, ſicut teſtatur Paulus Rom.3. *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem, per ſanguinem eius.* Et hæc applicatio fit gratis. Ergo non fit applicatio; alieno opere, neque propter alienum opus. Nam cùm Sacramentis vtimur, noſtro opere ac noſtra fide fit applicatio, non alieno opere. Etenim ſi non contingeret nobis remiſsio, niſi applicatis Miſsis, fieret incerta, & fiducia transferenda eſſet à Chriſto in opus Sacerdotis, idque vt conſtat, accidit. Porrò fiducia, collocata in opus hominis, damnata eſt.

Hæc argumenta & pleraque alia, teſtantur neceſſariò reprehenſam eſſe opinionem de merito & applicatione Miſſæ pro viuis & mortuis. Jam ſi conſiderabitur, quàm latè vagatus ſit hic error in Eccleſia, quomodo hac perſuaſione creuerit Miſſarum numerus, quomodo viuis & mortuis hoc ſacrificio promiſſa ſit remiſsio culpæ & pœnæ, apparebit Eccleſiam propter hanc prophanationem, horrendis peccatis deformatam eſſe. Nunquam grauior cauſa, optime Imperator, in Eccleſia incidit, aut dignior, de qua docti & boni viri diligenter deliberent. Omnes pij, ardentiſsimis votis à Deo petere debent, vt his peccatis Eccleſia liberetur. Reges omnes & Epiſcopi, omni ſtudio anniti debent, vt hac tota cauſa ritè explicata, repurgetur Eccleſia.

Sextum: Inſtitutio Sacramenti pugnat cum illo abuſu. Nihil enim de oblatione pro peccatis viuorum & mortuorum præcipitur: ſed præcipitur, vt ſumantur corpus & ſanguis Domini. Et vt id fiat ad recordationem beneficij Chriſti. Recordatio autem ſignificat, non aliquam tantùm hiſtoriæ repræſentationem, velut in ſpectaculo, ſicut ſomniant illi, qui defendunt meritum ex opere operato: ſed ſignificat fide recordari promiſsionem & beneficium, conſolari conſcientiam, & gratias agere pro tanto beneficio. Principalis enim cauſa inſtitutionis eſt, vt fides ibi excitetur & exerceatur, cùm hoc pignus gratiæ accipimus. Præterea, inſtitutio ordinat, vt fiat communicatio, hoc eſt, vt miniſtri Eccleſiæ porrigant etiam aliis corpus & ſanguinem Domini. Et hunc morem ſeruatum eſſe in principio Eccleſiæ, teſtatur Paulus ad Corinthios, qui præcipit etiam, vt *alij alios expectent*, vt fiat communis participatio.

Patefactis igitur abuſibus priuatæ Miſſæ, quia & pleræque omnes fiebant propter illam applicationem pro peccatis aliorum, & non conueniunt cum inſtitutione Chriſti, deſierunt in noſtris Eccleſiis. Eſt autem inſtituta vna communis Miſſa, juxta Chriſti ordinationem, in qua Paſtores Eccleſiarum conſecrant, ſumunt & porrigunt aliis Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti. Et fit talis Miſſa ſingulis feriis, atque aliis etiam diebus, ſiqui velint vti Sacramento. Nec admittuntur ad communionem, niſi antea explorati. Adduntur & conciones piæ, ſicut Chriſtus præcepit, vt habeantur conciones cùm hæc cæremonia tractatur. Et in his concionibus, cùm de cæteris articulis & præceptis Euangelij diligenter docentur homines, tum etiam admonentur,

nentur, ad quem vſum inſtitutum ſit Sacramentum, videlicet, non quòd ex opere operato mereatur eis remiſsionem peccatorum hæc cæremonia, ſed quòd Sacramentum ſit teſtimonium, ſit pignus, quo Chriſtus teſtetur ſe nobis præſtare promiſſa, & quòd promiſsiones ad nos pertineant, quòd Chriſtus exhibeat nobis corpus ſuum, vt teſtetur ſe in nobis efficacem eſſe, tanquam in membris ſuis: Exhibeat ſanguinem, vt teſtetur nos ablui ſanguine ſuo. Prodeſt igitur Sacramentum his, qui agunt pœnitentiam, & ibi quærunt conſolationem, & confirmati hoc teſtimonio credunt verè ſibi præſtari remiſsionem peccatorum, & agunt gratias Chriſto pro tanto beneficio. Ita fit applicatio beneficij Chriſti, non propter alienum opus, ſed propria cujuſque fide, & proprio vſu Sacramenti. Nam cùm ipſi vtimur, teſtatur ipſa Chriſti ordinatio, quòd ad nos pertineat beneficium Euangelij. Talis vſus Sacramenti pius eſt, & docendus in Eccleſiis, qui & illuſtrat doctrinam de fide, & de ſpiritualibus exercitiis, & veris cultibus, & adfert piis conſcientiis ingentem conſolationem, & erigit fidem. Ante hæc tempora, de vſu Sacramenti longè aliter docebantur Eccleſiæ. Nihil proponebatur, niſi quòd hoc opus faciendum eſſet. De fide, de conſolatione conſcientiarum, nemo quidquam monebat. Et vexabantur conſcientiæ immodica diligentia confeſſionis. Hanc putabant puritatem eſſe, quam requirit Euangelium, cùm Euangelium requirat verum timorem, & veram fiduciam, & vſu huius Sacramenti nos conſolatur, vt hi qui pœnitentiam agunt, credant certò ſe habere Deum propitium propter Chriſtum, etiamſi natura infirma, & immunda eſt, etiamſi hæc noſtra inchoata obedientia procul abeſt à perfectione legis. Ex his omnibus ſatis liquet, Miſſam apud nos conuenire cum inſtitutione Chriſti, & ritu primæ Eccleſiæ. Ad hæc illuſtrat maximè verum vſum Sacramenti. Hujuſmodi communis Miſſa fuit in veteri Eccleſia, vt *Chryſoſtomus* teſtatur, qui ait, *Sacerdotem ad altare ſtare, & alios ad communionem accerſere, alios verò arcere.* Et ex Nicenæ Synodi decretis apparet, *vnum aliquem celebraſſe Liturgiam*, vt Græci vocant, *qui cæteris omnibus porrexerit corpus & ſanguinem Domini.* Hæc enim ſunt verba decreti: *Accipiant Diaconi ſecundùm ordinem poſt presbyteros ab Epiſcopo, vel à presbytero ſacram communionem.* Hîc diſertè ipſos presbyteros ait accipere Sacramentum ab vno quodam porrigente. Nec priuatæ Miſſæ vlla fit mentio ante Gregorij tempora, ſed quoties veteres de Miſſa loquuntur, apparet eos de vna quadam communi Miſſa loqui. Cùm igitur Miſſæ ritus apud nos habeat autoritatem Scripturæ, & exemplum veteris Eccleſiæ, & tantùm intolerabiles quidam abuſus abjecti ſint, ſperamus non poſſe improbari noſtrarum Eccleſiarum morem. Cæteri ritus adiaphori magna ex parte vſitato more ſeruantur, ſed numerus Miſſarum diſſimilis eſt. Nec olim in Eccleſiis frequentiſsimis fiebat quotidie Miſſa, vt teſtatur Hiſtoria Tripartita lib. 9. cap. 38. *Rurſus autem in Alexandria, quarta & ſexta feria Scripturæ leguntur, eaſq; doctores interpretantur, & omnia fiunt præter ſolennem oblationis morem.*

DE VTRAQVE SPECIE SACRAMENTI.

ET quoniam communis Missa apud nos celebratur, vt intelligat populus se quoque sanctificari sanguine Christi, & discat verum vsum ceremoniæ: Datur laicis vtraque pars Sacramenti in Cœna Domini, quia Sacramentum institutum est, non solùm pro parte Ecclesiæ, scilicet pro Presbyteris, sed etiam pro reliqua Ecclesia; igitur & populus vtitur Sacramento, sicut Christus instituit; Et quidem Christus inquit Matt.26. *Bibite ex hoc omnes*, vbi manifestè ait de poculo, vt omnes bibant. Et ne quis cauillari posſit, quòd id tantùm ad Sacerdotes pertineat, Pauli ordinatio ad Corinthios testatur totam Ecclesiam communiter vsam esse vtraque parte. Hic mos diu mansit etiam in Latinis Ecclesiis, nec constat, quando, aut quo autore mutatus sit. Cyprianus aliquot locis testatur populo sanguinem datum esse. Sic scribit alicubi ad Cornelium Papam. *Quomodo docemus aut prouocamus eos in confessione nominis, sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos priùs ad bibendum in Ecclesia poculum Domini iure communicationis admittimus?* Et Hieronymus inquit, *Sacerdotes Eucharistiæ ministrant, & sanguinem Christi populis diuidunt.*

Extat in Decretis canon Pontificis Gelasij, qui prohibet diuidi sacramentum, his verbis; *Comperimus autem quòd quidam, sumpta tantùm corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant, qui proculdubio, quoniam nescio qua superstitione docentur, astringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuisio vnius eiusdemque mysterij, sine grandi sacrilegio non potest accidere.*

In Historia Tripartita scriptum est in obiurgatione Theodosij Imperatoris, quem Ambrosius noluit ad communionem admittere sine pœnitentia, propterea quòd Thessalonicæ paucorum militum necem, qui per tumultum interfecti fuerant, nimis acerbè vltus erat, trucidaueratque septem millia ciuium. Hic Ambrosius inquit: *Quomodo his manibus suscipies sanctum Domini corpus? qua temeritate ore tuo poculum sanguinis pretiosi percipies*, &c. Constat igitur veteris Ecclesiæ morem fuisse, dare populo vtramque Sacramenti partem. Tantùm consuetudo non ita vetus adimit populo alteram partem. Non disputabimus autem quid sentiendum sit de consuetudine recepta contra autoritatem Apostolicæ Scripturæ, contra Canones, contra exemplum veteris Ecclesiæ. Intelligunt enim omnes pij, conscientias de Doctrina Christiana verbum Dei consulere debere, nec approbandam esse consuetudinem contra verbum Dei. Quanquam autem consuetudo mutauerit in Latina Ecclesia veterem morem, tamen non improbat aut prohibet. Nec verò humana autoritas prohibere ordinationem Christi & receptisſimum vsum veteris Ecclesiæ debet. Ideò nos non duximus prohibendum esse vsum integri Sacramenti. Et in ea cæremonia quæ debet esse fœdus mutuæ dilectionis in Ecclesia, non voluimus contra charitatem duri esse aliorum conscientiis, qui maluerunt integro sacramento vti, neque sæuitiam ea in re vllam exercendam esse putauimus. Sed quantum possumus, vna cum ipsa cæremonia restituimus piam doctrinam de fructu cæremoniæ, vt intelligat populus quomodo Sacramen-

tum

tum propositum sit, ad consolandas conscientias eorum qui agunt pœnitentiam. Hæc doctrina inuitat pios ad vsum & reuerentiam Sacramenti. Etenim non solùm cęremonia mutilata fuit antea, sed etiam neglecta præcipua doctrina de fructu. Et fortasis cæremoniæ mutilatio significauit obscuratum esse Euangelium de sanguine Christi, hoc est, de beneficio mortis Christi. Nunc Dei beneficio renouatur ac restituitur pura doctrina de fide, vnà cum cæremonia.

DE CONFESSIONE.

HVic parti doctrinæ Christianæ de pœnitentia, in primis magnas tenebras offuderunt Theologi & Canonistæ. Idque testantur non solùm ipsorum bibliothecæ, sed etiam omnium piorum conscientiæ, quæ fatentur illas inextricabiles disputationes Theologorum, & traditiones infinitas de pœnitentia, horribilem carnificinam conscientiarum fuisse. Nusquam enim quidquam certi docent quomodo contingat remissio peccatorum, de fide prorsus est altissimum silentium. Imò iubent perpetuò dubitare de remissione peccatorum. Postea excruciant conscientias acerba enumeratione delictorum: item satisfactionibus. Qualis enim laqueus conscientiæ fuit traditio, quæ præcepit omnia peccata enumerare.

Satisfactiones verò obscurauerunt beneficium Christi, quia etiam docti fingunt per eas compensari æternam mortem. Indocti putabant his operibus emi remissionem culpæ. Quid quòd plerumque fuerint cultus non mandati à Deo, βαττολογίαι precum, inuocationes sanctorum, peregrinationes, & hoc genus alia. Ita fuit obruta ingenti aceruo inutilium ac malarum opinionum simplex doctrina de pœnitenta. Et constat multis seculis bonos desiderasse doctrinam puriorem.

Porrò præcipuè opus est in Ecclesia extare purissimam & simplicissimam de pœnitentia doctrinam. Ideò huic articulo maximè studuerunt nostri lumen afferre, quem quidem ita patefecerunt, atque illustrarunt, vt etiam Aduersarij saniores, fateantur hac in re bene meritos esse de Ecclesia.

Nam simpliciter, planè, sine vlla Sophistica, proponimus Euangelij sententiam de pœnitentia, vt intelligant homines, quomodo ad Christum redire debeant, quomodo consequantur remissionem peccatorum, qui cultus, quæ opera placeant Deo. Primùm docemus necessariam esse contritionem, hoc est, veros terrores & dolores animi, qui agnoscit iram Dei, & dolet se peccasse, & desinit mala perpetrare. Etsi autem hi dolores necessarij sunt, tamen sciendum est remissionem peccatorum non dari propter dignitatem contritionis seu horum dolorum: Sed addenda est fides, hoc est, fiducia misericordiæ promissæ propter Christum, & statuendum est gratis remitti peccata propter Christum.

Cùm hac fide in terroribus illis erigimur, consequimur certò remissionem peccatorum, sicut suprà ostendimus. Et hanc fidem concipiunt animi ex Euangelio. Item ex Absolutione, quæ Euangelium annuntiat & applicat perterrefactis conscientiis. Ideoque docent nostri retinendam esse in Ecclesiis priuatam absolutionem, & eius dignitatem, & potestatem clauium veris & amplissimis laudibus ornant, quòd videlicet potestas clauium administret

Euangelium, non solùm in genere omnibus, sed etiam priuatim singulis; sicut Christus inquit, *Lucratus eris fratrem*, &c. Et quòd voci illi Euangelij, quod ministerio Ecclesiæ nobis in Absolutione administratur, credendum sit, tanquam voci de cœlo sonanti.

Hoc totum beneficium Absolutionis & huius ministerij antea fuit omnino obscuratum falsis opinionibus illorum, qui docuerunt, Absolutionem non valere, nisi sufficienter contriti simus. Et postea iubebant dubitare de absolutione, quia nemo sciret se satis contritum esse. Quid fuit hoc aliud, quàm Euangelij consolationem eripere conscientiis, & tollere ex Ecclesia ac prorsus abolere ministerium Euangelij, seu potestatem clauium? Quis non videt hos tam perniciosos errores meritò reprehensos esse?

Cùm autem Confessio præbeat locum impertiendæ absolutioni priuatim, & ritus ipse intellectum potestatis clauium & remissionis peccatorum conseruet in populo, præterea cùm illud colloquium magnopere prosit, ad monendos & erudiendos homines, diligenter retinemus in Ecclesiis Confessionem, sed ita, vt doceamus enumerationem delictorum non esse necessariam iure diuino, nec onerandas esse conscientias illa enumeratione. Nullum enim extat in Scripturis Apostolicis præceptum de hac enumeratione. Et omnium delictorum recitatio impossibilis est, iuxta illud Psalmi, *Delicta quis intelligit?* Item Ieremias ait, *Prauum est cor hominis & inscrutabile.* Quòd si nulla peccata, nisi recitata remitterentur, nunquam possent acquiescere conscientiæ, quia plurima peccata neque vident, neque meminisse possunt. Qua ex re facilè intelligi potest, ministerium absolutionis, & remissionem non pendere ex conditione enumerationis.

Testantur & veteres scriptores, non esse necessariam enumerationem. *Chrysostomus* enim in Epistolam ad Hebræos inquit, *Persuadeamus nobis peccasse nos, nec id lingua tantùm pronuntiet, sed etiam intima conscientia, nec tantùm dicamus, nos esse peccatores, sed etiam peccata specialiter computemus. Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neque te vt apud alios accuses, sed obedire te volo Prophetæ: Reuela Domino viam tuam, coram Deo peccata tua confitere. Apud verum Iudicem cum oratione delicta tua pronuntia, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria, & tunc demum spera te misericordiam posse consequi.* Hæc Chrysostomi concio non solùm docet, quid de enumeratione sentiendum sit, sed etiam grauissimè coniungit contritionem & fidem, sicut nos coniungimus: Iubet primùm vt peccata verè agnoscamus, & ex animo detestemur; deinde docet addendam esse orationem ac fidem, quæ statuat nobis ignosci. Et alio loco ait, *Peccata tua dicito vt deleas. Si pudet dicere quòd peccaueris, dicito quotidie in anima tua. Non dico vt confitearis ea seruo, vt exprobret: Dic Deo, vt curet ea.*

Fatetur & glossa in Decretis, de pœnitentia distinct. 5. *Confessionem institutam esse ab Ecclesia, nec præcipi eam in Scripturis Veteris & Noui Testamenti.* Idem plerique doctores senserunt. Quare sententia nostra de Confessione neque noua, neque absurda est.

Postremò, de satisfactionibus vel maximè opus fuit moneri pias mentes. Nam satisfactiones plus etiam incommodi habuerunt quàm illa enumeratio. Obscurabant enim beneficium Christi, quia indocti putabant se remissionem culpæ consequi propter illa propria opera; deinde si quid in his erat omissum,

con-

conſcientiæ perturbabantur. Item, deligebantur ceremoniæ, peregrinationes, & huius generis alia inutilia opera, non mandata diuinitus. Et his fingebant ipſi doctores compenſari mortem æternam.

Itaque duximus pias mentes liberandas eſſe his erroribus, & docemus ſatisfactiones, videlicet Canonicas illas, quas ipſi vocant *opera indebita*, &c. nec ad remiſsionem culpæ, nec ad remiſsionem pœnæ æternæ prodeſſe, nec eſſe neceſſarias. Olim in Eccleſia mos fuit in publica pœnitentia, non recipere lapſos ad Eccleſiam redeuntes, niſi addita aliqua mulcta exempli cauſa. Ab illo more ſunt ortæ ſatisfactiones: ſed veteres illo exemplo volebant populum à peccando deterrere, non ſentiebant cæremoniam illam eſſe compenſationem culpæ vel æternæ mortis vel Purgatorij. Hæc poſtea affinxerunt homines indocti.

Sed veteres illi mores tempore conſenuerunt, & antiquati ſunt. Nos igitur non oneramus conſcientias ſatisfactionibus, ſed illud docemus, fructus pœnitentiæ neceſſarios eſſe, obedientiam, timorem Dei, fidem, dilectionem, caſtitatem, & vniuerſam nouitatem ſpiritus debere in nobis creſcere.

Monemus & illud, ſæpe puniri peccata etiam temporalibus pœnis in hac vita, vt Dauid, Manaſſe, & alij multi puniti ſunt. Et has pœnas mitigari docemus bonis operibus, & vniuerſa pœnitentia, ſicut docet Paulus, *Si nos ipſos iudicaremus, non iudicaremur à Domino.* Et pœnitentia meruit vt Deus ſententiam de delenda Ninine mutaret.

Ita, cùm antea diſputationes de pœnitentia fuerint inextricabiles, & plenæ abſurdarum opinionum, nunc repurgata doctrina ita traditur populo, vt intelligi poſsit, & proſit ad pietatem. Retinemus & illuſtramus veras pœnitentiæ partes, Contritionem, Fidem, Abſolutionem, Remiſsionem peccatorum, Emendationem totius vitæ, Mitigationem præſentium pœnarum.

Ac ſperamus bonos viros in hoc loco non ſolùm nihil reprehendere, ſed etiam gratiam habere his qui repurgarunt hanc doctrinæ Chriſtianæ partem, quam prodeſt in Eccleſiis extare quàm planiſsimè explicatam atque illuſtratam. Chriſtus inquit, *Angelos in cœlo lætari, cùm vident reſipiſcere peccatorem.* Itaque gratulantur Eccleſiæ, & ipſi Angeli, puram de pœnitentia doctrinam.

DE DISCRIMINE CIBORVM ET SIMILIBVS Traditionibus Pontificiis.

IN hac corporali vita opus eſt traditionibus, hoc eſt, locorum ac temporum diſcriminibus, vt ordine gerantur res in Eccleſia, ſicut præcipit Paulus, *vt omnia fiant ordine, & ita, vt decet.* Ideò & Eccleſia habet traditiones, hoc eſt, conſtituit quibus temporibus, vbi conuenire populus debeat. Ad hunc ciuilem finem licèt condere traditiones. Sed homines imperiti doctrinæ Chriſtianæ, non ſunt hoc fine contenti, ſed affingunt ſuperſtitioſas opiniones traditionibus, eaſque per ſuperſtitionem ſine modo cumulant. Id queſti ſunt accidiſſe in Eccleſia, non tantùm recentiores, Gerſon & alij quidam, ſed Auguſtinus etiam.

Quare necesse est populum admonere, quid de traditionibus, quæ humana autoritate conditæ sunt in Ecclesia, sentiendum sit. Neque enim nihil causæ est, cur Christus & Paulus toties de traditionibus concionentur, & Ecclesiam admoneant, vt prudenter de traditionibus iudicet.

Fuit autem persuasio publica non modò vulgi, sed etiam docentium in Ecclesiis, discrimina ciborum & similia opera, de quibus Ecclesiasticæ traditiones præcipiunt, cultus esse Dei, qui mereantur remissionem peccatorum. Item, tales cultus esse iustitiam Christianam, & necessarios esse, sicut in Veteri Testamento Leuiticæ cæremoniæ necessariæ fuerunt, nec posse sine peccato omitti, etiam extra scandali casum. Hæ persuasiones multa pepererunt incommoda.

Primùm. Obscurata est Euangelij propria doctrina, quæ docet gratis remitti peccata propter Christum. Hoc beneficium Christi translatum est in illa humana opera: ac propter hanc opinionem præcipuè auctæ sunt traditiones, quia existimabantur opera illa mereri remissionem peccatorum, esse satisfactiones, esse iustitia Christiana. Porrò, maximè ob hanc causam, tam crebrò, tam seuerè admonet nos Paulus de traditionibus cauendis, ne beneficium Christi transferretur in traditiones, ne gloria Christi obscuraretur, ne conscientiis eriperentur veræ & firmæ consolationes; denique, ne fides, hoc est, fiducia misericordiæ Christi, obrueretur. Hæc pericula caueri Paulus voluit: Maximè enim opus est extare in Ecclesia puram doctrinam de beneficio Christi, de iustitia fidei, de consolatione conscientiarum.

Secundò. Hæ traditiones obscurauerunt præcepta Dei, quia hæc pædagogia existimabatur esse spiritualis & Christiana iustitia. Item præferebantur humanæ traditiones præceptis Dei. Christianismus totus putabatur esse obseruatio certarum feriarum, rituum, ieiuniorum, vestitus. Hæc πτωχὰ στοιχεῖα erant in possessione honestissimi tituli, quòd essent vita spiritualis. Item perfectio Christiana. Interim mandata Dei de vocatione, nullam laudem habebant. Quòd Paterfamilias educabat sobolem, quòd mater pariebat, quòd Princeps regebat rem publicam, hæc opera despiciebantur, non iudicabantur esse cultus Dei. Versabantur in perpetua dubitatione mentes plurimorum, an coniugium magistratus & similes vitæ ciuilis functiones, Deo placerent. Hæc dubitatio multos valde cruciauit. Multi deserta sua vocatione, deserta republica, abdiderunt se in Monasteria, vt vitæ genus quærerent, quod arbitrabantur Deo magis placere, imò quod arbitrabantur mereri remissionem peccatorum.

Tertiò. Opinio necessitatis, etiam duriter exercuit conscientias. Traditiones existimabantur esse necessariæ; & tamen nemo, quamlibet diligens, obseruabat omnes, præsertim cùm sint innumerabiles. Gerson scribit, multos incidisse in desperationem, quosdam etiam sibi mortem consciuisse, quia animaduerterant se non posse satisfacere traditionibus. Et interim nullam consolationem de gratia, de iustitia fidei audierant. Videmus Summistas & Theologos colligere traditiones, & quærere ἐπιεικείας vt leuent conscientias. Sed ne ipsi quidem sibi satisfaciunt, non possunt se satis extricare, interdum etiam illæ ipsæ interpretationes iniiciunt laqueos conscientiis. Et in traditionibus colligendis ita fuerunt occupatæ Scholæ & Conciones, vt non vacauerit

cauerit attingere Scripturam, & quærere vtiliorem doctrinam de fide, de cruce, de ſpe, de dignitate rerum ciuilium, de conſolatione conſcientiarum in arduis tentationibus. Itaque multi boni viri ſæpe queſti ſunt, ſe his rixis traditionum impediri quo minus liberè verſari in meliore doctrinæ genere poſſent. Cùm igitur huiuſmodi ſuperſtitioſæ opiniones hærerent in traditionibus, neceſſe fuit admonere Eccleſias, quid de traditionibus ſentiendum ſit, errore pias mentes liberare, mederi pauidis conſcientiis, illuſtrare beneficium Chriſti. Non hoc agimus, vt labefactetur autoritas Eccleſiaſticæ poteſtatis, non detrahimus de dignitate Epiſcoporum, non diſſipamus ἀταξίαν Eccleſiæ. Rectè intellectæ traditiones magis amantur: Sed illæ Iudaicæ opiniones tantùm reprehenduntur. Sic igitur docemus de cæremoniis, humana autoritate conditis in Eccleſia. Primùm de traditionibus, quæ pugnant cum mandatis Dei, aut non poſſunt obſeruari ſine peccato; ſequenda eſt regula Apoſtolorum: *Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.* Talis eſt traditio de cœlibatu. Deinde, de reliquis cæremoniis quæ ſunt ſua natura res mediæ ſeu indifferentes, vt ieiunia, feriæ, diſcrimina veſtitus, & ſimiles. Sciendum eſt, tales obſeruationes nec mereri remiſsionem peccatorum, nec iuſtitiam, nec perfectionem Chriſtianam eſſe: ſed res eſſe adiaphoras, quæ extra ſcandali caſum omitti poſſunt.

Teſtimonia huius ſententiæ plana & clara ſunt in Euangelio & diſputationibus Pauli. Nam Spiritus Sanctus duxit *operæ pretium eſſe, vt diligenter de hac re moneret Eccleſiam, ne ſuperſtitioſis opinionibus obrueretur Euangelium.*

Roman.14. *Regnum Dei non eſt eſca aut potus; Sed iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu Sancto.* Hic ſatis clarè docet Paulus, iuſtitiam Chriſtianam eſſe motus ſpirituales cordis, non eſſe externas obſeruationes ciborum, dierum, &c.

Coloſſ.2. *Nemo iudicet vos in cibo, potu, aut parte diei feſti.* Vetat iudicari conſcientias, hoc eſt, condemnari conſcientias in vſu talium rerum, ſed prorſus vult haberi pro rebus indifferentibus, & quæ non pertinent ad iuſtitiam Euangelij. Et deinde longa & grauis concio eſt, & de Moſaicis ritibus, & de Cæremoniis inſtitutis humana authoritate. Loquitur enim Paulus de vtroque genere nominatim. Negat eam eſſe iuſtitiam Chriſtianam, & vetat conſcientias onerare talibus traditionibus: *Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quare tanquam viuentes in mundo decreta facitis? Ne attingas, ne gu[illegible]es, ne contrectes.*

Matth.15. *Omne quod intrat in os, non coinquinat hominem.* Et quidem ibi excuſat Apoſtolos violantes vſitatam traditionem, & addit ſententiam memorabilem: *Fruſtra colunt me mandatis hominum.* Negat eſſe veros & vtiles cultus ad iuſtitiam coram Deo: quare non ſunt iuſtitia Chriſtiana, nec ſunt neceſſarij cultus. Atqui conſtat in Eccleſia humanos cultus mirum in modum hactenus creuiſſe. Quotidie cumulabant Monachi cæremonias, nouis & ſuperſtitionibus & aucupiis. Et hæ nugæ putabantur eſſe præcipui cultus Dei, præcipua pietas, cùm Chriſtus tam graui oraculo vetet humanas cæremonias haberi pro cultibus. Non enim prohibet condere traditiones ad finem politicum, hoc eſt, propter bonum ordinem, ſed cultus eſſe negat, cùm ait; *Fruſtra colunt me.* Et docet veros cultus eſſe opera diuinitus præcepta, Timorem, fidem, dilectionem, patientiam, caſtitatem, parere vocationi, facere officium, &c.

Act.15. ait Petrus. *Quare tentatis Deum, imponentes iugum ſuper ceruices diſcipulo-*

rum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Hic docet Petrus contingere nobis remissionem peccatorum & salutem propter Christum, non propter Mosaicos aut similes ritus. Et admonet, grauissimè peccare illos, qui conscientias onerant talibus obseruationibus. Nec enim leuis est reprehensio, cùm inquit, *Quid tentatis Deum?*

Et 1.Timoth.4. vocat *prohibitionem ciborum, coniugij, & similes traditiones, doctrinas dæmoniorum.* Quare autem tam atroci conuitio vsus est? Non voluit nullas prorsus fieri ordinationes, nulla seruari discrimina locorum, temporum. Sed tunc sentit esse doctrinas dæmoniorum, quando in eas transfertur beneficium Christi, quando habentur pro iustitia, item pro necessariis cultibus, quando affingitur opinio necessitatis, & cruciantur conscientiæ, & excutitur eis fides. Hæc incommoda volunt caueri Christus & Apostoli. Ideoque toties tam vehementer aduersus traditiones concionantur. Ac mirum est illis fulminibus nihil moueri eos, qui superstitiosas opiniones traditionum defendunt.

Sunt autem duplices traditiones, quædam flagitant opera palàm pugnantia cum lege diuina, vt prohibitio coniugij. Necesse est autem in Ecclesia extare hanc regulam: *Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.* Ideò constat talibus traditionibus humanis nequaquam esse obtemperandum. Aliæ loquuntur de rebus sua natura adiaphoris, vt de cibo, vestitu, & similibus rebus. Hæ traditiones fiunt impiæ, cùm proponuntur cum his opinionibus, quòd mereantur remissionem peccatorum, quòd sint res necessariæ, quòd sint cultus Dei, id est officia, quorum finis immediatus sit, vt per ea Deus honore afficiatur. Has pestiferas opiniones necesse est in Ecclesia taxari. Ac propter has opiniones humani ritus inutiles sunt abjiciendi, vt discrimina ciborum, monasticus vestitus, & similes mores superstiosi, vt Ezechias æneum serpentem combussit, cùm videret eum à multis coli. Sed quia hæc societas hominum in hac corporali vita habet opus ordine, possunt aliqui ritus vtiles ad hunc finem politicum retineri sine superstitiosis opinionibus, hoc est, ne iudicentur esse cultus, aut res necessariæ, vt populus sciat quando cœtus in templis conuenire debeat ad conciones, & ad vsum Sacramentorum. Oportet enim ministerium illud esse publicum. Prodest certa tempora constitui. Ita seruantur apud nos feriæ diei Dominici. & pleræque aliæ: retinentur vsitata historiarum discrimina in cantionibus, Natalis Dominici, Paschatis, festi Ascensionis, Pentecostes, & aliis. Et magis amat populus has ipsas cæremonias postquam conscientiæ liberatæ sunt periculo, & illis iniustis oneribus, de quibus olim Monachi & Canonistæ vociferabantur: & è regione vtilitas monstrata est, quòd hi ritus seruiant ministerio Euangelij. Item admoniti sunt homines, finem esse politicum harum ordinationum. Hæc dextra interpretatio traditionum, reddit eas gratiores moderatis animis. Et quanquam opinio necessitatis & cultus detrahitur, tamen satis munitæ sunt, quia docemus in Ecclesiis emendatis, vtiles cæremonias seruire ministerio Euangelij, quare qui petulanter & cum scandalo has cæremonias violant, hoc est, qui impediunt ministerium Euangelij, hos peccare dicimus. Certè modum traditionum esse necesse est, conscientiis consuli oportet, vt intelligant humanos ritus, nec res necessarias, nec iustitiam esse.

Hæc

Hæc libertas, de qua hic dicimus, non fuit ignota Patribus. Augustinus enim inquit, *Totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes*; & in hanc sententiam multa disputat. Irenæus inquit, *Dissonantia ieiunij non dissoluit fidei consonantiam.* Tripartita Historia multa colligit exempla dissimilium rituum, & addit egregium Epiphonema: *Mens Apostolorum fuit, non de diebus festis sancire, sed prædicare bonam conuersationem & pietatem.* Sed nihil opus est in re manifesta colligere multa testimonia. Verùm hic vociferantur Aduersarij, labefactari hac doctrina disciplinam publicam, effici ἀναρχίαν. Item aboleri bona opera & mortificationem carnis, iuxta Iouiniani dogma. Has calumnias partim iam refutauimus. Non enim fit ἀναρχία nec labefactatur publica disciplina, cùm traditiones, quarum finis est politicus, seruandas esse doceamus. Docemus & scandala cauenda esse. Sed de mortificatione carnis sic respondemus, Vera & non simulata mortificatio est, tolerare crucem, versari in periculis, ærumnis, & afflictionibus. Huius generis obedientia est cultus Dei & opus spirituale, sicut docet Psalmus, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, &c. Docemus præterea aliud genus exercitiorum necessarium esse. Quilibet Christianus etiam corporali disciplina, laboribus, temperantia, meditatione diuinarum rerum, & aliis exercitiis aptis ætati, coercere carnem debet. Horum finis proprius ac proximus esse debet, ne saturitas aut desidia extimulet ad peccandum, & vt mens admoneatur, & fiat aptior ad affectus spirituales. Non est sentiendum, hæc exercitia cultus esse qui mereantur remissionem peccatorum, aut satisfactiones esse &c. Et hæc disciplina debet esse perpetua, nec possunt præscribi certi dies pariter omnibus. De hac disciplina inquit Christus, *Cauete ne corpora vestra grauentur crapula.* Item, *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi ieiunio & oratione.* Et Paulus ait, *Castigo corpus meum, & redigo in seruitutem.* Itaque non vituperamus ieiunia, sed superstitiosas opiniones, & laqueos conscientiarum in traditionibus. Porrò hæc exercitia, cùm ad illum finem referuntur, vt habeamus corpora obnoxia ad res spirituales, & ad faciendum officium iuxta vocationem &c. sunt in piis bona opera, vt testatur Danielis exemplum. Sunt enim opera quæ ad hunc finem requirit Deus, vt carnem coerceant.

DE CONIVGIO SACERDOTVM.

CVm doctrina Christiana honorificè prædicet coniugium, eoque vti iubeat, non solùm procreationis causa, sed etiam ad frenandas vitandásque libidines, nunc non solùm Pontificia lege, sed etiam noua atque inusitata sæuitia, prohibentur coniugia Sacerdotibus, & contracta dirimuntur. Idque hoc est indignius, quòd hæc in Ecclesia fiunt, quæ vt maximè debet abhorrere à turpitudine; Ita coniugium ad vitanda multa ingentia flagitia, summo studio tueri debebat. Ad hæc cùm in omnibus Ethnicis Rebuspublicis mediocriter constitutis, propter grauissimas causas, coniugium in magno honore fuerit, quid minus decet in Ecclesia, quàm & sanctissimum fœdus coniugij distrahere, aut capitalibus pœnis, velut summum scelus, punire coniugium? vnde hæc in Ecclesiam, in qua debet excellere mutua dilectio,

peruasit immanitas. Porrò res loquitur ipsa, quantum turpitudinis, ac scelerum pariat Pontificia lex de cœlibatu. Nec vlla humana voce dici potest, quantum vitiorum ex hoc fonte in Ecclesiam exundauerit. Nam vt non dicamus de Epicureis quos nihil pudet, quàm multi pij ac boni viri infœliciter luctati sunt cum imbecillitate naturæ, & ad extremum in horribilem desperationem inciderunt. Quò spectat autem hæc noua crudelitas, nisi vt illa infinita scelera in Ecclesiam confirmentur, & vt improbi peccent impunitius? Hæc causa nihil habet opus disputatione: Nam hæc noua lex, quæ nunc defenditur ab Aduersariis, quæ & prohibet Sacerdotibus coniugia, & contracta distrahit, pugnat cum iure naturali, diuino, cum Euangelio, cum veterum Synodorum constitutionibus, cum exemplis veteris Ecclesiæ. Tantum opus est nobis pietate & æquitate optimi Imperatoris, quem oramus, vt pro sua pietate, & pro suo officio, abolita tyrannica lege, mederi Ecclesiæ studeat. Cùm omnis iniusta crudelitas Deo displicet, tum illa maximè quæ exercetur in Sacerdotes pios & eruditos, qui bene merentur de Ecclesia. Ac non solùm diuina oracula minantur atrocissimas pœnas his, qui crudelitatem exercent aduersus Sacerdotes, sed exempla etiam exstant omnium ætatum, quæ comprobant illas minas non esse irritas. Nam vt alia innumerabilia exempla omittamus, Gens Benjamin ferè tota deleta est, propter stupratam hospitis Sacerdotis coniugem. Cùm enim cadauer mulierculæ, quæ vexata stupris, exstincta erat, dissectum, missum esset ad principes Israel, iudicauit vniuersus populus tantam immanitatem seuerissimè puniendam esse. Cùmque non dederentur ad pœnam autores facinoris, tota gens Benjamin magna clade accepta, pœnas dedit. At hoc tempore multiplici iniuria afficiuntur Sacerdotes: Ipsi, cùm quidem nullum eis crimen objiciatur, nisi coniugium, excruciati horribilibus suppliciis necantur, miseræ coniuges & parui liberi eiecti suis nidulis, vagantur extorres, sine certa sede, sine tecto, sine lare. Paulus vocat *prohibitionem coniugij, doctrinam demoniorum.* id testantur non solùm turpissima vitia, quæ cœlibatus inuexit in Ecclesiam, sed etiam hæc ipsa asperitas, quæ propter hanc legem exercetur in Sacerdotes, & eorum coniuges ac liberos. Nam diabolus homicida est, & piorum calamitatibus præcipuè delectatur. Sed olim Deo pœnas daturi sunt talium consiliorum autores. Nos hanc sæuitiam, neque dignam Christianis, neque vtilem Ecclesiæ esse iudicauimus.

Quòd verò objicitur auctoritas legis Pontificiæ: cur non allegant auctoritatem Canonum aduersus turpia exempla impuri cœlibatus, & scelera digna animaduersione? Nulla debet esse auctoritas Pontificij decreti, pugnantis cum iure naturæ, & cum mandato diuino. Natura homines ita conditi sunt, vt sint fœcundi; quare Iurisconsulti dicunt, coniunctionem maris & fœminæ esse iuris naturæ; idque docet Genesis, cap. 1. & 2. Deinde, cùm Paulus inquit, *Vnusquisque habeat vxorem, ad vitandam fornicationem*, certè præcipit omnibus, qui non sunt idonei ad cœlibatum, vt contrahant coniugia. Et Christus monet non omnes idoneos esse ad cœlibatum, cùm ait, *Non omnes capiunt verbum hoc.*

Porrò, nec leges humanæ, nec vota valent, pugnantia cum mandato diuino. Et euentus ipse testatur, naturam legibus humanis non posse mutari. Videmus quantum turpitudinis pariat ille cœlibatus. Ac si qui sunt boni viri, qui student

dent

dent esse casti, hi intelligunt oneris & periculi magnitudinem, & præcipuè deplorant hanc sui ordinis seruitutem. In Nicena Synodo quidam conati sunt legem ferre, vt Sacerdotibus interdiceretur consuetudine coniugum. Repudiata est hæc lex ab vniuersa Synodo. Et fuit quondam mitior Latina Ecclesia. Tantùm enim dimittebat à ministeriis eos, qui cùm gererent munus Ecclesiasticum, ducebant vxores, non prohibuit coniugium. Hæc noua lex est Pontificum, ignota veteri Ecclesiæ ac Synodis, quæ in totum prohibet coniugia, & contracta distrahit.

Constat autem vtramque partem huius decreti pugnare cum Euangelio: Allegatur contra nos Ecclesiæ & Synodorum auctoritas, quam Pontifices ipsi, huius decreti auctores, impudenter contempserunt. Nec obscurè reclamauerunt pij Sacerdotes huic nouæ legi. Nam Historiæ Ecclesiasticæ testantur, eam non sine certaminibus impositam esse Ecclesiis. Tarraconensis Episcopus scribit ad Syricium Pontificem, Sacerdotes Hispanos non posse adduci, vt legem accipiant, qua interdicebatur eis consuetudine vxorum. Quas ipsi tragœdias agit Syricius, quàm inclementer rescribit?

Hæc sunt Syricij verba, indigna Pontifice: *Dicat mihi nunc ille, quisquis est, sectator libidinum, præceptórque vitiorum?* Et deinde Pauli dictum alienissimum detorquet ad suam causam, *Qui in carne sunt, placere Deo non possunt.* Dubium profectò est, vtrùm inscitiæ, an impudentiæ adscribendum sit, quòd tam contumeliosè loquitur de coniugio. Nihil enim agebatur aliud, nisi vt interdiceretur Sacerdotibus vsu coniugum, quas tunc habebant. Deinde posteriores Pontifices multo duriores fuerunt. Cùm decretum Pontificum de abiiciendis vxoribus, in Germania recitaret Archiepiscopus Moguntinus, ita exarserunt irâ Sacedotes, vt minarentur se impetum facturos in ipsum Archiepiscopum. Et erat res cùm indigna, tum acerba, abiicere præsentes coniuges, sed vicit tandem vel vis vel superstitio. Quanto mitior fuit Cyprianus mulieribus, quæ non seruabant promissam castitatem. Scribit enim lib. 1. Epist. 11. *Si perseuerare nolunt, aut non possunt, melius est vt nubant, quàm vt in ignem deliciis suis cadant: certè nullum fratribus aut sororibus scandalum præbeant.*

Porrò iniustæ leges non solent esse perpetuæ. Rogamus igitur optimum Imperatorem, vt inter cætera Ecclesiæ incommoda etiam huius legis vitia consideret, qua in re & illud considerandum est. Natura ipsa hominum veluti senescit & fit imbecillior. Quare prouidendum est, ne vitia crescant. Nec debent leges ipsæ semina esse vitiorum. Plato grauissimè dicit, *Leges virtutis causa ferendas esse.* An autem traditio de cœlibatu pietatis causa propugnetur, aut alio quodam consilio, non difficile est iudicare. Postremò, cùm Christus præcipuè commendauerit piis curam ministrorum Euangelij, rogamus optimum Imperatorem, sæuitiam prohibeat, quæ diu iam in homines pios, Sacerdotes exercetur, ac cum Ecclesia potiùs deliberet, quàm cum Aduersariis nostris. Debent in Ecclesia excellere dilectio & misericordia. Quare maximè abhorret Ecclesia à crudelitate non necessaria, nec vult interfici Sacerdotes propter tyrannicam traditionem. Parci etiam vult miseris mulieribus ac liberis Sacerdotum. Horum omnium vitam ac salutem Ecclesia tibi, clementissime Imperator, commendat. Omnes pij vbique terrarum afficiuntur horum calamitatibus, & taciti desiderant Christianam lenitatem in hoc negotio, tibique communibus lacrymis do-

ctos & bonos viros, Ecclesiæ vtiles, & horum coniuges ac liberos commendant, quem vident & natura præditum esse eximia quadam & heroica bonitate, & in hac causa hactenus singulari vsum esse moderatione; quæ quidem significat te de Republica ritè sananda deliberare. Non vult Ecclesia te alienæ crudelitatis ministrum fieri. Maximus honor est Regum, quem tribuit eis Esaias, cùm inquit, *eos debere Ecclesiæ nutritios esse*, hoc est, Imperia, defensionem pacis, & humanæ societatis, non solùm corporali vtilitati seruire, sed etiam adiuuare Euangelium, cùm videlicet & tegunt Sacerdotes, & tranquillitatem ciuitatibus concedunt, & institui ad religionem iuuentus, & doceri homines possunt. Rogat igitur Ecclesia, vt memineris tibi pios Sacerdotes tanquam alumnos tuendos esse. Tuum munus est, innocentiæ præsidio esse, depellere iniurias, præcipuè ab imbecillibus, qui se tueri non possunt ipsi, à piis mulieribus, à pueritia, ab orphanis. In his etiam Sacerdotum coniuges & liberos, qui verè sunt orphani, tibi commissos diuinitus existimes.

Ecclesia vel maximè φιλόστοργος est, & non modò coniugum inter se charitatem, parentum erga liberos amorem probat, sed afficitur ipsa desertorum atque orphanorum ærumnis. Ac verò in tanta bonitate, naturæ tuæ nihil esse ἄστοργον indicat; quare sperat tibi quoque dolorem afferre, Sacerdotum neces ac supplicia, coniugum & liberorum exilia. Monet illud etiam Ecclesia, vt prouideas, ne plerique doctrinæ Christianæ Loci, quorum necessaria est explicatio, simul opprimantur, dum piè eruditi interficiuntur, dum excutiuntur hominibus studia doctrinæ Christianæ. Quid agunt Aduersarij aliud, nisi vt deletis omnibus literis & oppressa doctrina, tantùm pendeant homines ex auctoritate illorum, qui dominantur, somnia indoctorũ, quamlibet impia, quamlibet absurda, ducant esse oracula. Hanc barbaricã seruitutem existimãt Aduersarij prodesse dominationi suæ. Nec obscurè multis in locis iam hac seruitute iacet oppressa Ecclesia. Etsi autem nos quoque veteres Synodos amplectitur congruentes cum Apostolica doctrina: tamen non decet auctoritatem Ecclesiæ prætexere omnibus abusibus ac vitiis, quæ recentior ac deterior ætas in Ecclesiam inuexit. Nimium blandiuntur sibi homines, si nihil vitij deriuatum esse putant in Ecclesiam, ex affectibus hominum cupidorum, ex illis labyrinthis & tenebris doctrinæ Scholasticæ & Traditionum. Neque verò tam propter coniugium periclitantur hoc tempore boni viri, quàm propter studium repurgandæ & illustrandæ doctrinæ Christianæ, quod regere ac iuuare Episcopi debebant. Nam his præcipuè comendata est cura ornandæ & defendendæ doctrinæ, hi debent esse huius sanctissimi & vtilissimi studij gubernatores & hortatores.

Sed non ad solos Episcopos, verùm etiam ad pios Principes, ac maximè ad Imperatorem pertinet, purè intelligere Euangelium, dijudicare dogmata, aduigilare ne impiæ opiniones recipiantur aut confirmentur, idololatriam omni studio abolere. His officiis præclarè meriti sunt de piis multi magni Heroes, Gedeon, Ezechias, Iosias, Constantinus, & plerique alij. Quare existimabis & tui officij esse, cauere ne obruantur ea quæ piè & vtiliter patefacta & emendata sunt à bonis & doctis viris, ne impij abusus auctoritate tua stabiliantur. Psalmus inquit, *Propter Templum tuum in Ierusalem, Reges offerent tibi munus.*

Sunt autem propria Regum munera in Ecclesiam conferanda, inquirere veram.

veram doctrinam, & curare vt boni Doctores præficiantur Ecclesiis, dare operam, vt ritè diiudicentur Ecclesiasticæ Controuersiæ, non delere piam doctrinam, sed excitare potiùs ac propagare, & defendere, concordiam Ecclesiæ rectè constituere & tueri. His veris muneribus potes nunc, Optime Imperator, ornare Christi Ecclesiam, quæ quidem à te præcipuè & Christus requirit ipse & petunt Ecclesiæ, quibus opus est pace. Postremò cùm humanæ traditiones cedere debeant temporibus, maximè in Ecclesia, in qua longè pluris fieri debent, salus piorum, dilectio, & pax publica, quàm vllæ traditiones humanæ, multò satius est dissimulare abrogationem huius traditiunculæ de cœlibatu, quàm confirmare libidines, dissipare coniugia, suscipere sæuitiam in Sacerdotes & eorum coniuges ac liberos, opprimere piam doctrinam, vastitatem efficere in Ecclesiis.

Etsi autem mundus omnibus ætatibus dedit insignes pœnas libidinum, vt historiæ testantur, de diluuio, de Sodomis, de Dauide, denique innumerabiles Ethnicæ historiæ: tamen homines prophani leuiter curant iudicium Dei, rident libidines, ideò tollerant pollutos & contaminatos sacrificulos. Ad hoc accedit, quòd cœlibes faciliùs possunt tueri opes Ecclesiasticas, & hunc splendorem, qui nunc est procerum Ecclesiasticorum, quem, quia reges sibi ornamento esse putant, maiore studio cœlibatum defendunt. Sed Euangelium iubet nos anteferre mandatum Dei prophanis iudiciis & vtilitatibus, ostendit latè vagari pœnas libidinum per totas gentes, & pollutos cœcitate & æternis suppliciis puniri. Iubet vti coniugio & ordinationi Dei obtemperari, qui ita condidit naturam hominum, vt perpetua societas sit duorum coniugum, maris & fœminæ. Monet cultus Dei esse, obtemperare ordinationi & voci Dei, & fugiendas esse superstitiones pugnantes cum ordinatione diuina. Ideò sustulimus prohibitionem coniugij, & sentimus abolendam esse in tota Ecclesia. Et quia non dubitamus peccare omnes qui defendunt prohibitionem illam, nos Sacerdotibus legitima & pia matrimonia concedimus. Nec opus est in hac causa disputatione longiore, opus est iudice qui non ridet libidines, sed iram Dei metuit, & vera pietatis officia intelligere studet. Deinde qui odit iniustam crudelitatem, quæ hoc tempore aduersus Sacerdotes maritatos & eorum coniuges ac liberos exercetur. Rogamus igitur Imperatorem, ne Pontificiam legem de cœlibatu, pugnantem cum mandatis Dei, & cum veteribus Synodis, defendat, nec sit autor aut adiutor iniustæ crudelitatis, nec trucidatis piis Sacerdotibus polluat se parricidiis. Nam cùm cæteras iniustas cædes Deus atrociter punit, tum maximè irascitur his, qui sæuitiam in Sacerdotes pios exercent, vt inquit 4. Regum 9. *Vlciscar sanguinem seruorum meorum Prophetarum &c.* Quid est indignius, quàm Imperia, quæ diuinitus instituta sunt, vt veram doctrinam de Deo, veros Dei cultus honesta coniugia, bonos mores tueantur, transferri ad delendam veram doctrinam, ad dissipanda coniugia, ad confirmandas & augendas flagitiosas libidines Pontificum, Sacerdotum & Monachorum? Quàm miserabile spectaculum est, cùm Reges, qui debebant esse imago Dei in terris, non Deo seruiunt, sed furori diaboli, confirmantis horribilia peccata, Idolomaniam, libidines, & iniustam crudelitatem? Porrò cùm de Ecclesiæ & piorum defensione scriptum sit, *Beatus qui miseretur super egenum & pauperem, in die mala liberabit*

eum Dominus. Optamus vt omnes Reges & Principes adficiantur hac voce cœlesti, & tegant pios sacerdotes, & eorum coniuges ac liberos, quos quidem Deo curæ esse non dubitamus.

DE VOTIS MONACHORVM.

QVid de votis Monachorum apud nos doceatur, meliùs intelliget, si quis meminerit qualis status fuerit Monasteriorum, quàm multa contra Canones in ipsis Monasteriis quotidie fiebant. Augustini tempore erant libera collegia, postea corrupta disciplina, vbique addita sunt vota, vt tanquam excogitato carcere, disciplina restitueretur. Additæ sunt paulatim supra vota aliæ multæ obseruationes. Et hæc vincula multis ante justam ætatem contra Canones injecta sunt. Multi inciderunt errore in hoc vitæ genus, quibus etiam si non deessent anni, tamen judicium de suis viribus defuit. Qui sic irretiti erant, cogebantur manere, etiamsi quidam beneficio Canonum liberari possent. Et hoc accidit magis etiam in Monasteriis Virginum quàm Monachorum, cùm sexui imbecilliori magis parcendum esset. Hic rigor displicuit multis bonis viris ante hæc tempora, qui videbant puellas & adolescentes in Monasteria detrudi propter victum, videbant quàm infœliciter succederet hoc consilium, quæ scandala pareret, quos laqueos conscientiis injiceret. Dolebant autoritatem Canonum in re periculosissima omnino negligi & contemni.

Ad hæc mala, accedebat talis persuasio de votis, quam constat etiam olim displicuisse ipsis Monachis, si qui paulò cordatiores fuerunt. Docebant vota paria esse Baptismo, docebant se hoc vitæ genere mereri remissionem peccatorum, & iustificationem coram Deo: Imò addebant, vitam Monasticam mereri coram Deo, sed amplius etiam, quia seruaret non modò præcepta, sed etiam consilia Euangelica.

Ita persuadebant Monasticam professionem longè meliorem esse Baptismo: vitam Monasticam plus mereri quàm vitam Magistratuum, vitam Pastorum & similium, qui in mandatis Dei sine factitiis religionibus suæ vocationi seruiunt. Nihil horum negari potest, extant enim in libris eorum.

Quid fiebat postea in Monasteriis? Olim erant Scholæ sacrarum literarum, & aliarum disciplinarum, quæ sunt vtiles Ecclesiæ, & sumebantur inde Pastores, & Episcopi. Nunc alia res est, nihil opus est recitare nota. Olim ad discendum conueniebant, nunc fingunt institutum esse vitæ genus ad promerendam remissionem peccatorum & iustificationem, immò prædicant esse statum pefectionis, & longè præferunt omnibus aliis vitæ generibus à Deo ordinatis.

Hæc ideò recitauimus nihil odiosè exaggerantes, vt meliùs intelligi posset de hac re doctrina nostrorum. Primùm de his qui matrimonia contrahunt, sic docent apud nos, quòd liceat omnibus, qui non sunt idonei ad cœlibatum, contrahere matrimonium, quia vota non possunt ordinationem ac mandatum Dei tollere. Est autem hoc mandatum Dei, *Propter fornicationem habeat vnusquisque vxorem suam.* Neque mandatum solùm, sed etiam creatio & ordinatio Dei,

tio Dei, cogit hos ad coniugium, qui ſine ſingulari Dei opere non ſunt excepti, iuxta illud, *Non eſt bonum homini eſſe ſolum.* Igitur non peccant iſti qui obtemperant huic mandato & ordinationi Dei.

Quid poteſt contra hæc opponi? Exaggeret aliquis obligationem voti quantum volet, tamen non poterit efficere, vt votum tollat mandatum Dei. Canones docent *in omni voto, ius ſuperioris excipi*, quare multo minus hæc vota contra mandata Dei valent. Quòd ſi obligatio votorum nullas haberet cauſas cur mutari poſsit, nec Romani Pontifices diſpenſaſſent. Neque enim licet homini obligationem, quæ ſimpliciter eſt iuris diuini, reſcindere. Sed prudenter iudicauerunt Romani Pontifices æquitatem in hac obligatione adhibendam eſſe. Ideò ſæpe de votis diſpenſaſſe leguntur. Nota eſt hiſtoria de Rege Arragonum, reuocato ex Monaſterio, & extant exempla noſtri temporis.

Deinde, cur obligationem exaggerant Aduerſarij ſeu effectum voti, cùm interim de ipſa voti natura ſileant, quod debet eſſe in re poſsibili, quod debet eſſe voluntarium, ſponte & conſultò conceptum. At quomodo ſit in poteſtate hominis perpetua caſtitas non eſt ignotum. Et quotuſquiſque ſponte & conſultò nouit? Puellæ & adoleſcentes priuſquam iudicare poſſunt, perſuadentur ad vouendum, interdum etiam coguntur. Quare non eſt æquum tam rigidè de obligatione diſputare, cùm omnes fateantur contra voti naturam eſſe, quod non ſponte, quod inconſultò admittitur.

Plerique Canones reſcindunt vota ante annum 15. contracta, quia ante illam ætatem non videtur tantum eſſe iudicij, vt de perpetua vita conſtitui poſſit. Alius Canon plus concedens hominum imbecillitati, addit annos aliquot, vetat enim ante annum 18. votum fieri. Sed vtrum ſequemur, maxima pars habet excuſationem, cur Monaſteria deſerant, quia plurimi ante hanc ætatem vouerunt. Poſtremò, etiamſi voti violatio reprehendi poſſet, tamen non videtur ſtatim ſequi, quòd coniugia talium perſonarum diſſoluenda ſint. Nam Auguſtinus negat debere diſſolvi, 27. *quæſt.* 1. *cap. Nuptiarum*, cuius non eſt leuis autoritas, etiamſi alij poſtea aliter ſenſerunt.

Quanquam autem mandatum Dei de coniugio videatur pleroſque liberare à votis, tamen afferunt noſtri & aliam rationem de votis, quòd ſint irrita, quia omnis cultus Dei, ab hominibus ſine mandato Dei inſtitutus & electus ad promerendam remiſsionem peccatorum & iuſtificationem, impius eſt, ſicut Chriſtus ait, *Fruſtra colunt me mandatis hominum.* Et Paulus vbique docet, iuſtitiam non eſſe quærendam ex noſtris obſeruationibus & cultibus, qui ſint excogitati ab hominibus, ſed *contingere eam per fidem, credentibus ſe habere Deum placatum & propitium propter Chriſtum, non propter vlla noſtra merita.*

Conſtat autem Monachos docuiſſe, quòd factitiæ religiones mereantur remiſsionem peccatorum & iuſtificationem, & quòd pro peccatis ſatisfaciant. Quid hoc eſt aliud quàm de gloria Chriſti detrahere & obſcurare, ac negare iuſtitiam fidei? Sequitur igitur, iſta vota vſitata, impios cultus fuiſſe, quare ſunt irrita. Nam votum impium, & factum contra mandata Dei non valet, *neque enim debet votum vinculum eſſe iniquitatis*, vt Canon dicit.

Paulus dicit. *Euacuati eſtis à Chriſto qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis*, id eſt, qui ſentiunt quòd mereantur propriis operibus remiſsionem peccatorum,

& quòd propter propriam legis impletionem placeant Deo, nec sentiunt quòd propter Christum gratis accipiant fide donatam remissionem peccatorum per misericordiam Dei, & quòd propter Christum placeant Deo, hi amittunt Christum, quia fiduciam debitam Christo & promissioni Dei, transferunt ad opera. Item opponunt iræ Dei, non propitiatorem Christum, sed propria opera: quare honorem debitum Christo transferunt ad opera nostra. Constat autem Monachos hoc docere, quòd suis obseruationibus mereantur remissionem peccatorum, quòd habeant Deum propitium propter has obseruationes. Quare docent confidere suis operibus, non propitiatione Christi. Hæc fiducia est impia, & cum Euangelio pugnat, & in iudicio Dei deprehendetur esse inanis. Non enim possunt opera nostra opponi iræ ac iudicio Dei. Tantùm ita placatur ira Dei, quando gratuitam misericordiam propter Christum promissam fide apprehendimus. Amittunt igitur Christum, qui fiduciam non in Christum, sed in opera propria collocant.

Præterea, Monachi docuerunt suum vitæ genus statum esse perfectionis; quia obseruarent non solùm præcepta, sed etiam concilia. Hic error maximè pugnat cum Euangelio, quòd finxerunt se præceptis ita satisfacere, vt amplius etiam facerent. Et hinc natus est horribilis error, quòd finxerunt se habere merita supererogationis. Hæc applicauerunt pro aliis, vt satisfactiones essent pro alienis peccatis. Hæc si quis odiosè velit exagitare, quàm multa commemorare posset, quorum iam ipsos Monachos pudet.

Non est leue scandalum in Ecclesia populo proponere, certum cultum ab hominibus excogitatum, sine mandato Dei, & docere, quòd talis cultus iustificet homines. Quia iustitia fidei in Christum, quam maximè oportet tradi in Ecclesia, obscuratur, cùm illæ mirificæ religiones Angelorum, simulatio paupertatis & humilitatis, & cœlibatus offunduntur oculis hominum.

Præterea obscurantur præcepta Dei, & verus cultus Dei, cùm audiunt homines, solos Monachos esse in statu perfectionis, quia perfectio Christiana est seriò timere Deum, & rursus concipere magnam fidem, & confidere propter Christum, quòd habeamus Deum placatum, petere à Deo, & certò expectare auxilium in omnibus rebus gerendis, iuxta vocationem. Interim foris diligenter facere bona opera, & seruire vocationi. In his rebus est vera perfectio, & verus cultus Dei, non est in cœlibatu aut mendicitate, aut veste sordida. Ac populus concipit multas perniciosas opiniones ex illis falsis præconiis vitæ Monasticæ. Audit sine modo laudari cœlibatum, ideò cum offensione conscientiæ versatur in coniugio. Audit solos mendicos esse perfectos, ideò cum offensione conscientiæ retinet possessiones, negotiatur. Audit consilium Euangelicum esse de non vindicando, ideò alij in priuata vita non verentur vlcisci, audiunt enim concilium esse non præceptum. Alij, omnes Magistratus & ciuilia officia iudicant indigna esse Christianis.

Leguntur exempla hominum qui deserto coniugio, deserta reipub. administratione, abdiderunt se in Monasteria. Id vocabant, *fugere ex mundo, & quærere vitæ genus quòd Deo magis placeret*, nec videbant Deo seruiendum esse in illis mandatis, quæ ipse tradidit, non in mandatis, quæ sunt excogitata ab hominibus. Bonum & perfectum vitæ genus est, quod habet mandatum Dei. De his rebus necesse est admonere homines. Et ante hæc tempora reprehendit

Gerson

Gerson errorem Monachorum de perfectione, & testatur, suis temporibus nouam vocem fuisse, *quòd vita Monastica sit status perfectionis.*

Tam multæ impiæ opiniones hærent in votis, quòd mereantur remissionem peccatorum & iustificationem, quòd sint perfectio Christiana, quòd seruent consilia & præcepta, quòd habeant operá supererogationis. Hæc omnia cum sint falsa & inania, faciunt vota irrita.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

MAgnæ disputationes fuerunt de potestate Episcoporum, in quibus nonnulli incommodè commiscuerunt potestatem Ecclesiasticam, & potestatem gladij. Et ex hac confusione, maxima bella, maximi motus extiterunt, dum Pontifices, freti potestate clauium, non solùm nouos cultus instituerunt, reseruatione casuum: violentis excommunicationibus conscientias onerauerunt, sed etiam regna mundi transferre & Imperatoribus adimere Imperium conati sunt. Hæc vitia multò antè reprehenderunt in Ecclesia homines pij & eruditi. Itaque nostri ad consolandas conscientias, coacti sunt ostendere discrimen Ecclesiasticæ potestatis, & potestatis gladij, & docuerunt vtramque propter mandatum Dei religiosè venerandam, & honore afficiendam esse, tanquam summa Dei beneficia in terris.

Sic autem sentiunt, potestatem clauium, seu potestatem Episcoporum, juxta Euangelium, potestatem esse seu mandatum Dei, prædicandi Euangelij, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta. Nam cum hoc mandato Christus mittit Apostolos, *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis peccata, retenta sunt:* Marci 16. *Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ,* &c.

Hæc potestas tantùm exercetur docendo seu prædicando Euangelium, & porrigendo Sacramenta, vel multis vel singulis juxta vocationem, quia conceduntur non res corporales, sed res æternæ, justitia æterna, Spiritus Sanctus, vita æterna. Hæc non possunt contingere, nisi per ministerium verbi & Sacramentorum, sicut Paulus dicit, *Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti.* Itaque cùm potestas Ecclesiastica concedat res æternas, & tantùm exerceatur per ministerium verbi, non impedit politicam administrationem, sicut ars canendi nihil impedit politicam administrationem. Nam politica administratio versatur circa alias res quàm Euangelium. Magistratus defendit non mentes, sed corpora & res corporales, aduersus manifestas injurias, & coercet homines gladio, & corporalibus pœnis, vt justitiam ciuilem & pacem retineat.

Non igitur commiscendæ sunt potestates, Ecclesiastica & Ciuilis: Ecclesiastica suum mandatum habet, Euangelij docendi & administrandi Sacramenta. Non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges Magistratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de vllis ciuilibus ordinationibus aut contractibus, non præscribat leges Magistratibus de forma Reipublicæ, sicut dicit Christus, *Regnum meum non*

est de hoc mundo. Item, *Quis constituit me judicem aut diuisorem super vos?* Et Paulus ait, Philipp.3. *Nostra politia in cœlis est.* 2.Corinth.10. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad destruendas cogitationes,* &c. Ad hunc modum discernunt nostri vtriusque potestatis officia, & jubent vtramque honore afficere & agnoscere, vtramque Dei donum & beneficium esse.

Si quam habent Episcopi potestatem gladij, hanc non habent, vt Episcopi ex mandato Euangelij, sed jure humano donatam à Regibus & Imperatoribus, ad administrationem ciuilem suorum bonorum. Hæc interim alia functio est quàm ministerium Euangelij.

Cùm igitur de jurisdictione Episcoporum quæritur, discerni debet imperium ab Ecclesiastica jurisdictione. Porrò secundùm Euangelium, seu vt loquuntur, de jure diuino, nulla jurisdictio competit Episcopis, hoc est, his quibus est commissum ministerium verbi & Sacramentorum, nisi remittere peccata. Item, cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Euangelio dissentientem rejicere, & impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiæ, sine vi humana, sed verbo. Hîc necessariò, & de jure diuino, debent Ecclesiæ præstare obedientiam, juxta illud, *Qui vos audit, me audit.*

Verùm cùm aliquid contra Euangelium docent aut statuunt, tunc habent Ecclesiæ mandatum Dei, quod obedientiam prohibet, Matth.7. *Cauete à Pseudoprophetis.* Galat.1 *Si Angelus de cœlo aliud Euangelium euangelizauerit, anathema sit.* 2.Corinth.13. *Non possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate.* Item, *Data est nobis potestas ad ædificationem, non ad destructionem.* Sic & Canones præcipiunt.2,q,2,*cap.Sacerdotes*,&*c.Oues.* & Augustinus, contra Petiliani Epistolam, inquit, *Nec Catholicis Episcopis consentiendum est, sicuti fortè falluntur, aut contra Canonicas Dei Scripturas aliquid sentiunt.*

Si quam habent aliam potestatem, vel iurisdictionem in cognoscendis certis causis, videlicet matrimonij, aut decimarum, &c. hanc habent humano iure; vbi, cessantibus Ordinariis, coguntur Principes, vel inuiti, suis subditis ius dicere, vt pax retineatur.

Præterea hæc disputatur, *Vtrùm Episcopi seu Pastores habeant ius instituendi ceremonias in Ecclesia, & leges de cibis, feriis, gradibus ministrorum, seu ordinibus,* &c. *condendi.* Hoc ius qui tribuunt Episcopis, allegant testimonium; *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Allegant etiam exemplum Apostolorum, qui prohibuerunt abstinere à sanguine, & suffocato. Allegant Sabbatum mutatum esse in diem Dominicum contra Decalogum, vt videtur. Nec vllum exemplum magis iactatur quàm mutatio Sabbati. Magnam contendunt Ecclesiæ potestatem esse, quòd dispensauerit de præcepto Decalogi.

Sed de hac quæstione nostri sic docent: Quòd Episcopi non habent potestatem statuendi aliquid contra Euangelium, vt suprà ostensum est. Docent idem Canones 9.*Distinct.* Porrò contra Scripturam est, traditiones condere aut exigere, vt per eam obseruationem mereamur remissionem peccatorum & satisfaciamus pro peccatis. Læditur enim gloria meriti Christi, cùm talibus obseruationib. conamur mereri remissionem peccatorum & iustificationem. Constat autem propter hanc persuasionem, in Ecclesia penè in infinitum creuisse traditionem, oppressa interim doctrina de fide & iustitia fidei: quia subin-

de

de plures feriæ factæ ſunt, ieiunia indicta, cæremoniæ nouæ, noui honores Sanctorum instituti ſunt, quia arbitrabantur ſe, auctores talium rerum, his operibus mereri remiſsionem peccatorum & iuſtificationem. Sic olim creuerunt Canones pœnitentiales, quorum adhuc in ſatisfactionibus veſtigia quędam videmus.

Item plerique ſcriptores fingunt in Nouo Teſtamento oportere cultum ſimilem eſſe Leuitico, cuius ordinationem commiſerit Deus Apoſtolis & Epiſcopis. Et videntur ſcriptores exemplo legis Moſaicæ decipi; quaſi iuſtitia Noui Teſtamenti ſit externa obſeruatio certorum rituum, ſicut iuſtitia Legis erat externa obſeruatio certorum rituum. Sicut igitur in Lege peccatum erat edere ſuillam carnem, &c. Ita in Nouo Teſtamento collocant peccatum in cibis, in diebus, in veſtitu, & ſimilibus rebus. Et exiſtimant ſine his rebus iuſtitiam Noui Teſtamenti non poſſe exiſtere. Hinc ſunt illa onera, quòd certi cibi polluant conſcientiam, quòd horas Canonicas omittere, ſit peccatum, quòd ieiunia mereantur remiſsionem peccatorum, quòd ſint neceſſaria ad iuſtitiam Noui Teſtamenti, quòd peccatum in caſu reſeruato non poſsit remitti, niſi acceſſerit auctoritas reſeruantis, cùm quidem ipſi Canones tantùm de reſeruatione pœnæ Canonicæ loquantur, non de reſeruatione culpæ.

Vnde habent ius Epiſcopi has traditione imponendi Eccleſiis ad grauandas conſcientias? Extant enim clara teſtimonia, quæ prohibent condere tales traditiones, vel ad promerendam remiſsionem peccatorum, vel tanquam neceſſarias ad iuſtitiam Noui Teſtamenti, aut ad ſalutem.

Paulus Coloſſ. 2. *Nemo vos iudicet in cibo, potu, parte diei feſti, nouilunio, aut ſabbatis.* Item, *Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quare tanquam viuentes in mundo, decreta facitis? Non attingas, non guſtes, non contrectes, quæ omnia pereunt vſu, & ſunt mandata & doctrinæ hominum, quæ habent ſpeciem ſapientiæ.* Item ad Titum apertè prohibet traditiones: *Non attendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auerſantium veritatem.* Et Chriſtus, Matth. 15. inquit, de his qui exigunt traditiones: *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* Et improbat tales cultus: *Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur.*

Si ius habent Epiſcopi onerandi Eccleſias infinitis traditionibus, & illaqueandi conſcientias, cur toties prohibet Scriptura condere & audire traditiones? Cur vocat eas *traditiones dæmoniorum?* Num fruſtra hæc præmonuit Spiritus Sanctus? Relinquitur igitur, cùm ordiationes inſtitutæ tanquam neceſſariæ, aut cum opinione promerendæ remiſsionis peccatorum, pugnent cum Euangelio, quòd non liceat vllis Epiſcopis tales cultus exigere. Neceſſe eſt enim in Eccesiis retineri doctrinam de libertate Chriſtiana, quòd non ſit neceſſaria ſeruitus legis ad iuſtificationem; ſicut in Galatis ſcriptum eſt; *Nolite iterum iugo ſeruitutis ſubjici.* Neceſſe eſt retineri præcipuum Euangelij locum, quòd remiſsionem peccatorum & iuſtificationem per fidem in Chriſtum gratis conſequamur, non propter certas obſeruationes, aut propter cultus ab hominibus inſtitutos.

Quid igitur ſentiendum eſt de die Dominico, & ſimilibus ritibus templorum? Ad hæc reſpondent, Quòd liceat Epiſcopis ſeu Paſtoribus facere ordinationes, vt res ordine gerantur in Eccleſia, non vt per illas mereamur remiſ-

sionem peccatorum, aut satisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conscientiæ, vt iudicent esse necessarios cultus, ac sentiant se peccare, cùm sine offensione aliorum violant. Sic Paulus ordinat, vt *in congregatione mulieres velent capita: vt ordine audiantur in Ecclesia interpretes*, &c.

Tales ordinationes conuenit Ecclesias propter charitatem & tranquillitatem seruare eatenus, ne alius alium offendat, vt ordine & sine tumultu omnia fiant in Ecclesiis. Verùm ita, ne conscientiæ onerentur, vt ducant res esse necessarias ad salutem, ac iudicent se peccare, cùm violant eas sine aliorum offensione, sicut nemo dixerit peccare mulierem, quæ in publicum non velato capite procedit, sine offensione hominum.

Talis est obseruatio diei Dominici, Paschatis, Pentecostes, & similium feriarum, & rituum. Nam qui iudicant Ecclesiæ autoritate, pro Sabbato institutam esse diei Dominici obseruationem, tanquam necessariam, longè errant. Scriptura concedit, vt obseruatio Sabbati nunc sit libera. Docet enim cæremonias Mosaicas, post reuelatum Euangelium, non necessarias esse. Et tamen quia opus erat constituere certum diem, vt sciret populus quando conuenire deberet, apparet Ecclesiam ei rei destinasse diem Dominicum, qui ob hanc quoque causam videtur magis placuisse, vt haberent homines exemplum Christianæ libertatis, & scirent nec Sabbati nec alterius diei obseruationem necessariam esse.

Extant prodigiosæ disputationes de mutatione legis, de cæremoniis nouæ legis, de mutatione Sabbati, quæ omnes ortæ sunt ex falsa persuasione, quòd oporteat in Ecclesia cultum esse similem Leuitico. Et quòd Christus commiserit Apostolis & Episcopis, excogitare nouas cęremonias, quæ sint ad salutem necessariæ. Hi errores serpserunt in Ecclesiam, cùm iustitia fidei non satis clarè doceretur. Aliqui disputant diei Dominici obseruationem non quidem iuris diuini esse, sed quasi iuris diuini, præscribunt de feriis, quatenus liceat operari. Huiusmodi disputationes quid sunt aliud nisi laquei conscientiarum? Quanquam enim conentur epiikizare traditiones, tamen nunquam patest æquitas deprehendi, donec manet opinio necessitatis, quam manere necesse est, vbi ignorantur iustitia fidei, & libertas Christiana.

Apostoli iusserunt abstinere à sanguine, quis nunc obseruat? neque tamen peccat qui non obseruant, quia ne ipsi quidem Apostoli voluerunt onerare conscientias tali seruitute, sed ad tempus prohibuerunt propter scandalum. Est enim perpetua voluntas Euangelij consideranda in decreto. Vix vlli Canones seruantur accuratè, & multi quotidie exolescunt apud illos etiam, qui diligentissimè defendunt traditiones. Nec potest conscientiis consuli, nisi hæc æquitas seruetur, vt sciamus eos sine opinione necessitatis seruari, nec lædi conscientias, etiamsi traditiones exolescant.

Facilè autem possent Episcopi legitimam obedientiam retinere, si non vrgerent seruare traditiones, quæ bona conscientia seruari non possunt. Nunc imperant cœlibatum, nullos recipiunt nisi iurent se puram Euangelij doctrinam nolle docere. Non petunt Ecclesiæ vt Episcopi honoris sui iactura sarciant concordiam, quod tamen decebat bonos pastores facere. Tantùm petunt vt iniusta onera remittant, quæ noua sunt, & præter consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ recepta. Fortassis initio quædam constitutiones habue-

runt probabiles causas, quæ tamen posterioribus temporibus non congruunt. Apparet etiam quasdam errore receptas esse, quare Pontificiæ clementiæ esset, illas nunc mitigare, quia talis mutatio non labefacit Ecclesiæ vnitatem. Multæ enim traditiones humanæ tempore mutatæ sunt, vt ostendunt ipsi Canones. Quòd si non potest impetrari, vt relaxentur obseruationes, quæ sine peccato non possunt præstari, oportet nos regulam Apostolicam sequi, quæ præcipit, *Deo magis obedire quàm hominibus.* Petrus vetat *Episcopos dominari, & Ecclesiis imperare.* Nunc non id agitur, vt dominatio eripiatur Episcopis, sed hoc vnum petitur, vt patiantur Euangelium purè doceri, & relaxent paucas quasdam obseruationes, quæ sine peccato seruari non possunt. Quòd si nihil remiserint, ipsi viderint, quomodo Deo rationem reddituri sint, quòd pertinacia sua causam schismati præbent.

EPILOGVS.

Hi sunt præcipui articuli, qui videntur habere controuersiam; quanquam enim de pluribus abusibus dici poterat, tamen, vt fugeremus prolixitatem, præcipua complexi sumus, ex quibus cætera facilè iudicari possunt. Magnæ querelæ fuerunt de Indulgentiis, de Peregrinationibus, de abusu excommunicationis. Parochiæ multipliciter vexabantur per Stationarios. Infinitæ contentiones erant Pastoribus cum Monachiis, de iure Parochiali, de Confessionibus, de sepulturis, de extraordinariis concionibus, & de aliis innumerabilibus rebus. Huiusmodi negotia prætermisimus, vt illa quæ sunt in hac causa præcipua, breuiter proposita, faciliùs cognosci possent. Neque hîc quicquam ad vllius contumeliam dictum aut collectum est. Tantum ea recitata sunt, quæ videbantur necessariò dicenda esse, vt intelligi posſit, in doctrina ac cæremoniis, apud nos nihil esse receptum contra Scripturam aut Ecclesiam Catholicam, quia manifestum est, nos diligentissimè cauisse, ne qua noua & impia dogmata in Ecclesias nostras serperent.

Hos articulos suprà scriptos, voluimus exhibere iuxta edictum C.M. in quibus confessio nostra extaret, & eorum qui apud nos docent doctrinæ summa cerneretur. Si quid in hac confessione desiderabitur, parati sumus latiorem informationem, Deo volente, iuxta Scripturas, exhibere.

Cæsareæ Majest. V.

Fideles & Subditi,

JOANNES, Dux Saxoniæ, Elector.
GEORGIVS, Marchio Brandenburgensis.
ERNESTVS, Dux Luneburgensis.
PHILIPPVS, Landgrauius Hessorum.
JOANNES FRIDERICVS, Dux Saxoniæ.
FRANCISCVS, Dux Luneburgensis.
WOLFGANGVS, Princeps ab Anhalt.
SENATVS Magistratúsque Nurnbergensis.
SENATVS Reutlingensis.

CONFESSIO DOCTRINÆ SAXONICARVM ECCLESIARVM SYNODO TRIDENTINÆ OBLATA, anno Domini M. D. LI.

In qua, Christiane Lector, videbis, quinam è Catholicæ Ecclesiæ gremio resilierint, & per quos stet, quo minùs Ecclesiæ pia concordia sarciatur.

NECESSE est interrogatos recitare doctrinam, præsertim cùm accusantur Ecclesiæ, quòd vel errore falsa dogmata sparserint, aut receperint, vel petulantia moueant seditiones, & à communi sensu temerè discedant propter ambitionem, odia, auaritiam, cupiditatem vindictæ, aut alios prauos affectus. Itaque & jussi, verè & bona fide iterum recitabimus doctrinam in Ecclesiis nostris sonantem: quam etsi alij magis, alij minùs eruditè aut perspicuè tradunt, tamen sine discordia in fundamento omnes Pastores in Ecclesiis nostris amplectuntur. Quanquam autem scimus periculosam esse veritatis confessionem, tamen propter multas honestas causas eam non grauatim repetimus. Primùm, quia cùm multa falsa crimina apud Reges & apud exteras nationes in nos conferantur, & odia contra nos variis calumniis accensa sint, hæc commemoratio mendacia illa refutabit, & aliquorum iracundiam leniet. Deinde, sæpius repetere veram doctrinæ explicationem, Deo gratum est: & aliqui cognitis fontibus, ad veritatem inuitantur. Necesse est nos etiam ad posteros relinquere publica testimonia, digna fide, opposita falsis criminationibus, ne posteritas de nobis secus iudicet: & vt aliqui his nostris testimoniis commonefacti, veritatem inquirant, & in veris sententiis confirmentur. Speramus etiam eos qui considerabunt historiæ seriem & initia horum certaminum, intellecturos esse nos nec errore, nec vlla praua cupiditate hanc doctrinam amplexos esse, & tueri. Nullum majus scelus est, quàm agnitæ veritati aduersari. Sicut scriptum est, Blasphemia Spiritus non remittetur. *Nos igitur, cùm audiuissemus perspicuam veritatem de rebus necessariis, de pœnitentia, de fide*

de fide accipiente remißionem peccatorum, de lege, de gratia, de vera inuocatione, de discrimine verorum & falsorum cultuum, de vsu Sacramentorum, & aliis necessariis doctrinæ partibus: adsentiri, & Deo gratias agere pro hoc immenso beneficio oportuit, quòd reddita Euangelij luce, plures ad se conuertit. Cùm enim scriptum sit, Pater sanctifica eos in veritate tua, Sermo tuus est veritas: *Ecclesia colligitur non falsis opinionibus & superstitionibus, sed incorrupta Euangelij voce. Itaque si constabit genus doctrinæ, quod amplexi sumus, verum, & necessarium esse Ecclesiæ, non sophisticum, non seditiosum; non existimemur aut errore lapsi, aut curiositate, aut odio disciplinæ, ac lenitate & licentiæ dulcedine, aut aliis prauis cupiditatibus impulsi, vt nouis opinionibus adplauderemus.*

Initium autem his disputationibus præbuit, contentio de Indulgentiis: quas cùm Monachus Tecelius in his regionibus venales circumferret, & in earum præconiis multa tetra mendacia scurrili impudentia spargeret, officij ratio pios doctores cogebat, hos furores reprimere. Edidit igitur D. Lutherus propositiones piè & modestè scriptas, ad erudiendas & commonefaciendas Ecclesias de tota doctrina pœnitentiæ. Hîc pugnare Tecelius incepit, non solùm clamosis concionibus, & suorum satellitum scriptis, sed etiam fulminibus condemnationum & excommunicationum. Ac citò ex Germania Romam perlata est fama horum certaminũ, & duos statim belli socios habuit Tecelius Romæ, Magistrum Palatij, & in Germania Eccium, qui Leonis bullam Roma attulit. Lutherus, quia veritatis defensionem abjicere non potuit, & tot modis irritabatur, edidit Defensiones copiosè scriptas, in quibus vt causarum magnitudo & varietas poscebat de multis partibus doctrinæ Ecclesiasticæ dici necesse fuit.

Cùm igitur multi errores & abusus in Ecclesia multis jam seculis hæreant, quos multi docti & pij etiam ante hæc tempora & deplorarunt & taxauerunt, fieri non potuit, quin hi errores & abusus reprehenderentur, cùm de fontibus harum controuersiarum dicendum esset. Quanquam autem & fuerunt, & sunt, & erunt dißimilia hominum judicia: tamen res ostendit, Deum voluisse, depulsis tenebris, apud multos restituere ministerium Euangelij, & veram inuocationem, & hac repurgatione doctrinæ paßim sibi æternam Ecclesiam colligere. Nec verò dici potest, nullos fuisse, aut esse errores in doctrina & traditionibus Aduersariorum.

Maximè necessarium est in Ecclesia extare doctrinam de pœnitentia, & de fide, accipiente remißionem peccatorum, incorruptam & perspicuam. Manifestum est autem, de hac præcipua parte doctrinæ Ecclesiasticæ multos pernitiosos errores & labyrinthos tradi & confirmari ab Aduersariis. Extant

enim libri, qui inde vsque à trecentis annis in multorum manibus sunt. Quanta contumelia est aduersus filium Dei, quòd dicunt homines mereri remißionem peccatorum propriis operibus, & justos esse impletione legis. Deinde cumulant errores, cùm nemo sciat, quando satis habeat operum. jubent homines perpetuò dubitare, an habeant remißionem peccatorum, & an placeant Deo. Hîc de Mediatore filio Dei, & de fide accipiente gratuitam remißionem peccatorum, & vincente dubitationem, silentium est in Aduersariorum scriptis. Hi errores prorsus Ethnica somnia sunt, & complectuntur aliud magnum chaos errorum. Fingunt deprauationem in humana natura, quæ nominatur mala concupiscentia, non esse peccatum: id est, non esse malum pugnans cum lege Dei. Fingunt obedientiam, quæ præstari potest in hac vita, esse impletionem legis, & hominem hac impletione legis coram Deo justum esse. Postea in doctrina pœnitentiæ finxerunt inextricabilia deliramenta, oportere Contritionem sufficientem esse, & hanc mereri gratiam.

De Confeßione flagitant enumerationem singulorum delictorum: quæ est carnificina conscientiarum, impediens fidem & inuocationem.

Nomen satisfactionum non intellectum falsò transtulerunt ad compensationes pro peccatis: & finxerunt opera non debita cultus Dei esse, & compensationes. Postea res ad quæstum translata est. Excogitatæ sunt indulgentiæ, ne ab ipsis quidem intellectæ, qui venales circumferebant. Et hæ præstigiæ obscurabant doctrinam de filio Dei, de vera conuersione, de fide, de inuocatione, de veris cultibus.

Erat ignota tota hæc consolatio, necessaria omnibus, quomodo conuersus ad Deum sit justus, & placeat Deo: qua de re in scriptis Monachorum leguntur tantùm Pharisaicæ opiniones, nec ostenditur discrimen justitiæ fidei & disciplinæ. Præterea in multis regionibus aut silent conciones ferè toto anno, aut si quæ fiunt, plenæ sunt vanitatis. Non enim continent doctrinam de beneficiis filij Dei, sed indocti recitant fabulosas historias de Sanctis, aut superstitiosas nænias traditionum, & doctiores ostentant Philosophiam: nunc vtrique, docti & indocti, tantùm conuiciantur Lutheranis, & damnant incognita. Præterea intueantur oculi ea quæ fiunt in ipsorum templis. Omnia plena sunt inuocatione hominum mortuorum. In multis locis adhuc prostrati ad statuas, inuocant alij alia numina, & aliis de causis. Ab Anna petuntur diuitiæ, vt à Iunone: à Georgio victoria, vt à Marte, denique ab aliis alia. Hi furores manifestè contumeliosi sunt aduersus Deum. Quantum manifestæ turpitudinis oritur ex lege de cœlibatu? Quàm multi homines tot seculis, alioqui amantes virtutem, polluti sunt horrendis peccatis, propter hoc vinculum, qui tandem desperatione & æternis pœnis oppreßi sunt?

Vita Monastica plena est falsarum opinionum & superstitionum, & multæ bonæ mentes pereunt ibi, ignorantes Euangelium, & implicitæ laqueis stultarum & impiarum traditionum. Ita & in reliqua Ecclesia, multæ falsæ opiniones de humanis traditionibus à Monachis & antea sparsæ sunt, quæ fidem & inuocationem, & veros cultus alios à Deo mandatos obscurauerunt.

In templis etiam palàm cernitur multiplex profanatio Cœnæ Domini, quam summa reuerentia administrari oportuit. Legunt Missas, & offerunt, vt loquuntur, plurimi sacrificuli, ignorantes quid agant. Tantum consuetudini obtemperant, aut seruiunt ventri. Alij superstitiosi, qui plus cogitant de hoc suo opere, fingunt se opus facere toti Ecclesiæ necessarium, quod mercatur facienti & aliis remissionem peccatorum. Postea fit aucupium maximi quæstus, fiunt sacrificia pro mortuis. Et templa magis occupata sunt funerum cæremoniis, quàm voce concionum, aut exercitiis viuentium. Nec populus rectè docetur apud Adversarios de vsu Sacramenti: quia docent Monachi, sumentes ex opere operato, vt loquuntur, accipere remissionem peccatorum. Et vna pars Sacramenti populo adimitur, altera pars etiam extra vsum institutum circumfertur, & adoratur contra rationem Sacramenti: & additæ sunt falsæ opiniones multæ. Nihil dicunt hi de justitia fidei, & de vero vsu Sacramentorum: quæ non sunt merita, sed testimonia confirmantia fidem, vt suo loco dicemus. Hos morbos in Ecclesia si quis aut dissimulare, aut excusare vult, facit injustè, & inter eos de quibus dicitur: Væ vobis qui dicitis malum bonum, *&c. Sunt enim publicè noti omnibus, non fascinatis tetra hypocrisi.*

Diximus pauca de erroribus doctrinæ, & cultuum. Iam Episcoporum aulæ aspiciantur, vbi non de communibus aularum vitiis & miseriis querimur, quales sunt in omnibus etiam parvis familiis, sed de neglectione præcipui officij. Ordinatio ministrorum, inspectio Ecclesiarum, gubernatio studiorum doctrinæ, cura disciplinæ: hæ summæ res initio commendatæ fuerunt Episcopis, quas ferè vbique ab eis negligi manifestum est. Ita tenebræ, idola, disciplinæ laxatio pervaserunt in Ecclesiam, Episcopis negligentibus sui muneris officia. Nunc magis negligunt, quàm antea: & addunt tyrannidem aduersus homines innocentes, vt idola & impias leges stabiliant.

Est & omnibus doctis nota vanitas Constitutionum & opinionum, quæ tribuunt Romano Episcopo etiam authoritatem regiam: qua opinione inflati Pontifices, sæpe magna bella accenderunt. Non igitur nobis objici potest, nos falsò queri de Ecclesiastica gubernatione, & seditiosè aduersari gubernatoribus, sine justis causis: ac nos potiùs serere nouas ac perniciosas opiniones. Multi enim tetri errores, & multi abusus adeò manifesti sunt, vt facillimè agnosci & judicari ab omnibus communi sensu præditis possint. In talibus

cùm regulæ seruandæ sint, Non habebis deos alienos : *item*, Blasphemia Spiritus non remittitur : *item*, Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit : *necesse est nos dissentire ab iis qui mendacia & idola stabiliunt, & sonare nostram confeßionem : qua in re & intra justas metas mansimus. Fideliter vniuersam doctrinam Ecclesiæ, inquisitis fontibus, tradidimus, & tantùm docendo eam propagauimus. Non sumus tubæ seditionum: imò scriptis Lutheri magis illustrata & ornata est politica potestas, quàm vllis scriptis aliorum post Apostolos. Vt autem antea in multis scriptis sine vlla ambiguitate simpliciter recitauimus doctrinam & cærimonias Ecclesiarum nostrarum, ita & nunc eandem commemorationem sine ambiguitate & sine corruptelis exhibemus : in qua satis conspicient omnes verè judicantes hoc tempore, & ad posteros, nos fideliter retinere consensum Ecclesiæ Catholicæ Domini nostri Iesu Christi, & illustrare doctrinam necessariam ad agnitionem filij Dei, & ad salutem hominum : & non mouere curiosas aut inutiles quæstiones. Et offerimus nos ad piam declarationem, in quacunque parte flagitabitur.*

DE DOCTRINA.

CVm certißimum sit, Deum sibi in genere humano, propter Filium, & per eum, colligere æternam Ecclesiam voce doctrinæ, quæ scripta est in libris Prophetarum & Apostolorum : adfirmamus clarè coram Deo & vniuersa Ecclesia in cœlo & in terra, nos vera fide amplecti omnia scripta Prophetarum & Apostolorum ; & quidem in hac ipsa natiua sententia, quæ expressa est in Symbolis, Apostolico, Nicæno & Athanasiano. Et hæc ipsa Symbola, & eorum natiuam sententiam sine corruptelis semper constanter amplexi sumus, & Deo iuuante, perpetuò amplectemur. Et in hac fide verum Deum, qui se patefecit in Ecclesia sua, misso Filio, & additis illustribus testimoniis, inuocamus cum omnibus sanctis in cœlo & in terra. Et extant nostræ enarrationes in Symbola, comprehendentes totum doctrinæ corpus & fundamentum, quæ ostendunt hanc nostram asseuerationem verißimam esse.

Damnamus etiam constantißimè omnes furores, qui pugnant cum Symbolis: vt sunt Ethnicorum, Iudæorum, Mahometistarum, Marcionis, Manichæorum, Samosatheni, Arrij, Pneumatomachorum portentosæ opiniones, & aliæ, condemnatæ veris Ecclesiæ iudiciis. Cùm autem controuersiæ quæ exortæ sunt, præcipuè pertineant ad duos articulos symboli, videlicet ad articulum, CREDO remißionem peccatorum : item, CREDO Ecclesiam sanctam Catholicam : Ostendemus harum controuersiarum fontes, quibus consideratis intelligi poterit, nostras declarationes ipsam Euangelij vocem esse, & ab Aduersariis corruptelas in Ecclesia sparsas esse. Ac primùm de articulo.

Credo remißionem peccatorum.

Hîc

f^e Hic multæ & magnæ corruptelæ adfinguntur ab Aduersariis: Credo, imò dubito, inquiunt: item, Tunc credam cùm satis habebo meritorum: item non dicunt, *Credo remissionem propter filium Dei certò dari gratis, non propter vlla nostra merita, aut vllam dignitatem nostram*: item non rectè enarrant peccatum, & fingunt hominem legi Dei satisfacere posse, & legis impletione iustum esse coram Deo in hac vita. Ideò primùm de peccato, & causa peccati, fideliter retineamus doctrinam veræ Ecclesiæ Dei.

Cùm Essentia diuina sit vnica, æternus Pater, coæternus Filius imago Patris, & coæternus Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedens, immensæ sapientiæ, potentiæ, bonitatis, verax, iusta, benefica, casta, liberrima, sicut ipse sese describit in lege sua: & condiderit Angelos & homines ideo, vt suam lucem, sapientiam, & bonitatem in omni æternitate eis communicaret, & essent templa Dei, in quibus Deus habitaret, *vt esset Deus omnia in omnibus*, vt Paulus loquitur: condidit initiò eos iustos & bonos, id est, congruentes cum mente & voluntate diuina, & placentes ipsi: ac dona attribuit, videlicet illustrem notitiam de Deo, & de voluntate eius, vt intelligerent se conditos esse à Deo, & ad obedientiam ipsi præstandam: attribuit & *libertatem voluntatis*, vt nominant: & reuera voluit obedientiam, sicut scriptum est, *Non volens Deus iniquitatem tu es*: sed diaboli & homines libertate sua abusi, defecerunt à Deo, & hac inobedientia facti sunt rei iræ Dei, & amiserunt rectitudinem, in qua conditi erant.

Itaque libera voluntas in diabolis & hominibus causa fuit eius lapsûs, non voluntas Dei, qui nec vult peccatum, nec approbat, nec adiuuat, sicut scriptum est: *Cùm mendacium loquitur diabolus, ex proprio loquitur, & pater est mendacij.* & primæ Ioan.3. *Qui facit peccatum, ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat. Est autem peccatum, quicquid est contrarium iustitiæ Dei*, quæ est ordo in mente diuina, quem & postea sua voce in Lege & Euangelio expressit: siue sit inobedientia Originalis, siue Actualis, propter quam & rea est persona iræ Dei, & damnatur æterna pœna, nisi fiat remissio in hac vita propter Filium Mediatorem.

Damnamus etiam furores Marcionis, Manichæorum, & similes, pugnantes cum vero consensu Ecclesiæ Dei in hac tota quæstione.

DE PECCATO ORIGINIS.

DE peccato Originis perspicuè etiam adfirmamus, nos retinere consensum veræ Ecclesiæ Dei inde vsque à primis Patribus, Prophetis, Apostolis, & ab Apostolorum discipulis, vsque ad Augustinum & deinceps traditum: & expressè damnamus Pelagium, & omnes qui similia deliramenta Pelagianorum in Ecclesiam sparserunt. Ac dicimus, omnes homines post lapsum primorum parentum, qui nascuntur ex commixtione maris & fœminæ, nascentes secum adferre peccatum Originis, sicut Paulus inquit Rom.5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors*: & Eph.2. *Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.*

Nec nobis displicet definitio vsitata, dextrè intellecta: *Peccatum Originis est carentia iustitiæ originalis debitæ inesse*: quia iustitia originalis non tantùm fuit ac-

ceptatio generis humani coram Deo, sed etiam in ipsa natura hominum lux in mente, quia firmiter adsentiri verbo Dei poterat: & conuersio voluntatis ad Deum, & obedientia cordis congruens cum iudicio legis Dei, quæ menti insita erat. Ac fuisset homo templum Dei, vt antea dictum est.

Hæc omnia complexam esse justitiam Originis, potest ex hoc dicto intelligi: *Homo conditus est ad imaginem & similitudinem Dei*, quod interpretatur Paulus inquiens, *Induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate vera*: vbi certè intelligit sanctitatem veram, omnes virtutes fulgentes in natura nostra diuinitus, non arte adscitas, aut disciplina comparatas: vt nunc vmbræ virtutum qualescunque sunt in hominibus ascitæ. Cùm autem consideratur quid significet justitia originalis, deinde minùs obscura est opposita priuatio.

Est itaque peccatum Originis, & propter lapsum primorum parentum, & propter hanc deprauationem, quæ lapsum secuta est, nascentes reos iræ Dei, & dignos æterna damnatione, nisi fiat remissio propter Mediatorem. Et hæc deprauatio est, *carere jam luce Dei, quæ in nobis fulsisset: & est auersio voluntatis nostræ à Deo, & contumacia cordis repugnans legi mentis*, vt Paulus loquitur: & hominem non esse templum Dei, sed miseram massam, sine Deo, & sine justitia.

Hos defectus, & hanc totam deprauationem, dicimus esse peccatum, non tantùm pœnam peccati, & rem indifferentem: sicut multi Sententiarij dicunt, hæc mala tantùm pœnam esse, & rem indifferentem, & non peccatum: & extenuant malum originis, & fingunt postea, homines posse legi Dei satisfacere, & propria legis impletione justos esse.

Vitandæ sunt in Ecclesia ambiguitates. Ideo expresse nominamus hæc mala *deprauationem*, quæ sæpe ab antiquis Scriptoribus nominatur *mala concupiscentia*.

Discernimus autem appetitiones in natura conditas, à confusione ordinis, quæ post lapsum accessit, sicut Ierem. 17. dicitur, *Prauum est cor hominis*: & Paulus inquit, *Sensus carnis inimicitia est adversus Deum*. Hanc malam concupiscentiam dicimus esse peccatum: & adfirmamus hanc totam doctrinam de peccato, sicut in Ecclesiis nostris proponitur & declaratur, perpetuum esse veræ Ecclesiæ Dei consensum.

DE REMISSIONE PECCATORVM & Iustificatione.

Dictum est suprà, has controuersias pertinere ad explicationem duorum articulorum Symboli: *Credo remissionem peccatorum*: &, *Credo Ecclesiam sanctam Catholicam*. Nec de rebus non necessariis, aut leuibus dicimus. Maximè necessarium est, in Ecclesia rectè proponi doctrinam de peccato, & intelligi quid sit peccatum, & conspici discrimen inter judicia politica & judicium Dei.

Cùm autem non rectè ostẽdant Aduersarij quid sit peccatum, vt jam dictum est, confirmant malam securitatem in hominibus, & multas falsas opiniones. Postea etiam quid est tristius, quàm hoc summum beneficium, Remissionem pec-

peccatorum,& liberationē à morte æterna,vel obſcurare,vel ignorare? Cumq́; nec diſcrimen ſit inter Eccleſiam & alios homines, extincta luce de gratuita remiſsione peccatorum propter Filium, & de fide qua accipi remiſsionem oportet, nec conſolatio ſit alia retrahens nos ex morte æterna, nec inuocatio vera ſine hac conſolatione fieri poſsit: & Deus ipſe toties præceperit audiri Filium, & cuſtodiri Euangelium, quod eſt mirandum decretum prolatum ex arcano conſilio diuinitatis,cùm ignotum eſſet omnibus creaturis maximè neceſſarium eſt,veram de remiſsione doctrinam retineri incorruptam.

Sed omnibus ætatibus inde vſque à primis Patribus ſparſæ ſunt præſtigiæ à diabolis, contra veram doctrinam de Filio Dei, præſertim in hoc articulo: quos tamen ſubinde refutauit Deus, excitatis rurſus bonis Doctoribus, ne funditus interiret Eccleſia. Oſtenderunt Adam, Seth, Nohe, Sem, Abraham, Iſaac, Jacob,& alij deinceps, verum diſcrimen Eccleſiæ Dei, & aliorum hominum; & docuerunt, Eccleſiæ traditam eſſe promiſsionem de Mediatore filio Dei, & de remiſsione peccatorum: & hanc fide accipiendam eſſe gratis, propter Mediatorem.

Et alligauerunt inuocationem ad hunc Deum,qui ſe patefecerat edita promiſsione de Mediatore: & habuerunt externos ritus diuinitus traditos, qui erant ſigna promiſsionis,& nervi publicæ congregationis.

Hos ritus omiſſa doctrina promiſsionum & fidei, magna pars multitudinis imitata eſt: & cùm adfingeret hanc perſuaſionem, homines his ritibus mereri remiſsionem peccatorū, cumulauit ritus, & paulatim proceſsit audacia, vt fit, vt alij alia numina fingerent. Ita diſceſſerunt Ethnici à vera Dei Eccleſia,& ab agnitione veri Dei, & promiſsione Redemptoris. Idem accidit poſt Moyſen. Inſtitutæ erant cæremoniæ hanc ipſam ob cauſam, vt eſſent commonefactiones de Mediatore: ſed multitudo oblita promiſsionis de Mediatore, de doctrina fidei,de gratuita remiſsione propter Mediatorem, finxit remitti peccata propter ſacrificia, & ritus illos, & hac ſuperſtitione cumulauit ſacrificia, & oblita eſt Mediatoris, & fuit ſine vera conſolatione ,& ſine vera inuocatione. Idem accidit poſt Apoſtolos, amiſsa luce Euangelij, in qua proponitur gratuita remiſsio propter Mediatorem accipienda fide: quæſita eſt remiſsio per exercitia monaſtica, per cœlibatum, per varias obſeruationes,per oblationem in Miſſa, per interceſsionem hominum mortuorum, & multæ monſtroſæ ſuperſtitiones excogitatæ ſunt,vt hiſtoriæ totius Eccleſiæ poſt Apoſtolos oſtendunt.

Aduerſus hos errores immenſa miſericordia Deus ſubinde vocem Euangelij reſtituit, ac vt in populo Iſrael ſubinde Prophetas excitauit, qui doctrinam repurgarent: ita in Eccleſia,poſt Apoſtolos, cùm ſcripta Origenica, & Pelagiana, & populi ſuperſtitio puritatem Euangelij corrupiſſent, tamen velut in caligine rurſus accenſa eſt lux ab Auguſtino: & hunc ſecuti ſunt Proſper, Maximus,& alij qui falſas opiniones in hoc articulo taxauerunt.

Poſtea natis Monachis, cum rurſus latè vagaretur opinio, quæ fingit homines mereri remiſsionem operibus; fuerunt tamen aliqui rectius ſentientes, etiamſi fundamento ſtipulas adderent: vt Hugo, Bernhardus, Gilibertus, Guilhelmus Pariſienſis, Taulerus, Ambroſius, Weſſellus, & alibi alij. Et nunc voce Lutheri magis illuſtrata eſt, & perſpicuè reſtituta Euangelij doctri-

na, & monstratus agnus, sicut Baptista inquit: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam: qui non credit, manet ira Dei super eum.* Hanc ipsam vocem Euangelij incorruptam sonant etiam Ecclesiæ nostræ: & expressè discernimus disciplinam, seu iustitiam, quam potest efficere homo non renatus, à iustitia fidei, & nouitate de qua concionatur Euangelium. Dicimus, *omnes homines disciplina coercendos esse*: id est, illa iustitia, quam etiam non renati prȩstare debēt, & vtcunq; possunt, quæ est obedientia in externis actionibus, iuxta omnia præcepta Dei ad omnes homines pertinentia. Quia Deus in homine post lapsum reliquit hanc libertatem, vt rationi & voluntati possint vtcunque obedire externa membra, in externis motibus ciendis vel omittendis: vt Achilles potest gladium stringere, aut recondere in vaginam: Scipio potest coercere membra, ne attingat alterius sponsam: vt hæc suo loco rectè & copiosè declarantur.

Hanc disciplinam à Deo præceptam esse, & puniri eius violationem præsentibus pœnis & æternis, in his qui non conuertuntur ad Deum, certissimum est: iuxta illa dicta, *Lex est posita iniustis*: item, *Qui gladium acceperit, gladio peribit*: item, *Scortatores & adulteros iudicabit Deus*: item, *Væ qui spolias, quia spoliaberis.*

Etsi autem omnes homines hac disciplina suos mores regere debent, & Deus imperia seuerè hanc disciplinam tueri iubet, & ipse horribilibus pœnis declarat iram suam aduersus hanc externam contumaciam: tamen hæc externa disciplina, etiam sicubi est honestissima, nequaquam est impletio legis, nec meretur remissionem peccatorum, nec est iustitia illa qua coram Deo accepti sumus: nec lux illa fulgens in natura hominum, sicut fulsit in nobis iustitia indita in creatione, aut sicut fulgebit noua iustitia in vita æterna. Sed tota hæc disciplina est qualiscunque externa gubernatio, similis folio ficus, quo tegunt nuditatem suam primi parentes post lapsum. Nec magis tollit peccatum, & naturæ corruptionem & mortem, quàm tollebant illæ frondes ficulneæ. Ideò Paulus toties clamat, *non tolli peccatum lege*, Rom. 3. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram eo*: & Rom. 8. *Cùm legi impossibile esset iustificare*, &c. & Galat. 2. *Si per legem iustitia est, frustra Christus est mortuus.* & ad Tit. 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluauit nos.*

Et contumelia est filij Dei, fingere vlla nostra opera merita esse, seu pretium remissionis peccatorum, & esse propitiationes pro peccato. Ideò Pharisaica illa & Pelagiana deliramenta clarè damnamus, quæ fingunt disciplinam illam esse impletionem legis Dei; itèm mereri remissionem, seu de congruo, seu de condigno, vel esse iustitiam qua homines coram Deo sint accepti. Sed filius Dei Dominus noster Iesus Christus, qui est imago æterni Patris, constitutus est Mediator, Propitiator, Redemptor, Iustificator & Saluator. Huius vnius obedientia & merito placatur ira Dei, vt Rom. 3. dicitur: *Quem posuit propitiatorem per fidem in sanguine eius.* & Heb. 10. *Impossibile est sanguine taurorum tolli peccata. Ipse autem vnicam pro peccatis offerens hostiam, in perpetuum sedet ad dexteram Dei*, &c.

Etsi autem causas huius mirandi consilij, cur hoc modo redimendum fuerit genus humanum, nondum in hac infirmitate cernimus: sed postea discendæ erunt in omni æternitate, tamen hæc initia nunc discenda sunt.

Conspiciuntur in hac victima, iustitia & ira Dei aduersus peccatum, & immensa misericordia erga nos, & amor in Filio erga genus humanum. Tanta est iu-

est iustitiæ seueritas, vt non sit facta reconciliatio, nisi pœna persolueretur. Tanta est iræ magnitudo, vt æternus Pater non sit placatus nisi deprecatione & morte Filij. Tanta misericordia, vt Filius pro nobis datus sit. Tantus amor in Filio erga nos, vt hanc veram & ingentem iram in se deriuauerit. Harum maximarum & arcanarum rerum considerationem in pectoribus accendito tu, FILI DEI, Spiritu tuo Sancto, vt verè expauescamus agnitione iræ, & rursus vera consolatione erigamur, & te in omni æternitate celebremus.

Vt autem beneficia huius Mediatoris nota essent generi humano, & nobis applicarentur, edita est promissio statim initiò post lapsum primorum parentum, & deinde sæpius repetita, & voce Prophetarum declarata: sed clarissimè recitata per ipsum Filium, & deinde per Apostolos: & institutum est ministerium docendi, & propagandæ promissionis, & condita Ecclesia, & subinde instaurata hac ipsa voce de filio Dei propitiatore. Per hoc ministerium semper fuit, est, & erit efficax filius Dei in credentibus, sicut Rom.1. dicitur: *Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti.* Et instaurat ipse hoc ministerium, cùm inquit: *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos: Ite prædicantes pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo.* Vult argui peccatum in toto genere humano, sicut inquit: *Spiritus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me.* Et Rom.1. *Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum.* Vult Deus agnosci iram suam aduersus peccata omnia, & præcipuè aduersus contemptum Filij, sicut in Psal. inquit: *Osculamini filium, ne irascatur, & pereatis de via, &c.* Vult nos verè expauescere agnitione tenebrarum, & horrendæ prauitatis & contumaciæ nostræ. Et quidem ipse Deus iræ suæ sensu corda opprimit, vt inquit Ezech. *Sicut leo contriuit omnia ossa mea.* Et ad hoc iudicium non solùm voce ministerij Legis & Euangelij vtitur, sed etiam omnes calamitates humanæ, sunt quasi vox legis, de ira Dei nos admonens, & omnes ad pœnitentiam inuitans. Cùm autem hac voce, peccata arguente, mens perterrefacta est, audiat promissionem Euangelij propriam de Filio Dei, & statuat sibi remitti peccata gratis propter filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum propitiatorem, per misericordiam, non propter contritionem aut dilectionem nostram. Hac fide cùm mens erigitur, certum est donari remissionem peccatorum, reconciliationem & imputationem iustitiæ, propter ipsius Christi meritum: & Christum in nobis efficacem esse, & suo Spiritu Sancto viuificare credentes & ex æterna morte nos liberare, & facere nos simul hæredes vitæ æternæ. Ita inquit Paulus Rom.3. *Decernimus fide iustificari hominem, sine operibus legis:* item, *Iustificamur gratis ipsius gratia, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius.* & Act.10. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere omnes qui credunt in eum.*

Sunt autem nota vocabula. *Fides* significat non tantùm historiæ notitiam, qualis & in diabolis est, de quibus dicitur, *Dæmones credunt & contremiscunt:* sed significat amplecti omnes articulos fidei, & in his hunc articulum, *Credo remissionem peccatorum:* Nec tantùm aliis eam dari credo, sed mihi quoque.

Hæc fides simul est fiducia acquiescens in Mediatore, iuxta illud: *Iustificati fide, pacem habemus.* Ita loquitur Paulus de fide, quæ adsentiens omnibus articulis fidei, promissionem intuetur & amplectitur, copulat enim fidem &

promiſsionem: Rom.4. *Ideo ex fide, vt ſit firma promiſsio.*

In declaratione vocabuli *Iuſtificari*, vſitatè dicitur: Iuſtificari ſignificat, ex iniuſto iuſtum fieri, quod rectè intellectum, hic quoque quadrat. Ex iniuſto, id eſt, reo & inobediente, & non habente Chriſtum, fieri iuſtum, id eſt, abſolutum à reatu, propter filium Dei, & apprehendentem fide ipſum Chriſtum, qui eſt iuſtitia noſtra, vt dicunt Ieremias & Paulus: quia eius merito habemus remiſsionem, & Deus iuſtitiam nobis imputat, & propter eum nos iuſtos reputat, & dato Spiritu ſuo Sancto nos viuificat, & regenerat, ſicut & Ioan.5. dicitur: *Hæc vita eſt in Filio eius. Qui habet Filium, habet vitam æternam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet*: & Rom.3. *Vt ſit ipſe iuſtus & iuſtificans.* Quanquam autem ſimul inchoatur nouitas, quæ in vita æterna erit perfecta, ad quam redemti ſumus: tamen perſona in hac vita non propter nouas qualitates aut opera eſt iuſta, id eſt, Deo accepta, & hæres vitæ æternæ: ſed propter ipſum Mediatorem paſſum, reſuſcitatum, regnantem, deprecantem pro nobis, nos obumbrantem & viuificantem. Quanquam enim ſunt inchoatæ virtutes, tamen adhuc ſunt imperfectæ, & hærent in nobis reliquiæ peccati. Ideo tenenda eſt hæc conſolatio, placere perſonam propter filium Dei, imputata nobis ipſius iuſtitia, ſicut Rom.4. dicitur: *Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſtitiam*: item, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Itaque & correlatiuè intelligenda eſt hæc oratio, *Fide iuſtificamur*, hoc eſt, fiducia Filij Dei iuſtificamur, non propter noſtram qualitatem, ſed quia ipſe eſt Propitiator, in quo cor acquieſcit, fiducia promiſſæ miſericordiæ propter eum: quam fiduciam ipſe Spiritu ſuo Sancto exſuſcitat, ſicut inquit Paulus: *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.*

Hic de particula excluſiua dicendum eſt. Toties repetit Paulus vocabulum *Gratis*, qua voce certiſsimum eſt excludi conditionem meritorum noſtrorum. Ideo in Eccleſiis noſtris dicitur: *Fide ſola iuſtificamur*: quod ſic intelligimus, & declaramus: *Gratis*, propter ſolum Mediatorem, non propter noſtram contritionem, ſeu alia noſtra merita, donamur remiſsione peccatorum, & reconciliatione. Etſi enim contritio & aliæ virtutes multæ cum fide, ſeu hac fiducia ſimul accenduntur: tamen hæ virtutes non ſunt cauſa ſeu meritum remiſsionis peccatorum, nec propter eas perſona placet: iuxta illud, *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*: ſed habet remiſsionem & placet perſona certò propter Mediatorem, quem fide apprehendi oportet, vt ad Epheſ. cap.3. dicitur: *Per quem audemus accedere in fiducia, quæ eſt per fidem in eum.* Hæc tota doctrina fit illuſtrior in vera conuerſione & quotidiana inuocatione piorum. Cùm expaueſcimus agnitione iræ Dei, hæc vna eſt firma conſolatio, confugere ad filium Dei, qui inquit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Item, *Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat*: item, *Gratia exuberat ſupra peccatum.* In his doloribus ſi doces hominem, dubitandum eſſe de remiſsione peccatorum, vincet dolor, & ſequentur triſtiſſimi fremitus aduerſus Deum, & deſperatio, & mors æterna. Sed ſi doceas, fide vincendam eſſe dubitationem, intelliget iam, vocabulo *fidei* non tantùm ſignificari notitiam hiſtoriæ, intelliget fiduciam niti ſolo Mediatore, intelliget quid dicatur his verbis, *Gratis propter Mediatorem, ſola fide accipitur remiſſio, & placet perſona.*

Hæc

Hæc lucta omnibus temporibus aliquos erudiit, vt has veras consolationes aliquo modo intelligerent. Etsi enim Origenes, & multi scriptores & Sententiarij, aliud genus doctrinæ insincerum pepererunt: tamen in Augustino, & aliis quibusdam, leguntur dicta quæ ostendunt, eos ex his veris fontibus etiam hausisse consolationes.

Quanquam autem interdum impropriè loquuntur, aut dissimilia dicunt, quia in loquendo negligentiores fuerunt: tamen quæ fuerit eorum perpetua sententia, si dextrè iudicare volumus, animaduerti potest. Augustinus in Psal.31. inquit: *Qui sunt beati? Non illi, in quibus non inueniet peccata: nam in omnibus inuenit. Omnes enim peccauerunt, & carent gloria Dei. Si ergo in omnibus peccata inueniuntur, remanet quòd non sunt beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendauit: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam.* Hîc certè *Augustinus* fidem intelligit fiduciam, quæ accepit remissionem peccatorum: & quod est dictum in Genesi, & in Paulo, prorsus intelligit sicut nos enerramus. Alibi, *de spiritu & litera* inquit: *Ex lege timemus Deum, & fide confugimus ad misericordiam.* Bernardus *in concione de Annunciatione: Necesse est primùm omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei. Sed adde, vt credas & hoc, quòd per ipsum peccata tibi donantur. Hoc est testimonium quod perhibet Spiritus Sanctus in corde tuo, dicens: Remissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem.* In hoc dicto perspicuè & propriè citatur sententia Ecclesiarum nostrarum, & extant similia testimonia apud hunc authorem. *Basilius* etiam propriissimè recitat nostram sententiam, *in concione de Humilitate*, his verbis: *Qui gloriatur, in Domino glorietur, dicens quòd Christus nobis factus sit sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, sicut scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc est enim perfecta & integra gloriatio, in Deo, quando neque propter suam iustitiam quisquam effertur, sed agnoscit se indigere vera iustitia, fide autem sola in Christum iustificari.*

Cùm igitur, ex his quæ iam dicta sunt, manifestum sit, quid significet vocabulum *fidei*, in hac propositione, *Fide iustificamur*: hinc intelligi potest, perniciosè errare Monachos, & alios qui iubent, conuersos ad Deum dubitare an placeant Deo.

Hunc vulgarem errorem de dubitatione, manifestè refutant hæc dicta: *Iustificati fide, pacem habemus.* item, *Ideo ex fide, vt sit firma promissio.* Donec enim excruciantur dubitatione corda, fugiunt Deum, non acquiescunt in Deo, non inuocant. Et promissio fit eis inanis sonitus, quia non adsentiuntur ei.

Postremò Dei mandatum est æternum & immotum, vt credamus filio Dei, iuxta hoc dictum: *Spiritus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me.* item 1. Iohan.5. *Qui non credit Deo, accusat eum mendacij.* Est autem insulsa cauillatio, quòd dicunt, dubitandum esse propter nostram indignitatem, non propter misericordiam. Ideo enim edita est promissio, ideo filius Dei Mediator constitutus est, quia nos indigni sumus: & vt Pater propter ipsum passum, resuscitatum, & deprecantem pro nobis, & habitantem in nobis, ac vestientem nos sua iustitia, certè sit propitius huic miseræ massæ, indignæ & plenæ sordium, iuxta illud: *Nulla nunc condemnatio est his qui in Christo Iesu ambulant.* Absurdum est etiam, quod dicunt, *nostræ indignitatis causa dubitandum esse.* Non enim dubitandum est an displiceat indignitas, sed veris gemitibus fateamur

nos indignos esse, & apponamus promissionem, cui adsentiri mandatum Dei est. Nec rectè accommodatur ad hanc dubitationem sententia in Ecclesiaste 9. *Nescit homo, an amore vel odio dignus sit.* Amentia est fingere Salomonem hoc velle, nec iustos, nec iniustos debere statuere, an placeant, an displiceant Deo: cùm certissimum sit, perseuerantes in sceleribus contra conscientiam, displicere Deo. Sed abducit nos Salomon à spectaculis externis ad verbum Dei, quasi dicat: *Ex rebus secundis non statuas te placere Deo, nec propter res aduersas displicere.* Non ideo placet Alexander, quia vincit, & magno imperio potitur: Iob in calamitate, Dauid in exilio, non ideo statuant se abiectos esse à Deo, quia sunt ærumnosi. Non ex his euentibus, seu externis spectaculis iudicent, sed ex verbo Dei. Etiam in media calamitate affertur consolatio: *Viuo ego, nolo mortem peccatoris*, &c. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium vnigenitum dederit, vt omnis qui credit in eum, non pereat*, &c. Denique error de dubitatione, prorsus Ethnica imaginatio est, ac Euangelium abolet, & in conuersione veram consolationem iis qui sentiunt iram Dei, adimit.

Docendi sunt potiùs homines, hanc certò vocem Euangelij esse vt Filio Dei credamus, ac statuamus gratiam exuberare supra peccatum ideoque repugnemus dubitationi, & eluctemur, & fide eam vincamus, vt accedere ad Deum, inuocare eum, & ei gratias agere possimus. Hi summi cultus horribiliter impediuntur, quandocunque animi concutiuntur fluctibus dubitationum, vt experientia ostendit. Hinc perspicuum est, quare decretum Tridentinæ Synodi, quod confirmat errorem de dubitatione, taxari necesse sit.

Ex his omnibus etiam intelligi potest, iustè reprehendi synecdochen eorum qui sic interpretantur Paulum: *Fide iustificamur*, id est, *formata dilectione*, vt ipsi loquuntur. Nam vocabulum *fidei* intelligunt tantùm de notitia, & cogitant hanc esse sententiam: *Fide iustificamur*, id est, *preparamur ad iustitiam*: id est, *ad cæteras virtutes, quæ sunt obedientia & impletio legis.* Ita tantùm hoc dicunt: Hominem esse iustum propter proprias virtutes: deinde iubent dubitare, an sit ornatus illis habitibus, de quibus loquuntur.

Ostendimus autem suprà, *fide* significari fiduciam acquiescentem in filio Dei Propitiatore, propter quem recipimur & placemus, non propter nostras virtutes, aut legis impletionem. Cùm autem in hac ipsa consolatione, *fiducia*, qua acquiescimus in Filio Dei, verè sit motus accensus à Spiritu Sancto, quo viuificatur cor, & liberatur ex æterna morte, dicitur hæc conuersio, *regeneratio*, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu.* Et fit homo jam verè domicilium Dei, qui est in eo efficax, vt Joan. 14. dicitur, *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.* Æternus Pater, & Filius, Spiritu suo Sancto viuificant, & renouant corda. In hac consolatione, cum fide eriguntur, sicut Paulus inquit Gal. 3. *Vt promissionem Spiritus accipiatis per fidem.*

Non igitur loquimur de otiosa notitia: & errant imperiti, qui existimant remissionem peccatorum contingere otiosis, sine aliquo motu animi, sine certamine, & sine sensu consolationis in veris doloribus, in ea ætate quæ jam intelligere vocem doctrinæ potest. Juxta illud, *Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei.* Et quia conscientiis in pœnitentia consolationem proponimus, non addimus hic quæstiones de Prædestinatione, seu de Electione: sed deducimus

omnes

omnes lectores ad verbum Dei, & jubemus vt verbum Dei ex verbo ipsius discant, sicut æternus Pater expressa voce præcipit, *Hunc audite.* Non quærant alias speculationes.

Certissimum est, prædicationem pœnitentiæ ad omnes homines pertinere, & accusare omnes homines. Ita & promissio vniuersalis est, & omnibus offert remissionem peccatorum, juxta illa dicta vniuersalia: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, ego reficiam vos:* item Joan.3. *Vt omnis qui credit in eum, non pereat.* Rom.10. *Omnis qui credit in eum, non confundetur.* item, *Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant eum.* Rom.11. *Conclusit Deus omnes sub inobedientiam, vt omnium misereatur.*

In hanc vniuersalem promissionem singuli se includant, & non indulgeant diffidentiæ, sed luctentur vt adsentiantur verbo Dei, & obsequantur Spiritui Sancto, & juuari se petant, sicut dictum est Lucæ 11. *Quanto magis dabit Spiritum Sanctum petentibus?*

DE LIBERO ARBITRIO.

IAm hic nota sit etiam doctrina de Libero Arbitrio. Semper in Ecclesia homines rectè eruditi distinxerunt disciplinam & nouitatem spiritus, quæ est initium vitæ æternæ: & docuerunt, in homine libertatem voluntatis talem esse, ad regendos externos motus membrorum, qua etiam non renati vtcunque disciplinam, quæ est externa obedientia juxta legem, præstare possunt. Sed homo nequaquam potest se liberare à peccato, & morte æterna, viribus naturalibus: sed hæc liberatio & conuersio hominis ad Deum, & nouitas spiritualis, fit per Filium Dei viuificantem nos Spiritu suo Sancto, vt dictum est, Rom.8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Et voluntas, accepto Spiritu Sancto, jam non est otiosa. Ac Deo gratias agimus pro hoc immenso beneficio, quòd nobis propter Filium, & per eum, dat Spiritum Sanctum, & nos suo Spiritu regit: & damnamus Pelagianos & Manichæos, vt hæc suo loco copiosiùs explicamus.

DE NOVA OBEDIENTIA.

TOtum beneficium filij Dei considerandum est. Ita vult peccatum & mortem tollere, & nos ex regno diaboli eripere, vt prorsus abolito peccato & deleta morte, restituat in nobis æternam vitam, in qua nobis Deus communicet sapientiam, justitiam, & lætitiam suam, & *in qua sit Deus omnia in omnibus.* Hoc summum beneficium inchoat in hac misera massa, in hac vita, sicut scriptum est: *Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.* Item, *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic salvus erit.* Itaque cùm accipimus remissionem peccatorum, & reconciliati sumus, & obsignati Spiritu Sancto, hæc bona effundere horrendus furor est: sicut describuntur effundentes, in parabola de domo mundata. Et in 2. epistola Petri dicitur, *Si hi qui effugerunt condemnationem mundi, per agnitionem Domini & Saluatoris Iesu Christi, his rursus impliciti succumbunt, fiunt eis postrema deteriora prioribus.*

Effunduntur autem hæc bona, si quis non retinet fundamentum, id est, articulos fidei, siue sciens, siue deceptus, impia dogmata, seu idola recipiet. Item, si quis alioqui contra conscientiam ruit. Hæ regulæ sæpe repetitæ sunt, vt Galat.5. *Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt.* Necessaria igitur est cura vitandi tales lapsus. Hæc manifesta necessitas proposita summa pœna, videlicet amissione vitæ æternæ, si quos non mouet ad bene operandum, hi sunt jam ex his de quibus dicitur; *Qui facit peccatum, ex diabolo est.* Et sunt necessitatis causæ plures. Debitum, id est, ordo immutabilis, vt creaturæ Deo obtemperent: ideo Paulus inquit, *Debitores estis.* Item, cura vitandi pœnas præsentes. Quia certissimum est, plurimos etiam electorum lapsos, horribiliter puniri in hac vita, vt inquit Ecclesia apud Micheam 7.cap. *Iram Domini portabo, quia peccaui ei.* Et omnium temporum historiæ horrenda exempla pœnarum continent: vt Dauid, Salomon, Manasses, Josias, Nabuchodonozor, & alij innumerabiles duriter castigati sunt. Qua in re hoc tristissimum est, quòd in ipsis pœnis multa noua peccata cumulantur: vt in seditione mota contra Dauidem, in dilaceratione regni propter delictum Salomonis. Et de necessitate bene operandi, inquit Dominus Matth.5. *Nisi abundauerit justitia vestra plus suprà quàm Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Considerata autem necessitate, quæ multiplex est, sequuntur hæ quæstiones: *Quæ opera sint facienda: quomodo fieri possint: quomodo placeant Deo: quæ habeant præmia: quod sit discrimen peccatorum: quæ excutiunt Spiritum Sanctum, & quæ non excutiunt.*

QVÆ OPERA FACIENDA SINT!

VVlt Deus & fidem & opera regi suo verbo. Ideo tenenda est norma de bonis operibus, interioribus & exterioribus, quæ in his præceptis Dei continetur, quæ ad nos pertinent, sicut Ezech.23. dicitur: *In præceptis meis ambulate.* Et hæc opera interiora & exteriora fiunt cultus Dei, cùm fiunt in fide, & referuntur ad hunc finem, vt Deus hac obedientia celebretur. Dictum est autem suprà, externam obedientiam seu disciplinam præstare posse etiam non renatos: vt, honestè viuit Cicero, & benemeretur de toto genere humano in laboribus gubernationis: sed mens plena est dubitationum de prouidentia: nec nouit, nec alloquitur verum Deum in inuocatione, nec nouit promissiones, & semper dubitat an exaudiatur, præsertim in calamitatibus; in quibus etiam Deo irascitur, cogitat injustè se adfligi, cùm fuerit ciuis honestus, & vtilis Reipublicæ. Tales tenebræ in mente sunt magna peccata, quæ ratio sine luce diuina non satis judicare potest. Oportet igitur in renatis etiam interiorem obedientiam inchoari, veram Dei agnitionem, timorem Dei, dolores in pœnitentia, fiduciam misericordiæ propter filium Dei promissæ, inuocationem, spem, dilectionem, lætitiam in Deo, & alias virtutes: & oportet eas referre ad debitum finem, scilicet vt Deo præstetur obedientia. Hi veri cultus non possunt præstari sine luce Euangelij, & sine fide: quos Adversarij, qui volunt videri eximij præcones bonorum operum, nec intelligunt, nec flagitant, cùm omittunt doctrinam de fide, quæ est fiducia misericordiæ, acquiescens in filio Dei, qui est præcipuum opus & summus cultus Dei.

De:

De operibus non mandatis à Deo, infrà dicemus: Et regula tenenda est: *Frustra colunt me mandatis hominum.* Sæpe autem in Ecclesia accidit, vt majori cura seruentur humani ritus, quàm præcepta Dei: imò vt authoritas Pharisaicarum & injustarum traditionum anteferatur mandatis diuinis: vt multis seculis, propter impiam injustam & impiam legem de cœlibatu, præceptum Dei de vera castitate, horribiliter violatum est. Considerandum est igitur discrimen legis, de quo rursus infrà dicemus.

QVOMODO POSSINT FIERI BONA OPERA.

MAgna est infirmitas hominum: & diabolus est acerrimus hostis, qui odio Dei grassatur in humanum genus, ac præsertim Ecclesiam Dei conatur dissipare, quantum potest: vt scriptum est à Petro, *Vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret.* Ideo quanquam externam disciplinam homines naturalibus viribus vtcunque præstare possunt, tamen sæpe vincuntur hac communi infirmitate. Sæpe diabolus etiam non feros homines impellit in tetra scelera: vt decepit Euam, impulit fratres Joseph, Dauidem, & alios innumerabiles. Quæ igitur potest esse diligentia, vel circumspectio, par astutissimo hosti? Hîc teneamus dulcissimam consolationem: *Apparuit Filius Dei, vt destruat opera diaboli:* Custos est Filius Dei Ecclesiæ suæ, sicut inquit, *Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.* Ipse protegit nos, & simul Spiritu suo Sancto confirmat mentes in veris sententiis: & vt inchoat æternam vitam, ita & motus bonos, fidem, dilectionem Dei, veram inuocationem, spem, castitatem, & alias virtutes in cordibus accendit. Nequaquam sumus Pelagiani, sed reuerenter gratias agimus Deo æterno, Patri Domini nostri Jesu Christi, & filio eius Jesu Christo, & Spiritui Sancto, cùm pro toto beneficio salutis restitutæ hominum, tum verò pro hoc ipso beneficio, quòd in Ecclesia habitat filius Dei, & eam sua dextra protegit, & depellit à nobis diabolos, & in hac tanta infirmitate nostra nos sustentat, & regit mentes & corda suo Spiritu sancto, vt luceat in nobis veri Dei agnitio, & excitetur vera inuocatio.

Hæc beneficia nobis præstari certò scimus, sicut dulcissimè dictum est apud Zachariam cap.12. *Effundam super domum Dauid, & habitatores Ierusalem, spiritum gratiæ & precum.* Nominat *spiritum gratiæ*, quia in hac consolatione testificatur Filius Dei, obsignans nos Spiritu Sancto, quòd simus in gratia, & quòd liberemur ex doloribus inferorum. Deinde nominat *spiritum precum*, quia cùm agnouimus remissionem peccatorum, jam non fugimus Deum, non fremimus adversus Deum: sed accedimus ad eum vera fide & spe, petimus & expectamus ab eo auxilium, diligimus eum, & nos ei subjicimus: ita fit inchoatio obedientiæ. Eodem modo inquit Dominus: *Ego rogabo Patrem, & paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis.* Accendit Spiritus Sanctus lucem veritatis in mentibus, & nouos motus in cordibus, congruentes cum lege Dei: vt hoc tantum donum agnoscamus, & grati retinere studeamus, & assiduè nos in tantis vitæ periculis juuari petamus. Nec est otiosa voluntas, accepto Spiritu Sancto.

QVOMODO PLACEAT NOVA OBEDIENTIA.

PHarisæus apud Lucam admiratur sese,& sibi placet, fascinatus hac persuasione, quòd legi satisfaciat, & propter hanc qualemcunque disciplinam Deo placeat. Tales sunt multi in genere humano, securi propter qualemcunque vmbram disciplinæ.

Sed horum arrogantiam sæpe accusat vox diuina,vt inquit Dominus Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Et apud Joann. *Si dixerimus, quòd peccatum non habeamus, mendaces sumus.* Ideo inanis est imaginatio, fingentium obedientiam placere sua dignitate,& esse meritum condigni,vt loquuntur,& justitiam coram Deo, quæ sit meritum vitæ æternæ. Postea tamen addunt,semper dubitandum esse an placeat obedientia: quia manifestum est, in singulis multum sordium esse, multa peccata ignorantiæ & omisionis, multos næuos non paruos. Hîc necesse est rectè erudiri conscientias de vtraque re, de infirmitate nostra, & de consolatione. Necesse est in renatis esse justitiam bonæ conscientiæ,& inchoatam obedientiam,vt dictum est; & tamen in hac vita, in hac nostra natura, in anima, & in corde, adhuc valde multum est sordium,quas illi magis cernunt, & deplorant, qui plus lucis habent, vt Prophetæ & Apostoli,vt nota est Pauli querela: *Video aliam legem in membris meis, quæ repugnat legi mentis meæ, & me captiuum facit legi peccati.*

Magna adhuc in singulis caligo est,multiplex ignorantia; & multæ tristissimæ dubitationes,errores in conscientiis,orti ex diffidentia,ex falsis opinionibus, & inani spe: multæ vitiosæ flammæ cupiditatum, multæ neglectiones officij, fremitus & indignationes adversus Deum, in pœnis. Denique stupor & insania est,nolle fateri timorem & dilectionem Dei multo frigidiorem esse, quàm esse debebat. Hæ confessiones repetitæ sunt in Prophetarum & Apostolorum concionibus. Psal.143. *Non intres in judicium cum seruo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis viuens:* & in 1.Joan.1. *Si dicimus quòd peccatum non habeamus,nos ipsos seducimus, & veritas non est in nobis.* Hæc confessio necessaria est,& arrogantia taxanda. Reprehendendus etiam error Adversariorum, qui fingunt,homines in hac vita mortali legi Dei satisfacere posse. Item,qui dicunt, malum concupiscentiæ,nobiscum nascens,non esse peccatum,nec malum pugnans cum lege Dei, seu voluntate Dei. Hos errores manifestè refutat Paulus Rom.7.& 5. Postea etiam consolatio addenda est.

1 *Primùm* statuat renatus, se reconciliatum esse Deo sola fide, id est, fiducia Mediatoris, & quanquam jam habitant in eo Pater & Filius & Spiritus Sanctus, juxta illud, *Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus:* tamen statuat, personam justam reputari propter Filium Dei Mediatorem, & deprecatorem, gratis propter ipsius meritum. Et manet Christus Deus & homo postea quoque propitiator & summus Sacerdos,assiduè pro nobis interpellans. *Secundò,* confiteatur vero dolore,adhuc in renato multa peccata & magnas sordes esse, dignas irâ Dei. *Tertiò,* tamen scias oportere inchoari obedientiam & justitiam bonæ conscientiæ:& hanc,quanquam procul abest à perfectione legis, tamen in reconciliatis placere Deo, propter Mediatorem deprecantem pro nobis, & suo merito tegentem nostras ingentes & innumerabiles miserias. Ita propter

eum &

eum & persona recipitur, & postea placent opera, & in vtroq; fides lucet. Ideo Petrus inquit: *Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum.* Hæc consolatio proposita est in cap. 8. ad Rom. *Nulla nunc condemnatio his qui in Christo Iesu ambulant:* & Rom. 6. *Non estis sub Lege sed sub Gratia.* Ibi hoc ipsum quæritur; An placeat obedientia, cùm legi non satisfaciat? Respondet Paulus: Placere, quia non sumus sub lege, id est, condemnati lege: sed sub gratia, id est, reconciliati & accepti in gratiam, Rom 8 *Quis condemnabit? Christus pro nobis mortuus est, & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, & pro nobis interpellat* id est; Placent Sancti propter interpellantem Christum. Hæc dicta opponenda sunt dubitationi, ne fides & inuocatio extinguantur. Nam dubitatio languefacit inuocationem.

Postquam igitur scimus, & necessariam esse nouam obedientiam, & auxilium nobis certò donari, & placere hanc, quanquam mutilam & mendicam obedientiam, agnoscamus immensam Dei misericordiam, & pro ea gratias agamus, & sit maior cura regendi omnes actiones: quia scimus & iuuari nos, & Deo hanc obedientiam propter Filium placere. Et semper in conspectu sit hæc necessitas: Si effundantur beneficia Dei, iustificatio & regeneratio, amitti vitam æternam, iuxta illud, *Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur:* & Rom. 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Ac semper in iustificatione simul fit inchoatio nouitatis. Latro pendens in cruce habet bona opera interiora & exteriora: dolet se peccasse, & fatetur se iustè puniri. Deinde & fide agnoscit Saluatorem, & petit ab eo salutem: ideoque audit claram absolutionem, & concionem de vita æterna, & promissionem; & acquiescit iam voci Messiæ, & se Deo subiicit, & non impatienter fert supplicium, sed lætatur agnitione Messiæ, & spe vitæ æternæ, & Deo gratias agit: præterea vt extet signum confessionis, refutat maledicentem Christo. Hæc in eo fiunt, ipso Christo socio supplicij effundente Spiritum Sanctum in cor eius, qui nouam lucem & agnitionem veram Messiæ, veram fidem, inuocationem, & veros pænitentiæ motus, dilectionem Dei, spem vitæ æternæ, & alias virtutes in eo accendit.

DE PRÆMIIS.

Paulus inquit, *Donum Dei est vita æterna per Christum Iesum Dominum nostrum:* & reconciliati seu iustificati, simul sunt cohæredes filij Dei propter Christum, non propter propria merita; nituntur filio Dei Mediatore, non nostris meritis: ac fides accipiens remissionem peccatorum & iustificationem, & spes vitæ æternæ, vt expressè dictum est: *Hæc est voluntas Patris, vt omnis credens in Filium, habeat vitam æternam.* Et Rom. 5. *Iustificati fide, pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus fide in gratiam hanc, in qua stamus, & gloriamur spe vitæ æternæ.* Conjungit fidem & spem, & adfirmat vtramque niti Mediatore: & manifestum est, spem non debere niti nostris operibus, quia dictum est, *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens:* sed, vt propter solum Filium Dei agentes pœnitentiam reputantur iusti fide, & propter eam & per eam viuificantur: ita propter eum, & nō propter nostra merita, donatur vita æterna: sicut latro in cruce audit hanc promissionem, *Hodie eris mecum in paradiso.* Luc. 23.

Nec somniandum est, Filium Dei tantùm præparationem ad vitam æter-

DE DISCRIMINE PECCATORVM.

CVm dictum sit, in renatis manere peccata, necesse est tradi discrimen. Nam ex dicto Lucæ 11. *Vadit & adsumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi*, &c. & ex similibus dictis, manifestum est, aliquos renatos contristare & excutere Spiritum Sanctum, & rursus abiici à Deo, ac fieri reos iræ Dei, & æternarum pœnarum. & Ezech. 33. scriptum est: *Cùm recesserit iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in ea: & cùm recesserit impius ab impietate sua, & fecerit iudicium & iustitiam, viuet in ea.* Necesse est igitur discerni peccata, quæ in sanctis in hac mortali vita manent, nec excutiunt Spiritum Sanctum, ab aliis peccatis, propter quæ homo rursus fit reus iræ Dei & æternarum pœnarum. Et Paulus discernit peccatum regnans, & non regnans: & alibi inquit, *Si secundùm carnem viuetis, moriemini: si actiones carnis spiritu mortificabitis, viuetis.* Tradit autem regulam in Epist. ad Timot. *Milita bonam militiam, retinens fidem, & bonam conscientiam.* Cùm igitur homines non retinent fidem, sed aliquam fundamenti partem, i.e. aliquem articulum fidei, siue scientes, siue errore amittunt, aut idola adprobant: vt multi qui falsis dogmatibus decipiuntur, aut non sustentant se consolatione fidei, sed superantur dubitatione aut desperatione, aut violant vllum præceptum Dei contra conscientiam, effundunt Spiritum S. & rursus fiunt rei iræ Dei, & pœnæ æternæ: & nisi fiat conuersio, tales morientes abjiciuntur in æternas pœnas. De his inquit Paulus, *Si secundùm carnem viuetis, moriemini.* Et 1. Cor. 6. *Nec scortatores, nec adulteri, nec idololatræ*, &c. *possidebunt regnum Dei.* Et iuramentum clarè dicit, *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.* In iuramento partes duæ copulatæ sunt, conuersio & vita. Postulat Deus, & quidem iuramento, conuersionem. Quare non placent ei, retinentes propositum peccandi. Complectimur autem in hoc numero, & peccata omissionis adfectatæ, id est, adfectatam negligentiam in officio, quæ pugnat cum dicto: *Hoc requiritur, vt fideles simus*: & ignorantiam adfectatam, qualis est Pharisaica, & infinitæ multitudinis, quæ veram Ecclesiæ doctrinam non studet inquirere, & ignara retinet idola, aut etiam sæuitiam adiuuat in defensione idolorum.

Dictum est de lapsibus, quibus excutitur Spiritus Sanctus. Alia sunt peccata in renatis, retinentibus fidem & bonam conscientiam, quæ non sunt corruptelæ fundamenti, nec sunt delicta contra conscientiam: sed sunt reliquiæ peccati originis, caligo, dubitationes, carnalis securitas, errantes flammæ vitiosorum adfectuum, & omissionis, vel ignorantiæ non adfectatæ. Hæc mala extenuant quidam, & nominant deformitates præter legem Dei. Sed hæc cæcitas valde reprehendenda est, & vtrunque considerandum: magnitudo mali in hac tota immunditie, quæ est contraria legi & voluntati Dei: & rursus magnitudo misericordiæ & beneficij filij Dei, tegentis hæc tristia & magna vulnera in hac misera natura.

Iubet autem Paulus his malis repugnare spiritu, id est, Atticus, Scipio, frænant vitiosos motus, ratione: sed Ioseph, Paulus, frænant spiritu: id est, Spiritus Sancti motibus, vero dolore, vera fide, timore Dei, & inuocatione. Dolet Paulus, sentiens dubitationes, aut alios errantes motus: & fide statuit, hanc immunditiem tegi à mediatore: & timore Dei se reprimit, ne obtemperet iræ, aut aliis errantib. motibus. Et simul inuocat Deum, & petit auxilium: *Cor mundum*

crea in me Deus. Cùm hoc modo repugnamus prauitati, quæ adhuc reliqua est in renatis, teguntur hæc mala, & dicitur peccatum non regnans, seu veniale: & non effunditur Spiritus Sanctus. Hanc doctrinam de discrimine peccatorum veram, perspicuam, & Ecclesiæ necessariam esse, manifestum est. De qua tamen quales labyrinthi disputationum sint in libris Adversariorum, multi norunt.

Postquam verò breuiter exposuimus summam doctrinæ de Iustificatione, nunc & argumenta, quę contra hanc sententiam objiciuntur, explicanda & refutanda erant. Sed quia alij alia objiciunt, confessionem nostram recitauimus, & offerimus nos ad longiores explicationes in singulis membris confessionis.

DE ECCLESIA.

VVlt Deus intelligi, genus humanum non casu nasci, sed à Deo conditum esse: & conditum non ad æternum exitium, sed vt colligat sibi in genere humano Ecclesiam, cui in omni æternitate communicet suam sapientiam, bonitatem, & lætitiam. Et vult conspici Filium, propter quem, & per quem inenarrabili sapientia & immensa misericordia hanc miseram naturam hominum restituit. Ideo semper in genere humano cœtum esse voluit, cui tradidit doctrinam de Filio, in quo Filius ipse instituit & conseruauit ministerium custodiendæ & propagandæ eius doctrinæ, per quam & efficax fuit, est, & erit. Et multos ad se conuertit, sicut manifestè inquit Paulus, *Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti.*

Sed mirandum & dolendum est, maximam partem generis humani horribili furore contemnere vocem & testimonium Dei, & Filium Dei: & in ipso cœtu qui nomen habet Ecclesiæ, multas dilacerationes semper factas esse, & veram Ecclesiam ab externis & domesticis hostibus oppugnatam esse. Hęc dissidia cum homines intuentur, & quidem vident imperiis, multitudine & gloria antecellere eos, qui alias doctrinas pugnantes cum Euangelio amplectuntur, dubitant an sit aliqua Dei Ecclesia, quænam, & qualis, & vbi sit. Ac profanis dijudicatio difficilis est: sed vera Ecclesia scit ex testimoniis diuinis, vnde sint tanti hominum furores, & inter eos tamen seruari Ecclesiam Dei: & discernit eam à cæteris gentibus, & scit quænam, qualis, & vbi sit.

Vt igitur contra has dubitationes magis confirmarentur omnes sancti, articulus in Symbolo propositus est, *Credo esse Ecclesiam sanctam Catholicam.* Hac professione adfirmamus, non abjectum esse totum genus humanum à Deo, sed esse, & mansuram esse aliquam veram Ecclesiam, ratas esse Dei promissiones, adhuc regnare Filium Dei, recipere & salvare inuocantes. Et hac erecti consolatione, Deo gratias agimus, & eum inuocamus: & petimus, accipimus, & expectamus æterna bona. Propter hanc commonefactionem & consolationem, articulus in Symbolo recitatur, cùm quidem hæc ipsa doctrina de conservatione Ecclesiæ sæpissimè repetita sit in concionibus diuinis: vt Esa. 56. *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, nec recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps & in sempiternum.* Et Dominus inquit, *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Est & hæc dulcis consolatio, quòd non alibi sint hæredes vitæ æternæ, nisi in cœtu vocatorum:

rum: juxta illud, *Quos elegit, hos & vocauit.*

Non vagentur animi, intuentes hoc lacerum corpus Ecclesiæ, & somniantes fortassis alibi aliquos qui ignorant Euangelium, tamen esse sanctos & domicilium Dei, Fabium, Scipionem, Aristidem, & similes. Sed huc refer oculos. In hoc cœtu vocatorum certò scias aliquos electos esse, & ad hunc cœtum te adjungito, confessione & inuocatione. Sicut dicit Psal. 26. *Vnum petij à Domino, hoc requiro, vt habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: vt videam voluntatem Domini, & visitem templum eius.* Non igitur de Ecclesia, tanquam de Idea Platonica loquimur: sed Ecclesiam monstramus, quæ conspici & exaudiri potest: juxta illud, *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Vult exaudiri Filium æternus Pater, in toto genere humano, sicut inquit, *Hunc audite:* & Psal. 2. *Ego constituo Regem meum in monte Sion, prædicabo præceptum: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et nunc reges intelligite,* &c. Dicimus igitur, Ecclesiam visibilem in hac vita cœtum esse, amplectentium Euangelium Christi, & rectè vtentium Sacramentis, in quo Deus per ministerium Euangelij est efficax, & multos ad vitam æternam regenerat. In quo tamen cœtu multi sunt non sancti, sed de vera doctrina consentientes: vt Mariæ tempore erant Ecclesia, Zacharias, Simeon, Joseph, Elizabeth, Maria, Anna, Pastores, & alij multi qui de pura doctrina consentiebant, & audiebant non Saducæos aut Pharisæos, sed Zachariam, Simeonem, Annam, Mariam, & similes, &c. Nam etiam cùm valde exiguus cœtus est, tamen Deus aliquas reliquias servat, quarum vox & confessio exauditur, & subinde ministerium instaurat, juxta illud: *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma essemus,* &c.

Itaque quæ sit Ecclesia, & qualis sit, & vbi sit, hæc descriptio indicat, sumpta ex manifestis testimoniis diuinis. Nihil dubium est, Ecclesiam alligatam esse ad Euangelium, vt Paulus inquit, *Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.* Et Joan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt.* Et Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.* Et Joan. 17. *Sanctifica eos in sermone tuo, sermo tuus est veritas.*

Non sunt igitur membra Ecclesiæ Dei, etiamsi titulum & imperia tenent, Saducæi, Pharisæi, & similes, Pontifices, & alij quidam doctrinam proponunt, dissentientem ab Euangelio, & stabiliunt idola pertinaciter. Manifestum est autem, aliud genus doctrinæ, dissentiens ab Euangelio, Adversarios tradere & propugnare, qui docent, *legem Dei impleri obedientia nostra in hac vita, & hanc obedientiam mereri remissionem peccatorum.* Item, *hac obedientia homines justos esse coram Deo.* Item, *Prauam concupiscentiam non esse peccatum, nec malum pugnans cum lege Dei.* Item, *Dubitandum est conuersis, an sint in gratia, & hanc dubitationem non esse peccatum.* Item, *Inuocandos esse homines mortuos.* Item, *Cultus Dei esse discrimina ciborum, vota monastica, & alios ritus sine mandato Dei electos.* Item, *Oblationem in Missa mereri facienti & aliis viuis & mortuis remissionem peccatorum,* & alia. Item alias profanationes Sacramenti multiplices, & horrendas.

Item, *Episcopos posse instituere cultus Dei, & peccata mortalia esse violationem cultuum, qui ab eis instituuntur.* item, *Posse legem de cœlibatu imponere vlli ordini hominum.* item, *Enumerationem singulorum delictorum necessariam esse ad remissionem peccatorum.* item, *Satisfactiones Canonicas, compensationes esse pœnarum purgatorij.* item, *Synodos, in quibus soli Episcopi dicunt sententias, non posse errare.* item, *Qui consecrant olea, & alias res sine mandato*

diuino, & tribuunt eis vim diuinam contra peccata & diabolos & morbos: item, *Qui inuocationes ad certas statuas adprobant, quasi ibi plus sit auxilij*: item, *Qui interficiunt homines honestos, tantùm quia hos errores improbant, & veritatem profitentur.* Hæc cùm sint planè Ethnica & idololatrica, manifestum est, defensores eorũ non esse membra Ecclesiæ, sed dominari sicut Pharisæi & Saducæi dominabantur. Interea tamen fuerunt, sunt, & erunt in Ecclesia Dei, homines retinentes fundamentum, etiamsi alij plus, alij minus lucis habuerunt, habent, & habebunt & interdum sancti etiam stipulas extruunt supra fundamentum, cùm præsertim in hac temporum miseria multis qui habent initia fidei, non concedatur, vt erudiri, & cum doctioribus colloqui possint. Hi sunt tamen in eorum numero, quibus iubet Deus parci. Eze. 9. *Qui gemunt & dolent, propterea quòd errores stabiliuntur.* Præcipuè igitur & voce doctrinæ iudicandũ est, & iudicari potest, quæ, & vbi sit vera Ecclesia, quę voce veræ doctrinæ, deinde & legitimo vsu Sacramentorũ ab aliis gentibus discernitur: & quæ sit vox veræ doctrinæ, ostendunt ipsa scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola. In his non est ambigua doctrina de fundamento, videlicet de articulis fidei, de essentia & voluntate Dei, de Filio redemptore, de lege, de promissionibus, de vsu Sacramentorum, de ministerio: & manifestum est, nulli creaturæ, non Angelis, non hominibus concessum esse, mutare doctrinam à Deo traditam. Qualis autem sit Ecclesia, ostendit Filius Dei, inquiens: *Regnum meum non est de hoc mundo.* item, *Sicut Pater meus misit me, sic ego mitto vos.* Colligitur voce ministrorum Euangelij æterna Ecclesia Deo, & quidem hac voce Deus est efficax, & multos ad se conuertit. Hoc immensum beneficium Dei agnoscere, & grati celebrare debemus. Quanquam autem Ecclesia est cœtus, qui conspici & exaudiri potest, tamen discernendus est ab imperiis politicis, seu gerentibus gladium. Nec iure diuino habent Episcopi potestatem puniendi non obedientes, nec imperia mundi occupandi, & tamen in ea ordo est, iuxta illud: *Ascendit, dat dona hominibus, Apostolos, Prophetas, Euangelistas, pastores & doctores.* Filius Dei est summus sacerdos, vnctus ab ęterno Patre, qui vt non funditus intereat Ecclesia, ministros Euangelij ei attribuit, partim à se immediatè vocatos, vt Prophetas & Apostolos, partim vocatione humana electos. Nam & Ecclesiæ electionem adprobat, & immensa bonitate efficax est, etiam sonante Euangelio per electos suffragiis, aut nomine Ecclesiæ. Retinemus igitur & in nostris Ecclesiis publicum ritum ordinationis, quo commendatur ministerium Euangelij veris electis, quorum mores & doctrinam priùs exploramus. Et de dignitate ministerij fideliter docemus Ecclesias. Nihil majus dici potest, quàm quod filius Dei inquit, *Sicut Pater meus misit me, sic ego mitto vos.* Ostendit & quæ mandata det, prædicate Euangelium: & adfirmat, se per vocem illorum efficacem fore, sicut Pater ostendit se efficacem esse per Filium. Proponimus & mandata Dei, *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Item, *Obedite præpositis vestris.* Nec tamen hæc dicta regnum cõstituunt extra Euangelium, sed obedientiam præcipiunt, debitam voci Euangelij: & ad ministerium hæc pertinẽt, docere Euangelium, administrare Sacramenta, vocem absolutionis impertire petentibus, qui non perseuerant in manifestis delictis, ordinare ministros Euangelij ritè vocatos & exploratos, exercere judicia Ecclesiæ legitimo modo: de iis qui manifestorum criminum in moribus aut doctrina rei sunt, & contra contumaces, sententiam excommunicationis ferre, & conuersos rursus absoluere & recipere.

Hæc

Hæc vt ritè fiant, etiam consistoria in Ecclesiis nostris constituta sunt.

Diximus autem in descriptione Ecclesiæ, multos in hac visibili Ecclesia esse non sanctos, qui tamen externa professione veram doctrinam amplectuntur: quia Donatistas improbamus, qui finxerunt, ministerium eorum qui non sunt sancti, non esse efficax. Improbamus & colluuiem Anabaptisticam, quæ finxit Ecclesiam visibilem, in qua omnes sint sancti. Ac fatemur, de Ecclesia visibili in hac vita sentiendum esse, sicut inquit Dominus, Matth. 23. *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, qua boni & mali pisces colliguntur.* Sed tamen hi qui fiunt hostes veræ doctrinæ, desinunt esse membra huius visibilis congregationis, juxta hoc dictum, *Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.*

DE SACRAMENTIS.

Discernunt Ecclesiam à cæteris gentibus, & ritus quidam diuinitus instituti, qui nominantur vsitatè Sacramenta: vt *Baptismus*, & *Cœna Domini* quę tamen non sunt tantùm signa professionis, sed multo magis (vt vetustas dixit) *signa gratiæ*: id est, sunt cæremoniæ additæ promissioni Euangelij de gratia: id est, de gratuita remissione peccatorum, & de reconciliatione, & de toto beneficio redemptionis, quæ ita instituta sunt, vt singuli eis vtantur: quia sunt pignora & testimonia, quæ ostendunt, ad singulos pertinere beneficia in Euangelio promissa. Nam vox *Euangelij* generalis est. Hanc testatur hic vsus, pertinere ad singulos qui Sacramentis vtuntur.

DE BAPTISMO.

Baptismus est integra actio, videlicet mersio, & verborum pronunciatio: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* In his verbis summam doctrinæ Euangelij comprehensam, sæpe enarramus. *Ego baptizo te*: i.e. ego testificor hac mersione te ablui à peccatis, & recipi jam à vero Deo, qui est pater Domini nostri Jesu Christi, qui te per Filium Iesum Christum redemit, & sanctificat te Spiritu Sancto. In huius veri Dei nomen, i.e. inuocationem, te baptizo, quem agnosces & inuocabis, & discernes ab omnibus commentitiis numinibus: & certò statues tibi tribui beneficia quæ in Euangelio promisit, te esse membrum Ecclesiæ Dei, quæ per Filium redempta est, & sanctificatur à Spiritu Sancto. Hunc intellectum huius fœderis teneant hi, quorum ætas jam doctrinę capax est: & hac testificatione confirmati, credant sibi remitti peccata, & se verè esse membra Ecclesiæ Dei, & vera fide verum Deum inuocent: sicut Abraham cogitans de Circuncisione, intuebatur promissionem venturi seminis. Intelligebat se membrum esse Ecclesiæ Dei, & tolli maledictionem à se quoq; per hoc semen, de quo dictũ erat in promissione: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Sic & Petrus docet, *Baptismum esse stipulationem bonæ conscientiæ erga Deum, per resurrectionem Iesu Christi, qui est ad dextram Dei.* Nominatim ait esse stipulationem, qua Deus tecum fœdus facit, & te sanatis vulnerib. tuę conscientiæ recipit: & tu vicissim cum Deo facis fœdus, vt hũc verum Deum inuoces, & credas te per Filium Dei resuscitatum ex morte, & regnantem, salvari. Ita efficax est in te hic Filius Dei,

ſedens ad dexteram æterni Patris, ſicut & Paulus inquit ad Galat. *Qui baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Et dari Spiritum Sanctum in Baptiſmo, adfirmat ad Titum, cùm ait: *Per lauacrum regenerationis, & renouationis per Spiritum Sanctum.* & in Ioan. dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt intrare in regnum cælorum.* Docemus igitur neceſſarium eſſe Baptiſmum, & ſemel tantùm Baptizamus ſingulos, ſicut Circumciſio ſemel tantùm in ſingulis fiebat: ſed doctrinam de ſignificatione & fœdere mutuo vtiliſsimam, ſæpe commemoramus.

Retinemus & infantium Baptiſmum: quia certiſsimum eſt, promiſsionem gratiæ etiam ad infantes pertinere, & ad eos tantùm qui Eccleſiæ inſeruntur. Quia de his dictum eſt: *Sinite paruulos ad me venire, quia talium eſt regnum cælorum.* & Origenes ſcribit in 6. cap. ad Rom. *Eccleſiam ab Apoſtolis accepiſſe morem baptizandi infantes.* Nec iudicamus hunc morem tantùm otioſam cæremoniam eſſe, ſed verè tunc à Deo recipi & ſanctificari infantes: quia tunc inſeruntur Eccleſiæ, & ad tales promiſsio pertinet. Extant autem de hac re multa ſcripta in noſtris Eccleſiis edita, quibus refutantur Anabaptiſtæ.

DE COENA DOMINI.

ET Baptiſmus, & Cœna Domini, ſunt pignora & teſtimonia gratiæ, vt ante dictum eſt, quæ de promiſſione & tota redemptione nos commonefaciunt, & oſtendunt beneficia Euangelij ad ſingulos pertinere, qui his ritibus vtuntur. Sed tamen hoc diſcrimen eſt: per Baptiſmum ſinguli inſeruntur Eccleſiæ, ſed Cænam Domini ſimul etiam voluit Dominus eſſe neruum publicæ congregationis. Vult enim Deus miniſterium Euangelij publicum eſſe, non vult in latebris tantùm incluſam teneri vocem Euangelij, ſed exaudiri eam vult à toto genere humano: vult ſe agnoſci & inuocari: ideo vult publicos & honeſtos eſſe congreſſus, & in his vult ſonare Euangelij vocem, vult ſe ibi inuocari & celebrari. Vult etiam hos ipſos congreſſus, teſtes eſſe confeſſionis & ſeiunctionis Eccleſiæ Dei, ab aliarum gentium ſectis & opinionibus. Conuenit Ioannes Epheſi cum ſuo cœtu, & docet Euangelium, & vſu Sacramentorum totus cœtus oſtendit ſe hanc doctrinam amplecti, & hunc Deum inuocare, qui Euangelium tradidit, & ſeiunctum ſe eſſe à Dianæ, Iouis, & aliorum idolorum cultoribus. Vult enim Deus conſpici & exaudiri ſuam Eccleſiam in mundo, & vult ſeiunctam eſſe multis publicis ſignis à reliquis gentibus. Sic haud dubiè ſuos cœtus habuerunt primi parentes, Adam, Seth, Enoch, Noe, Sem, Abraham: & deinceps politia Iſrael habuit multos ritus, vt ſejunctio illa à gentibus eſſet conſpicuior. Addidit etiam peculiarem promiſſionem congregationi: *Vbicunque duo aut tres congregati ſunt in nomine meo, ero in medio eorum.* Item: *Quicquid petent conſentientes fiet eis.* Et in Pſal. *Laus eius in Eccleſia ſanctorum.* Sintque promiſſiones, in quibus adfirmat Deus ſe Eccleſiam ſeruaturum eſſe, eo dulciores quia intelligimus eum publicum miniſterium in congreſsibus honeſtis conſeruare & reſtituere: ſicut & in ipſis verbis Cœnæ Domini incluſa eſt hæc promiſsio, cùm iubet annunciari mortem Domini, & hanc Cœnam diſtribui, donec venerit.

Vt igitur reuerentia maior ſit in huius Sacramenti vſu, veræ cauſæ inſtitutionis cogitentur, quæ ad publicam congregationem, & ad ſingulorum conſolationem pertinent.

Prima.

Prima causa est: Filius Dei vult in publica & honesta congregatione sonare vocem Euangelij. Huius congregationis vinculum vult esse hanc sumptionem, quæ summa reuerentia facienda est, cum ibi testimonium exhibeatur mirandæ societatis Domini & sumentium: de qua reuerentia Paulus loquitur, inquiens, *Qui sumit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.*

Secunda: Vult & concionem, & ipsum ritum prodesse ad conseruationem & propagationem memoriæ passionis, resurrectionis, & beneficiorum suorum.

Tertia: Vult quemlibet sumentem hoc testimonio singulariter confirmare. vt statuat ad se pertinere beneficia Euangelij, cùm concio sit communis: & hoc testimonio, hac sumptione ostendit, te ipsius membrum esse, & te ablutum esse sanguine suo, & facere se hoc fœdus: *Manete in me, & ego in vobis*: item, *Ego in eis, & hi in me.*

Quarta: Vult hanc publicam sumptionem, confessionem esse, qua ostendis quod doctrinæ genus amplectaris, cui cœtui te adjungas. Vult & gratias agi publicè & priuatim in hac ipsa cæremonia Deo æterno Patri, Filio & Spiritui Sancto, cùm pro cæteris beneficiis, tum nominatim pro hoc immenso beneficio redemptionis & salvationis. Vult & ipsis Ecclesiæ membris inter sese vinculum esse mutuæ beneuolentiæ. Ita multi fines concurrunt.

Harum maximarum causarum commemoratione inuitantur homines ad Sacramenti reuerentiam & vsum. Et docemus, quomodo prosit vsus. Apertè damnamus portentosum errorem Monachorum, qui scripserunt, sumptionem mereri remissionem peccatorum, & quidem ex opere operato, sine bono motu vtentis. Hæc Pharisaica imaginatio pugnat cum dicto, *Iustus sua fide viuet.* Sic igitur erudimus Ecclesiam, accessuros ad Cœnam Domini oportere pœnitentiam, seu conuersionem adferre, & accensa jam fide in cogitatione de morte & resurrectione & beneficiis filij Dei, quærere hìc confirmationem huius fidei: quia in vsu Sacramenti fit testificatio, quæ ostendit, ad te quoque pertinere beneficia filij Dei. Fit & testificatio, quòd te sibi membrum adjungat, & quòd sit in te, sicut dicit Joan. 17. *Ego in vobis*, &c.

Monemus etiam, ne existiment propter hoc opus, seu hanc obedientiam remitti peccata, sed vt fiducia intueatur mortem & meritum filij Dei, & resurrectionem eius. Et statuat propter ipsum nobis peccata remitti, & velle eum hanc fidem hac commonefactione & testificatione confirmari. Cùm hoc modo fides, consolatio, gaudium conscientiæ & gratiarum actio crescunt, prodest sumptio. Nec admittuntur vlli ad communionem, nisi priùs à Pastore aut collegis eius auditi sunt, & absoluti. In hac exploratione interrogantur, & sæpe erudiuntur rudiores, de tota doctrina: & deinde absolutio promulgatur. Docentur etiam homines, Sacramenta esse actiones diuinitus institutas, & extra vsum institutum res ipsas non habere rationem Sacramenti, sed in vsu instituto in hac communione verè & substantialiter adesse Christum, & verè exhiberi sumentibus corpus & sanguinem Christi: Christum testari quòd sit in eis, & faciat eos sibi membra, & quòd abluerit eos sanguine suo, sicut & Hilarius inquit, *Hæc accepta & hausta efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit.*

In ipso autem ritu servamus morem vsitatum vniuersæ Ecclesiæ veteris, Latinæ & Græcæ. Non fiunt priuatæ Missæ, hoc est, tales in quibus non fiat

distributio corporis & sanguinis Christi: sicut nec vetus Ecclesia, aliquot seculis post Apostolos, tales missas habuit: vt descriptiones veteres apud Dionysium, Epiphanium, Ambrosium, Augustinum, & apud alios ostendunt. Et Paulus expressè iubet, *simul fieri multorum communionem.*

Itaque in publica & honesta congregatione recitantur aut canuntur precationes, & Symbolum, & lectiones cum sacris canticis distributæ in dies festos, vsitato more. Deinde fit concio de beneficiis filij Dei, & de aliqua doctrinæ parte, vt series temporum præbet argumentum. Postea recitat Pastor gratiarum actionem, & precationem pro vniuersa Ecclesia, pro Potestatibus, & pro præsenti necessitate: & orat Deum, vt propter Filium, quem voluit fieri victimam pro nobis, remittat nobis peccata, & nos saluet, colligat & seruet Ecclesiam. Deinde recitat in loco consueto verba Christi, de Cœnæ institutione, & sumit ipse, & distribuit sumentibus integrum Sacramentum: qui reuerenter accedunt, antea explorati & absoluti, & ibi suas preces ad publicas adiungunt. Ad extremum, rursus recitatur gratiarum actio. Hunc ritum, & hanc communionem plurium, congruere cum scriptis Apostolorum, & consuetudine veteris Ecclesiæ, ferè vsque ad Gregorij ætatem, norunt omnes non prorsus ignari antiquitatis. Quod cùm ita sit, probanda, non improbanda est nostrarum Ecclesiarum consuetudo: sed Aduersarij improbantes nostram consuetudinem, defendunt multos errores, alij magis tetros, alij nouis iam artificiis fucatos. Multi ante hoc tempus scripserunt, *fieri oblationem in Missa pro viuis & mortuis, & mereri eam facienti & aliis remissionem peccatorum ex opere operato.* Et hæc plurimorum persuasio fuit, & adhuc est, similis Pharisaicæ & Ethnicæ. Nam eodem modò Pharisæi & Ethnici somniabant, se ex opere operato mereri sibi & aliis remissionem peccatorum, pacem, & alia multa bona. Aut etiamsi qui minus cæci verecundiùs loquebantur, etsi dicebant mereri ea non sine bono motu sacrificantis, tamen sacrificia ipsa fingebant esse merita & pretium. Hac opinione cumulabantur sacrificia, & crescebant aucupia quæstus. Talis est & Missarum mercatus, & prophanatio Cœnæ Domini, ferè in toto orbe terrarum.

Vult autem Deus, vitiosos cultus taxari & aboleri. Ideò vocem diuinam simpliciter & verè proponimus, quæ errores illos damnat. Ac toto pectore adfirmamus coram Deo & tota Ecclesia in cœlo & in terra, tantùm fuisse vnicum sacrificium propitiatorium, seu quo ira æterni Patri aduersus genus humanum placata est: scilicet, Totam filij Dei Domini nostri Iesu Christi crucifixi & resuscitati obedientiam: *Hic vnicus est agnus, qui tollit peccata mundi.* De hoc vnico sacrificio dictum est Heb. 10. *Vnico sacrificio consummauit in perpetuum eos qui sanctificantur:* & hoc sacrificium singulis sua fide applicatur, cùm audiunt Euangelium, & Sacramentis vtuntur, vt Paulus inquit: *Quem posuit propitiatorem in sanguine per fidem.* &, *Iustus fide sua viuet.* & in 1. Petri: *Sanctificati Spiritu, ad obedientiam & conspersionem sanguinis Iesu Christi.* Cætera sacrificia in Veteri Testamento fuerunt typica, de quibus suo loco copiosiùs dicitur, & nequaquam merebantur remissionem peccatorum. & omnes iustitiæ sanctorum omnibus temporibus, fuerunt, sunt, & erunt sacrificia laudis, seu εὐχαριστικά, quæ non merentur facienti aut aliis remissionem; sed sunt cultus debiti in singulis, & placent propter Mediatorem & summum Sacerdotem filium Dei, vt dicitur ad Heb.

Per

Per ipsum offerimus sacrificium laudis semper Deo. Hanc esse immotam & æternam veritatem, manifestissimum est. Quòd verò citantur contra tam claram lucem veritatis, centones, quos nominant *Canones Missæ*, etiam manifestissimum est, dissimiles esse Canones Græcos & Latinos: & Græcos ipsos dissentire inter sese de re maxima: & in hoc Latino, qui vsitatus est, apparet paulatim adsutas esse lacinias ab ignotis autoribus.

Vetus Ecclesia vtitur nominibus sacrificij & oblationis: sed intelligit totam actionem, precationem, sumptionem, recordationem, fidem, spem, confessionem, & gratiarum actionem. Hæc tota actio interior & exterior, in quolibet conuerso ad Deum, & in tota Ecclesia, est reuera sacrificium laudis, seu εὐχαριστικὸν, & λογικὴ λατρεία: & cùm inquit Dominus, *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*: adfirmat, in Nouo Testamento non præcipi externa sacrificia, quæ fieri necesse sit, etiamsi in corde nulli sint motus Spiritus Sancti: sicut in lege necesse erat cæremoniam Paschatos seruari.

Sed de Cœna Domini dicitur, *Probet se vnusquisque*, &c. Ita prodest vtenti Cœna Domini, cùm adfert pœnitentiam & fidem, & non prodest ei alienum opus. Præterea de mortuis manifestum est, totum hoc spectaculum pugnare cum verbis institutionis Cœnæ, in quibus dicitur, *Accipite, manducate*, &c. *Hoc facite in mei recordationem.* Quid hoc ad mortuos, vel absentes? Et tamen in magna parte Europæ plurimum Missarum fit pro mortuis. Magna etiam multitudo prorsus ignorans quid agat, legit Missas propter mercedem. Cùm autem hæc omnia manifestè sint impia, facere oblationem, vt loquuntur, vt mereantur viuis & mortuis: aut facere nescientem quid agat: horribiliter peccant, qui hęc scelera retinent & defendunt. Et cùm ritus extra vsum institutum non habeat rationem Sacramenti, qualis ibi fiat idolorum cultus, cogitent pij & eruditi. Est & manifesta profanatio, partem Cœnæ Domini circumgestare, & adorare: vbi prorsus transfertur pars ad vsum toto genere diuersum ab institutione, cùm textus dicat, *Accipite, manducate*: cùm quidem & recens sit hoc spectaculum. Postremò, quales sunt mores plurimorum sacrificulorum & Monachorum in tota Europa, qui non curant hoc dictum *Probet se vnusquisque.* Item, *Quicunque indignè sumit reus erit corporis & sanguinis Domini.* Etsi autem Pontifices & hypocritæ, qui præstigias quærunt ad hæc mala stabilienda, rident has querelas, tamen certissimum est, Deum horribiliter irasci his scelerib. sicut in Israel irascebatur sacrificiorum profanationibus: & videmus iræ exempla manifesta. Tot regnorum ruinas, vastationem Orbis terrarum quam faciunt Turcæ, confusiones opinionum, & multas tristissimas dissipationes Ecclesiarū. *Te autem, fili Dei, Domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis, & resuscitate, summe Sacerdos Ecclesiæ tuæ, veris gemitibus oramus, vt propter tuam & æterni Patris tui gloriam deleas idola errores & abominationes: & sicut ipse precatus es, sanctifices nos in veritate tua, & in pectoribus plurimorum accendas lucem Euangelij tui, & veram inuocationem, & corda nostra ad veram obedientiam flectas, vt grati te in omni æternitate celebremus.* Omnium Angelorum & hominum eloquentiam superat magnitudo peccatorum, quæ profanatio Cœnæ Domini tot jam seculis parit. Et nos, cùm par oratio tantæ rei nulla possit esse, breuiores sumus, & in hoc ingenti dolore Filium Dei oramus, vt ipse hæc mala emendet: & simul ad declarationem copiosiorem nos apud eos offerimus, qui eam audire volunt. Sed in hac quæstione præcipuè fieri cernimus hoc quod ait Salomon, *Perinde facere ca-*

nentem carmina prauo cordi, ac si acetum fundat supra nitrum. Has de sacrificio persuasiones, sciunt Adversarij nervos esse suæ potentiæ & opum. Ideo contrariam orationem audire nolunt. Quidam astutè jam lenire absurda discunt. *Non est,* inquiunt, *meritum oblatio, sed applicatio*: struunt insidias verbis, & eosdem abusus retinent. Diximus autem etiam antea, vnumquemlibet fide sua facere sibi applicationem sacrificij Christi, & cùm audit Euangelium, & cùm vtitur Sacramentis. Et scriptum est, *Probet vnusquisque seipsum.* Non igitur sentit Paulus, cæremoniam alteri non vtenti prodesse: & filius Dei ipse se obtulit, ingrediens in Sanctum sanctorum: id est, in arcanum consilium Diuinitatis, cernens voluntatem æterni Patris, ingentem iram sustinens, & causas hujus mirandi consilij intelligens. Hæ res magnæ significantur, cùm dicit Paulus ad Heb. *Sese obtulit*. & cùm inquit Esaias, *Ponet animam suam hostiam pro peccato.* Quid igitur nunc intelligunt sacrificuli, qui dicunt *se offerre Christum?* nec antiquitas hoc modo locuta est. Sed atrocissima oratione nos accusant: dicunt nos delere iuge sacrificium: sicut faciebat Antiochus, qui typus est Antichristi.

Respondimus etiam antea, nos retinere totum ritum Ecclesiæ Apostolicę: & juge sacrificium est, sonare doctrinam incorruptam Euágelij, & rectè inuocare Deum: Denique, vt Dominus inquit, *est adorare Patrem in spiritu & veritate.* Cõplectimur hic etiam verum vsum Sacramentorũ. Hęc omnia cùm fidelissimè retineamus, summa reuerentia retinemus iuge sacrificium: illi abolent, qui veram inuocationem & Cœnam ipsam Domini multis modis corrumpũt, qui iubent inuocare homines mortuos, qui Missas venales habẽt, qui iactitãt se oblatione sua mereri, qui doctrinæ de pœnitentia & remissione peccatorũ multos tetros errores immiscent: qui iubent dubitare agentes pœnitentiam, an sint in gratia, qui libidinibus & idolis Ecclesiam polluunt. Hi sunt Antiochi similes, nõ nos, qui obedire Filio Dei studemus, dicenti, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.*

Postremò, & de vsu integri Sacramenti pauca quædam dicenda sunt. Remoueatur sophistica à iudiciis Ecclesiæ. Norunt omnes, Cœnam Domini ita institutam esse, vt detur populo integrum Sacramentum, sicut scriptum est, *Bibite ex hoc omnes.* Nota est & consuetudo veteris Ecclesiæ, Latinæ & Græcę. Ideo fatendum est, prohibitionem vnius partis injustam esse. Legitima hominũ testaméta violare injustum est: cur Filij Dei testamentum, sanguine ipsius obsignatum, Episcopi violant? Dolendum est autem, tantam esse impudentiam quorundam, vt contra hoc grauissimum argumentum, tamen fingant sophismata, ad stabiliendam prohibitionem: quorum refutationem in re manifesta omittimus.

DE POENITENTIA.

DEi beneficio hæc pars doctrinæ in primis magna perspicuitate in nostris Ecclesiis illustrata est, cùm Sententiarij eam inextricabilibus labyrinthis involuerint. *Primùm* enim clarè damnamus Catharos & Nouatianos, qui finxerunt, nec labi posse electos in delicta contra conscientiam, nec lapsos post emendationem recipiendos esse: & extant nostræ refutationes contra hos furores. Nolumus autem de vocabulo *Pœnitentia* serere λογομαχίας. Si quis mavult, vtatur nomine *Conversionis*, quo & Prophetæ sæpe vsi sunt. Libenter etiam retinemus vsitatum vocabulum *Contritionis*: & dicimus partem pœnitentiæ, seu

con-

conuersionis primam esse contritionem, quæ est, verè expauescere agnitione iræ Dei aduersus peccata, & dolere quòd Deum offenderis: & dicimus in his qui conuertuntur, aliquos tales veros pauores & dolores esse oportere, nec agere pœnitentiam eos qui manent securi & sine dolore, vt 2.Cor.7. *Contristati estis ad pœnitentiam*: & Ezec.20. *Et displicebitis vobis in conspectu vestro, agnoscetis vos dignos esse pœna & exilio*: & hi veri dolores sunt sensus iræ Dei, vt & suo loco copiosiùs dicitur. Hîc autem taxamus Adversarios, qui fingunt contritionem mereri remissionem peccatorum, & oportere contritionem sufficientem esse. In vtroq; errore magnæ tenebræ sunt. Nam remissio datur propter Mediatorem gratis. Et quæ potest esse contritio sufficiens? Imò quo magis crescit dolor sine fiducia misericordiæ, eo magis corda fugiunt Deum, & sustinere nulla natura hanc magnitudinem doloris potest, de qua dicitur Esa.38. *Sicut leo contriuit omnia ossa mea.* Sed illa otiosa somnia scriptorum, ostendunt & vitæ securitatem in eis, & inscitiam Euangelij.

Fiunt autem hi veri dolores, cùm arguitur peccatum, vt in Euangelio ostenditur contemptus filij Dei: *Spiritus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me.* Et voce legis moralis arguuntur & alia peccata, vt inquit Paulus, Rom.3. *Per legem agnitio peccati.*

De confessione priuata facienda Pastoribus, adfirmamus ritum priuatæ absolutionis in Ecclesia retinendum esse: & constanter retinemus, propter multas graues causas. Sed simul docemus, non præcipiendam esse, nec postulandam enumerationem delictorum in illo priuato colloquio: quia nec diuinitus mandata est illa delictorum recitatio, nec possibilis est: & adducit pias mentes in dubitationem, & fidem languefacit. Magis verò hoc taxamus, quòd nusquam Adversarij in doctrina de pænitentia vel conuersione, mentionem faciant fidei justificantis, de qua suprà dictum est: qua sola verè accipitur remissio peccatorum, & cor in sensu iræ Dei erigitur, & liberatur ex doloribus inferorum, sicut scriptum est Rom.5. *Iustificati fide pacem habemus.* Sine hac fide, dolores fiunt pœnitentia Saulis, Judæ, Orestis, & similium in Tragœdiis.

Nec docent Euangelium, sed legem & humanas traditiones Adversarij, hanc fidem vel omittentes, vel etiam oppugnantes. Cùm autem in vera conuersione fiant hæ mutationes, mortificatio & viuificatio, vt Rom.6. & sæpe aliàs dicitur: docendi causa distribuimus conuersionem, vel pœnitentiam, in tria membra: in *contritionem, fidem, & nouam obedientiam.* Nam has res complectitur vera conversio, vt vox diuina & vera Ecclesiæ experientia ostendunt. Nec tamen de modis loquendi, aut numero partium contentiones mouemus, sed res necessarias in conspectu omnibus esse volumus. Et maximè necessarium est Ecclesiæ, extare veram doctrinam, planam, maximè perspicuam de tota conuersione, quæ quidem & in concionibus diuinis summa cum perspicuitate, & sine vllis labyrinthis sæpissimè repetita est, vt Baptista & Christus inquiunt, *Agite pœnitentiam, & credite Euangelio.* Item, *Agite pœnitentiam: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Et Paulus Rom.cap.3. *Omnes carent gloria Dei.* Hîc de contritione concionatur, postea de remissione: *Iustificamur autem gratis, ipsius gratia, per redemptionem in Christo per fidem.* Necesse est igitur, in doctrina de conuersione, seu pœnitentia, fieri mentionem fidei. Nec satis est quòd dicunt Adversarij, se quoque de fide loqui, & hanc anteire pœnitentiam. Loquuntur enim de notitia doctrinæ:

Credo remiſsionem peccatorum aliis dari,ſicut & diaboli norunt Symbolum, ſed Euangelium poſtulat hanc veram fidem, quæ eſt fiducia miſericordiæ propter Filium Dei promiſſæ,& acquieſcens in filio Dei,quæ inquit, *Credo remiſsionem peccatorum mihi quoque dari, & quidem gratis, non propter meam contritionem, non propter vlla mea merita, ſed propter Filium Dei, qui immenſa bonitate & ſapientia diuinitatis conſtitutus eſt Mediator & propitiator. Scio mandatum Dei eſſe immutabile, vt ſinguli in his doloribus ſtatuant ſe certò propter eum recipi.* Hæc eſt propria vox Euangelij, hoc decretum ex ſinu æterni Patris prolatum eſt per Filium, & ſanguine & reſurrectione eius obſignatum eſt. Huic voluntati & decreto nolle adſentiri, eſt contemnere Filium Dei. Et de hoc peccato inquit Joan.cap.3. *Qui non credit Filio, manebit ira Dei ſuper eum.* Sed qui credit ſibi remitti peccata propter hunc Mediatorem, jam certò accipit remiſsionem peccatorum, propter Chriſtum, qui efficax eſt in eo,& viuificat & ſanctificat eum Spiritu ſuo Sancto:& reconciliatus jam, certò reputatur juſtus, propter Mediatorem, & eſt hæres vitæ æternæ. Hanc neceſſariam conſolationem in doctrina de conuerſione vel omittere,vel corrumpere,vel improbare,eſt manifeſtè delere Euangelium. De hac fide & commonefacere nos abſolutio debet, & eam confirmare. Sicut confirmabatur Dauid, audita abſolutione, *Dominus abſtulit peccatum tuum*: ita tu ſcias tibi quoque annuntiari remiſsionem peccatorum, quæ in abſolutione tibi nominatim proponitur. Non fingas, nihil ad te pertinere Euangelium, ſed ſcias ideo editum eſſe, vt hoc modo ſalventur homines, fide amplectentes Euangelium: & mandatum Dei æternum & immotum eſſe, vt ei credas. Qui non hac fide amplectitur Euangelium,ſed manet in dubitatione, fruſtra audit abſolutionem.

Cum hac conſolatione corda viuificantur,& ſunt jam domicilium Dei,certè & nouam obedientiam inchoari neceſſe eſt, vt ſuprà dictum eſt. At redire ad ſcelera,eſt excutere Deum,& rurſum amittere juſtitiam & vitam,ſicut Ioan. inquit, *Qui facit juſtitiam, juſtus eſt: qui facit peccatum, ex diabolo eſt.* Recitauimus autem ſuprà,ſummam doctrinæ de noua obedientia.

DE SATISFACTIONE.

QVale verò chaos ſit doctrinæ de ſatisfactionibus,quas nominant *opera indebita, indicta ab Eccleſia,* longum eſſet recenſere, & pauci ante hæc tempora intellexerunt. Non dubitamus autem, in Eccleſiis noſtris, & totam hanc partem verè & perſpicuè expoſitam eſſe. Fuit mos primis Patribus, eos qui homicidiis, idolis, aut inceſtis libidinibus polluti fuerunt, arcere à ſua conſuetudine,& præcipuè à ſacrificiis. Hunc morem & Synagoga retinuit, & retinuerunt in Aſia & Græcia,& aliæ gentes non prorſus efferæ. Interea polluti vagabantur, circumdati ſignis reatus: vt vagati ſunt Oreſtes, Adraſtus, & alij multi. Hunc morem initiò & Eccleſia retinuit. Pollutos arcebat à communione. Deinde agentes pœnitentiam, vt intelligi poſſet, ſeriò eos petere veniam, & vt exemplum aliis prodeſſet, non ſubitò recipiebat, ſed aliquot diebus abſolutio differebatur, vt publicè petentes conſpicerentur. Ita Corinthius inceſtus arcetur, & poſtea non ſine deliberatione recipitur.

Hic

Hic totus mos exempli causa constitutus est, & politicus est, nihil omnino pertinens ad remissionem peccatorum. Creuit autem deinde superstitione, vt indicerentur ieiunia, abstinentia à coniuge multis annis. Hæc onera cùm nimium creuissent, Episcopi ea rursus laxarunt. Hæc laxatio talium rituum, nominabatur *Indulgentia*. Harum rerum historiam cùm Monachi non considerarent, finxerunt fieri compensationem pœnæ æternæ in pœnas purgatorij, & in alias pœnas huius vitæ. Et addiderunt, satisfactiones indici ab Ecclesia, vt illæ pœnæ mitigentur. Et quidem oportere satisfactiones esse opera non debita lege Dei. Has fabulas Monachorum, quas ne ipsi quidem intellexerunt, reiicimus, & retinemus regulas firmissimas: Pœnæ æternæ simul cum culpa remittuntur propter filium Dei, non propter vllas nostras compensationes, iuxta illud: *O mors, ero mors tua! ô inferne, ero pestis tua!* Item, *Iustificati fide pacem habemus.*

Secundò, Dicimus opera indebita, de quibus ipsi loquuntur, non esse cultus Dei, aut compensationes, sed pertinere ad hoc dictum: *Frustra colunt me mandatis hominum.* Et certè potestas clauium non habet mandatum indicendi tales pœnas. Dicimus etiam, hanc applicationem Indulgentiarum, qua Papa aliis applicat merita sanctorum, commentitiam esse: & Indulgentias olim nihil aliud fuisse, nisi laxationes Canonum, quæ nihil pertinebant ad eas compensationes, de quibus Monachi loquuntur.

Aliud autem est, loqui de satisfactione debita: vt de restitutione furti, vsurarum, alienæ coniugis, famæ. Hæc restitutio est opus debitum, pertinens ad nouam obedientiam, vt Paulus inquit: *Qui furatus fuerat, iam non furetur.* Qui retinet alterius coniugem, nec contritionem, nec fidem, nec nouam obedientiam habet. Nec miscenda sunt illis næniis satisfactionum, præcepta Dei de restitutione debita, quam dicimus esse faciendam.

Fatemur & hoc, plurimas horrendas pœnas in hac vita vagari per Ecclesiam, per imperia, per familias, propter certa delicta multorum hominum, etiam electorum: vt seditio mota contra Dauidem, non leuiter adflixit totam illam Ecclesiasticam politiam, & multas sanctas familias. Discernimus igitur pœnam æternam, & pœnam huius vitæ. Et dicimus, pœnam æternam, tantùm propter filium Dei remitti, cùm fide iustificamur & viuificamur. Etsi autem & pœnæ temporales, præcipuè propter filium Dei mitigantur, qui est vmbraculum Ecclesiæ, quia magnitudinem iræ Dei hæc infirma natura sustinere non posset, sicut Daniel orat: *Propter Dominum exaudi nos, & respice nostrum exilium,* &c. Tamen & hoc docemus, propter ipsam totam conuersionem quoque mitigari pœnas: quia in sanctis promissiones legales additæ operibus, non sunt irritæ, sed habent sua præmia: qualis est, *Date, & dabitur vobis*: & cùm Paulus inquit, *Si iudicaremus nos ipsi, non iudicaremur*: loquitur de tota pœnitentia, non de illis vanissimis vmbris, quas disputant etiam valere, si quis relapsus sit in peccatum mortale.

Excogitantur autem & in hac materia nouæ præstigiæ. Fatētur, satisfactiones non esse compensationes, sed dicunt admittendas esse satisfactiones castigatorias sicut Paulus Corinthium punit. Ea castigatio erat excommunicatio, & fatentur reos manifestorum scelerum à legitimo iudicio & ordine excommunicandos esse, nec est inane fulmen iusta excommunicatio. Sed tamen po-

testas Ecclesiæ non punit vi corporali, carcere, aut inedia. Carcer & supplicia publica ad politicas gubernationes pertinent. Tanta est autem peruersita. quorundam, vt quanquam euidentia veritatis conuinci se intelligant, tamen quærant sophismatum ludos, ne si cederent, prodidisse socios existimentur. Deus, qui est inspector cordium, scit nos simplici studio veritatem quæsiuisse.

DE CONIVGIO.

SEmper in sola Ecclesia mansit incorrupta veritas de coniugio. Scit enim Ecclesia, Deum in genere humano vagas libidines seuerissimè prohibere, & velle intelligi & præstari castitatem, sicut ipse eam ordinat, vt ipsum quoque sciamus mentem puram & castam esse: & à diabolis discernamus, qui odio Dei delectantur confusionibus libidinum: & hanc infirmam naturam hominum impellunt, vt horribiliter contaminetur. Quare & vbique Ethnici quædam tetra exempla admiserunt, & semper hæretici portentosas opiniones de coniugio sparserunt, vt narrant Clemens Alexandrinus & Epiphanius; & magnam deformitatem in hac extrema mundi senecta fecerunt Turcici mores, & lex Papæ de cœlibatu. Affirmat autem Paulus, *signum esse malorum spirituum, prohibere coniugia.* Quare summa cura doctrinam Dei de coniugio incorruptam seruamus, & Dei beneficio magistratus politici in sua gubernatione iudicia coniugiorum instituerunt & tuentur: & seuerè puniunt scelera pugnantia cum lege Dei: & sciunt mandato diuino præcipi sibi curam tuendæ castitatis, & coniugij. Tenemus autem veram definitionem, mandatis diuinis & consuetudini Ecclesiæ Apostolicæ congruentem. *Coniugium, est legitima & indissolubilis coniunctio tantùm vnius maris & vnius fœminæ, obseruanda propter mandatum Dei, qui vult hoc modo consociatum esse genus humanum, & castitatem intelligi, & non vagari libidines.*

Hunc ordinem sanxit Deus initiò, in hoc dicto: *Erunt duo in carnem vnam,* videlicet vnicus mas, & vnica fœmina inseparabiliter iuncti. & rursus sancita est hæc prima norma à Christo, Matth. 19. Vt autem sit legitima coniunctio, seruamus personarum discrimina immutabiliter: ne concedatur commixtio personarum, quibus iure diuino non concessa est commixtio. Seruantur & regulæ Iuris Canonici, de aliis propiorib. gradibus, vt extant ordinationes graui. deliberatione traditæ in Consistoriis. Scimus autem voluntatem Dei esse, ne prohibeatur coniugium vllis personis, quæ sunt idoneæ ad coniugium: & quę extra coniugium non viuerent absque periculo conscientiæ: sicut Gen. 2. Matt. 19. 1. Cor. 7. scriptum est. Ideo conceditur apud nos coniugium Sacerdotibus, & aliis personis, quæ piè in coniugio viuere malunt, quàm in cœlibatu habere sauciatas conscientias, ne Deum inuocare & piè viuere possint.

In desponsationibus, etiam iuxta vetera iura, parentum consensum accedere volumus, cùm probabili ratione parentes mouentur. De diuortiis firmissimè tenetur regula: Peccare eos, qui vel adulterio, vel desertione initium faciunt distractionis, & adulteri & adulteræ: & desertrices condemnamus voce docentium in Ecclesiis, & iudicum in Consistoriis, & à Magistratibus seuerè puniuntur. Sed personæ innocenti, (cum re cognita pronunciatur esse libera) non

non prohibetur coniugium, vt Deum inuocare & piè viuere poſsit. Cùm enim expreſsè liberet Dominus perſonam innocentem, Matth.19. cùm altera polluta eſt adulterio, intelligenda eſt liberatio, non tantùm nomine, ſed re: & Paulus eodem modo loquitur, in caſu deſertionis. Hæc noſtra conſuetudo, & cum veteri Eccleſia congruit. Cæteræ leges in Conſiſtoriis noſtris congruunt cum Jure Canonico, & populo rectè proponimus totam doctrinam de coniugio & caſtitate. Adfirmamus peccata eſſe damnata à Deo, mortalia, & expellentia Spiritum Sanctum, omnes commixtiones, ſeu ſeminis effuſiones extra coniugium: & multas triſtes pœnas in hac vita vagari per genus humanum propter libidines, ſicut ſcriptum eſt: *Scortatores & adulteros iudicabit Deus*: & de his pœnis extat comminatio, Leuit.18.

Caſtitatem verò nominamus, & in vita cœlibe puritatem, & ſeruare iura coniugij: & coniugium, vt antea deſcripſimus, adfirmamus eſſe ſocietatem à Deo inſtitutam, & ſancitam, & placere Deo hanc ipſam ſocietatem & officia vitæ coniugalis: & damnamus fanaticos omnes, Baſylidem, Tacianum, Carpocratem, & ſimiles, quorum alij aliis modis vel damnarunt coniugium, vel tetras confuſiones adprobauerunt. Damnamus & legem Pontificiam, quæ prohibet Sacerdotibus coniugia, & cauſam præbet exitij magnæ multitudini hominum, & ob eandem cauſam vota Monaſtica cœlibatûs improbamus. De cæteris cauſis verò infrà loquemur: pugnant enim illæ Pontificæ leges & vota cum diuino decreto: *Dixit Dominus, Non eſt bonum homini eſſe ſolum*, Dixit, id eſt, ſua inenarrabili ſapientia decreuit, genus humanum hoc modo condere vt ex ſocietate maris & fœminæ propagetur; & duos condidit, vt eſſet Eccleſia: & ſanxit has metas, ne vagarentur libidines. Vult enim, intellectum caſtitatis eſſe in genere humano. Hæc cùm dixerit ac decreuerit Deus, dicunt contrarium, Tacianus, Papa, Monachi: qui cùm prohibent coniugium, cauſam præbent multis hominibus, alioqui ad virtutem idoneis, cumulandi multa horrenda peccata, propter quæ plurimi in æternum exitium ruunt, & ira Dei aduerſus totum genus humanum magis irritatur. Lex humana pugnans cum decreto diuino, & ipſo Dei opere in creatione inſtituto & condito, deinde & cum præceptis diuinis, & quæ fons eſt magnorum ſcelerum, propter quæ & multi pereunt, & ira Dei magis accenditur, imò quam legem Spiritus Sanctus oriri à diabolo adfirmat, nequaquam Eccleſiæ imponenda eſt, ſed omnium piorum conſenſu abolenda eſt. Non rarò autem his 30. annis accidit, vt Sacerdotes, quorum mores inculpati fuerunt, & honeſti, præcipuè propter coniugium, interfecti ſint. Ita diabolus ſuam legem etiam parricidiis ſtabilire conatur: & habet organa, ſcriptores impudentiſsimos, Eccium, Fabrum, Pygium, qui expreſsè ſcripſit, minùs peccare Sacerdotem ſi ſit mœchus, quàm ſi ducat vxorem. Talia ſcribi & dici ab iis qui nominari Chriſtiani volunt, indignum eſt. Vident ſapientes, in hac mundi ſeneſta & naturam hominum languidiorem eſſe, & paulatim maiores diſciplinę laxationes & confuſiones fieri, & ſemper ante excidia vrbium & ruinas regnorum proximè anteceſsit licentia in hoc genere. Ideo gubernatores debebant eſſe vigilantiores, & ſeueriores in tuenda diſciplina, in muniendis coniugij legibus, in puniendis & prohibendis vagis libidinibus: de qua re extare noſtras commonefactiones ad omnem poſteritatem, gaudemus, Simul etiam oramus filium Dei, Dominum noſtrum

Jesum Christum, custodem Ecclesiæ, verè amantem castitatis, vt Spiritu suo casto in multorum cordibus accendat castitatem, & flectat mentes gubernatorum ad salutaria consilia, & reprimat diabolum, flammas libidinum accendentem, & impediat ne impia exempla latè vagentur. Expauescant omnium piorum animi & pectora, cùm tetra & horrenda exempla Ethnica legunt, vel audiunt, quæ quidem deinceps & cæcitas in mentibus, & alij furores exitiosi totis gentibus comitati sunt: vt in historiis Gentium omnibus obvia sunt exempla. Scedasi duas filias Spartani stupratas in puteum abiecerant: postea quasi in illo ipso vestigio trucidatus & exercitus Laconicus, & imperij mutatio facta est. Sed multa sunt omnium ætatum exempla. Meminimus ipsi, Episcopos aliquot præstantes nobilitate & ingeniis, in adulteriis interfectos esse. Sed oramus filium Dei, vt hanc ipsam ob causam plurimos custodiat, & ad castitatem flectat, vt à pluribus rectè inuocari posit. Quæ verò pro defensione cœlibatus ab Aduersariis citantur, perinde ad causam accommodata sunt, vt quod Tacianus citabat, ex Euangelio secundùm Aegyptios dictum Christi ad Salomonem: *Veni soluere opera mulieris.* Id interpretabatur Tacianus: Veni soluere, id est, abolere coniugium, cùm Christi verba loquerentur de Heuæ lapsu, & miseriis secutis eum lapsum, sicut & Ioan. scribit: *Venit filius Dei, vt destruat opera diaboli.*

DE CONFIRMATIONE, ET VNCTIONE.

NOtum est, formas consecrandi oleum, magicas & execrandas esse: ideo nec vnctiones illæ, in quibus vsus est eius olei, tolerandæ sunt. Et vetustas hos ritus longè aliter exercuit, quàm nunc exercentur. In ritu Confirmationis fiebat exploratio doctrinæ, in qua singuli recitabant summam doctrinæ, & palàm profitebantur se improbare furores Ethnicos & hæreticos, & velle se esse & manere veræ Ecclesiæ membra, & non discessuros à vera sententia, quam tunc profitebantur. Hic mos erat vtilis ad erudiendos homines, & retinendos in vera agnitione Dei. Ac in Ecclesiis nostris similia fiunt in Catechesi iuniorum, & in priuata confessione, in qua Pastores doctrinam populi explorant. Sed ritus Confirmationis, quem nunc Episcopi retinent, quid est nisi inanis vmbra? Præterea Vnctio, quæ nunc extrema nominatur, fuit olim medicatio, vt ex Iacobi Epistola perspicuum est. Nunc spectaculum est plenum superstitionis. Dicunt remitti peccata, per istas vnctiones: & addunt inuocationem mortuorum, quam etiam necesse est improbare. Ideò hi ritus non seruantur in nostris Ecclesiis, nec ante hæc tempora Ecclesia sensit esse necessarios. Cæterùm pro ægrotis fiunt publicè & priuatim piæ precationes, sicut promisit Deus se etiam corporales ærumnas petentibus mitigaturum esse, iuxta illud: *Inuoca me in die tribulationis tuæ, & ego eripiam te.*

Fiunt & funera, honesta congregatione, & piis commonefactionibus, & canticis.

DE TRADITIONIBVS, ID EST, RITIBVS in Ecclesia institutis, authoritate humana.

NAtura rationalis ordinem intelligit, & intellectus ordinis non obscurum testimonium est de Deo, nec viuere homines sine aliquo ordine possunt: sicuti in familiis videmus oportere distincta esse tempora laborum, quietis, cibi, somni. Et optima quæque natura, in tota vita maximè est amans ordinis. Ac Paulus iubet *omnia in Ecclesia fieri decorè & ordine.* Fuit igitur semper, inde vsque ab initio generis humani, ordo aliquis publicorum congressuum: fuit aliqua temporum & aliorum quorundam rituum distinctio, haud dubiè plena grauitatis & elegantiæ, apud illa excellentia lumina generis humani, quando in eodem horto aut tugurio consederunt Sem, Abraham, Isaac, & horum familiæ: & audita concione Sem, de vero Deo, de filio Dei, de distinctione Ecclesiæ, & aliarum gentium, postea simul fecerunt inuocationem. Quanquam igitur esse ritus aliquos honestos ordinis causa oportet, tamen homines proni ad superstitionem facilè deprauant hos ritus, ac fingunt tales obseruationes esse merita remissionis peccatorum, & iustitia coram Deo: vertunt signa in numina, sicut multi statuis tribuunt numen, & multi vel superstitione vel tyrannide cumulant ritus: vt superstitio in Ecclesia auxit ritus satisfactionum, vt nominant. Nabuchodonozor, Antiochus, quia iudicant consensum in religione prodesse ad regni concordiam & tranquillitatem, cultus instituunt, quos pariter à subditis obseruari volunt. Ibi non superstitione, sed tyrannide nouæ leges & noua numina proposita sunt. Hæc ita fieri in genere humano, turbari & mutari veras & falsas religiones vidimus, & causas miramur, cur non constanter perseuerent homines in veritate à Deo monstrata. Sed vox diuina adfirmat, à diabolis impelli homines, vt à Deo deficiant: & natura hominum cœca, curiosa, leuis, amat ludos variarum opinionum. Aduersus hæc magna mala, præmunit & confirmat Ecclesiam Deus: dedit ei doctrinam expressam & certam, quæ quidem comprehensa est in libris Prophetarum & Apostolorum, & Symbolis. Quare necesse est considerare quales sint leges seu ritus, & vnde sint.

Est igitur *Prima* Regula: Nulli creaturæ, non Angelis, non hominibus, non Regibus, non Episcopis licet condere leges, aut ritus pugnantes cum verbo Dei. Vt horribiliter peccauit rex Babylonicus, quanquam excellens sapientia & virtute, iubens adorari statuam. Et peccant omnes homines, qui talib. edictis aut legibus obtemperant: sicut Heua peccabat, discedens à mandato diuino propter diaboli mendacium. Sed vniuersaliter Regula seruanda est: *Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.* Talia sunt edicta, quæ præcipiunt inuocari homines mortuos, aut amplecti falsam doctrinam, aut obseruari impios cultus. De his omnibus tenenda est regula primi præcepti, 1. Cor. 10. *Fugite idola.* Talis est & lex de cœlibatu Sacerdotum, quem plurimi sine peccato obseruare non possunt. Etsi autem scimus, quid de legum mutationibus viri politici iudicent: tamen Deus sic ordinauit obedientiam, vt velit nos cum ipso copulatos esse, & congruere cum sapientia & iustitia: vnde hæ regulæ sunt i-

motæ & æternæ: *Non habebis deos alienos*: item, *Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.* item, *Si quis aliud Euangelium docet, anathema ſit.*

Secunda regula: Cum vſitatum ſit, ſuperſtitiones addere operibus, quæ alioqui ſuo genere erant indifferentia, vt nos veſci carnibus, aut non veſci carnibus: neceſſe eſt ſuperſtitiones & errores qui adduntur, taxare, & doctrinæ exempla in vſu libertatis modeſtè oſtendi poſſunt. Eſt autem error non obſcurus, quem ſtultitia multorum docentium, & populi plerumque, addit, quòd docent & exiſtimant, ieiunia & ſimilia opera mereri remiſsionem peccatorum, tum culpæ, tum pœnæ: vt & Thomas ſcribit de Satisfactionibus, & plurimi ſic loquuntur. Hæc Phariſaica imaginatio facilè capit animos, & obſcurat lucem doctrinæ de beneficiis Chriſti propriis, & de gratuita remiſsione, & de fide. Cùm enim putant homines mereri ſe remiſsionem peccatorum, his ſuis ritibus transferunt honorem debitum Chriſto, in hos ritus, & aliquantiſper inani fiducia tument. Poſtea tamen in veris doloribus ruunt in dubitationes, quæ ſunt eis exitio. Et per ſeſe magnum peccatum eſt, non noſſe beneficia filij Dei. Propter hanc cauſam Paulus tam acriter dimicat de abrogatione Circumciſionis, & aliarum cæremoniarum legis Moſaicæ, ne vera cognitio Mediatoris extingueretur, ſi exiſtimarent ſe mereri remiſsionem peccatorum, & iuſtos eſſe hac obſeruatione legis & cæremoniarum Moyſi, ſicut Phariſæi contendebant. Et ſæpe monet Paulus, vt caueamus, ne nouis cæremoniis humanis lux Euangelij obſcuretur.

Secundus error minùs conſpicuus eſt, ſed tamen pernicioſus. Poſtquam vident aliqui, non poſſe defendi hunc Phariſaicum errorem, delabuntur huc: *Etſi*, inquiunt, *non merentur hæ cæremoniæ remiſsionem peccatorum, tamen quia ſunt bona opera & cultus Dei, defenduntur hæ traditiones: vt in lege Moyſi Nazareorum abſtinentia, etſi non merebatur remiſsionem peccatorum, tamen Deo placebat, & erat cultus Deo gratus.* Hoc fuco recèns quidam pingere traditiones didicerunt, qui tamen non de his mediis rebus dimicant, ſed alios tetros errores & opinionem de poteſtate Epiſcoporum.

Neceſſe eſt autem, pios hîc cauere doctrinæ inſidias. Magnus error in hoc ipſo fuco ineſt: Non rectè citatur exemplum ex Moyſe. Longè differunt opera à Deo inſtituta & ordinata, ab operibus non mandatis & non ordinatis à Deo, ſed tantùm conſilio humano excogitatis. Erant cultus Dei opera in lege Dei ordinata, etſi remiſſionem peccatorum non merebantur. At ἐθελοθρησκίαι excogitatæ ab hominibus ſine mandato Dei, nec fuerunt, nec ſunt cultus Dei. Nequaquam probat Deus hanc audaciam hominum, quæ tamen ſemper vſitata fuit, fingendi cultus, id eſt, opera, quorum finis immediatus ſit, vt Deus per ea honore adficiatur. Ideo exclamat vox diuina: *Fruſtra colunt me mandatis hominum.* Et paſſim in Prophetis & apud Paulum taxatur hæc audacia. Sed veri cultus ſunt opera à Deo mandata, quæ fiunt in agnitione & fiducia Mediatoris, hoc fine, vt Deo præſtetur obedientia, & profiteamur hunc verè eſſe Deum, quem ſic colimus. Ita Ezech. 20. reuocat nos ad præcepta diuina, inquiens, *In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere, ſed in præceptis meis ambulate.* Et ſæpe repetitæ ſunt hæ conciones. Et in Pſal. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Et in Numer. cap. 15. *Non ſequantur cogitationes ſuas.*

Tertius error eſt: Hypocritæ fingunt talia opera perfectionis eſſe, vt Mo-

nachi

nachi ſua vota plena vanitatis anteferunt vitæ politicæ, & œconomicæ: cùm Deus mirando conſilio ſic conſociauerit genus humanum,& in his laboribus & periculis velit conſpici fidem, inuocationem, confeſſionem, mutuam beneficentiam, tolerantiam, & alias virtutes.

Quartus error: eſt opinio neceſsitatis, vt ſcribunt, quòd jejunium & quadrageſimæ neceſſarium eſt. Alia arbitraria ſunt, quæ tantùm carnificina eſt conſcientiæ,iudicare non eſſe Chriſtianum, non eſſe membrum Eccleſiæ Dei, comedentem carnes die ſexta, aut non ſeruatum jejunium quadrageſimæ.

Sed error eſt obſcurans res maximas, doctrinam de juſtitia Euangelij, & de Eccleſia,qualis ſit,& quomodo diſcernenda ſint membra Eccleſiæ,non cibo & potu,ſed fide,inuocatione,& cæteris virtutibus. Ac contra opinionem neceſſitatis expreſsè dicitur,Coloſſ.2. *Nemo vos judicet in cibo & potu :* & Galat.5. *In libertate qua Chriſtus vos liberauit, ſtate, nec rurſus jugo ſeruitutis implicemini.* Et opinio neceſſitatis magnas diſcordias ſemper peperit: vt olim contentiones fuerunt de die Paſchatis, de fermento, & nunc ſimiles contentiones multæ exortæ ſunt.

Quintus error accedit ad priores opiniones. Hic error,quòd Epiſcopi ſibi ſumunt poteſtatem inſtituendi nouos cultus, & obligandi conſcientias : vt Gregorius conſtituit, vt mariti translati ad ordinem presbyterorum, relinquerent conſuetudinem conjugum, & conſtitutio de confeſſione præcipit enumerationem,& decreta facta ſunt de diſcrimine ciborum & jejunio,&c. De talibus traditionibus etiam libri extant recentes pleni labyrinthorum , in quibus ſcribitur, *Peccata mortalia eſſe, violationes talium rituum, etiam extra caſum ſcandali.* Gerſon quæſiuit ἐπιεικείας : ſed vera conſolatio eſt vox Euangelij,quæ vult hunc intellectum libertatis in Eccleſia notum eſſe & conſeruari, videlicet remotis illis erroribus, de quibus dictum eſt : Ritus humanos honeſtos, ordinis cauſa factos, ſeruari poſſe ſine opinione meriti, cultuum & neceſsitatis,vt ſuprà dictum eſt ex Coloſſ. 2. *Nemo vos judicet in cibo & potu,* &c. & Petrus inquit, *Quid tentatis Deum, imponentes jugum ceruicibus diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?*

Tertia regula : Remotis erroribus illis, de quibus doceri Eccleſiam neceſſe eſt,poſtea ritus aliquos honeſtos, boni ordinis cauſa factos, & ſeruamus, & ſeruandos eſſe docemus: vt ſine ordine homines viuere non poſſunt: & Paulus inquit, *Omnia fiant decorè & ordine.* Et extat Athanaſij dictum: *Vtiles ſunt cæremoniæ, ſed cum cognitione veritatis & mediocritate.* Hanc vocem apparet oppoſitam eſſe ſuperſtitioni,quæ nunc quoque augebat cæremonias, & obſcurabat veritatem,& onerabat conſcientias & Eccleſias.

Agimus autem gratias Deo, æterno Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui propter Filium, & per eum, æternam Eccleſiam colligit, quòd inde vſque ab initio generis humani conſeruauit publicum miniſterium Euangelij, & honeſtos congreſſus,qui ipſe etiam diſtinxit quædam tempora: & oramus eum, vt deinceps ſervet & regat Eccleſiam. Et ſtudiosè docemus, vt omnes adjuuent conſervationem publici miniſterij, & vitent ſcandala & diſsipationes, vt ſuo loco copioſiùs dicetur.

DE VITA MONASTICA.

OMittimus longiorem commemorationem de veteribus hiſtoriis, eorum qui vel in ſolitudinem diſceſſerunt, vt Antonius: vel collegia ſimilia ſcholis inſtituerunt, extra ciuitatum frequentiam, vt Baſilius. Aliæ enim aliis cauſæ fuerunt ſecedendi. De præſentibus Monachis jam loquamur, qui minimè ſunt in ſolitudine. Collegia ſunt hominum, vel doctorum, vel indoctorum, in media luce & frequentia commodiùs viuentium, quàm viuunt alij homines. Habent voluptates quas expetunt, alij alias. Et multo plus otij, quàm cæteri homines in vita politica & œconomica. Ne ipſi quidem jam illa ridicula encomia de perfectione, & de vita contemplatiua ad ſe transferuut, vt olim aliqui fecerunt. Et cum magna ſit diſſimilitudo hominum in illis ſodalitiis, non volumus concionari malis, qui propter culinas & licentiam illas latebras amant: ſed ſanabiles obteſtamur propter gloriam Dei, & ſuam ſalutem, vt cogitent hæc dicta, *Non habebis deos alienos*: *Fugite idola.* Qualis nunc eſt vita Monaſtica? Plurimum habet impiorum cultuum & vanitatis: Miſſas habent venales pro viuis & mortuis, & hic quæſtus eſt in pleriſque Monaſteriis maximus. Vſitata eſt ibi & mortuorum inuocatio, cumulata multis tetris ſuperſtitionibus, ſtatuarum adorationibus, indulgentiis, & aliis impoſturis. Studia doctrinæ aut nulla ſunt, aut corrupta. Hæ ſolæ cauſæ ſatis magnæ ſunt. cur homines non profani ex illis ſodalitiis diſcedere debeant. Quia vota quæ implicant te generi vitæ, in quo eſt cultus idolorum, ſunt hauddubiè irrita, juxta primum mandatum, quod eſt immotum & æternum, & regula omnium aliorum præceptorum, *Non habebis deos alienos.*

Citant ex Paulo de viduis: *Primam fidem irritam fecerunt.* Sed reſponſio firma & perſpicua eſt. Etiamſi loqueretur Paulus de votis, tamen talia vota nullo modo probaret, quæ conjuncta ſunt cum cultu idolorum, & multis erroribus. Sunt autem & alia multa mendacia in votis. Promittunt caſtitatem & paupertatem: quàm multi ſint idonei ad vitam cœlibem, ipſi norunt. Deinde de paupertate, ſcimus multo plures quærere ibi culinas inſtructas, quàm inopiam & famem. Iam hoc quoque conſiderandum eſt: Excuſent & laudent vitam monaſticam homines diſerti vt volent, tamen ſemper hæc opinio in hominibus non profanis hoc exemplo confirmatur: quòd talia opera electa humano conſilio ſint cultus Dei, id eſt, opera per quæ Deus iudicet ſe honore adfici. Hæc opinio taxanda eſt, & hominum mentibus euellenda eſt, & retrahendi ſunt homines ad mandatum Dei, juxta hoc dictum, *Fruſtra colunt me mandatis hominum.* Item, *Non in præceptis patrum veſtrorum, ſed in præceptis meis ambulate.* Hæc reprehenſio vitæ monaſticæ vera & illuſtris eſt. Iam ſi adfingunt merita & perfectiones, magis obſcuratur Euangelium de juſtitia fidei, & veris cultibus. Quia tetrum & horribile mendacium eſt, obſervationes Monaſticas mereri remiſſionem peccatorum, aut tantundem valent quantum valet Baptiſmus: ſicut Thomas expreſſè dicit. Nec fuit ignota antiquitati hæc reprehenſio. Extat enim narratio ſeu vera, ſeu docendi cauſa ſcripta, quæ tamen iudicia piorum indicat. Scribunt, Antonio cupienti ſcire quantum apud Deum profeciſſet in illis exercitiis ſolitudinis, monſtratam eſſe domum ſutoris Alexan-

xandrini, vicinam portæ. Ingressus igitur, alloquitur patremfamilias, interrogat de doctrina & de exercitiis pietatis. Hic rectè de doctrina respondet. Postea ait, se manè breui precatione Deo gratias agere, & pro cæteris beneficiis, & quòd Filium miserit. Deinde, petere se remissionem peccatorum propter Filium, & orare vt Ecclesiam servet & suam familiam, orare & Filium vt pro nobis intercedat, & hac fide acquiescere, & lætum facere domesticas operas, & curare vt filij rectè doceantur. Non alia, inquit Antonius, habes exercitia duriora? Parum-ne sustinet laboris, inquit iste, qui familiæ victum quærit? & multa subinde incidunt, quæ patremfamilias duriter excruciant, & accedunt onera communia ciuium. Non vides, quantum sit priuatarum & publicarum miseriarum in vita? quas rectè ferre, & in his exercere fidem & patientiam, satis duram militiam esse existimes. Abiit Antonius, & intellexit se commonefieri, ne anteferret sua exercitia officiis vitæ communis. Tales narrationes, & aliæ, leguntur; quæ etiamsi docendi causa scripta sunt, tamen ostendunt eruditorum iudicia. Nec jam longiorem disputationem addere opus est, præsertim cum nemo in illis locis vbi sunt Monachi, ignoret, plurimum esse prauarum superstitionum in Monasteriis, & studia doctrinæ vel nulla, vel corrupta esse. Deliberationem verò de modo emendationis, relinquimus iis qui præsunt.

In multis locis desunt pastores Ecclesiis, aut deest victus pastoribus. His primùm opitulandum erat ex reditibus monasteriorum locupletium. Postea pauperum quoque studia inde iuuanda sunt, & in aliquibus scholæ constitui possunt, præsertim cùm necesse sit Ecclesiam multis pauperibus præbere sumptus ad discendum, vt ex eo numero legantur pastores & ministri qui doceant Ecclesias. Hospitalia etiam inde iuuanda sunt, in quibus pauperes, qui diuturnis morbis laborant, ali necesse est.

Ad tales vsus verè pios, ad alendos pastores, pauperes & scholasticos, ad constituendas scholas, ad iuuanda hospitalia magna pars redituum in monasteriis, in his regionibus Dei beneficio translata est. Reliquum in œconomiam, in quolibet monasterio impenditur, & stultitia est existimare œconomias non esse sumptuosas. Abbates verò ditiores hoc tempore, in quales vsus profundant reditus, exempla multorum ostendunt, quos nominare possemus: qui pariter literas, religionem & virtutem oderunt, & helluantur de his eleemosynis, & aut nullos pastores Ecclesiis suis præficiunt: aut si quos habent, esurire sinunt.

DE INVOCATIONE HOMINVM PIORVM, qui ex hac vita discesserunt.

IN Capite Esaiæ 42. scriptum est: *Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Gloria Dei propriissima est, inuocatio, vt Matth. 4. inquit Dominus: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Et immotum ac æternum decretum est primi præcepti: *Non habebis deos alienos.* Necesse igitur in Ecclesia doctrinam de Inuocatione purissimè extare, ad quam corrumpendam inde vsque ab initio generis humani diabolus variis modis semina sparsit &

ſparget. Quare vigilantiores eſſe debemus, & maiori cura retinere modum inuocationis, ſeu adorationis, propoſitum in verbo Dei, iuxta dictum: *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciet.* In his verbis ſancitus eſt modus, quem conſtantiſsimè tueri debemus: non miſcere alios modos, pugnantes cum voce diuina, aut qui nullo exemplo probato in Scripturis firmati ſunt. Nulla maior virtus eſt, nulla efficacior conſolatio, quàm vera inuocatio. Neceſſe eſt igitur taxari eos, qui veram inuocationem vel negligunt, vel corrumpunt, & ſunt corruptelæ variæ. Multi non diſcernunt ſuam inuocationem ab Ethnica, ac ne cogitant quidem quid alloquantur. De his inquit Dominus, in capite 4. *Vos adoratis quod neſcitis.* Vult Eccleſiam cogitare quid alloquatur, inquiens: *Nos adoramus quod ſcimus.* Multi non cogitant, an, & quare exaudiantur. Recitant precationes, & dubitant tamen, cùm ſcriptum ſit: *Poſtulet in fide, nihil hæſitans.* De his materiis alibi dicemus. Hoc loco reprehendimus hanc corruptelam Ethnicam, quòd defenditur conſuetudo alloquentium homines, qui ex hac vita diſceſſerunt, & petitur ab eis vel auxilium, vel interceſsio. Talis inuocatio aberrat à Deo, & tribuit vel efficaciam creaturis, vel auxilium, vel interceſsionem. Nam qui verecundiùs locuti ſunt, de ſola interceſsione dixerunt. Sed humana ſuperſtitio longiùs procedit, & efficaciam tribuit, ſicut multæ cantiones publicæ oſtendunt: *Maria mater gratiæ, Tu nos ab hoſte protege, In hora mortis ſuſcipe.* Hos verſiculos audiuimus doctorem Theologiæ Monachum præfari morienti, & ſæpe repetere, cùm quidem nullam Chriſti mentionem faceret, & poſſent exempla multa recitari. Accedunt & alij furores. Alij apud alias ſtatuas exiſtimantur eſſe magis propitij. Hi furores cùm palàm ſimiles ſint Ethnicorum, & hauddubiè valdè irritant iram Dei, & à docentibus taxandi ſunt, & à piis Magiſtratibus ſeuerè puniendi.

Reprehenſio autem perſpicua argumenta hæc tria continet. Creaturis tribuere omnipotentiam, eſt impietas: Inuocatio creaturæ, quæ eſt extra hanc vitæ conſuetudinem, tribuit ei omnipotentiam: Quia confeſsio eſt, quòd intueatur omnium corda, & diſcernat gemitus veros à ſimulatis. Hæc tantùm tribuenda ſunt æterno Patri, & Filio eius Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiritui Sancto. Nequaquam igitur inuocatio ad homines, qui ex hac vita diſceſſerunt, facienda eſt. Dolendum eſt, hæc mala non intelligi. Sed te ipſum aſpice, & conſidera quid agas. In hac inuocatione diſcedis à Deo, nec cogitas quid inuoces: & ſcis illos opitulatores, quos quæris, Annam, aut Georgium, non videre motus tui cordis: qui quidem ſi ſcirent ſe inuocari, etiam cohorreſcerent, nollent hunc honorem, Deo debitum, tribui vllis creaturis. Qualis autem eſt inuocatio ad ſurdos? Etſi ſcimus quid reſpondeant Aduerſarij (finxerunt enim ſophiſmata, ad eludendam veritatem) tamen diuina teſtimonia ipſorum reſponſioni deſunt. Et precatio quæ eſt ſine fide, hoc eſt, vbi non potes ſtatuere, an talem inuocationem adprobet ac recipiat Deus, inanis eſt. Meminimus Lutherum ſæpe dicere: *In veteri Teſtamento illuſtre teſtimonium eſſe diuinitatis Meſsiæ, quòd adfirmat eum inuocari.* Et hac proprietate Meſsias ibi à cæteris Prophetis diſcernitur. Id grauiſsimum teſtimonium quærebatur obſcuratum & labefactatum eſſe, translata inuocatione ad alios homines. Ac propter hanc ſolam cauſam, dicebat; *Conſuetudinem alios inuocandi improbandam eſſe.*

Secun-

Secundum argumentum eſt: Irrita eſt inuocatio ſine fide, & nullus cultus in Eccleſiam ſine mandato diuino inuehendus eſt. Nulla autem extat ſententia, quæ oſtendat inuocationem hanc, quam defendunt, ad homines factam, Deo placere, & efficacem eſſe. Eſt igitur irrita inuocatio. Qualis eſt enim precatio, hoc modo accedere ad Annam, aut Georgium: Inuoco, ſed dubito vtrùm tua interceſsio mihi proſit, dubito an me audias, an mihi opem feras.

Si homines hæc arcana peccata intelligerent, execrarentur tales precationes, vt reuera ſunt execrandæ, & ſunt Ethnicæ. Poſtea ex talibus vitiis quanti furores ſequuntur? concurſus & inuocationes ad certas ſtatuas, petitio certorum beneficiorum à ſingulis: ab Anna, vt à Iunone, petuntur diuitiæ: à Georgio, vt à Marte, victoriæ: à Sebaſtian. Rocho, depulſio peſtilentiæ: ab Antonio, defenſio porcorum. Hæc etiamſi Aduerſarij dicunt ſe non probare, tamen lucri cauſa retinent, vt manifeſtum eſt.

Adjungamus & *Tertium* argumentum. Expreſsè ſcriptum eſt: *Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Hunc in omni inuocatione intueri nos oportet, & Euangelij doctrinam de eo noſſe: Quòd nemo ad Deum accedere poſsit, niſi fiducia huius Mediatoris, qui ſimul interpellat pro nobis, vt ipſe inquit: *Nemo venit ad Patrem, niſi per Filium.* Et iubet ipſe nos ad ſeſe confugere, inquiens, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Et modum inuocationis ipſe docet, cùm ait, *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Patrem nominat, vt ſejungas tuam inuocationem ab Ethnica, & cogites quid alloquaris. Cógites hunc verum Deum eſſe, qui ſe patefecit miſſo Filio. Non vagetur animus, vt Ethnica mulier in tragœdia dicit, *Invoco te Deus, quicquid es,* &c. Sed hunc eſſe verum Deum ſcias, qui ſe patefecit miſſo Filio, crucifixo & reſuſcitato: & talem agnoſcas, ſicut ſe patefecit. Deinde ſcias, hunc ita certò recipere & exaudire inuocantes, cùm ad Mediatorem Filium, crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum, confugimus, & petimus, nos propter eum recipi, exaudiri, juuari & ſalvari. Nec alio modo vllus homo recipitur à Deo, vel exauditur: Nec incerta eſt hæc invocatio, ſed jubet ſic invocantes firma fide ſtatuere, hunc cultum Deo placere, & ſic invocantes certò recipi & exaudiri. Ideo inquit, *Quicquid petieritis in nomine meo,* i.e. me agnoſcentes, & nominantes, ſeu invocantes tanquam Redemptorem, ſummum Sacerdotem & Interceſſorem. Solus hic ſummus Sacerdos ingreditur in Sanctum ſanctorum, i.e. in arcanum conſilium diuinitatis, & cernit pectus æterni Patris, & pro nobis interpellat, & noſtros dolores, gemitus, & preces ad eum perfert, ſcrutans corda noſtra. Hanc doctrinam de Mediatore obſcuratam & corruptam eſſe, manifeſtum eſt, cùm confugerent homines ad Matrem virginem, tanquam magis propitiam, & alij alios Mediatores quærerent. Ac manifeſtum eſt, nullum extare exemplum in Prophetis, aut Apoſtolis, vbi fiat compellatio ad homines: Exaudi me Abraham, vel, Exaudi me Deus propter Abraham. Sed compellatio fit ad Deum, qui ſe patefecit: videl. ad æternum Patrem, filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & Spiritum S. vt recipiat, exaudiat & ſalvet propter Filium.

Fit & expreſsè ad Filium, vt 2. Theſſalon. 2. *Ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus & Pater noſter, qui dilexit nos, confirmet vos,* &c. Geneſ. 48. nominat Jacob Deum, & Mediatorem Filium, cùm ait: *Deus, coram quo ambulauerunt patres mei, & Angelus qui eripuit me de cunctis malis* (id eſt, promiſſus Salvator) *benedicat*

ſuer.s iſtis. Vtimur igitur his formis: *Inuoco te omnipotens Deus, æterne Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, conditor cœli & terræ, & omnium creaturarum vnà cum Filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiritu Sancto tuo, ſapiens, verax, bone, juſte, liberrime, caſte, & miſericors, miſerere mei, & me, per & propter Ieſum Chriſtum, filium tuum crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum, exaudi, & ſanctifica me Spiritu Sancto tuo.*

Inuoco te Ieſu Chriſte, fili Dei, crucifixe pro nobis & reſuſcitate, miſerere mei, intercede pro me apud æternum Patrem, & ſanctifica me Spiritu tuo ſancto. In his formis ſcimus quid alloquamur. Et cùm extent teſtimonia verbi Dei, quæ oſtendunt hanc inuocationem Deo placere, & exaudiri, talis inuocatio fide fieri poteſt.

Hæc non ſunt in inuocatione quæ fit ad homines. Colligunt nonnulli teſtimonia ex Auguſtino, & aliis, vt oſtendant beatis in cœlo curæ eſſe res humanas. Poteſt hoc illuſtriùs oſtendi ex colloquio Moyſi & Eliæ cum Chriſto. Et non dubium eſt, beatos orare pro Eccleſia: ſed tamen inde non ſequitur, inuocandos eſſe. Etſi autem docemus, non inuocandos eſſe homines: tamen hiſtorias beatorum populo proponimus. Quia neceſſe eſt omnibus aliquo modo notam eſſe hiſtoriam Eccleſiæ, quibus teſtimoniis vocata & condita ſit Eccleſia, & quomodo ſeruetur, & quod genus doctrinæ per Patres, Prophetas, Apoſtolos & Martyres propagatum ſit. In his hiſtoriis jubemus, vt omnes agant gratias Deo, quòd ſe patefecit, quòd collegit Eccleſiam per Filium, quòd doctrinam nobis tradidit, & quòd miſit Doctores, & in eis teſtimonia de ſe oſtendit.

Iubemus, vt doctrinam eorum conſiderent, & eis teſtimoniis quæ Deus in eis oſtendit, fidem confirment. Conſiderent item exempla judicij & pœnarum, vt excitetur in eis timor Dei: iubemus imitari fidem, patientiam, & cæteras virtutes. Diſcant in Deo non eſſe προσωποληψίαν, & petant ſe quoque recipi, exaudiri, regi, ſalvari & juuari: ſicut Deus recipit Dauidem, Manaſſem, Magdalenam, latronem in cruce.

Monemus etiam, quomodo exempla cuilibet in ſua vocatione imitanda ſint. Quia error in imitatione, & κακοζηλία, ſæpe ingentium malorum cauſa eſt. Laudamus etiam ipſorum Sanctorum diligentiam, qui curauerunt ne effunderent dona Dei. Denique non ſtulti ampliſsimam doctrinam ex his hiſtoriis promere poſſunt, quam proponi populo remota ſuperſtitione vtiliſsimum eſt.

DE MAGISTRATV POLITICO.

DEi beneficio in Eccleſiis noſtris & hæc pars doctrinæ de dignitate Magiſtratus qui gerit gladium, & de dignitate legum, iudiciorum & totius Ordinis Politici, piè illuſtrata eſt, & magno labore multis ſcriptis refutati ſunt Anabaptiſtarum & aliorum fanaticorum hominum multi & magni furores.

Docemus igitur, in tota doctrina Dei, per Prophetas & Apoſtolos tradita, adfirmari Ordinem Politicum, Magiſtratus, leges, iudicia, & legitimam ſocietatem hominum nequaquam caſu exiſtere in genere humano. Et quanquam multum eſt horribilium confuſionum, quæ à diabolo & hominum furoribus

toribus oriuntur, tamen à Deo institutam esse legitimam gubernationem, & societatem hominum: & quantum ordinis reliquum manet, immensa bonitate Dei propter Ecclesiam conseruari. Sicut Rom.13 dicitur,& in Psal. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam*, &c. Sunt igitur res suo genere bonæ, gerere Magistratum, esse Iudicem, esse ministrum Iudiciorum, legitimè vti iudiciis, gerere bella legitima, & esse militem in bellis legitimis, &c. Et potest his rebus vti homo Christianus, sicut vtitur potu, cibo, remediis, emptione, venditione. Nec peccare gerens Magistratus iuxta vocationem, exercens iudicia, militans, legitimo supplicio afficiens condemnatos, &c. Et Magistratui Politico subditi debent obedientiam, sicut Paulus inquit; *Non solùm propter iram*, id est, metu pœnæ corporalis, qua adficiuntur contumaces ab ipsis Magistratibus: *Sed etiam propter conscientiam*, id est, contumacia est peccatum offendens Deum, & auellens conscientiam à Deo.

Hanc sententiam diuinam Ecclesiis proponimus, quæ innuit potestatem legitimam,& totum Ordinem Politicum: & ostendimus discrimen Euangelij & politicæ gubernationis. Vult Deus regi & coërceri politica gubernatione omnes homines, etiam non renatos: ac lucent in hac gubernatione quoque sapientia & iustitia Dei, & bonitas erga genus humanum. Sapientiam ostendit ordo, qui est discrimen virtutum & vitiorum, & consociatio hominum per legitima imperia, & contractus mira sapientia ordinatos. Deinde iustitia Dei conspicitur in politica gubernatione. Quia vult puniri manifesta scelera à Magistratibus, Deus ipse mirabiliter rapit eos ad pœnas, & regulariter atrocia delicta punit atrocibus pœnis in hac vita, vt dicitur: *Qui gladium acceperit, gladio peribit*: Itē *Scortatores & adulteros iudicat Deus*,&c. Vult in his pœnis conspici discrimen virtutum & vitiorum; & vult disci, Deum sapientem, iustum, veracem & castum esse. Conspicitur & bonitas Dei erga genus humanum: quia hoc modo societatem hominum conseruat. Ideò autem conseruat, vt inde Ecclesia colligi possit: & vult Politias esse hospitia Ecclesiæ. Et aliud est politica gubernatio, quæ coërcet omnes, etiam non renatos: aliud remissio peccatorum & iustitia in cordibus; quæ est inchoatio vitæ & salutis æternæ, quæ voce Euangelij fit in credentibus. Vtrumque bonum tribuit Deus generi humano: & discrimina iustitiæ politicæ & lucis in cordibus vult intelligi. Nec Euangelium damnat aut dissipat politias aut œconomias. Etsi autem non pertinet ad docentes in Ecclesia, leges particulares ferre de politica gubernatione: tamen in genere de officio potestatis hoc tradit vox diuina

Primum: Vult Deus, sine vlla dubitatione Magistratus sonare vocem legis moralis in genere humano, quod ad disciplinam attinet, iuxta Decalogum seu legem naturalem: hoc est, vult Magistratuum voce primùm proponi summas & immutabiles leges, prohibentes cultum idolorum, blasphemias, perjuria, iniustas cædes, vagas libidines, violationem coniugij, furta, & fraudes in pactis, contractibus & iudiciis.

Secundum officium: Harum legum diuinarum & immobilium, quæ sunt testimonia de Deo, & summa norma morum, sit custos Magistratus, in puniendis omnibus, qui eas violant. Nam vox legis sine pœna & executione, parum valet ad frænandos & coërcendos homines. Ideò dictum est a Paulo,

na, perſpicua, vtilis conſcientiis & moribus, oſtendit collatio. Non enim defugimus judicia piorum; imò ſemper veram Dei Eccleſiam, hoc eſt, omnes pios & eruditos, vbicunque ſunt, volumus hæc quæ dicimus cognoſcere: quos non dubitamus teſtes fore, hanc doctrinam eſſe veræ Eccleſiæ Dei Catholicæ conſenſum. Offerimus etiam nos, quocunque tempore, ad copioſiorem declarationem, in ſingulis partibus: & hanc commemorationem doctrinæ nunc factam, congruere cum Confeſsione Auguſtæ exhibita, Anno 1530. ſentimus.

Cùm igitur doctrina, quam recitamus, vera ſit, & Eccleſiæ neceſſaria, oramus ne damnentur Eccleſiæ noſtræ, quaſi aut errores amplectantur, aut ſine graui cauſa ſtolidè & ſeditioſè tumultuentur. Veritas, & rerum magnitudo, hac injuſta criminatione nos liberent. Deinde ipſam Synodum piè monemus: Vident veteres abuſus, & errores multos & magnos hærere in Eccleſia. Quia omnibus ætatibus inde vſque ab initio generis humani, diabolus errorum ſemina ſpargit: & poſtea multa, inſcitia hominum, aut ſuperſtitione confirmantur aut repullulant. Cùm autem jam vanitas multarum ſuperſtitionum nota ſit, tempora flagitant emendationem: & niſi gubernatores curabunt extare illuſtratam veritatem, magnæ diſtractiones opinionum ſecuturæ ſunt, præſertim cùm in hac poſtrema mundi ſenecta plus confuſionum impendeat. Ideo Synodus videat, ne manifeſtam veritatem damnet. Et ſi piè deliberatura eſt, quomodo conſulendum ſit Eccleſiis, & à nobis declaratio copioſior petetur: eligendi ſunt viri eruditi, intelligentes & amantes veritatem, & timentes Deum, qui de his tantis rebus ſimul deliberent. Nec tantùm numero ſuffragiorum nobiſcum certetur: cùm manifeſtum ſit ex multis præjudiciis, quid Romanus Pontifex & multi alij ei addicti ſentiant, qui tot jam annos non ſolùm edicta contra nos ſanguine ſcripta ediderunt, ſed etiam multos nobiſcum ſentientes interfecerunt: & multi doctrinam nec intelligant, nec curent, ſed profanis perſuaſionibus imbuti, exiſtiment hoc præcipuè dignum eſſe politicis viris, defendere præſentem formam, & tueri autoritatem ſuam: & ad hanc rem quærunt miniſtros idoneos, qui ſophiſmatum præſtigiis veritatem eludant. Quare jam teſtamur, nos veritatem non abjecturos eſſe, etiamſi talium hominum judiciis condemnata fuerit: & palàm teſtamur, nos Tridentinæ Synodi, quæ antea edidit decreta partim falſa, partim ambigua & ſophiſtica, non adſentiri: ſed flagitare, vt de iiſdem rebus & audiamur, & errores antea confirmati decretis Tridentinis emendentur. Et reuerenter oramus invictiſsimum Imp. CAROLVM Auguſtum, ne permittat Adverſariis, vt veritatem ſua audacia opprimant, & crudelitatem, quæ adverſus innocentes exercetur, confirment, & majora diſsidia injuſtis decretis excitent.

Commendamus autem & Eccleſiam & nos ipſos, filio Dei Domino noſtro Jeſu Chriſto, quem ſcimus voce Euangelij colligere ſibi æternam Eccleſiam: & eum oramus, vt nos regat, nec ſinat extingui lucem Euangelij ſui, nec deleri ſinat cœtus ipſum rectè invocantes.

NOS, quorum nomina adscripta sunt, qui nunc in Ecclesiis & Academiis, quarum infrà fit mentio, docemus, affirmamus & hoc scripto, quod dextrè & non calumniosè intelligi volumus, recitatam esse doctrinam communem quæ sonat in Ecclesiis & Academiis, in quibus Euangelium docemus. Et sentimus verè hanc esse puram & incorruptam doctrinam Ecclesiæ Domini nostri Iesu Christi, congruentem cum scriptis Propheticis,& Apostolicis,& Symbolis: ac necessariam esse Ecclesiis. Et oramus Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, vt has Ecclesias clementer regat & protegat. Offerimus etiam nos ad declarationem in singulis Articulis.

Hæc scripta sunt, Anno M. D. LI. die decima Iulij, in oppido Vitteberga, vbi vicinarum Ecclesiarum Pastores conuenerant.

Ego JOHANNES BVGENHAGEN Pometanus, Doctor, Pastor Ecclesiæ Witebergensis, & Superintendens in Electoratu Saxoniæ, subscripsi hac mea manu.

JOHANNES PFEFFINGER, Doctor Theologiæ, Pastor Ecclesiæ Christi in vrbe Lipsia,& superintendens, manu propria subscripsi.

ERASMVS SARCERIVS, Pastor Ecclesiæ Lipsensis apud D.Thomam.

WOLFGANGVS PFENTNERVS, Doctor, Pastor Ecclesiæ Annæmontanæ.

CASPAR ZEVNERVS, Pastor Fribergæ.

DANIEL GRESSERVS, Pastor & Superintendens Ecclesiæ Dresdensis.

ANTONIVS LAVTERBARCH, Ecclesiæ Pyrnensis Pastor & Superintendens.

NICOLAVS PICVS, Pastor & Superintendens Ecclesiæ Chemnicensis.

GEORGIVS HALA, Pastor Zuiccauiensis.

JOHANNES SCHRBINER, Pastor & Superintendens Ecclesiæ Grymmensis.

AVGVSTINVS HYMMEL, Pastor & Superintendens Ecclesiæ Aldenburgensis.

JACOBVS WEIGANT, Pastor & Superintendens Wellsenfelsensis.

JOHANNES BVCHNER, Pastor & Superintendens Oschatzensis.

Ego JOHANNES RVTILIVS SALTZO in Turingia Superintendens, hanc Confessionem approbo, vt Christianam, in huius signum me subscripsi.

JOHANNES WOITLENDER, Pastor & Superintendens in Eccersberg.

JACOBVS KLAPIVS, Ecclesiæ Hainensis, Pastor & Superattendens.

GEORGIVS MOHR, Pastor & Superintendens Torgau.

MARTINVS WOLFIVS, Pastor & Superintendens Coldicensis.

VALENTINVS BRAVN, Pastor in Dobeln subscripsi.

SEBASTIANVS FROSCHELIVS, Minister Ecclesiæ Wittebergensis.

LVCAS HEZER, Minister & concionator Ecclesiæ Wittebergensis subscripsi.

ALEXANDER ALESIVS Scotus, Doctor Theologiæ, & Decanus Collegij Theologici in Academia Lipsica.

BERNARDVS ZIEGLERVS, Doctor Theologiæ.

NICOLAVS HERCO, S.Theologiæ Doctor.

GEORGIVS ZETLER, Doctor Theologiæ.

JOHANNES MENCELIVS, Doctor Theologiæ.

JOACHIMVS CAMERARIVS Pabepergensis, studiorum Liberalium Professor Lipsiæ οὕτω φρονῶ καὶ πιστεύω.

JOHANNES FORSTERVS, S.Theologiæ Doctor & Professor Wittebergensis.

GEORGIVS MAIOR, sacræ Theologiæ Doctor & Professor in Academia Wittebergensi.

PHILIPPVS MELANCHTHON, Professor in Academia Wittebergensi.

PAVLVS EBERVS Kittingensis, Professor Artium in Academia Wittebergensi.

SCRIPTVM LEGATORVM ILLVSTRISSIMI Principis, Domini Iohannis Marchionis Brandeburgensis, &c. Germanicè tantùm extat. Actum VVittembergæ, in ædibus Domini Philippi, die 26. Iunij, Anno M. D. LI.

Scriptum Legatorum Generosi Comitis Gebhardi à Mansfelt, &c. Germanicè tantùm extat. Actum VVittebergæ. Calendis Augusti. Anno M. D. LI.

Scriptum Legatorum Illustrißimi Principis, Domini Georgij Friderici Marchionis Brandeburgensis, &c.

Ego *Georgius Karg*, Pastor Suabacensis, & *Ioannes Serranus*, aliàs *Seger*, Pastor Rosfeldensis, ab Illustrissimi Principis & Domini, Domini Georgij Friderici Marchionis Brandeburgensis, &c. Domini nostri clementissimi Senatu ablegati Wittebergam, ad Reuerendos Patres & Præceptores nostros, D. Philippum Melanchthonem, & cæteros sacræ Theologiæ Doctores, vt cognosceremus Confessionem Fidei recens à D. Philippo Melanchthone scriptam, exhibendam Concilio Tridenti congregato: Testamur nos accuratè legisse hoc scriptum, & affirmamus in eo doctrinam Euangelij Domini nostri Iesu Christi, prout in sacra Scriptura vtriusque Testamenti & in Symbolis continetur, sincerè & sine sophistica, modò dextrè intelligatur, propositam, quæ & in Ec-

clesiis nostris, aliquot jam annis prædicata, nunc etiam docetur, auditur & approbatur ab omnibus verè piis & Spiritu Dei sancto illuminatis. Et oramus Dominum nostrum Jesum Christum, propter peccata nostra à Deo Patre traditum, & propter justificationem nostram ressuscitatum, vt Ecclesias quoque nostras cum omnibus aliis clementer regat & protegat, nosque in ea fide & libertate in qua stamus, confirmet, adeoque constanter ad finem vsque vitæ nostræ per Spiritum suum Sanctum conservet. Amen. Actum Witebergæ, die 12. Septembris, anno 1551.

SCRIPTVM LEGATORVM GENEROSORVM Comitum à Mansfelt.

Cùm nostrorum Comitum nomine Witebergam ablegati essemus ad petendum consilium de Concilio indicto, à Reuerendis viris D. Philippo Melanchthone, cæterisque Præceptoribus nostris obseruandissimis, forma eius scripti quod in Concilio offerendum esset nobis exhibita est. Summa igitur qua potuimus attentione, pro ingeniorum nostrorum tenuitate & pro temporis ratione, id scriptum legimus & considerauimus. Testamur itaque in isto scripto, summam eius doctrinæ quæ Dei beneficio in Ecclesiis harum regionum incorruptè hactenus sonuit & sonat adhuc, perspicuè comprehensam esse. Iudicamus autem eam cum scriptis & perpetuo consensu Prophetarum & Apostolorum congruere, neque vlla sophistica labefactari posse. Agimus igitur Deo Patri Domini nostri Iesu Christi gratias, pro patefacta luce Euangelij, & precamur ardentibus votis, vt hanc sinceram doctrinam aduersus omnes insidias & impetus diaboli tueatur & conseruet: & colligat sibi inter nos & alias quoque gentes Ecclesiam, se perpetuò agnoscentem, inuocantem & celebrantem. Vt igitur huic scripto suffragium & testimonium nostrum adderemus, nomina nostra subscribere voluimus. *Michael Cœlius,* Inclytorum ac Generosorum Comitum à Mansfelt Concionator. *Iohannes VVigandus*, Minister verbi Dei in oppido Mansfelt. *Iohannes Prætorius,* Minister verbi Dei in arce Stolberg. *Valentinus Sifridi*, Minister verbi Dei in oppido Ortemberg in Comitatu Konigsteinensi, subscripsi.

SCRIPTVM MINISTRORVM ECCLESIÆ in Inclyta vrbe Argentorato, S. D.

Scriptum D. Philippi Melanchthonis, charissimi Præceptoris nostri, quod dilectus frater & symmista noster D. Iohannes Marbachius attulit, vidimus, legimus, & exosculati sumus, bonaque fide de eo testamur quisque sua manu, quòd consonum sit vnicæ & veræ doctrinæ de Dei essentia & voluntate quæ à Deo patefacta est & commendata primis Patribus & Prophetis, postea illustrata voce Filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, crucifixi pro nobis & ressuscitati, & voce Apostolorum & Apostolicorum virorum. Ac nequaquam recipiendas vllas opiniones pugnantes cum illa prima Prophetica doctrina & voce Filij Dei. *Caspar Hedio,* Doctor Theologiæ, docens Euangelium in Ecclesia

Dei,

Dei, in inclyta vrbe Argentorato; manu propria subscripsit, vt vna sit vox multarum Ecclesiarum. *Iohannes Marbachius*, Theologiæ Doctor & Pastor Ecclesiæ ad S. Nicolaum, Argentorati. *Beatus Geringus*, Minister Euangelij Christi Veteranus, Pastor Ecclesiæ Dei quæ apud D. Thomam Argentorati. *Theobaldus Nigri*, Minister in Euangelio Christi Ecclesiæ Argentoratensis. *Lucius Kiberus*, Pastor. *Iohannes Cenglinus. Ludouicus Rabus. Christophorus Sællius. Cunradus Hubertus. Leonhardus Tanus*, Minister.

SCRIPTVM MINISTRORVM ECCLESIARVM citerioris Pomeraniæ, Salutem & pacem in Christo.

Cùm Illustrisimus Princeps Philippus Dux Stetinensium, Pomeraniæ Cassubiorum, &c. Dominus noster clementissimus, à nobis peteret, vt iuxta edictum inuictissimi Imperatoris Caroli, summam doctrinæ quæ in Ecclesiis & Scholis nostris magno consensu traditur, breui scripto comprehensam, congruentibus omnium suffragiis Tridentinæ Synodo offerremus: non grauatim id negotij, quod pietati, iustitiæ, & præcepto Dei maximè consentaneum erat, suscepimus. Sed quum id etiam temporis, vestra Confessio, Illustrisimi principis iussu, nobis exhiberetur, ac animaduerteremus recitari in ea doctrinam veram, piam & salutarem Ecclesiæ, planè congruentem cum scriptis Propheticis & Apostolicis, visum est omnibus Ministris & Doctoribus Ecclesiarum, qui Grypsvvaldæ conuenerant, vt instituto labore supersedentes, vestram Confessionem nostris omnium suffragiis comprobaremus, ac vt nostram, Illustrisimo Principi, & Tridentinæ Synodo offerremus. Quare hîc palàm testamur & affirmamus coram Deo & omnibus sanctis in cœlo & in terra, doctrinam quæ in vestra Confessione proponitur, verum & perpetuum esse consensum Catholicæ Ecclesię Filij Dei Domini nostri Iesu Christi, nosque eam toto pectore amplecti, ac sonare in nostris Ecclesiis, Academiis, & Scholis, ac Deo iuuante, ad omnem æternitatem constanter professuros ac defensuros esse. Quod quum ita sit, reuerenter oramus vt pro commemorabili vestra erga nos pietate & beneuolentia, nostras Ecclesias & eos qui harum Ecclesiarum nomine isthuc emittuntur, doctrina, consilio, & omni genere officij iuuetis, vobisque commendatos & coniunctos esse sinatis: ac omnino statuatis, nos quum de sacris cæremoniis in Euangelio institutis, tum verò de vniuersa doctrina cœlesti, deque ritibus ad Eutaxiam Ecclesiæ pertinentibus, planè idem vobiscum sentire: nec, Deo dante, passuros vt vllis vnquam temporibus ab hac sententia depellamur. Commendamus etiam Filio Dei Domino nostro Iesu Christo vestram salutem, cúmque toto pectore & ardentibus votis oramus, vt actiones & conatus vestros regat & fortunet ad gloriam sanctissimi sui nominis, & ad vtilitatem Ecclesiæ. Bene ac feliciter valeat V.E. in Christo, cui & nostras Ecclesias & honesta studia piis votis commendamus. Datæ Grypswaldæ in Synodo prouinciali. Anno 1552. die 21. Ianuarij. Vestræ Excellentiæ addictissimi, Rector Academiæ Grypswaldensis, Superattendens, Doctores, Pastores, & Ministri Ecclesiarum citerioris Pomeraniæ.

Basileæ, ex Officina Ioannis Oporini, anno salutis M. D. LII.

CONFESSIO ILLVSTRISSIMI *Principis ac Domini,*

D. CHRISTOPHORI DVCIS WIRTEMBERGENSIS, & Theccensis, Comitis Montbeligardi, &c.

Excusa Francofurti, apud Petrum Brubachium, anno 1561.

DEI GRATIA.

Christophorus Dux Wirtembergensis, & Theccensis, Comes Montbeligardi, &c.

MAGNÆ *& graues causæ sunt, quæ nos impulerunt, vt hanc nostræ fidei confeßionem, vnà cum Apologeticis nostrorum Theologorum scriptis, publicè in lucem ederemus, & Ecclesiæ filij Dei legendam exhiberemus. Extat quidem* Confessio Augustana, *quam, vt piam, & scriptis Propheticis ac Apostolicis consentaneam amplectimur, ita iam antea nos ei adscripsimus. Sed cùm Tridentinus Conuentus, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo celebraretur, & ratio fidei, à singulis Germaniæ Principibus, præsertim ab iis, qui genus doctrinæ multis annis vsitatum, & aliquot veteres ritus in Ecclesiis suis mutauerant, peteretur, res in eo tum statu erant, vt nobis peculiaris Confeßio conscribenda, & Tridentino Conuentui exhibenda esset, quâ tamen tantùm abest, vt ab Augustana Confeßione recesserimus, vt eam potiùs compendio quodam complecti & repetere voluerimus. Visum igitur est in præsentia, illam nostram Confeßionem, non nudam, sed suo præsidio munitam, in medium proferre & divulgare. Nam, cùm diuino fauore, & clementia, non solùm adsciti simus ad agnitionem filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, & cooptati in sortem cælestis hæreditatis, quo beneficio homini nihil majus, nihil bea-*

beatius contingere potest, verùm etiam vocati ad gubernandam regionem nobis hæreditario iure commendatam: cogitamus nostrarum esse partium, vt gratitudinem & obedientiam animi nostri, Deo Patri Domini nostri Iesu Christi, quaquâ ratione possumus, testificaremur. Inter multa autem & varia gratitudinis officia, non videmus, quid hoc tempore majus, & Deo acceptius præstare queamus, quàm vt publica verè piæ ac cœlestis doctrinæ confessione, nomen Dei celebremus: Laudabo, *inquit Rex Dauid*, nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum laude. Et placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas. *Et iterum:* Laudent, *inquit*, nomen Domini Reges terræ, & omnes populi, Principes, & omnes Iudices terræ.

Et quia boni Principis officium esse agnoscimus, de Republica sua Regionis bene mereri, & publicam pacem ac tranquillitatem, pro sua virili, conseruare, atque hostium vim arcere, non possumus meliorem præstandi huius officij rationem excogitare, quàm vt in hanc curam & studium incumbamus, quo populus in verè pia doctrina rectè imbuatur, & ad veram agnitionem Filij Dei perducatur. Alij alia habent consilia, quibus regna sua adversus insultum hostium muniant: Nos verò judicamus institutionem & conseruationem verè piæ & cœlestis doctrinæ, optimum ac fortissimum esse regnorum munimentum. Esaias Propheta, è regia familia natus, alloquitur Ecclesiam Filij Dei; Gens, *inquiens*, & regnum, quod non seruierit tibi, peribit: & gentes, (quæ tibi sua non præstant officia) solitudine vastabuntur. *Qua autem ratione vtiliùs seruiemus Ecclesiæ Dei, & conseruabimus nostram regionem, tot Ecclesiis refertam, quàm si curauerimus, vt ministerium Euangelij sit incolume, & veritas cœlestis doctrinæ, cujus epitomen in hac nostra Confessione proponimus, rectè & diligenter tradatur? Metuebat quondam Rex Iudææ, Herodes, ne si Christus regnaret, regno ipse excideret. Quare persequebatur eum cruentissimo consilio, & expellebat eum in exilium. Sed quod impius metuit, hoc accidit ei. Regnum Christi promouit, & tyrannus extinctus est. Quare, cùm cupiamus Regionem, nobis à Majoribus nostris in manus traditam, non solùm incolumem conseruare, verùm etiam florentiorem reddere, suscepimus curam ejus rei, hoc est, ostendendæ & propagandæ piæ doctrinæ, quâ solâ regna verè stabiliuntur & illustrantur. Accedit illud, quod his temporibus, seu suo quodam Ecclesiæ fato, seu hominum intemperie multa passim corruptelæ cœlestis doctrinæ, & varia sectarum genera, in Ecclesiam inuadant, aut potiùs incurrant. Voluimus igitur hoc scriptum in conspectum proferre, vt non tam alij cognoscerent quod doctrinæ genus nostræ Ecclesiæ profiterentur, quàm vt noster populus haberet, quod*

in hoc diſsidio ſequeretur, & ſciret à quibus erroribus ſibi cauendum eſſet. Magna hominum pernicie fit, ſi aut fons vnde omnes bibunt, veneno inficiatur, aut publica moneta adulteretur. Multo autem majori fit pernicie, ſi cæleſtis doctrina, è qua ſalus vniuerſæ Eccleſiæ pendet, vanitate & impietate corrumpatur. Conſtituimus igitur hoc noſtræ Confeſsionis ſcriptum quod paucis ſummam doctrinæ continet, proponere, vt fontem verè ſalutaris doctrinæ, purum atque integrum in Eccleſiis noſtræ regionis conſeruaremus, & monetam, quæ nobis imaginem cæleſtis Patris refert, à corruptione, (quod in nobis eſt) tueremur. Simul etiam vt hoc ſcriptum diceret teſtimonium ad poſteritatem, nos nihil, quantum eniti potuimus, prætermiſiſſe, quin Eccleſiam Filij Dei juuaremus. Eodem conſilio facilè paſsi ſumus, vt Apologeticis hujus Confeſsionis ſcriptis adjungerentur ſcripta Aduerſarij, quò ex collatione veritas illuſtrior redderetur. Quod officium ſperamus non ſolùm Dei gratum eſſe; verùm etiam Eccleſiæ Filij Dei ſanè quàm profuturum.

CONFESSIO PIÆ DOCTRINÆ, QVÆ NOMINE ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI D. CHRISTOPHORI Ducis Wirtembergensis, ac Comitis Montisbeligardi, per Legatos eius die 24. mensis Ianuarij anno M. D. LII. Congregationi Tridentini Concilij proposita est.

PRÆFATIO.

CVM agnoscamus nos Diuina clementia ad gubernaculum nostræ regionis ac Reipubl. vocatos, nihil prius hactenus duximus, quàm vt coram Deo Patre Domini nostri Iesu Christi, & vniuersa ejus Ecclesia, studium nostrum in excitanda & propaganda verè pia doctrina, quibuscunque possemus officiis testificaremur. Etsi enim non ignoramus, suum esse discrimen inter Politicam & Ecclesiasticam functionem, tamen cùm Psalmus nos grauissimè hortetur, Nunc Reges, *inquiens,* intelligite, erudimini, qui judicatis terram: Servite Domino in timore & tremore: *non debuimus cœlestem vocem contemnere, sed omnem conatum & operam nostram ad juuandam veram Ecclesiam Filij Dei pro virili nostra conferre.*

Alij alias quidem rationes inire solent, quibus cogitant se Filio Dei & Ecclesiæ ejus studium suum probare. Nos autem judicauimus ad veram Ecclesiæ salutem aut constituendam aut conseruandam nihil esse nec vtilius nec Deo acceptius, quàm vt ministerium cœlestis ac verè piæ doctrinæ officium tum publicis tùm priuatis juuetur.

Et quia propter immensam clementiam Dei, quam fecit nobis in Iesu Christo filio suo testatissimam, non dubitamus, quin nos vt vera membra sua complectatur, debuimus ei vicissim hoc obsequium, vt quoquo modo possemus, beneuolentiam nostram erga sponsam ejus Ecclesiam, quâ nihil ei est in his terris aut amabilius aut pretiosius, declaremus.

Iussit nos alius Psalmus portas nostras aperire Regi gloriæ. *Existimauimus autem, portas tanto Regi verè tum patere, cùm cœlesti doctrinæ ejus in Ecclesiis locus conceditur.*

Sed cùm inciderint variæ de doctrina Ecclesiastica dissensiones, & visum est Inuictissimo Domino Imperatori Carolo, ejus nominis quinto, Domino nostro clementissimo, ac reliquis Statibus sacri Romani Imperij, si quid habemus quod vel ad publicam Ecclesiæ pacem, vel ad priuatam conscientiæ tranquillitatem pertinere videatur, commemorare: jussimus Concionatores nostros summam doctrinæ ipsorum conscribere, vt palàm testarentur, in nostris Ecclesiis, non nisi verè Apostolicæ, Catholicæ & Orthodoxæ doctrinæ locum datum esse.

Voluimus igitur vt hoc scriptum Concionatorum nostrorum publicè proponeretur, & speramus futurum vt vniuersa Ecclesia piorum re ipsa videat, nihil à nostris Ecclesiis alienius esse, quàm vt in iis quicquam, quod cum scriptis Propheticis & Apostolicis, ac consensu veræ Ecclesiæ Catholicæ pugnet; vel in doctrina prædicandum, vel in ritibus sacrorum administrandum, susceptum fuerit.

DE DEO, ET TRIBVS IN VNA Diuinitate Personis.

CREDIMVS & confitemur, vnum solum, verum, æternum, immensum esse Deum, omnipotentem creatorem omnium visibilium & inuisibilium: & in hac vna ac æterna Diuinitate tres esse per se subsistentes proprietates seu Personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: sicut docet Prophetica & Apostolica Scriptura, & explicant tria Symbola, Apostolicum, Nicænum, & Athanasij.

DE FILIO DEI.

CRedimus & confitemur, Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ab æterno à Patre suo genitum, verum & æternum Deum, Patri suo consubstantialem, & in plenitudine temporis factum hominem, ad expianda peccata, & procurandam æternam salutem humani generis, vt Iesus Christus verus Deus & verus homo, sit vna tantùm persona, non duæ, & in vna persona sint duæ naturæ, non vna tantùm. Sicut testimoniis sacræ Scripturæ exposuerunt Sancti Patres in Concilio Nicæno, Ephesino primo & Chalcedonensi. Itaque detestamur omnem hæresin cum hac doctrina de filio Dei pugnantem.

DE

DE SPIRITV SANCTO.

CRedimus & confitemur, Spiritum Sanctum ab æterno procedere à Deo Patre & Filio, & esse eiusdem cum Patre & Filio essentiæ, maiestatis & gloriæ, verum ac æternum Deum: sicut autoritate Sacræ Scripturæ rectè explicuerunt sancti Patres in Concilio Constantinopolitano aduersus Macedonium.

DE PECCATO.

CRedimus & confitemur, hominem initio iustum, sapientem, libero arbitrio præditum, Spiritu Sancto ornatum ac fœlicem à Deo conditum esse, postea autem propter inobedientiam, Spiritu Sancto priuatum, factum mancipium Satanæ, & obnoxium tam corporali quàm æternæ damnationi: idque malum non in vno tantùm Adamo constitisse, sed progari in omnem posteritatem eius.

Quod autem nonnulli affirmant, homini post lapsum tantam animi integritatem relictam, vt possit sese naturalibus suis viribus & bonis operibus ad fidem & inuocationem Dei conuertere ac præparare, haud obscurè pugnat cum Apostolica doctrina, & cum vero Ecclesiæ Catholicæ consensu.

Ad Roman.5. Per vnius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem.

Ad Ephes.2. Cùm essetis mortui delictis ac peccatis, in quibus aliquando ambulastis, iuxta seculum mundi huius, iuxta principem, &c. *Et mox:* Eramus natura filij iræ, quemadmodum & cæteri. Mortui, inquit, peccatis, & filij iræ: hoc est, alieni à gratia Dei. Sicut homo corporaliter mortuus non potest sese suis viribus præparare aut conuertere ad accipiendam vitam corporalem: ita mortuus spiritualiter non potest sese sua virtute conuertere ad accipiendam vitam spiritualem.

August. tomo 7. contra duas epist. Pelag. ad Bonifacium, lib.2.cap.8. Dominus, vt responderet futuro Pelagio, non ait: Sine me Difficile potestis quicquam facere, sed ait: Sine me *nihil* potestis facere. Et vt responderet futuris etiam istis, in eadem ipsa Euangelica sententia non ait: Sine me nihil potestis perficere, sed facere. Nam si perficere dixisset, possent isti dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis est, sed ad perficiendum esse Dei adiutorium necessarium.

Et mox. Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ: non bene intelligendo falluntur, vt existiment cor præparare, hoc est, bonum inchoare sine adiutorio gratiæ Dei, ad hominem pertinere. Absit, vt sic intelligant filij promissionis, tanquam cùm audierint Dominum dicentem: Sine me nihil potestis facere, quasi conuincant eum, dicentes: Ecce sine te possumus cor præparare. Aut cùm audierint à Paulo Apostolo: Non quia idonei sumus cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, tanquam & ipsum conuincant, dicentes: Ecce idonei sumus ex nobismetipsis, præparare cor, ac per hoc & boni aliquid cogitare.

Et iterum tomo 9. in Iohan. tract. 49. Nemo ſe palpet, de ſuo Satanas eſt, de Deo beatus eſt. Quid eſt enim de ſuo, niſi de peccato ſuo? Tolle peccatum quod eſt tuum: iuſtitia, inquit, de meo eſt. Quid enim habes quod non accepiſti?

Ambroſius de vocatione Gentium, lib. 1. cap. 9. Licet inſit homini, Malum velle, tamen, niſi donatum, non habet bonum velle: illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam.

Bernardus in homilia 1. de annunciat. beatæ Mariæ. Si ſtare non potuit humana natura adhuc integra, quantò minùs potuit per ipſam reſurgere iam corrupta?

DE IVSTIFICATIONE.

CRedimus & confitemur quòd ad faciendam & exercendam iuſtitiam Deo gratam, neceſſariæ ſint hæ virtutes, Fides, Spes & Charitas, & quod homo has virtutes non ex ſe concipere poſsit, ſed accipiat ex fauore & gratia Dei, quodque fides operetur per dilectionem.

Sed ſentimus, à verè Apoſtolica & Catholica doctrina longiſsimè abhorrere eorum ſententiam, qui docent hominem fieri Deo acceptum, & reputari coram Deo iuſtum propter has virtutes, ac in iudicio Dei meritis harum virtutum confidendum eſſe.

Homo enim fit Deo acceptus, & reputatur coram eo iuſtus, propter ſolum filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per fidem: & in iudicio Dei non eſt vllo earum virtutum, quas nos habemus, merito, ſed ſolo merito Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod fit noſtrum per fidem, confidendum.

Et quia coram tribunali Dei, vbi de vera & æterna iuſtitia ac ſalute agitur, nullus planè locus eſt meritis hominum, ſed tantùm miſericordiæ Dei, & meritis ſolius Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui fide à nobis accipitur: idcirco ſentimus veteres ac maiores noſtros rectè dixiſſe, nos coram Deo ſola fide iuſtificari.

Ad Rom. 3. Omnes peccauerunt & egent gloria Dei: iuſtificantur autem gratis per gratiam ipſius, per Redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius.

Ad Galat. 3. Concluſit Scriptura omnia ſub peccato, vt promiſsio ex Fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.

Et cap. 5. Nos Spiritu ex Fide ſpem iuſtitiæ expectamus. Nam in Chriſto Ieſu neque Circunciſio quicquam valet, neque Præputium, ſed Fides per dilectionem operans.

Hilar. in Matth. cap 8. Mouet Scribas, remiſſum ab homine peccatum: Hominem enim tantùm in Ieſu Chriſto contuebantur, & remiſſum ab eo, quod lex laxare non poterat. Fides enim ſola iuſtificat.

Ambroſius in epiſt. ad Romanos cap. 3. Iuſtificati ſunt gratis, quia nihil hîc operantes, neque vicem reddentes, *Sola fide* iuſtificati ſunt, dono Dei.

Et iterum cap. 4. ad Rom. Manifeſtè beati ſunt, quibus ſine labore vel opere aliquò remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nulla ab his requiſita pœnitentiæ opera, niſi tantùm vt credant.

Poſſunt autem multa loca tam è ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, quàm è ſanctis

sanctis Patribus commemorari, quibus probatur, non solùm initio gratuita Dei clementia donari nobis has virtutes, Fidem, Spem & Charitatem, verùm etiam postea per omnem vitam, adeoque in extrema necessitate, haud quaquam nos coram seuero tribunali Dei constare posse nisi fiducia solius gratuitæ clementiæ Dei, in Christo filio Dei nobis exhibitæ. Hoc enim est quod & Paulus docet, & Ecclesiastici scriptores exponunt, nos coram Deo sola fide iustificari.

DE LEGE.

AGnoscimus legem Dei, cuius epitome est Decalogus, præcipere optima, iustissima & perfectissima opera, & hominem non solùm obligatum esse ad obediendum moralibus præceptis Decalogi, verùm etiam si faceret opera Decalogi, ea perfectione & integritate quam lex exigit, verè coram Deo operibus suis iustum reputandum, & meritis suis æternam salutem consecuturum. Sed quod nonnulli sentiunt, hominem posse in hac vita eò peruenire, vt non tantùm impleat suis operibus Decalogum, verùm etiam possit plura & maiora opera facere, quàm in Decalogo præcepta sunt, quæ vocant opera supererogationis, alienum est à Prophetica & Apostolica doctrina, & pugnat cum sententia verè Catholicæ Ecclesiæ.

Decalogus enim non est ad hunc vsum datus, vt significet hominem posse præcepta eius in hac vita perfectè implere. Sed vt ostendat homini suam imperfectionem, & ferat testimonium de iniustitia hominis, ac de ira Dei aduersus omnes, ac excitet eos ad quærendam remissionem peccatorum, iustitiam & salutem, in solo Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, per fidem.

Ad Romanos 3. Per legem agnitio peccati.

Et cap. 7. Lex spiritualis est, ego autem carnalis, venditus sub peccatum.

Et cap. 8. Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum, nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem.

Ad Gal. 3 Scriptum est, Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.

August. de Spiritu & litera cap. 39. Hoc primum præceptum iustitiæ, quo iubemur diligere Dominum ex toto corde, ex tota anima, & tota mente, cui est de proximo diligendo alterum consequens, in illa vita implebimus, vbi videbimus facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est, vt admoneremur, quid fide exposcere, quò spem præmittere, & obliuiscendo quæ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc, quantum mihi videtur, in ea quæ perficienda est iustitia, multum in hac vita ille proficit, qui, quàm longè sit à perfectione iustitiæ, proficiendo cognoscit.

Et rursus August. ad Hieronymum Epist. 26. Charitas est virtus, quâ id quod diligendum est diligitur. Hæc in aliis maior, in aliis minor, in aliis nulla est. Plenissima verò, quæ iam non potest augeri, quandiu hic homo viuit, est in nemine, quandiu autem augeri potest, profectò illud quod minus est quàm debet, ex vitio est. Ex quo vitio non est iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet. Ex quo vitio non iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens. Pro-

pter quod vitium si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Propter quod etiam, quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere: Dimitte nobis debita nostra, cùm iam omnia in Baptismo dicta, facta, cogitata, dimissa sunt.

Et iterum lib.1. Retract. cap.19. Omnia mandata Dei facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoscitur.

Hieronymus. Hæc hominibus sola perfectio est, si imperfectos se esse nouerint.

Hæc est hominis vera sapientia, imperfectum esse se nosse: atque, vt ita loquar, cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est.

DE BONIS OPERIBVS.

DOcemus bona opera diuinitus præcepta, necessariò facienda esse, & mereri gratuita Dei clementia sua, quædam, siue corporalia, siue spiritualia præmia.

Non est autem sentiendum, quòd iis bonis operibus, quæ nos facimus, in iudicio Dei, vbi agitur de expiatione peccatorum, & placatione diuinæ iræ, ac merito æternæ salutis, confidendum sit. Omnia enim bona opera, quæ nos facimus, sunt imperfecta, nec possunt seueritatem diuini iudicij ferre: Sed omnis fiducia nostra collocanda est in sola Misericordia Dei, propter Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum.

Psal.142. Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Ad Gal. Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuò aduersantur, vt non quæcunquæ volueritis, eadem faciatis.

Ad Rom.7. Noui quòd non habitet in me, hoc est, in carne mea, bonum.

Daniel.9. Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.

August. confess. lib 9 cap.13. Væ hominum vitæ, quantumuis laudabili, si remota misericordia discutias eam.

Et rursus in manuali cap.22. Tota spes mea in morte Domini mei. Mors eius meritum meum est, refugium meum, salus, vita & resurrectio mea: Meritum meum miseratio Domini: non sum meriti inops, quandiu ille miserationum Dominus non defuerit. Et si misericordiæ Domini multæ, multus egò sum in meritis.

Gregorius lib.1. super Ezechielem hom.7. in fin. Iustus ergo Aduocatus noster, iustos nos defendet in iudicio, quia nosmetipsos cognoscimus & accusamus iniustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in Aduocati nostri allegatione confidamus.

Bernardus in sermone 1. de annunciat. beatæ Mariæ. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Non quidem tale testimonium, quale ille Pharisæus habebat, seducta & seductrice cogitatione, testimonium perhibens de seipso, testimonium eius ve[ru]m non erat, sed cùm Spiritus ipse testimonium per-

perhibet spiritui nostro. Porrò, hoc testimonium in tribus consistere credo. Necesse enim est primò omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei. Deinde, quòd nihil prorsus habere queas boni operis, nisi & hoc dederit ipse. Postremò, quod æternam vitam nullis possis operibus promereri, nisi GRATIS detur & illa.

DE EVANGELIO CHRISTI.

Etsi in scriptis Euangelistarum & Apostolorum continentur multa præcepta diuinæ legis & Christus ipse docet non esse malum malo reddendum, nec mulierem impudicè aspiciendam, & id genus alia, tamen non est sentiendum, quòd Euangelium Christi sit noua lex, qua, sicut olim Patres in Veteri Testamento veteri lege saluati sunt, ita nunc homines in Nouo Testamento noua lege saluentur.

Nisi enim nomen Legis generaliter pro doctrina accipias, quemadmodum Prophetæ aliquoties nomine Legis vsi sunt, certè Euangelium Christi propriè non est lex, sicut Paulus legis nomine vti solet, sed est bona & læta annunciatio de Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, quòd ipse solus sit Expiator peccatorum nostrorum, Placator iræ Dei, & Redemptor ac Seruator noster.

Nec præcepta legis, quæ continentur in scriptis Apostolicis, sunt noua lex, sed sunt veteris legis, iuxta sententiam Spiritus S. explicatio, quæ & ipsa haud obscurè antea in Propheticis scriptis extant. Repetuntur autem in prædicatione Euangelij Christi, vt ostensa diuinæ legis seueritate, & naturæ nostræ corruptione, ad quærendum & amplectendum Christum Euangelio suo reuelatum excitemur, & vt cognoscamus, ad quam regulam vita nostra ex fide in Christum sit dirigenda. Quare si propriè de lege Dei & Euangelio Christi loquendum est: Sicut nec ex Christo faciendus est nouus legislator, cùm nec nouam legem tulerit, nec nouum politicum regnum in his terris instituerit: ita nec ex Euangelio facienda est noua lex, quæ durioribus & seuerioribus præceptis afferat factoribus æternam salutem. Sed pro certo habendum esse existimamus, quòd vna & eadem sit lex Naturalis seu Moralis Veteris & Noui Testamenti, & quòd nec Veteris nec Noui Testamenti hominibus contingat æterna salus propter merita operum legis, sed tantùm propter meritum Domini nostri Iesu Christi per fidem.

Lucæ 4. Recitat Christus ex Esaia officium suum, ad quod in hanc terram missus sit: *Spiritus Domini,* inquiens, *super me, eò quòd vnxit me, ad Euangelizandum pauperibus misit me,* &c. Hîc docet Christus, proprium suum officium esse, non ferre nouam legem, quæ terreat & occidat miseros peccatores, sed annuntiare Euangelium, quod peccatores consoletur & viuificet.

Ad Galat. 3. Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptione ius filiorum acciperemus.

Act. 15. Quid tentatis Deum vt imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per

gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros quemadmodum & illi.

Augustin. contra Adimantium, Manichæi discipulum, cap 3. Certis quibusdam vmbris & figuris rerum, ante Domini aduentum, secundùm mirabilem & ordinatissimam distributionem temporum, populus ille tenebatur, qui Testamentum Vetus accepit: Tamen in eo tanta prædicatio & prænuntiatio est Noui Testamenti, vt nulla in Euangelica atque Apostolica disciplina reperiantur, quamuis ardua & diuina præcepta & promissa, quæ illis etiam libris veteribus desint.

DE SACRAMENTIS.

NOmen *Sacramenti*, sicut & nomen *Mysterij* (quod Interpretes *Sacramentum* exponunt) latissimè patet. Sed quia visum est quibusdam numerum Sacramentorum in septem contrahere, percurremus singula, vt ostendamus quid in doctrina quorundam Scriptorum desideremus, & quid cum sententia verè Catholicæ & Orthodoxæ Ecclesiæ pugnare videatur.

DE BAPTISMO.

AGnoscimus Baptismum tam infantibus quàm adultis in Ecclesia vsque ad nouissimum huius seculi diem, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ex imitatione Christi, dispensandum, & ipso vtendum esse.

Credimus etiam & profitemur, quòd Baptismus sit mare illud, in cuius profundum, sicut Propheta ait, Deus proiiciat omnia peccata nostra, & condonet ea propter Christum Filium suum, per fidem.

Sed quod aliqui docent, peccatum remanens post Baptismum in homine, non esse natura sua verè peccatum, existimamus perniciosiorem esse errorem, quàm vulgus hominum iudicat. Etsi enim non dubitamus peccatum, quod post Baptismum remanet, credenti condonari propter Christum & ex gratuita clementia Dei non ampliùs coram tribunali Dei imputari: tamen, si naturam eius expendas, verè est in se peccatum, propter quod, vt Augustinus suprà dixit, Non iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens: &, Non est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.

Ad Roman. 7, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Hîc loquitur Paulus de peccato remanente post Baptismum, & affirmat illud repugnare legi mentis suæ, hoc est, affectui Spiritus Sancti. Quod autem repugnat Spiritui Sancto, certè re ipsa verè peccatum sit necesse est. Nam hæc est natura peccati, vt pugnet cum Spiritu Sancto.

Ad Gal. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum & spiritus aduersus carnem. Hæc enim inter se mutuò aduersantur, vt non quæcunque volueritis, eadem faciatis. Hîc iterum loquitur Paulus de peccato remanente post Baptismum, & tribuit ei manifestè naturam peccati, videlicet concupiscere aduersus spiritum, & aduersari spiritui, ac impedire ne perfecta iustitia in homine fiat.

Quare

Quare peccatum post Baptismum remanens, natura sua verè est peccatum, etsi credenti non imputatur, sed propter Christum condonatur.

August. de nupt. & concup. ad Valer. lib. 1. cap. 25. Respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in Baptismo, non vt non sit, sed vt in pecccatum non imputetur. Quamuis autem REATV suo jam soluto, manet tamen donec sanetur omnis infirmitas nostra, &c.

Et iterum, de Baptismo parvulorum, & de cons. dist. 4. cap. per Bapt. Per Baptismum id agitur, vt caro peccati euacuetur. Non autem sic euacuatur, vt in carne concupiscentia innata non sit, sed ne obsit.

Deinde, docemus eum qui baptizatur in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, vngi spirituali chrismate, hoc est, fieri membrum Christi per fidem, & donari Spiritu Sancto, vt ad percipienda cœlestia aures mentis eius aperiantur, & oculi cordis illustrentur. Ac manifestum quidem est, quòd vsus externi Chrismatis fuerit in politia Mosaica legitimus, & quòd externum Chrisma sit etiam in Ecclesia, post divulgatum Euangelium, vsitatum. Sed manifestum etiam est, quòd in lege Mosi fuerit tempus vmbrarum: nunc autem reuelato Christo sit tempus veritatis. Et vsus externi Chrismatis pertinet ad elementa mundi. De abrogatione autem horum elementorum dicit Paulus, *ad Coloss. 2.* Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc tanquam viuentes in mundo his decretis tenemini?

Et *Dionysius*, quem Areopagitam vocant, & quem putant descripsisse ritus Ecclesiæ ab Apostolis traditos, significat quidem externum Chrisma fuisse in Ecclesia vsitatum, sed significat etiam haud obscurè, hunc ritum partim ab athleticis vnctionibus Ethnicorum, partim ex lege Mosaica sumptum esse. Qua verò authoritate & vtilitate petantur exempla colendi Dei, & administrandi Sacramenta ab Ethnicis, testatur illud Mosi, *Deuter. 12.* Caue ne imiteris Gentes, & requiras cæremonias earum, dicens: Sicut coluerunt Gentes istæ Deos suos, ita & ego colam. Non facietis similiter Domino Deo vestro.

Et illud dictum Christi, Matth. 15. Frustra colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum.

Et non est obscurum, quòd cæremoniæ Mosaicæ, quarum vna pars est externi Chrismatis vsus, pertineant ad elementa mundi, quorum decretis Paulus suprà dixit, nos non teneri: & de quibus aliàs dicit: Posteaquam cognouistis Deum, quin potiùs cogniti estis à Deo, quomodo conuertimini denuo ad infirma & egena elementa, quibus iterum ab integro seruire vultis?

Præterea, quomodo confectio seu ritus externi Chrismatis, ab Apostolis ipsis traditus esse, vt Fabianus scribit, verè affirmari posset, cùm Acta Conciliorum testentur, hunc ritum institutum esse à Sylvestro?

Et Ecclesiastica Historia tradit non fuisse propositum Apostolorum, vt conderent leges de diebus festis, sed vt docerent rectam conuersationem & veram pietatem: quantò minùs propositum eorum fuit: externas vnctiones in Ecclesia instituere, & vmbras in exortum clarissimi Solis splendorem inducere.

Accesserunt Baptismo etiam aliæ quædam cæremoniæ salis, luti, vestium: sed quia hæc non judicantur necessariæ, etiam ab iis ipsis, apud quos sunt

vſitatæ, & ſunt aliqua ex parte otioſa,eorum rituum, quibus Chriſtus aliquoties in edendis miraculis vſus eſt,imitatio, non eſt cur de ipſis aliquam curam in occupatione tot neceſſariarum rerum ſuſcipiamus.

DE CONFIRMATIONE.

NOn eſt nobis dubium, quin Apoſtoli initio reuelati & confirmati in die Pentecoſtes Euangelij, contulerint impoſitione manuum admirandum donum Spiritus S. credentibus in Chriſtum,vt variis linguis loquerentur.

Et ſentimus vtiliſsimum eſſe, vt pueri & adoleſcentes à Paſtoribus Eccleſiæ ſuæ in Cathechiſmo examinentur, & ſiquidem piè ac rectè fuerint erudiri, approbentur: ſi verò prauè, emendentur.

Sed ex perſonali & temporali facto Apoſtolorum non eſt abſque certo mandato Dei generale & perpetuum Sacramentum in Eccleſia ſtatuendum. Et horribile auditu eſt, quòd Sacramentum Confirmationis,quale Epiſcopi Suffraganei ſolent pueris impertiri, excellat dignitate ſua Sacramentum Batiſmi. Sic enim nonnulli de Sacramento Confirmationis ſcribere non verentur. Sicut vnum (inquiunt) à maioribus fit, id eſt, à ſummis Pontificibus, quod à minoribus perfici non poteſt: ita & maiori veneratione venerandum & tenendum eſt.

Apoſtolis enim diuinitus conceſſum fuit, vt impoſitione manuum conferrent credentibus in Chriſtum dona Spirius Sancti Hoc autem non eſt propriè intelligendum de priuatis illis Spiritus Sancti donis, quæ vnicuiuis ad ſalutem neceſſaria ſunt. Hæc enim accipiunt credentes per prædicationem Euangelij, & per Baptiſmum: ſed intelligendum eſt de publicis donis Spiritus Sancti, videlicet loqui variis linguis, & alia, quæ tum ad publicam confirmationem Euangelij de Chriſto neceſſaria erant.

Poſtquam igitur autoritas Euangelij talibus miraculis ſatis confirmata eſt, ſicut deſiit admirandum illud donum linguarum, ita & ritus imponendæ manus,quo donum illud conferebatur,factus eſt,quod quidem ad hanc rem attinet,otioſus. Alioqui faciendum erit generale Sacramentum Eccleſiæ ex vmbra, & obumbrandi ſunt ægroti, propterea quòd multi conſecuti ſint ſanitatem per vmbram Petri.

Similiter faciendum erit generale Sacramentum ex impoſitione ſudariorum, propterea quòd aliqui liberati ſint à morbis ſuis, cùm ipſis imponerentur ſudaria Pauli. Et incumbendum erit ſuper mortuos, quòd Paulus incubitu ſuſcitauit adoleſcentem à morte.

Et tamen non eſt Paſtoribus Eccleſiarum permittendum,vt nullam habeant rationem erudiendæ pueritiæ ac iuuentutis in verè pia doctrina, ſed exigendum eſt ab eis,vt Catechiſmum diligentiſsimè doceant.

DE POENITENTIA.

CVm ſemper nobis agnoſcenda ſint peccata noſtra, & credendum, quòd remittantur nobis peccata propter Chriſtum, ſentimus ſemper etiam in hac vita nobis agendam eſſe pœnitentiam.

Sed

Sed Pœnitentiam alij aliter explicant. Vulgò enumerantur tres partes Pœnitentiæ, Contritio, Confessio, Satisfactio. Has partes singulatim ac breuiter percurremus, vt exponamus quid nobis in hac doctrina de Pœnitentia verè Catholicum & Apostolicum videatur.

DE CONTRITIONE.

Contritionem vocamus sensum diuinæ iræ, seu dolorem aut pauorem animi, ex agnitione magnitudinis peccatorum & grauitatis iræ Dei ortum. Talem Contritionem arbitramur quidem necessariam esse in vera Pœnitentia, quam contritionem lex Dei in homine excitare solet: sed docere eam mereri remissionem peccatorum, & esse expiationem peccatorum coram Deo, existimamus ab Apostolica doctrina alienum esse. *Deus enim non despicit quidem contritum & humiliatum*, sicut Psalmus loquitur, sed idcirco non despicit, quia filius Dei, Dominus noster Jesus Christus suscepit cor contritum & humiliatum, cuius solius contritione & humiliatione peccata nostra coram Deo expiata sunt, & placata est ira Dei. Huius placationis nos participes efficimur, cùm contrito & humiliato corde credimus, solum Jesum Christum esse propitiatorem nostrum apud Patrem cœlestem.

Psa. 53. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum & liuore eius sanati sumus.

1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

Act. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Et testantur exempla Cain, Esau, Saulis, Judæ Ischariotis, & aliorum, quòd contritio non sit meritum remissionis peccatorum. Hi etiam etsi tantùm habuerunt contritionem, vt tolerabilius ipsis visum fuerit, vitam sibi aut laqueis, aut gladiis abrumpere, quàm horribiles illos dolores perferre, tamen non sunt remissionem peccatorum consecuti.

Gloss. de pœnit. dist. 1. c. 1. Si subtiliter intueamur, gratiæ Dei, non contritioni attribuenda est peccatorum remissio.

Quare fatemur, Contritionem ad agendam veram pœnitentiam necessariam quidem esse, non autem in hunc vsum, vt sit meritum, seu expiatio peccatorum coram Deo, sed vt homo agnita magnitudine peccatorum, & grauitate iræ Dei, detestetur peccata, & excitetur ad quærendam remissionem peccatorum ac salutem in sola gratuita clementia & misericordia Dei, propter solum Jesum Christum Dominum nostrum, per fidem.

DE CONFESSIONE.

Confessionem vocant enumerationem peccatorum coram Sacerdote. Talis igitur Confessio qualis hactenus fuit vsitata, sicut non est diuinitus præcepta, ita manifestum est, quòd vetus Ecclesia non exegerit eam tanta seueritate, perinde ac si ad consequendam æternam salutem necessaria esset. Ac dubium quidem non est, quin debeamus nos coram Deo peccatores agnosce-

re, & Deo peccata nostra confiteri: sed ea coram homine (nisi si quid in ipsum peccauerimus, & veritas legitima ac diuina vocatione dicenda fuerit) enumerare liberum esse concedunt, etiam veterum Ecclesiasticorum scripta.

Chrysost. in cap. 12. Hebr. Homil. 13. Non dico tibi vt te prodas in publicum, neque vt te apud alios accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti, *Reuela Domino vitam tuam.*

Et iterum in Psalmum Miserere. Si confundaris alicui dicere, quia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico vt confitearis conseruo tuo, vt exprobret, dicito Deo, qui ea curat.

Etsi autem hæc Chrysostomi verba solent exponi de peccatis, quæ antea Sacerdoti confessa sunt, tamen hæc expositio est manifesta deprauatio sententiæ Chrysostomi. Et testatur Ecclesiastica Historia perspicuè, morem confitendi Sacerdotibus abrogatum fuisse in Ecclesia Constantinopolitana.

August. lib. 10. Confess. cap. 3. Quid mihi est cum hominibus, vt audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam alienam vitam, desidiosum ad corrigendam suam.

Ambr. super Luc. de pœn. dist. 1. cap. Petrus. Petrus doluit & fleuit, quia errauit vt homo. Non inuenio quid dixerit, scio quòd fleuit: lacrymas eius lego, satisfactionem non lego.

Etsi autem sentimus, enumerationem peccatorum coram Sacerdote non esse necessariam ad salutem, nec esse aliquod meritum remissionis peccatorum, tamen damus operam, vt generalis confessio peccatorum, quantum fieri potest & licet, in Ecclesiis nostris conseruetur, idque duabus de causis. *Vna* est, vt hoc priuato colloquio rudiores de rebus necessariis admoneantur & erudiantur. *Altera*, vt hac occasione priuatim audiatur Euangelium Christi, de remissione peccatorum, quod Euangelium est vera clauis regni cœlorum, & absolutio à peccatis, & vt per auditum Euangelij seu absolutionis fides vel concipiatur vel confirmetur. In agenda enim vera pœnitentia nihil certius, nihil firmius iudicamus, quàm quòd omnino necessaria sit FIDES, videlicet, vt quod Euangelium Christi adnuntiat, credamus nobis certò remitti & condonari peccata gratis, propter solum Iesum Christum Dominum nostrum.

Non ignoramus quidem, quòd si opera nostra respicimus, non tantùm nobis dubitandum, verùm etiam de salute nostra desperandum sit, quippe quòd nostra opera, quantumuis bona videantur, non possint coram seuero tribunali Dei consistere. Nec obscurum nobis est, quòd carni nostræ in hac corporali vita semper adhæreat dubitatio de misericordia & clementia Dei.

Sed cùm Deus promittit nobis gratuitam suam clementiam propter Christum Filium suum, & exigit vt Euangelio Filij sui obedienter credamus, exigit etiam eo ipso, vt dubitationem carnis nostræ mortificemus, ac certissimam de misericordia sua fiduciam concipiamus, ne nos promissionem eius tanti mendacij accusemus, quantam dubitationem de ea habeamus.

Et vt possimus certam fiduciam concipere, collocauit salutem nostram non in meritis nostræ iustitiæ, quæ est imperfecta, sed tantùm in meritis Filij sui Domini nostri Iesu Christi, cuius Iustitia, vt est perfectissima, ita & in iudicio Dei firmissima & constantissima.

Marci 1. Pœnitentiam agite & credite Euangelio.

Iubet

Iubet nos Euangelio, quod annunciat nobis certum fauorem Dei erga nos, propter Christum, credere. Ergo non vult vt de fauore eius erga nos dubitemus, sed vt certam de eo fiduciam concipiamus.

Ioan.6. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.

Si Deus exigit vt credamus in Filium suum, certè non vult vt dubitemus, sed vt firmam fiduciam in eo collocemus.

Iacobi 1. Si cui vestrûm deest sapientia, postulet ab eo, qui dat, nempe Deo, qui dat, inquam, omnibus simpliciter, nec exprobat, ac dabitur ei: sed postulet cum fiducia, nihil hæsitans.

Hilar. in Mat. cap. 5. Regnum cœlorum, quod Prophetæ nunciauerunt, Ioannes prædicauit, Dominus noster in se esse positum est professus, vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari. Alioqui iustificatio ex fide nulla est, si ipsa fides fiat ambigua.

August. in Manuali cap. 23. Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat Deum esse misericordem, magnam iniuriam Deo facit, qui de eius misericordia diffidit, quantum in se est, negat Deum habere charitatem, veritatem & potestatem in quibus TOTA spes mea consistit.

Sixtus Pontifex Tomo 1. Concilior. in 1. Epist. Sixti Pontificis. Dubius in fide, infidelis est. Quare existimamus eos, qui iubent nos de fauore Dei erga nos dubitare, non solùm pugnare cum vera sententia Catholicæ Ecclesiæ, sed etiam saluti Ecclesiæ pessimè consulere.

DE SATISFACTIONE.

DE Satisfactione credimus & confitemur, quòd sola passio & mors vnigeniti filij Dei Domini nostri Iesu Christi, sit satisfactio pro peccatis nostris; Et quòd hæc satisfactio Christi offeratur & applicetur nobis ministerio Euangelij, excipiatur autem à nobis FIDE.

Confitemur etiam, quòd postquam Satisfactio Christi nobis applicata, & per fidem accepta sit, necessariò debeamus bona opera, quæ à Deo præcepta sunt, facere; non vt iis expiemus peccata coram Deo, sed vt ad declarandam obedientiam nostram bonos fructus Pœnitentiæ proferamus, & gratitudinem nostram testificemur. Nam de Oratione, ieiunio, eleemosyna, & aliis id genus operibus, sentimus ea diligenissimè sectanda esse, sed longè alium habere vsum, quàm quòd vel meritis suis satisfaciant Deo pro peccatis nostris, vel applicent nobis meritum Christi.

DE ORATIONE.

ORatione Deus inuocatur: Vera autem inuocatio est opus fidei, nec potest sine fide fieri. Fides autem intuetur Christum, & nititur solis meritis Christi. Quare, nisi applicaueris tibi meritum Christi fide, oratio nullius est coram Deo momenti. Exigitur autem oratio in hunc vsum, vt consideratione diuinarum promissionum, fides in nobis excitetur & inflammetur. Itaque, non absurdè quidem dicitur, *Oratione deleri peccata,* non autem hoc sensu, quòd

opus ipſum orationis ſit merito ſuo ſatisfactio pro peccatis coram Deo, ſed quòd oratione excitetur & accendatur fides, qua fide participamus meritum Chriſti, & habemus remiſsionem peccatorum propter ſolum Chriſtum.

Priuſquam enim Deum oratione inuocamus, neceſſarium erit, vt meritum Chriſti ſit nobis applicatum, & fide acceptum. Quare, fieri non poteſt, vt oratio ſit tale opus, propter cuius meritum conſequamur coram Deo remiſsionem peccatorum.

*Pſalm.*108. Oratio eius fiat in peccatum. Non poſſet autem fieri peccatum, ſi per ſe eſſet opus tam dignum, quo peccatum expiaretur.

*Eſai.*1. Cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem non exaudiam. Deus autem non auerteret oculos & aures ab oratione, ſi eſſet dignitate ſua ſatisfactio pro peccatis noſtris.

*Auguſt. in Pſ.*108. Oratio quæ non fit per Chriſtum, non ſolùm non delet peccatum, ſed etiam fit ipſa peccatum.

Bernardus de Quadrageſ. ſerm. 5. Sed & vitam æternam aliqui fortaſsis, non in humilitate quærunt, ſed tanquam in fiducia ſuorum meritorum. Nec hoc dico quin accepta gratia fiduciam donet orandi, ſed non oportet, vt in ea conſtituat quiſquam fiduciam impetrandi. Hoc ſolùm conferunt hæc præmiſſa dona, vt ab ea miſericordia, quæ tribuit hæc, ſperentur etiam ampliora. Sit ergo oratio, quæ pro temporalibus eſt, circa ſolas neceſsitates reſtricta. Sit oratio quæ pro virtutibus eſt animæ, etiam ab omni impuritate libera, & circa ſolum beneplacitum Dei intenta: ſit ea, quæ fit pro æterna vita, in omni humilitate, præſumens de SOLA, vt dignum eſt, miſeratione diuina.

DE IEIVNIO.

IEiunium ſentimus vtile eſſe, non in hoc, vt vel operis ſui merito expiet peccata coram Deo: vel applicet ieiunanti meritum Chriſti: ſed vt ſobrietate iniiciat carni frænum, ne homo crapula & ebrietate impeditus, vocationi Dei minus obſequatur, & ſuo officio oſcitanter defungatur. Sed ieiunio ſuus poſtea dabitur locus.

DE ELEEMOSYNA.

ELeemoſynam diligenter commendamus, & hortamur Eccleſiam, vt proximum quiſque ſuum, quoquo officio poteſt, adiuuet, ac charitatem ſuam teſtificetur.

Sed quod alicubi dicitur, *Eleemoſynam delere peccatum, ſicut aqua extinguit ignem,* iuxta fidei analogiam intelligimus. Quid enim opus fuiſſet ad delenda peccata, paſsione & morte Chriſti Filij Dei, ſi peccata delerentur merito Eleemoſynæ? Et quis vſus eſſet miniſterij Euangelij, ſi Eleemoſyna diuinitus fuiſſet ordinata pro organo, quo applicaretur nobis meritum Chriſti? Quare, vt maneat Chriſto ſuus honor inuiolatus, & miniſterio Euangelij ſuus legitimus vſus, docemus eleemoſynam ſic delere peccatum, non quòd per ſe ſit dignum opus,

opus, quòd vel peccatum expietur, vel meritum Christi applicetur, sed quòd sit opus & fructus charitatis erga proximum, quo opere testificamur fidem & obedientiam nostram, quam debemus Deo. Vbi autem est fides: ibi solus Christus agnoscitur peccatorum expiator. Itaque, cùm eleemosyna testificetur, suo quodam modo, Christum habitare in piis, testificatur etiam eos habere peccatorum remissionem. Nisi enim Eleemosyna sit opus charitatis, quæ testificetur fidem in Christum, tantùm abest vt significet hominem habere peccatorum remissionem, propter Christum, vt planè coram Deo sordeat: *Si distribuero* (inquit Paulus) *omnes facultates meas in cibos pauperum charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Docemus igitur bona opera necessariò facienda, Deum oratione inuocandum, piè jejunandum, & eleemosynam dandam esse, vt fidem & charitatem nostram testificemur, & vocationi Dei obediamus. Sed in agenda vera pœnitentia docemus, remissionem peccatorum contingere nobis tantùm propter Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, per fidem, juxta illud quod Petrus dicit, *Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accipiat per nomen ejus, quisquis crediderit in eum.*

DE EVCHARISTIA.

CRedimus & confitemur, *Eucharistiam* (sic enim libuit maioribus nostris Cœnam Dominicam vocare) esse Sacramentum à Christo ipso institutum, & vsum ejus vsque ad nouissimum hujus seculi diem Ecclesiæ commendatum esse. Sed quia aliud est substantia, aliud vsus eius, idcirco de his ordine dicemus. De substantia Eucharistiæ sentimus & docemus, quòd verum corpus Christi & verus sanguis eius in Eucharistia distribuatur, & refutamus eos qui dicunt, panem & vinum Eucharistiæ esse tantùm absentis corporis & sanguinis Christi signa. Credimus etiam Omnipotentiam Dei tantam esse, vt possit in Eucharistia substantiam panis & vini vel annihilare, vel in corpus & sanguinem Christi mutare. Sed quòd Deus hanc suam absolutam omnipotentiam in Eucharistia exerceat, non videtur esse certo verbo Dei traditum, & apparet veteri Ecclesiæ fuisse ignotum. Sicut enim cùm in Ezechiele de vrbe Hierusalem in latere descripta dicitur, ISTA EST. Hierusalem, non necesse fuit vt substantia lateris mutaretur in substantiam vrbis Hierusalem: ita cùm de pane dicitur, *Hoc est corpus meum*, non est necesse vt substantia panis mutetur in substantiam corporis Christi: sed ad veritatem Sacramenti sufficit, quòd corpus Christi verè sit cum pane præsens, atque adeo necessitas ipsa veritatis Sacramenti exigere videtur, vt cum vera præsentia corporis Christi verus panis maneat. Nam quemadmodum ad veritatem Sacramenti Baptismi necessarium est vt in vsu eius aqua sit & maneat verus panis, cùm mutata panis substantia non constaret veritas Sacramenti. Vnde & Paulus & veteres Ecclesiastici Scriptores panem Eucharistiæ etiam post consecrationem *panem* vocant.

1.*ad Cor.*11. Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c. Et, Quicunque manducauerit PANEM HVNC, & biberit calicem Domini indignè, &c.

Quòd autem ad Eucharistiæ vsum attinet, primùm, etsi non negamus quin

totus Christus tam pane quàm vino Eucharistiæ dispensetur, tamen docemus vsum vtriusque partis debere Ecclesiæ vniuersum esse. Manifestum enim est quòd Christus ipse nihil periculis, quæ postea humana superstitione excogitata sunt, aut aliis commentis, deterritus, tradiderit Ecclesiæ vtramque partem vtendam.

Manifestum etiam est, quòd vetus Ecclesia vsa sit vtraque parte multis annis. Et testantur aliquot Scriptores perspicuè, eos qui solum panem accipiunt, non accipere plenum Sacramentum *sacramentaliter*, (sic enim loquuntur) & diuisionem vnius ejusdemque mysterij, sine grandi sacrilegio fieri non posse.

Quare sentimus vsum vtriusque partis esse verè Catholicum, & Apostolicum, nec licere vlli homini hanc Christi institutionem, & tam diuturnum veteris & veræ Ecclesiæ ritum pro sua libidine mutare, & laicis, vt vocant, alteram partem Eucharistiæ auferre.

Ac mirandum est, quòd hi qui profitentur se ritus veteris Ecclesiæ propugnare, tam procul hac in parte à veteri Ecclesia recedant. Deinde cùm sacrificij nomen latissimè pateat, ac generaliter significet sacrum cultum, libenter concedimus verum & legitimum vsum Eucharistiæ posse hoc modo sacrificium dici. Et si Eucharistia juxta institutionem Christi ita celebratur, vt in ea adnuntietur mors Christi, & dispensetur Ecclesiæ Sacramentum corporis & sanguinis Christi, rectè vocatur *Applicatio meriti passionis Christi*, his videlicet qui Sacramentum sumunt. Nec damnandæ sunt piæ lectiones & deprecationes, quæ *Consecrationem*, vt vocant, & dispensationem Eucharistiæ præcedere & sequi solent.

Sed interea non licet nobis errores, qui ad hoc sacrum, imperitia magis priuatorum hominum, quàm legitimo consensu veræ Catholicæ Ecclesiæ accesserunt, dissimulare & approbare.

Vnus error est, quòd ex cultu, qui debet Ecclesiæ esse communis, fiat priuata vnius sacrificuli actio, qui vt solus sibi legit verba Cœnæ Dominicæ, ita etiam solus panem & vinum sumit. Nam Christus instituit Eucharistiam, non vt esset priuata vnius actio, sed vt esset Ecclesiæ communio. Itaque ad rectam Eucharistiæ actionem requiruntur ad minus duo, videlicet, minister Eucharistiæ benedicens, & is cui Eucharistiæ Sacramentum dispensetur. Cùm enim Christus hoc Sacramentum institueret, non ipse solus vescebatur, sed dispensabat Ecclesiæ suæ, quantum præsentem habebat: *Accipite*, (inquiens) *manducate*, &c. Et, *Bibite ex hoc omnes*, &c.

Hoc Christi institutum, vetus & vera Catholica Ecclesia tam seueriter obseruauit, vt eos, qui in hoc sacro præsentes non communicarent, excommunicauerit.

Anacletus in 1. *Epist.* Peracta consecratione OMNES communicent. Qui noluerint, Ecclesiasticis carere liminibus: Et addit, Sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.

Consilium Antiochenum cap. 2. OMNES qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, & sacras Scripturas audiunt, non autem cum populo in oratione communicant, & auersantur sanctam assumtionem Dominici Sacramenti, secundùm aliquam propriam disciplinam, hos ab Ecclesia abjici oportet.

Dionysius de Eccles. Hierarch. Pontifex, cùm diuina munera laude prosecutus fuerit,

fuerit, ſacroſancta & auguſtiſsima myſteria conficit, & quæ antè laudauerat, venerandis operta atque abdita ſignis in conſpectum agit, diuinaque munera reuerenter oſtendens, ad ſacram illorum COMMVNIONEM, & ipſe conuertitur, & reliquos vt COMMVNICENT hortatur: ſumpta denique, atq; OMNIBVS TRADITA communione diuina, gratias referens, finem myſteriis imponit.

Arbitramur igitur neceſſarium eſſe vt ad conſervandam in celebratione Euchariſtiæ inſtitutionem Chriſti, & ad ſervandum exemplum veteris ac verè Catholicæ Eccleſiæ abrogentur priuatæ ſacrificulorum Miſſæ, & reſtituatur publica Cœnæ Dominicæ communio.

Alius error eſt, quòd Euchariſtia ſit tale ſacrificium, quod debeat iugiter in Eccleſia, ad expianda peccata viuorum & mortuorum, & pro impetrandis aliis beneficiis, tam corporalibus quàm ſpiritualibus, offerri. Hic error manifeſtè pugnat cum Euangelio Chriſti, quod teſtificatur, Chriſtum VNA oblatione, ſemel tantùm facta, conſummaſſe in ſempiternum ſanctificatos. Et quia Chriſtus paſsione ac morte ſua, impetrauit nobis remiſsionem peccatorum, quæ & nobis per Euangelinm in Nouo Teſtamento adnuntiatur; idcirco non licet ampliùs pro peccato ſacrificare. Dicit enim epiſtola ad Hebræos: *Vbi eſt peccatorum remiſſio, jam non eſt oblatio pro peccato.* Nam quod Chriſtus dicit, *Hoc facite in mei commemorationem*, non jubet corpus & ſanguinem ſuum in Cœna Deo, ſed Eccleſiæ offerre, vt Eccleſia edendo corpus, & bibendo ſanguinem Chriſti, ac prædicando beneficium mortis ejus, admoneatur de eâ corporis & ſanguinis Chriſti oblatione, quæ ſemel tantùm in cruce, in expiationem peccatorum noſtrorum facta eſt. Sic enim Paulus hoc dictum Chriſti interpretatur: *Quotieſcunque* (inquiens) *manducabitis* (non ait obtuleritis) *panem hunc, & bibetis calicem, mortem Domini prædicate, donec veniat.* Ac fatemur quidem quòd veteres Eccleſiaſtici Scriptores vocauerint Euchariſtiam, *ſacrificium* & *oblationem*, ſed ſe ipſi exponant, quòd nomine ſacrificij intelligant memoriam, adnuntiationem ſeu prædicationem ſacrificij quod Chriſtus ſemel in cruce peregit. Sicut & memoriam Paſchæ & Pentecoſtes, vocant Paſcha & Pentecoſten.

Alius error eſt, quòd nonnulli ſentiunt oblationem (quam ita vocant) Euchariſtiæ, non eſſe quidem per ſe propitiationem pro peccatis, applicare autem propitiationem & meritum Chriſti viuis & mortuis.

Sed jam demonſtratum eſt, quòd Euchariſtia propriè non ſit oblatio, ſed ſic vocetur, quòd ſit memoria oblationis ſemel in cruce factæ. Deinde, applicatio meriti Chriſti, non ſit alio externo organo, quàm prædicatione Euangelij Chriſti, & diſpenſatione eorum Sacramentorum quæ Chriſtus in hunc vſum inſtituit. Et meritum Chriſti oblatum & applicatum non recipitur niſi Fide.

Marci vltimo. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Miniſterio enim Euangelij offeruntur & applicantur creaturis, h. e. ſiue Judæis, ſiue Gentibus, beneficia Chriſti. Et ſequitur, *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*: quia ſumptione Sacramentorum & fide accipiuntur oblata & applicata beneficia.

Ad Romanos primo. Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, hoc eſt, miniſterium Euangelij eſt organum diuinitus inſtitutum, quo Deus eſt potens & efficax ad ſaluandos omnes eos qui, Euangelio credunt. Itaque prædicatio Euangelij offert, aut, ſi ita loqui licet, applicat omnibus ſalutem,

Fdes autem oblatam & applicatam ſalutem accipit.

In priuata autem Miſſa panis & vinum ita tractantur, vt ſacrificulus neque adnuntiet publicè Euangelium Chriſti, ſed ſibiipſi quædam, ac præſertim verba Cœnæ ſeu conſecrationis, tacitè recenſeat, neque diſpenſet aliis panem & vinum, ſed ſolus ipſe ea ſumat. Quare nulla poteſt eſſe applicatio meriti Chriſti in priuata Miſſa. Hoc ſenſerunt verè Catholici majores noſtri, qui tam ſeueriter, quemadmodum ſuprà indicauimus, exegerunt, vt qui in Miſſa præſens non communicauerit, excommunicetur.

Alius error eſt, quem jam attigimus, quod exigitur, vt verba Cœnæ ſeu conſecrationis, in Euchariſtia tacitè recitentur, cùm hæc verba ſint pars Euangelij, quod juxta mandatum Chriſti omnibus creaturis eſt prædicandum. Etſi enim majores noſtri vocarunt aliquoties Euchariſtiam *myſterium*, non tamen hoc conſilio ſic vocarunt, quòd verba Cœnæ non ſint coram Eccleſia in Euchariſtia publicè & lingua vulgo nota, recitanda; ſed quòd in Euchariſtia aliud videatur, aliud intelligatur. Nam & Chriſtus ipſe vocatur myſterium, qui tamen non eſt occultandus, ſed omnibus creaturis prædicandus.

Et quia in ſumenda Euchariſtia exigitur fides, *Fides* autem *eſt ex auditu: Auditus autem per verbum Dei*, maximè omnium neceſſarium eſt in Euchariſtia, vt verbum Cœnæ, quod eſt verbum Filij Dei, publicè recitetur. Hoc enim verbum eſt prædicatio Euangelij, & adnuntiatio mortis Chriſti. Quare, vt Eccleſia intelligat quid in Euchariſtia agatur, & quid ipſi ſumendum offeratur, & vt fidem ſuam confirmet, neceſſaria eſt in Euchariſtia publica recitatio verborum Cœnæ Dominicæ.

Alius error eſt, quòd vna pars Euchariſtiæ ſoleat in ſingularem cultum Dei circumgeſtari & reponi. Vetat autem Spiritus Sanctus ne cultus Dei, ſine certo Dei mandato, inſtituatur.

*Deuter.*12. Non facietis ſinguli, quod ſibi rectum videtur.

Et iterum. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facias Domino, nec addas quicquam, nec minuas.

*Matth.*15. Fruſtra colunt me docentes doctrinas, mandata hominum.

*Clemens Epiſt.*2. *ad Iacobum, & de Conſecr. diſt.*2. *cap. Tribus:* Certè, tanta in altario holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debeant: quòd ſi remanſerint, in CRASTINVM non reſerventur, ſed cum timore & tremore, Clericorum diligentia, conſumantur.

Non ignoramus, quomodo hæc Clementis verba eludi ſoleant, confictο diſcrimine inter opus morientium, & opus conſecrantium. Sed manifeſtum eſt, quòd panis, qui circumgeſtari & in adorationem reponi ſolet, non reſeruetur pro infirmis, ſed tandem à conſecrantibus ipſis ſumatur.

*Cyrillus, vel vt alij ſentiunt, Origenes, in Leuit. cap.*7. Nam & Dominus panem, quem diſcipulis dabat, dicebat eis, *Accipite & manducate*, &c. non diſtulit, nec ſervari juſsit in craſtinum. Hoc fortaſſe myſterij continetur etiam in eo, quòd panem non jubet portari in via, vt ſemper recentes, quos intra te geris, verbi Dei panes proferas.

DE

DE ORDINE.

NOn eſt obſcurum è ſacris literis, quòd omnes ferè Chriſtiani conſecrentur in Baptiſmo per Chriſtum filium Dei, in ſpirituales Sacerdotes, & debeant offerre Deo ſpiritualia ſacrificia. Nec eſt obſcurum quòd Chriſtus inſtituerit in Eccleſia ſua miniſtros, qui annuntient Euangelium ſuum, & diſpenſent Sacramenta eius. Nec permittendum eſt cuivis, quamvis ſpirituali Sacerdoti, vt ſine legitima vocatione vſurpet publicum miniſterium in Eccleſia. Dicit enim Paulus, *Omnia honeſtè & decenter fiant inter vos*: & iterum, *Nemini citò manus imponas*. Quare, non inutile judicamus, vt fides eorum, qui ad publicum miniſterium Euangelij acceſſuri ſunt, quaſi gradibus quibuſdam, probetur.

Et inter miniſtros Eccleſiæ, ſuum ſervare ordinem, videtur concordiam nonnihil adjuuare.

Sed ſacra Scriptura non tradit, quòd Chriſtus inſtituerit in Eccleſia ſua tales Sacerdotes, qui ſint mediatores inter Deum & homines, & placent iram Dei erga homines ſacrificiis ſuis, aut applicent meritum viuis ac mortuis, abſque prædicatione Euangelij, & diſpenſatione Sacramentorum.

Nam ſi de ſummo & vero Mediatore dicendum eſt, *Vnus ſolus eſt mediator inter Deum & homines, Ieſus Chriſtus filius Dei.*

Si loquendum eſt de Mediatore precationis, vnuſquiſque pius factus eſt alterius mediator per Jeſum Chriſtum, propterea quòd officium exigit, vt alter alterius ſalutem precibus ſuis Deo commendet: quod etiam officium tunc ſinguli exercent, cùm recitant ex fide orationem Dominicam.

Si loquendum eſt de ſacrificiis expiantibus peccata noſtra, & placantibus iram Dei, tunc vnum ſolum eſt ſacrificium expiatorium & placatorium, videlicet, ſacrificium Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod ſemel in cruce peractum eſt. Et ſicut Chriſtus non ampliùs moritur, mors illi ampliùs non dominatur: ita hoc ſacrificium eius nunquam ampliùs peragetur, ſed *effecit vnica oblatione*, quemadmodum Epiſtola ad Hebræos ſcribit, *perfectos in perpetuum eos qui ſanctificantur.*

Si loquendum eſt de commemoratione huius vnius ſacrificij, & de applicatione meriti eius, tunc Miniſtri publici Eccleſiæ, qui Euangelium publicè docent, & Sacramenta juxta inſtitutionem Chriſti diſpenſant, non ſolùm faciunt veram & rectam expiatorij ſacrificij commemorationem, ſed etiam applicant diſpenſatione ſua, meritum hujus ſacrificij, omnibus iis, qui Euangelium & Sacramenta FIDE accipiunt.

Non poſſumus igitur videre, quis ſit vſus id genus hominum in Eccleſia, qui in hoc inſtituuntur, vt habeant poteſtatem ſacrificandi pro viuis & mortuis.

Paulus, cùm ad Corinthios & Epheſios recenſet officia & miniſteria ad ædificationem & conſervationem Eccleſiæ neceſſaria, recenſet *Prophetas, Apoſtolos, Euangeliſtas, Paſtores, Doctores*, & id genus alios: ſed in hoc Catalogo nullam prorſus facit mentionem talium priuatorum Sacerdotum, qualium nunc plenus eſt Orbis.

Nec veriſimile eſt, quòd omiſiſſet hoc genus Sacerdotum, ſi vel Chriſtus inſtituiſſet, vel Eccleſiæ vtile ac neceſſarium eſſet.

quòd Ministris Ecclesiæ non solùm licuerit coniugio ante ordinationem inito vti, verumetiam coniugium post ordinationem inire: cuius sententiæ haud obscura argumenta extant. Nec obstare debet votum castitatis, propterea quòd tale votum humana superstitione, sine authoritate verbi Dei, & contra fidem susceptum, non agnoscatur à Deo, & in coniugio sua quoque sit castitas, vt qui cum antea castitatem vouerit, vxorem in Domino ducit, castitatis votum verè adimpleat.

Cùm igitur manifestum sit verbum Dei de honestate coniugij, manifesta sint exempla Apostolorum & Episcoporum recentis Ecclesię, manifesta sit imbecillitas humanæ naturæ, manifesta sint pericula cœlibatus, manifesta sint offendicula, quæ præbent impuri Sacerdotes; omnino futurum speramus, vt hi qui ad gubernacula Ecclesiæ sedent, non pergant hanc de Coniugio sacerdotum constitutionem, seueriter tueri & propugnare, sed clementer interpretari. Sic enim fiet, vt & minora & pauciora sint in Ecclesia offendicula, & multorum optimorum virorum conscientiis succurratur. Speramus enim futurum vt optimi quique Episcopi & Principes permittant iis, qui ab adulteris suis coniugibus, legitimo diuortio separati sunt, ea contrahendi iterum in Domino, Coniugij libertate vti, quam concessit eis Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus: *Matth.5.19.*

DE EXTREMA VNCTIONE.

FAtemur Apostolos vnxisse ægros oleo, qui & corporalem sanitatem consecuti sunt. Fatemur etiam Epistolam, quæ inscribitur Iacobo, iubere *Presbyteros Ecclesiæ ad ægrotos vocari, vt vngant eos, & orent pro ipsis, ad consequendam sanitatem.* Sed hæc tum vtiliter exercebantur, cùm Ministri Ecclesiæ adhuc ornati erant dono, ægrotos corporaliter & admirabiliter sanandi.

Postquam autem hoc donum, confirmato Euangelio, in Ecclesia desiit, res ipsa testatur, hanc vnctionis cæremoniam otiosè nunc & inutiliter vsurpari. Qui enim nunc vnguntur, non solent ex hac vnctione corporalem sanitatem consequi; imò hæc vnctio non solet adhiberi nisi his, de quorum corporali vita desperatum est. Nec extat vllum verbum Dei, quod promittat, diuulgato Euangelio Christi, externam vnctionem valere ad delenda peccata, & ad conferendam spiritualem ac cœlestem sanitatem. Nihilominus tamen officium exigit, vt Ministri Ecclesiæ ægrotos visitent, ac orent vnà cum Ecclesia pro salute eorum, & consolentur ipsos tam prædicatione Euangelij, quàm dispensatione Cœnæ Dominicæ. Hæc est verè pia vnctio, qua Spiritus Sanctus efficax est in credentibus.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

NOn est dubium, quin memoria eorum Sanctorum, qui cùm essent in hac corporali vita, Ecclesiam vel doctrina, vel scriptis, vel miraculis, vel exemplis iuuerunt, & siue martyrio testificati sunt veritatem Euangelij, siue tranquillo mortis genere in Christo obdormiuerunt, debeat apud omnes pios

tui, etiam ſancti, neſciant quid agant viui, &c. Nam quòd veteres Scriptores vertunt ſe aliquoties precib. ſuis ad Sanctos: iſti, aut vulgi errorem, ſine exacto iudicio ſimpliciter ſecuti ſunt, aut vſi ſunt tali forma loquendi, non vt cultu Theologico, ſed vt figura Grammatica, Proſopopœiam vocant: qua homines pij & diſerti non ſignificant ſe colere & inuocare Sanctos, ſed exprimere inenarrabilem illum gemitum Sanctorum: & omnium creaturarum, pro noſtra ſalute: & ſignificant pias preces, quas Sancti in hoc ſeculo è Spiritu Sancto coram Deo effuderunt, adhuc in auribus Dei ſonare, ſicut ſanguis Abel poſt mortem eius coram Deo adhuc vociferabatur. Et in Apocalypſi, *Clamant animæ ſanctorum interſectorum, vt ſanguis ipſorum vindicetur*, non quòd iam in Domino quieſcentes, cupidi ſint vindictæ pro humano more, ſed quòd Dominus etiam poſt mortem ipſorum, memor ſit precum, quas dum adhuc in hac terra viuerent, pro ſua & totius Eccleſiæ liberatione effuderunt.

Epiphanius contra Aërium. Etſi & ipſe nonnihil hæret in communi errore, tamen perſpicuè docet, Sanctorum mentionem in Eccleſia fieri, non vt inuocentur, nec Chriſto in honore æquentur. *Mentionem*, inquit, *facimus iuſtorum Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum, Epiſcoporum & Anachoretarum, ac totius agminis, vt Dominum Ieſum Chriſtum ſeparemus ab hominum agmine, per honorem, quem ipſi exhibemus, & vt præſtemus ei cultum, quo ſentire nos ſignificemus, quòd Dominus non ſit æquandus vlli hominum, etiamſi vnuſquiſque eorum millies, aut vltra, in juſtitia exiſtat.*

DE MEMORIA DEFVNCTORVM.

ETſi reipſa idem ſunt, ſanctus in Chriſto quieſcens, & fidelis defunctus. Omnis enim qui in fide Chriſti hac vita defungitur, ſanctus eſt: tamen quia libuit nonnullis diſcrimen inter hos ponere, viſum eſt & nobis duo diuerſa capita de his adſcribere.

Ac *primùm* ſentimus, piæ mentis eſſe, majorum ſuorum in fide Chriſti defunctorum honeſtam mentionem facere, & gratitudinem iis beneficiis, quæ ab ipſis accepimus, debitam, erga poſteros & amicos eorum adhuc ſuperſtites, quibus poſſumus officiis declarare.

Deinde, exigit fides, vt ſentiamus, mortuos non eſſe nihil, ſed verè coram Deo viuere, pios quidem in Chriſto fœliciter, impios autem in horribili expectatione reuelationis diuini judicij.

Exigit etiam charitas, vt optemus defunctis omnem in Chriſto tranquillitatem & fœlicitatem.

Accedit & hoc, quòd debeamus defunctos noſtros honeſtæ ſepulturæ, quo ad eius fieri poteſt & tempus ac hominum conditiones ferunt, ad teſtificandam ſpem reſurrectionis noſtræ, mandare.

Itaque iudicamus vtile eſſe, vt in funeribus ea è ſacris literis recitentur & explicentur, quæ ad corroborandam fidem in horrore mortis, & ad confirmandam ſpem reſurrectionis conducunt.

Sed quòd mortui juuentur vſitatis illis vigiliis, precationibus & ſacrificiis, ac meritis horum aut è pœnis liberentur, aut maiorem fœlicitatem in-

cœlis consequantur, nullum exstat testimonium verè Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ.

Vnum enim tantùm est meritum æternæ vitæ, vna sola est redemptio & liberatio nostra, videlicet, Passio & mors Domini nostri Jesu Christi. Et hoc meritum fit nostrum, cùm credimus in Christum: fit autem à nobis alienum, cùm Euangelio Christi non credimus.

Iohann. 3. Non misit Deus Filium suum in mundum, vt condemnet mundum, sed vt salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum non condemnatur: Qui autem non credit, iam condemnatus est, quia non credit in nomen vnigeniti Filij Dei. Quare, si quis ex hac vita in fide Christi excesserit, omne habet meritum Christi, nec indiget alieno. Deus enim qui donat Filium suum, donat etiam cum eo omnia, vt Paulus ait: Qui autem hinc emigrauerit sine Christo, nullis potest hominum meritis juuari: quia sine Christo nulla est salus.

Cyprianus contra Demetr. tract. 1. Quando istinc excessum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus: hîc vita aut amittitur aut tenetur, hîc salutari æternæ cultu Dei & fructu fidei prouidetur.

Hieron. in Epistol. ad Gal. cap. 6. Obscurè licet docemur per hanc sententiolam nouum dogma quod latitat, dum in præsenti seculo sumus, siue orationibus, siue consiliis posse nos inuicem coadiuuare. Cum autem ante tribunal Christi venerimus, non Iob, non Daniel, nec Noe, rogare posse pro quoquam, sed vnumquemque portare onus suum.

Nam, quod ex Machabæis citatur, sacrificia pro peccatis mortuorum esse oblata, dubitat autor ipse libri in fine eius, num rectè scripserit, ac precatur veniam sicubi errauerit. Demus ergo ei veniam, quòd sine vlla diuinæ Scripturæ autoritate affirmet, mortuos solui à peccatis, sacrificiis & orationibus viuorum. Et Tertullianus dicit, *Oblationes pro defunctis annua die fieri.* Sed hoc aut receptum fuit sine autoritate verbi Dei ex moribus Ethnicorum, sicut multa alia: aut nomine *oblationis* intelligenda est publica commemoratio defunctorum in fide Christi, & gratiarum actio pro beneficiis, quæ Deus in ipsos contulerit.

DE PVRGATORIO.

ETsi dubitari non debet, quin suus sit sanctis in hac vita purgatorius ignis, quemadmodum testantur exempla Dauidis, Ezechiæ, Ionæ, & aliorum, tamen haud immeritò dubitatur num post hanc vitam tale sit Purgatorium, quale vulgus hominum putat, in quo animæ tantisper crucientur, dum vel supplicio satis pro peccatis faciant, vel indulgentiis redimantur. Si enim tale est Purgatorium, valdè mirandum videtur, quòd nec Prophetica, nec Apostolica scripta, aliquid certi & perspicui de eo tradiderint, sed potiùs diuersum haud obscurè doceant.

Marci vltimo: Prædicate Euangelium omni creaturæ; qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.

Hîc ponuntur duo ordines hominum: vnus eorum, qui credunt Euangelio, & hi pronuntiantur salui: alter eorum, qui non credunt Euangelio, & hi pronun-

nuntiantur damnati. Inter hos non est aliquod medium. Aut enim excedis ex hac vita in fide Iesu Christi, tunc habes remissionem omnium peccatorum propter Christum,& imputatur tibi iustitia Christi.

Quare, qui Christo comitatus in mortem ingreditur, ei nihil deest ad consequendam veram & æternam vitam. Qui autem hinc sine Christo emigrat, ingreditur in perpetuas tenebras. Ac si præter hos duos ordines alius esset quispiam tertius status animarum in altero seculo, certè Paulus qui ad Paradisum & in tertium cœlum raptus erat, & multa arcana viderat, non invidisset Ecclesiæ hanc cognitionem. Ecce autem cùm ad Thessalonicenses ex professo de Christianis dormientibus scriberet, nullam prorsus facit mentionem alicuius Purgatorij, sed jubet potiùs ne contristemur, sicut & cæteri qui spem non habent. Itaque, si talis esset quispiam animarum status in altero seculo, qualem vulgus cogitat, non potuisset Paulus teneri, quo minùs loco tam opportuno hunc animarum statum perspicuè explicuisset, & Ecclesiæ rationem præscripsisset, qua posset miseras animas à cruciatu suo liberare. Sed & vetus ac verè Catholica Ecclesia apertè significauit, sibi de hoc tertio genere status animarum in altero seculo nihil certi constare.

Chrysostomus in concione secunda de Lazaro. Si quid cui rapuisti, redde, & dicito, juxta Zachæum, Do quadruplum si quid rapui: si cui factus est inimicus, reconciliare priusquam veneris ad judicium. Omnia hic dissolve, vt citra molestiam illud videas tribunal. Donec hìc fuerimus, spes habemus præclaras: simul atque verò discesserimus illuc, non est postea in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere.

Et iterum. Neque enim qui in præsenti vita peccata non abluerit, postea consolationem aliquam inventurus est.

Augustinus etsi ponit inter valde bonos & valde malos, medios quosdam, quorum alteris videtur locum Purgatorium assignare, tamen de ea re aliàs dubitat, nec quicquam certi definit. De hac igitur sententia August. sentiendum erit quòd ipse exigit, videlicet, vt id recipiamus, quod vel authoritate Scripturæ, vel probabili ratione confirmatum fuerit.

Manifestum autem est, quòd quæ dicta Scripturæ ad stabiliendum Purgatorium citari solent, à genuino suo sensu ad alienum torqueantur, & ab ipsis etiam veteribus Interpretibus longè aliter exponantur. Et quas Augustinus habet sententiæ suæ rationes, hoc fundamento niti videntur, quòd consequamur remissionem peccatorum & vitam, non tantùm propter Christum per fidem, sed etiam propter merita nostrorum operum.

Sed, quàm conueniat hoc cum vera Apostolica doctrina, suprà indicauimus.

Quare, arbitramur hanc theoriam de igne Purgatorio suis autoribus relinquendam esse, & hoc maximè omnium agendum, vt quod Paulus monet, confirmemus nos invicem sermonibus de certa spe resurrectionis & salutis nostræ in Christo Jesu, propter quem Deus credentibus ita fauet, vt conseruet eos in media morte, & donet eos vera tranquillitate.

DE VOTIS MONACHORVM.

NOn eſt dubium, quin vota pia, juſta & legitima ſint ſervanda ac ſolvenda, & vota impia ſint reſcindenda. Sed haud immeritò diſputatur, in quo votorum genere collocanda ſint vota Monachorum, de Virginitate, ſeu Cœlibatu, Paupertate & Obedientia.

Nam manifeſtum eſt, quòd Cœlibatus non ſit verbo Dei præceptus: Manifeſtum etiam eſt, quòd etſi cœlibum ſtatus ſit in publicis periculis tranquillior, & ad peragenda publica miniſteria Eccleſiæ his, qui non vtuntur, aptior & accommodatior, tamen non eſt ſentiendum, quòd hoc genus vitæ per ſe ſit coram tribunali Dei excellentius & ſanctius quàm conjugium.

Sicut enim *in Chriſto non eſt Iudæus neque Græcus, non ſervus neque liber*, vt Paulus ait: ita in Chriſto, nec eſt cœlebs, nec maritus.

Et quemadmodum in Chriſto Jeſu Circumciſio nihil eſt, Præputium nihil eſt, ſed in Chriſto Jeſu renatum eſſe, & Chriſti vocationi obedire.

In *Concilio Gangrenſi* extat Canon: *Si quis*, inquiens, *ex his qui virginitatem propter Dominum ſervant, extollitur adverſus conjugatos, anathema ſit.*

Et alius Canon dicit: *Si quis virorum propter continentiam, quæ putatur, amictu pallij vtitur, quaſi per hoc ſe habere juſtitiam credens, & deſpicit eos, qui cum reuerentia birris & aliis communibus & ſolitis vtuntur, anathema ſit.*

*Et Auguſt. de bono conjugali cap.*21. Non audet virginitatem Baptiſtæ præferre conjugio Abrahæ.

Quare qui vouet virginitatem, vel cœlibatum, aut vouet eum, vt ſingularem cultum Dei, tunc quia ſtatus cœlibum non eſt verbo Dei mandatus, pertinet hoc votum ad mandata hominum, de quibus Chriſtus dicit, *fruſtra colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum.* Aut vouet eum, vt meritum remiſsionis peccatorum & vitæ æternæ, & tunc eſt manifeſtè impium votum, cui nullus eſt obnoxius. Nihilo rectius eſt paupertatem vouere. Aut enim conditione pauper es, & nihil terrenarum facultatum poſsides, tum hæc crux diuinitus tibi impoſita, patienter eſt ferenda, quam ſi præterea voues, nihil aliud facis, quàm ſi in morbo voueas te perpetuò ægrotaturum, vel in infamia te perpetuò fore infamem. Quod genus voti furor magis eſt quàm pietas.

Aut poſsides facultates, & voues te iis relictis acturum vitam pauperem, vt victum quæras mendicitate, & conſequaris hujus voti merito vitam æternam: tunc hoc votum, primùm quidem pugnat cum charitate proximi, quæ exigit, ne cui ſis, præter neceſsitatem, mendicimonio moleſtus. Deinde pugnat cum fide in Chriſtum, quòd is *Solus* ſit meritum æternæ vitæ. Manifeſtum igitur eſt, hoc genus voti eſſe illegitimum & impium.

Facultates autem tuas ſic deſerere, vt eas in commune conferas, non eſt paupertatem ſectari, ſed de certiori & copioſiori victu tibi proſpicere. Qui qualis ſit coram Deo cultus, obſcurum eſſe non poteſt.

Obedientia verò aut refertur ad Deum, tunc non eſt arbitrarij voti, ſed debitæ neceſsitatis, de qua obedientia dicitur: *Melior eſt obedientia quàm victima.* Aut refertur ad hominem, & tunc ſua ſunt obedientiæ officia, quæ ſubditus magiſtratui, liberi parentibus, ſervi dominis, diſcipuli præceptoribus debent.

Hæc

Hæc siue voueantur siue non voueantur, certè diuinitus exiguntur, sed hac conditione, vt semper *Deo magis obediamus quàm hominibus*.

Vouere autem homini obedientiam, sine certa vocatione Dei, vt óp eribus talis obedientiæ non solùm præstes Deo singularem cultum, sed etiam expies coram Deo peccata tua, supervacaneum est, quia Christus dicit, frustra se coli humanis traditionibus; & impium, quia solius Christi obedientia, quam præstitit Deo Patri suo, expiauit peccata nostra, & reconciliauit nos cum Deo. Ex his omnibus manifestum est, quòd genus vouendi Cœlibatus, Paupertatis & Obedientiæ non consentiat cum doctrina verè Catholica: præsertim cùm quidam non sint veriti hoc vouendi genus æquare Baptismo.

DE HORIS CANONICIS.

AVgustinus scribit alicubi, Ambrosium Episcopum Mediolanensem instituisse, vt cœtus Ecclesiæ cantaret Psalmos, quibus sese mutuò in expectatione malorum consolârentur, & ad ferendam crucem exsuscitarent, *ne populus* (inquit) *mœroris tædio contabesceret.*

Hic cantus, quia factus est lingua vulgo nota, & habuit pium vsum, commendatione dignissimus erat. Et ex decretis Canonicis apparet, horas quas vocant *Canonicas* fuisse ordinationes temporum, quibus percurrenda esset publicè singulis annis vniuersa sacra Scriptura, quemadmodum in scholis suæ solent horæ explicationibus autorum constitui. Talis horarum distributio fuit fortassis suo tempore non inutilis, & per se non est damnanda.

Sed, instituere singulare genus Sacerdotum: ad cantandas horas Canonicas, & canere eas aliena lingua, quæ vulgo Ecclesiæ non sit nota, aut vernacula, & quidem alicubi noctu diuque, sine vlla intermissione, succedentibus subinde aliis atque aliis cantoribus, ac facere hoc sacrum, non vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, quemadmodum Paulus ait, sed, vt meritò huius operis mitiges iram Dei, & expies peccata hominum coram Deo, hoc demum pugnat cum sententia verè Catholicæ Ecclesiæ.

1.*Cor.*15. Cùm conuenitis, vnusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsin habet, linguam habet, interpretationem habet, *omnia ad ædificationem fiant.*

Hieron. in Epist. ad Ephes. cap.5. Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant hæc adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce sed corde psallendum, nec in tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, &c.

Quod autem iam dictum est de vsu linguæ vulgo notæ, intelligendum est non tantùm de cantu Psalmorum, sed etiam de omnibus partibus Ecclesiastici Ministerij. Sicut enim conciones & precationes lingua Ecclesiæ nota habendæ sunt, ita & Sacramenta noto sermone dispensanda sunt. Etsi enim licebit aliquoties peregrina lingua propter studiosos vti, tamen consensus Catholicæ Ecclesiæ hoc exigit, vt necessaria ministeria Ecclesiæ fiant sermone vernaculo.

1.*Cor.* 14. In Ecclesia volo quinque verba mente mea loqui, vt & alios instituam, potiùs quàm decem millia verborum in lingua.

Innocentius 3. offi. iud. ord. c. quoniam. Quoniam in plerisque partibus infra eandem ciuitatem atque dioecesim permixti sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub vna fide varios ritus & mores, districtè præcipimus, vt Pontifices huiusmodi ciuitatum siue dioecesium prouideant viros idoneos, qui secundùm diuersitates rituum & linguarum, diuina illis officia celebrent, Ecclesiastica Sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter & exemplo. Quare piè & Catholicè facere dicendi sunt hi, qui dispensationem Sacramentorum, carmina Psalmorum, & lectiones sacræ Scripturæ sic constituunt, vt Ecclesia intelligat quod dicitur, legitur & canitur, & fructum spiritus ad consolandam mentem, & confirmandam fidem, ac excitandam charitatem capiat.

DE IEIVNIO.

IEiunium habet suam laudem & vsum. Non est autem nobis nunc sermo vel de necessario ieiunio; cùm necesse habes ob inopiam cibi ieiunare, vel de allegorico ieiunio, quod est ab omnibus vitiis abstinere: sed est sermo de duobus vsitatis generibus ieiunij, quorum aliud est ieiunium perpetuum: hæc est sobrietas, quæ semper toto vitæ tempore in cibo & potu seruanda est, nunquam enim licet helluari, & crapulam ac ebrietatem sectari. Aliud est ieiunium diarium, cum aliquoties toto die abstinetur à cibo, quale vsitatum fuit in Veteri Testamento, Leuit. 16. Et testantur exempla Iosaphat, Niniuitarum & alia. Secuta autem est postea magna varietas obseruationis id genus ieiunij in Ecclesiis. Sed hæc varietas sicut non attulit Ecclesiæ vllum incommodum, ita testificata est, libertatem vsus huius Ieiunij. Et extat apud veteres obseruabile dictum de hac varietate: Ieiuniorum, inquiunt, discrepantia non rumpit fidei consonantiam. Etsi autem nonnulli sentiunt, Christum dedicasse exemplo suo Ieiunium Quadragesimale, tamen manifestum est, quòd Christus non mandauerit hoc ieiunium, nec rerum natura ferat, vt exemplum ieiunij Christi, qui totis quadraginta diebus & noctibus ab omni cibo & potu abstinuit, imitemur.

Et non obscurè significat Eusebius, vsum huius Quadragesimalis Ieiunij fuisse in Ecclesia liberrimum.

Dicit & Chrysost. in Gen. cap. 2. homil. 11. Si ieiunare non potes, potes tamen abstinere à delictis, hoc autem non minimum est, nec à ieiunio multum distans, sed ipsum quoque diaboli furorem prosternere idoneum. Nec erat institutus delectus ciborum, quòd Apostolus dixisset: *Mundis omnia esse munda.*

Sed in talium ieiuniorum obseruatione maximè omnium considerandus est finis. Veteres ieiunarunt aliquoties totis diebus, vt vacarent publicæ precationi, & hac disciplina admonerent Ecclesiam suam, ac præsertim iuuentutem, de præteritis, vel de præsentibus, vel de imminentibus periculis, ac excitarent eam ad agendam poenitentiam, qua ira Dei mitigaretur. Hic est pius & vtilis horum ieiuniorum finis.

Alij ieiunant, vt merito huius operis expient peccata coram Deo, vel, sicut nonnulli loquuntur, applicent sibi ieiunio suo meritum Christi. Sed hic finis omnino refutandus est. *Primùm* enim, sola mors Christi est expiatio peccatorum no-

rum nostrorum. *Deinde* ieiunium non est in hunc vsum ordinatum, vt sit opus, quo applicetur nobis meritum Christi. Aut enim ieiunium coniunctum est cum vera pœnitentia, tunc meritum Christi applicatum est pœnitenti per fidem, quæ est præcipua pars pœnitentiæ, antequam suscipiat vel perficiat ieiunium. Aut ieiunium est sine pœnitentia, tunc est in conspectu Dei abominandum; tantùm abest vt applicet ieiunanti meritum Christi.

Esaia 58. Nunquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? nunquid contorquere quasi circulum caput suum?

August. Ep. 86. ad Casulanum. Ego in Euangelicis & Apostolicis literis totoque instrumento, quod appellant Testamentum Nouum, animo id reuoluens, video præceptum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non inuenio definitum.

Ac per hoc sentio, non quidem ad obtinendam, quam FIDES obtinet, IVSTITIAM, in qua est pulchritudo filiæ regis intrinsecus: sed tamen ad significandam requiem sempiternam relaxationem, quàm constrictionem ieiunij, aptiùs conuenire.

Chrysost. tom. 4. de Ieiunio Quadrag. hom. 73. Si quotidie huc conuenimus, ac totam ieiunemus Quadragesimam, & non mutamus vitam in melius, maioris damnationis occasio nobis fieret. Ex his manifestum est, quòd sentire ieiunium esse opus, quo vel peccata coram Deo expientur, vel meritum Christi applicetur, nec sit Apostolicum nec Catholicum.

DE CONSECRATIONE AQVÆ, SALIS, VINI, Herbarum, & aliarum rerum.

AGnoscimus in Veteri Testamento diuinitus fuisse institutam aquam aspersionis, qua Leuiticæ immundiciæ purgabantur. Agnoscimus etiam miraculum, quo Propheta Elisæus sanauit steriles aquas Iericho, iniecto sale. Et amplectimur, quod Paulus ad Timotheum scribens: *Omnis,* inquit, *creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & precationem.*

Sed quòd consecretur in Nouo Testamento aqua, quam vocant *benedictam,* cuius aspersione deleantur peccata venialia, & pellantur dæmones, ac consecretur etiam sal, qui faciat res alioqui noxias salutares, non videtur nec Apostolicum nec Catholicum esse. Nam imitatio Leuiticæ aspersionis, & miraculi Elizæi, non est verbo Domini mandata, sed humano arbitrio vsitata: pertinet igitur ad hoc dictum Christi, *Frustra colunt me, docentes doctrinas, mandata hominum.* Et manifestum est, quòd aspersio sanguinis Christi, quæ fit per verbum Euangelij, per Baptismum & Cœnam Dominicam, (excipitur autem per fidem) emundet nos à peccatis. Quod igitur est solius sanguinis Christi, diuina ordinatione pro peccatis nostris effusi, hoc non debet tribui aquæ, humana ordinatione consecratæ.

Quòd autem Elizæus sanauit aquas steriles sale, proponitur nobis admirandum, vt confirmemus ex eo fidem, quam debemus Propheticæ concioni

adhibere, non proponitur nobis sine certa vocatione Dei imitandum: propterea quòd miracula sanctorum non soleant esse generalia, sed personalia. Quod autem Paulus dicit, *Creaturas sanctificari verbo Dei & precatione*, non sentit creaturas, exempli gratia, salem, carnem, oua, herbas esse exorcizandas, vt esu earum fugetur Satan, sed quòd omnes creaturæ sint verbo Dei in suum quæque externum vsum ordinatæ, quæ nobis tunc in bonum cedunt, cùm ipsis ex fide & inuocatione Dei rectè vtimur. Sic creauit Deus salem ad condiendum cibum, & ad conseruandam carnem à putrefactione, aquam ad potum, aut lauationem, aut rigationem, non ad fugandum dæmonem: ordinauit quidem in Baptismo aquam ad abluenda peccata, hæc autem non est generalis creatio Dei, sed specialis ordinatio, certo verbo Dei definita. Nam, quantum attinet ad generalem Dei creationem & sanctificationem, non exstat verbum Dei, quod testificetur creaturas, quas antea commemorauimus, exorcismis ad hoc vtiles fieri, vt deleant peccata, & fugent dæmones. Quod autem suscipitur sine verbo Dei, in alienum à diuina ordinatione vsum, non potest fieri ex fide, sed fit abusus, & adfert magis perniciem quàm salutem.

Ad Rom.14. Omne quod non est ex fide, peccatum est.

Cyprianus Ep.3.l.2. Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putarit, sed quid prior Christus, qui ante omnes est, fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.

DE SACRA SCRIPTVRA.

SAcram Scripturam vocamus eos Canonicos libros Veteris & Noui Testamenti, de quorum authoritate in Ecclesia nunquam dubitatum est. Hanc Scripturam credimus & confitemur esse oraculum Spiritus Sancti, cœlestibus testimoniis ita confirmatum, *vt si Angelus de cælo aliud prædicauerit, anathema sit.* Quare, detestamur omnem doctrinam, cultum & religionem pugnantem cum hac Scriptura.

Sed, quòd nonnulli sentiunt, in hac Sriptura non contineri omnem doctrinam, nobis ad veram & perpetuam salutem cognitu necessariam; & ius interpretandæ huius Scripturæ in potestate summorum Pontificum ita situm esse, vt quod hi pro suo arbitrio pronunciant, amplectendum sit pro sententia Spiritus sancti, videtur faciliùs posse dici, quàm probari.

II.ad Tim.3. Omnis Scriptura diuinitus inspirata, & vtilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

Ioan.15. Vos dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota vobis feci. Quæ autem Apostoli acceperunt à Christo, vulgauerunt prædicatione sua in toto orbe terrarum, & tradiderunt ea posteritati scriptis suis. Manifestum igitur est, quòd omnia quæ ad salutem cognitu necessaria sunt, in scriptis Propheticis & Apostolicis contineantur.

Chrysost. ad Titum, homil.1. Manifestauit temporibus suis verbum suum in prædicatione quæ credita est mihi. Hæc est prædicatio. Omnia enim Euangelium

gelium continet & præsentia & futura, honorem, pietatem, fidem, ſimul omnia prædicationis verbo concluſit.

*Hieronymus ad Titum, cap.*1. Sine authoritate Scripturarum, garrulitas non habet fidem.

*Auguſt. ſuper Ioann. cap.*11. *tract.* 49. Nam cùm Dominus Jeſus multa feciſſet, non omnia ſcripta ſunt, ſicut idem ipſe ſanctus Euangeliſta teſtatur, multa Dominum Chriſtum & dixiſſe & feciſſe, quæ ſcripta non ſunt, ELECTA autem ſunt quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur. Nam quod aiunt, Ius interpretandæ Scripturæ eſſe penes ſummos Pontifices, non eſt obſcurum, quòd donum interpretandæ Scripturæ non ſit humanæ prudentiæ, ſed Sancti Spiritus. Vnicuique, inquit Paulus, datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, &c. Spiritus S. autem eſt liberrimus, nec eſt ad certum genus hominum alligatus, ſed diſtribuit dona hominibus pro ſuo ipſius beneplacito.

Numer. 11. Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum?

Iudic. 4. Debora, mulier, vxor Lapidoth, excitatur in Prophetam.

Amos 7. Non ſum Propheta, & non ſum filius Prophetæ, ſed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros, &c. Et tamen Amos accepit Spiritum Sanctum, & factus eſt Propheta.

1. *ad Cor.* 12. Hæc omnia operatur vnus & idem Spiritus, diſtribuens vnicuique prout VVLT. Teſtantur etiam exempla, quòd ſummi Pontifices ſæpe ac multum fœdè errauerint.

Quare, donum interpretandæ Scripturæ, non eſt in ordinem ſummorum Pontificum ita concludendum, vt quiſquis Pontifex fuerit, Scripturam rectè interpretetur. Sed vera ſententia Scripturæ quærenda eſt in ipſa Scriptura, & apud eos, qui diuino Spiritu excitati, Scripturam per Scripturam interpretantur.

DE SVMMO PONTIFICE.

SVnt qui tribuunt Romano Pontifici, quòd ſit caput vniuerſalis Eccleſiæ, & habeat poteſtatem non in terris tantùm conſtituendi regna Politica, & gubernandi Eccleſiaſtica: verùm etiam in cœlis mandandi Angelis, liberandi animas è Purgatorio, & beandi aut damnandi quos libet.

Nos autem agnoſcimus, quòd ſiquidem Romanus Pontifex fuerit vir pius, & docuerit Euangelium Chriſti, iuxta Prophetica & Apoſtolica ſcripta, habeat miniſterium ſummæ in hac terra poteſtatis, videlicet miniſterium remittendi & retinendi peccata: quo miniſterio non eſt in his terris nec maius nec excellſetius. Habet autem hoc miniſterium *non ſolus*, ſed habet commune cum omnibus iis, qui legitima vocatione adnuntiant Euangelium Chriſti. Miniſterium enim remittendi aut retinendi peccata, quod alias vocatur clauis regni cœlorum, non eſt liberæ poteſtati perſonæ hominum traditum: ſed eſt in ipſum Euangelij verbum ita incluſum, vt quotquot Euangelium adnuntiant, dicantur verè peccata remittere & retinere, illud quidem his, qui

Euangelium fide accipiunt, hoc autem his, qui Euangelium contemnunt.

Marci vltimo: Prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.

Hilar. de Trinitate libro 6. Petro reuelauit Pater vt diceret, Tu es Filius Dei. Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est: hæc fides Ecclesiæ est fundamentum: hæc fides quæ in terra solverit aut ligauerit, ea ligati sunt in cœlis & soluta.

Clauicularij sunt Sacerdotes, quibus creditum est verbum docendi, & interpretandi Scripturas. Clauis autem est Verbum scientiæ Scripturarum, per quam aperitur hominibus janua veritatis.

August. de doctrina Christiana, lib. 1. cap. 18. Has claues dedit Ecclesiæ suæ, vt quæ solveret in terra, soluta essent in cœlo, quæ ligaret in terra, litigata essent in cælo. Scilicet, vt quisquis in Ecclesia eius dimitti sibi peccata non crederet, non ei dimitterentur: quisquis autem crederet, seque ab his correctus auerteret, in eiusdem Ecclesiæ gremio constitutus, eadem fide atque correctione sanaretur.

Ambrosius: Peccata per Verbum dimittuntur, cuius interpres seu expositor est Leuita.

Bern. in Epist. ad Eugen. Verus successor Pauli dicet cum Paulo, Non quòd dominemur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij. Petri hæres audiet Petrum dicentem, *Neque vt dominantes in clerum, sed forma facti gregis.*

Thomas in Summa sua, parte 3. in additi. q. 6. ar. 6. Quia Ecclesia fundatur in fide & in Sacramentis, ideò ad ministros Ecclesiæ, nouos articulos fidei edere, aut editos remouere, aut noua Sacramenta instituere, aut instituta remouere, non pertinet: sed hoc est potestatis excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum. Et ideo, sicut Papa non potest dispensare, vt aliquis sine Baptismo saluetur, ita nec quòd saluetur sine confessione, secundùm quòd obligat vis Sacramenti.

Etsi autem Thomas suas habet opiniones de confessione, tamen hoc, quod dicit, ad Ministros Ecclesiæ (inter quos etiam Papam numerat) non pertinere, nouos Articulos fidei condere, & noua Sacramenta instituere, verè est Apostolica & Catholica sententia. Nam ad Ministros Ecclesiæ non pertinet, ex vocatione Christi, aliud ministerium, quàm quod suprà de remittendis & retinendis peccatis commemorauimus, & quo Apostoli ipsi functi sunt. Quòd si præter hoc ministerium, aliquid amplius Romano Pontifici tribuitur, hoc aut conceditur ei humanis ordinationibus, aut confictum est à Monachis & adulatoribus, contra verbi Dei autoritatem.

DE ECCLESIA.

Credimus & confitemur, quòd vna sit sancta Catholica & Apostolica Ecclesia, iuxta Symbolum Apostolorum & Nicænum.

II. Quòd hæc Ecclesia, à Spiritu Sancto ita gubernetur, vt etsi sinit eam esse in his terris imbecillem, conseruet tamen eam perpetuò, ne vel erroribus, vel peccatis pereat.

III. Quòd

III. Quòd huic Ecclesiæ in hac terra multi mali & hypocritæ admixti sunt.

IV. Qud hi mali & hypocritæ, si ministerium Ecclesiæ legitima vocatione susceperint, veritati Sacramentorum per se nihil incommodi afferant, nisi institutionem Christi peruertant, & impia doceant.

V. Quòd in hac Ecclesia sit vera peccatorum remissio.

VI. Quòd hæc Ecclesia habeat ius iudicandi de omnibus doctrinis, iuxta illud, *Probate Spiritus, num ex Deo sint.* Et, *Cæteri diiudicent.*

VII. Quòd hæc Ecclesia habeat ius interpretandæ Scripturæ.

Sed, vbi hæc Ecclesia sit quærenda, & an iura eius sint certis terminis circumscripta, alij aliter sentiunt. Arbitramur autem autoritate sacræ Scripturæ & veterum Patrum sentiendum esse, verè Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, non ad vnum certum locum aut gentem, nec ad vnum certum hominum genus alligatam esse: sed in eo esse loco aut gente, vbi Euangelium Christi sinceriter prædicatur, & Sacramenta eius rectè, iuxta institutionem Christi, administrantur.

Ioan.10. Scriptum est, Ego dixi, dij estis. Illos dixit deos, ad quos factus est sermo Dei, &c. Ergo ibi est populus seu Ecclesia Dei, vbi sermo Dei prædicatur.

Ioan.15. Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Sermo igitur Christi, qui est Euangelium, demonstrat vbi sit Ecclesia, quæ coram Deo sit munda.

Ad Rom.1. Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Vbi igitur est Euangelium, quod agnoscitur fide, ibi Deus habet Ecclesiam, in qua est efficax ad æternam salutem.

Chrysost. in comment. in Euangelium Matth.24. hom.49. Quare hoc tempore omnes Christiani conferre se ad Scripturas debent. Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis illas Ecclesias, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scripturæ diuinæ.

Et postea: Qui ergo vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas?

Aug. tom.2. Ep.166. In Scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus Ecclesiam, has Scripturas communiter habemus, quare non in eis & Christum & Ecclesiam communiter retinemus?

Et iterum Tomo 7. in Epist. contra Epistol. Petiliani Donatistæ, cap.2.3. & 4. Inter nos & Donatistas quæstio est, vbi sit Ecclesia; quid ergo facturi sumus? In verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capitis sui, Domini nostri Jesu Christi? Puto quòd in illius potiùs verbis quærere debemus, qui veritas est, & optimè nouit corpus suum. Quod autem affirmatur, Ecclesiam habere jus testificandi de S. Scriptura, interpretandi Scripturam, & judicandi de omnibus doctrinis, non sic intelligendum est, quòd Ecclesia habeat liberam potestatem quidvis statuendi, ac etiam, si libeat, mutandi Scripturam, & fingendi nouam doctrinam, ac instituendi nouos cultus Dei, sed quòd Ecclesia, vt sponsa Christi, agnoscat vocem sponsi sui, & acceperit à sponso suo certam regulam, Propheticam videlicet & Apostolicam prędicationem, cœlestibus miraculis confirmatam, juxta quam debeat obscura, si quæ videntur, loca Scripturæ interpretari, & de doctrinis judicare.

*Psalm.*118. Lucerna pedibus meis verbum tuum.

*Ad Roman.*12. Habentes dona, iuxtà gratiam datam nobis, varia, siue Prophetiam, iuxta analogiam fidei.

II. Petri 1. Habemus firmiorem sermonem Propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, rectè facitis, &c.

Origene. in Hierem. Hom. 1. Necesse est nobis Scripturas sanctas in testimonium vocare : sensus quippe nostri & enarrationes, sine his testibus, non habent fidem.

Hieron. in Matth. 23. Quod sine authoritate Scripturæ dicitur, eadem facilitate contemnitur, qua dicitur.

Augustin. de Nuptiis & concupiscentia lib. 2. *cap.* 23. Ista controuersia iudicem quærit, iudicet ergo Christus, & cui rei mors eius profecerit, ipse dicat: Hic est, inquit, sanguis meus. *Et mox*, Iudicet cum illo & Apostolus, quia & in Apostolo ipse loquitur Christus, clamat & dicit de Deo Patre, qui proprio Filio, &c. Quare & Ecclesia sic habet authoritatem iudicandi de doctrinis, vt tamen contineat se intra metas sacræ Scripturæ, quæ est vox Sponsi sui, à qua voce nulli, ne Angelo quidem, fas est recedere.

DE CONCILIIS.

FAtemur sua debere esse in Ecclesia de dogmatis & sacris iudicia, & magnam esse legitimorum Conciliorum auctoritatem. Sed longè omnium maxima sit authoritas verbi Dei, necesse est. Etsi enim Ecclesia habet certam promissionem perpetuæ præsentię Christi, & gubernetur à Spiritu Sancto, tamen non quiuis hominum cœtus pro vera Ecclesia haberi potest. Et vt maximè multi aliquoties in nomine Christi conuenire videntur, tamen pauci sunt electi, & non est omnium fides. Et quod in Politicis, idem & in Ecclesiasticis cœtibus fieri solet, vt plerumque maior pars vincat meliorem. Huc accedit quòd Spiritus Sanctus non faciat populum in hac vita ἀναμάρτητον, hoc est, impeccabilem, sed relinquat in ipso multas & varias imbecillitates.

Testantur quoque exempla, non Pontifices tantùm, sed etiam Concilia errasse. Quare, postquam Prophetica & Apostolica doctrina diuinitus confirmata est, nullius vel hominis, vel hominum cœtus sententia, simpliciter pro oraculo Spiritus Sancti, sine iudicio recipienda est: Sed exigenda ad normam doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, vt quod cum hac conuenit, agnoscatur; quod cum hac pugnat, refutetur.

Ad Gal. 1. Si nos, aut Angelus de cœlo, prædicauerit vobis Euangelium, pręter id quod prædicauimus vobis, anathema sit.

1. *Ioh.* 4. 1. Nolite cuivis spiritui credere, sed probate spiritus num ex Deo sint. 1. *Ad Thessal.* 5. Omnia probate, quod bonum est tenete.

August. contra Maxim. Ariano Episc. lib. 3. *cap.* 14. Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium, nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris, Scripturarum authoritatibus, non quorumcunque propriis, sed vtrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione, vtrique, &c.

Panormitanus in cap. significasti, ext. de electio. In concernentibus fidem, etiam dictum vnius priuati esset præferendum dicto Papæ, si ille moueretur melioribus authoritatibus Noui & Veteris Testamenti, quàm Papa.

Gerson parte 1. de examinatione doctrinarum. Prima veritas staret, quòd aliquis simplex, non autorizatus, esset tam excellenter in sacris literis eruditus, quòd plus esset credendum, in casu doctrinali, suæ assertioni, quàm Papæ declarationi. Constat enim plus esse credendum Euangelio, quàm Papæ. Si doceat igitur talis eruditus veritatem aliquam in Euangelio contineri, vbi & Papa nesciret, vel vltrò erraret, patet cuius præferendum sit judicium.

Et mox. Talis eruditus deberet in casu, si & dum celebraretur generale Concilium, cui & ipse præsens esset, illi se opponere, si sentiret majorem partem ad oppositum Euangelij, malitia vel ignorantia, declinare.

DE SCRIPTVRIS ECCLESIASTICIS.

CORam cano capite, inquit Scriptura, assurge, & personam senis venerare. Veneramur igitur caniciem maiorum nostrorum, qui iam inde ab initio reuelati & propagati Euangelij in Orbe terrarum susceperunt studium iuuandæ Ecclesiæ, non solùm vocali prædicatione, sed etiam publicis scriptis, vt posteritas habeat, ab Apostolicis temporibus vsque ad hæc tempora, manifesta & certa piæ doctrinæ testimonia. Horum autem scripta sic amplectimur, quemadmodum & sacra Scriptura permittit nobis humana authoritate vti, & sua ipsi scripta agnosci voluerunt. *Iob.12.* (Vos amici dicitis) quòd in antiquis sit sapientia, & in multo tempore prudentia. (Ego autem dico vobis) apud ipsum, videlicet Dominum Deum nostrum, est sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam.

I. ad Cor.14. Prophetæ duo aut tres loquantur, cæteri dijudicent.

I. ad Thess.5. Omnia probate, quod bonum est tenete.

Tertullianus in libell. de præscriptionibus hæreticorum. Nobis nihil licet ex nostro arbitrio inducere, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus autores, qui nec ipsi quicquam de suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam à Christo fideliter disciplinam, nationibus assignarunt.

Aug. in Epist. ad Fortunat. dist.8. Neque quorumlibet disputationes, quanquam Catholicorum & laudatorum hominum veluti Scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in scriptis eorum improbare, atque respuere, si fortè inuenerimus, quòd si aliter senserint, quàm veritas habet, diuino adiutorio ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, quales volo esse intellectores meorum.

Et iterum in proh. lib.3. de Trinit. Noli meis literis quasi Canonicis Scripturis inseruire, sed in illis, & quod non credebas, cùm inueneris, incunctanter crede: In istis autem, quod certum habebas, nisi certum intellexeris, noli firmè tenere.

Ac rursus ad Vincentium lib.2. Negare non possum, nec debeo, sicut in ipsis

MAIORIBVS, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt iusto iudicio, & nulla temeritate, culpari.

Et iterum, in Epistola ad Hieronymum. Ego solis eis scriptoribus, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, &c. *Ac mox,* Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, quantáve doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios autores, vel per Canonicas, vel probabiles rationes, quæ à vero non abhorreant, persuadere potuerunt.

Et aliàs de vnico Baptismo in Epist. ad Vincent. Quis nesciat sanctam Scripturam, &c. *Et*: Noli frater contra diuina tam multa, &c. Nam hi loci, vel ex ipsis Pontificum decretis, noti sunt.

DE CÆREMONIIS ECCLESIASTICIS.

AGnóscimus à Christo Filio Dei duas cæremonias, in Ecclesia institutas esse, Baptismum & Cœnam Dominicam, quæ & iuxta institutionem Christi, necessariò sunt obseruandæ. Fatemur etiam Apostolos instituisse quasdam ordinationes in Ecclesia, vt *omnia decenter & secundùm ordinem*, sicut Paulus loquitur, *fierent*, quales sunt quæ describuntur *1. ad Cor. 14. & 1. ad Tim. 2.*

Vsurparunt quoque Apostoli in designandis Ministris Ecclesiæ impositionem manuum, quæ retenta ex consuetudine veteris legis, non autem mandata Ecclesiæ, liberè seruari potest. Instituerunt in Actis Apostoli, vt gentes cauerent ab esu suffocatorum, & sanguinis: non vt hæc obseruatio esset inter gentes perpetuò, sed temporalis, & tantisper duratura, dum hic esus non esset amplius offendiculum.

Fatemur & hoc, quòd Episcopis liceat, cum Ecclesiæ suæ consensu, ordinationis dierum festorum, & lectionum seu Concionum, ad ædificationem & eruditionem veræ fidei in Christum, instituere. Sed non licet obtrudere Ecclesiæ ritus veteris legis, pro sacro diuino, quo Deus singulariter per se colatur. Nec licet vel veteres ritus legis restaurare, vel nouos comminisci ad adumbrandam veritatem Euangelio iam patefactam & illustratam: quales sunt interdiu accendere cereos, ad significandam lucem Euangelij, aut vti vexillis crucibus ad significandam victoriam Christi per crucem: quod genus est vniuersa panoplia vestium missalium, quam aiunt adumbrare totam Passionem Christi. Et multa id genus alia. Multò minùs licet instituere cæremonias aut sacra, quorum meritis expientur peccata, & accipiatur regnum cœleste. Nam de priori illo genere cæremoniarum & sacrorum, Christus ex Esaia concionatur, *Frustrà*, inquiens, *colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum.* Et Paulus, *Ne quis vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut noui lunij*, &c. His accedunt testimonia August. & aliorum, de libera talium cæremoniarum obseruatione. De posteriori autem genere cæremoniarum, manifestum est quòd sint impia sacra, & contumeliosa in mortem & resurrectionem Christi, cuius solius merito habemus expiationem peccatorum, & hæreditatem æternæ vitæ per fidem. Recensuimus quæ videntur in doctrina Ecclesiastica, & vniuersa Ecclesiæ administratione, tum probanda, tum refutanda, aut emendanda. Ac si quid breuiùs, aut obscuriùs, quàm res tanta postulet, dictum est, recipiunt se Concionatores

nostri,

nostri, copiosiùs & magis perspicuè explicaturos. Quod reliquum est, oramus, per Iesum Christum Filium Dei, vnicum Seruatorem nostrum, omnes pios, vt, quod ipsos sua sponte facere speramus, pro suo quisque officio & vocatione verum ac serium instaurandæ Ecclesiæ studium suscipiat. Negari non potest, quin hactenus multis annis non solùm disciplina Ecclesiæ collapsa sit, & mores eius magnis & horribilibus vitiis corrupti sint, ac à maiorum nostrorum honestate plurimum degenerauerint, verùm etiam doctrina Ecclesiæ intolerandis corruptelis deprauata fuerit. Quæ si deinceps aut dissimulantur aut confirmantur, cogitare quisque, vel mediocri prudentia præditus, potest, quanta mala sint in Ecclesia Domini sequutura.

Notæ sunt diræ & maledictiones, quibus diuina Lex violatores verbi Dei deuouet. Et Iosias Rex Judæ in instauranda Ecclesia, planè heroico animo præditus, etsi inuento & perspecto libro legis, pia sua pœnitentia & obedientia iram Dei ita mitigabat, vt supplicia, quæ tunc Ecclesia Dei, neglectione verbi eius & impietate, merita erat, in aliud tempus reiicerentur: ea tamen fuit seueritas Dei, aduersus cōtemptores verbi sui & impœnitentes, vt Rex, quantumuis pius, non potuerit eam prorsus è medio tollere & placare. Existimamus autem iram Dei his temporibus propter tot horrendas impietates, propter tot infanda scelera & offendicula, quæ in populo ipso, qui DEI nomine gloriatur, manifestiora sunt, quàm vt negari, & illustriora sunt, quàm vt excusari quæant, non minùs, imò multò grauiùs aduersus cœtum Ecclesiæ suæ accensam & inflammatam esse, quàm olim, cùm Filius Dei nondum esset per Euangelium suum Orbi patefactus. Ac tantò seuerius erit iudicium Dei, quantò maiora sunt beneficia, quæ & superioribus & his præsentibus temporibus in ingratos contulisse videtur.

Sed, cùm alia multa in Ecclesia & ministerio eius correctione indigent, tum præcipuè doctrina de pœnitentia, iustificatione, vsus item sacramentorum, & cœlibatus Ministrorum Ecclesiæ, piam exigunt emendationem. Hæc si iuxta Prophetica & Apostolica scripta, ac iuxta verè Catholicum veteris & purioris Ecclesiæ consensum, beneficio Dei, ac diligentia & cura optimorum quorumque virorum, restituta fuerint, non solùm præstabitur cultus Deo Patri Domini nostri Iesu Christi gratissimus, verùm etiam vniuersus Christianus Orbis excitabitur, vt, quibus possit officiis, gratitudinem & obedientiam suam sit declaraturus. Nos quidem, non sumus de nostris Concionatoribus alicuius erroris, vel in doctrina, vel in reliqua Ecclesiæ administratione, conscij: attamen non dubitamus, eos tanta modestia & pietate præditos, quin si testimoniis cœlestis doctrinæ, & vero consensu Catholicæ Ecclesiæ admoniti fuerint, ædificationi Ecclesiæ haudquaquam sint defuturi. Quod autem in nobis, & in nostra est gubernatione, summam dabimus operam, vt, adiuuante diuina clementia, nihil eorum officiorum à nobis prætermittatur, quibus speramus veram Ecclesiæ tranquillitatem & salutem in Filio Dei conseruari posse.

Finis Confessionis VVirtembergensis.

CONFESSIO FIDEI
ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS ac Domini,
D. FRIDERICI III.
Felicissimæ memoriæ,

COMITIS PALATINI AD RHENVM,
SACRI ROMANI IMPERII ARCHIDAPIFERI
& Electoris, Ducis Bauariæ, &c.

In qua Celsitudo eius 26. Octobris, anno M. D. LXXVI. *constanter, placidè, & piè in Christo obdormiuit, de verbo ad verbum ex Cels. E. Testamento desumpta.*

EX SINGVLARI MANDATO ILLVSTRISSIMI Principis ac Domini, D. Iohannis Casimiri, Comitis Palatini ad Rhenum, Ducis Bauariæ, &c. Electoralis ad Rhenum Palatinatus constituti Legati, die 25. Februarij, anno 1577. typis excusa, & ex Germanico in Latinum translata sermonem.

1. Pet. 3.

Estote semper parati ad respondendum cuilibet petenti rationem eius spei, quæ in vobis est.

Rom. 10.

Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.

Matth. 10.

Quisquis confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis: Quisquis autem negauerit me coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo, qui est in cælis.

PRÆFATIO
IOHANNIS CASIMIRI,
DEI GRATIA COMITIS PALATINI AD RHENVM, DVCIS BAVARIÆ, &c. Electoralis ad Rhenum Palatinatus constituti Legati.

QVANQVAM ILLVSTRISSIMVS & laudatissimæ memoriæ Princeps Palatinus Fridericus Elector, &c. Charissimus meus Dominus & Pater, cùm toto Electoralis suæ gubernationis tempore, tum præcipuè anno M. D. LXVI. in Comitiis Augustanis, vbi ab eo ratio Christianæ confessionis ac Fidei in edita ab ipso Catechesi & ordinatione Ecclesiastica comprehensæ, postulata fuit, satis supérque demonstrauit & publicè testatum fecit, se neque priuatim vllam aliam amplecti & probare, neque in suis Ditionibus constituisse Religionem, quàm eam, quæ Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ per omnia sit consentanea & conformis, quæque ab Augustana etiam Confessione, & quæ huic adjuncta est, Apologia, quomodo subscriptione sua omnes Imperij ordines, qui eam amplectuntur eandem Naumburgi comprobarunt, non dissentiat, nec cum ea pugnet: Tamen post pium illius ex hac misera vita discessum, partim ipse coràm audire necesse habui, partim etiam aliunde magno cum animi dolore cognoui, esse aliquos, qui, licet injuria, adfirmare & spargere non vereantur, ipsum ante obitum suum ab agnita illa & approbata confessione desciuisse, fassumq; esse, se hac in parte modum excessisse.

Ac tametsi ego quoque, quod ad me priuatim attinet, inde vsque ab eo tempore, quo primùm per Dei gratiam ex Papatu emersi, hanc Charissimi Parentis mei Confessionem semper piam, Christianam, & in Verbo Dei fun-

datam deprehendi: Imprimis verò tunc, cùm in jam dictis Augustanis Comitiis, vt pium decebat filium, Charißimo Parenti meo adessem, atque Biblia & Augustanam Confeßionem Electoribus, aliisque Principibus Confeßionis illius sociis, qui coràm aderant, & absentium Principum, aliorúmque ordinum Legatis ipse exhiberem & proponerem: cúmque ex iis Charißimus meus Parens aliud quid & melius doceri, déque eo conuinci expeteret, nec tamen quisquam inueniretur, qui vel tantillum contra ipsius Confeßionem in medium proferret: in agnita veritate animus meus magis magisque confirmatus fuit; atque hoc ipsum postea non corde tantùm & ore, verùm etiam vnà cùm Generosis & Nobilibus, aliisque piis & fortibus viris, non sine summo vitæ & capitis periculo, bis toti mundo abundè demonstraui, & planum feci: tamen pari modo divulgatum audiui, me quoque ab hac Charißimi mei Parentis, & mea Confeßione, si non prorsus defecerim, saltem in ea probanda aliquanto factum esse remißiorem & languidiorem.

Quare cùm Charißimus meus Parens, absente Illustrißimo Principe Palatino Ludouico, nunc Electore, domino & fratre meo charißimo, vno circiter mense ante mortem, huc me euocatum apud se retinuerit: atque ego ita assiduè ipsi ad vltimum vsque eius spiritum adfuerim, ex eóque intellexerim, ipsum supradictam, & jam antè editam Confessionem, sua ipsius manu composuisse, & in Testamentum suum inserendam curasse: præterea, cùm etiam ad extremum vsque eius spiritum audiuerim & viderim, ipsum mente sana, integrisque sensibus, & constanter in ea perseuerasse, & sic in Christo feliciter obdormiuisse: cúmque deinceps quoque, pòst adventum charissimi Domini & fratris mei, Testamento, quod prorsus integrum & illæsum, testibúsque, subscriptione, & sigillis accuratè & fideliter munitum erat, cuius etiam singulis paginis sua ipsius manu Charissimus meus Parens subscripserat, de communi consilio & consensu, iam designato, non tantùm iam sæpè nominatam ipsius Confessionem in eo inuenerimus, verùm etiam Exsecutores Testamenti illius, designati & constituti simus, nobisque vigore & auctoritate diuini & immutabilis mandati injunctum sit & impositum, vt modò grauissimam Dei iram & offensionem, æternásque & temporarias pœnas vitare & effugere velimus, hanc Patris nostri confessionem tueri, defendere, & propagare non desistamus: Hæc, inquam, cùm ita sint, ego, salva conscientia, & aliis etiam grauissimis iustissimisque de causis, diutiùs intermittere non potui, quin ad asserendam veritatem, de iis, quæ suprà memoratæ sunt, rebus, publicum verúmque hoc ipso perhiberem testimonium, & Confessionem hanc, vt ea totidem verbis, in Charissimi Patris mei Testa-

mento

mento descripta & inserta extat, typis imprimendam divulgandamq́; curarem, vt ea etiam, id quod debita gratißima grauißimaq́; & extremæ voluntatis ipsius exsecutio postulat, tandem non Electoribus tantùm (id quod charißimo meo Domino ac fratri præcipuè mandatum est) verumetiam superstitibus subditis suis, Consiliariis, Præfectis, & inprimis Academiæ Heidelbergensi, Scholarum & Ecclesiarum Ministris, toti denique posteritati, & sine exceptione omnibus hominibus, quemadmodum disertis verbis in Testamento hoc cauetur, ritè innotesceret, atque hoc modo quisque hinc certò, firmiter, ac solidè indubitateq́; cognosceret, Charißimum Parentem meum, in nulla alia confeßione, nec in vlla falsa damnataq́; opinione, sed in Confeßione immota veritatis Catholicæ nostræ & antiquæ Christianæ fidei, ex hac calamitosa vita in æternam requiem piè, vt Christianum hominem decet, commigrasse. In hac Confeßione, vtpote quæ super veram petram Christum Iesum Servatorem nostrum, ejusq́; verbum, tanquam vnicum & immotum fundamentum exstructa est: cùm ego quoque per Dei gratiam, ad extremum vsque vitæ terminum constanter perseuerare decreuerim, Deum optimum maximum precor, vt me, & vnà mecum, omnes in Christo fratres, qui ejusdem corporis membra sumus, contra tam varios, ac cum veritate & inter se pugnantes errores, proh dolor! in Religione à nonnullis inquietis & turbulentis hominibus excitatos, & in Ecclesias inuectos, clementer tueatur, atque constanter & sincerè in agnita & confessa veritate conservet, in quibuscunque calamitatibus & tentationibus consoletur & confirmet, & vniuersæ Ecclesiæ Christianæ tandem aliquando in hac extrema mundi senecta mentem ac oculos aperiat, quò omnes omni ex parte, nequaquam hominum auctoritatem & priuatos affectus respiciamus, sed soli Dei verbo, quód est vera & nunquam fallens conscientiæ nostræ & fidei & fraternæ Christianæq́; ac debitæ charitatis regula, inter nos mutuò locum demus.

Sequentia dicta ac sententias, paulò antè pium eius & felicem obitum, Charißimus meus Parens, posteaquam testatus esset, se in priore illa sua, quam semper professus sit, Confeßione constanter persistere, placidè ac tranquillè, integris sensibus, ita vt facilè à quouis intelligi posset, prolocutus est.

I. DICTVM PAVLI, 1. Timot. 1. *Fidus est hic sermo, & modis omnibus dignus, quem amplectamur, Christum Iesum venisse in mundum, vt peccatores servaret, quorum primus sum ego.*

II. Ad eos, qui ipsi adstabant. *Satis iam, satis diu dixi vobis: tempus est, vt mihi quoque tandem aliquando viuam.*

III. *Euocet me ad ſe Clementiſsimus Pater, quandocunque ei viſum fuerit, ego profectò hilari lætaq́; in Chriſto Domino fruar nitoreq́; conſcientia, cui ex animo ſeruiui, & cujus beneficio, mihi hoc videre contigit, vt in meis Eccleſiis & Scholis ſubditi mei ab hominum auctoritate abducti ad ſolum Chriſtum adducerentur.*

IV. 2. Timot. 4. *Certamen præclarum decertaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: quod ſupereſt, repoſita eſt mihi juſtitiæ corona.*

ILLV-

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS FIDEI CONFESSIO.

IN NOMINE SANCTÆ INDIVIDVÆ Trinitatis, Dei Patris, Filij, & Spiritus S. Amen.

EGO FRIDERICVS Dei gratia, Comes Palatinus ad Rhenum, Sacri Romani Imperij Archidapifer & Elector, Dux Bauariæ, &c. Agnosco & hoc scripto ad omnes testatum facio: Principiò, cùm ante omnia ex verbo Dei doctus sim, æternam & temporariam salutem, pacem, quietem, concordiam, felicem statum omnium Imperiorum, Politiarum, Magistratuum simul & subditorum, inde suam originem ducere, incrementúmque capere, & constanter conseruari, si Deus, eiúsque sacrosanctum verbum in pretio habeatur promoueatúrque, omnésque actiones & deliberationes huius vitæ ad illud, tanquam ad veram, certámque & nunquam fallentem normam, exigantur ac dirigantur: id quod etiam Ethnici, licèt vera verbi diuini cognitione destituti, tamen ex insita à natura luce, aliquo modo viderunt & agnouerunt; itemque hanc rationem declarandi supremam voluntatem, quæ Testamentum vocatur, ex eo ab initio profluxisse, & præcipuè à veteribus illis Patriarchis, aliisque piis hominibus, in hunc finem institutam esse, vt suis liberis, hæredibus & posteritati certum firmúmque post se relinquerent testimonium, ex quo posteri non tantùm certò commonefierent, ac discerent, quænam maiorum suorum fuisset Religio ac fides, quam illi ex verbo Dei & publicis illustribúsque patefactionibus accepissent, in qua etiam iidem piè sanctéque vixissent, & à Deo clementer ac paternè conseruati, defensi, & tandem mortui essent: verùm etiam eò magis mouerentur, & quasi obstringerentur ac obligarentur ad hoc, vt charissimorum suorum parentum piis vestigiis insisterent, eorum exempla imitarentur, & suæ commissos fidei subditos, in eadem illa Religione constanter conseruarent, si modò parem cum maioribus sui & temporariam & æternam benedictionem à Deo optimo maximo exspectarent, eáque frui ac recreari vellent? quod ex postremis verbis & testamento sanctissimi Regis Dauidis, aliorúmque Patriarcharum liquidò perspicitur, cùm filium suum Salomonem ita alloquitur: *Ego abeo per viam vniuersæ terræ: confortare, & esto vir: Et custodi custodiam Iehouæ, vt ambules in viis eius, & custodias decreta eius præcepta eius, & iudicia eius, atque testimonia eius, sicut scriptum est in lege Moseh, vt prosperè reddas, quæcunque feceris, & omnia, ad quæ te verteris, vt confirmet Iehouah verbum suum, quod locutus est mihi, dicendo; Si custodierint filij tui viam suam, ambulando coram me in veritate, in toto corde suo, & in tota anima sua, dicendo, inquam, Non*

Apologia, ex Prophetarum & Apoſtolorum doctrina, & jam dictis Symbolis, tanquam breuis quædam ſumma, pro conditione illius temporis, deſumpta eſt & excerpta, & ita ſeſe ad doctrinam Propheticam & Apoſtolicam refert, vtpote ad vnicum & omni exceptione majus fundamentum, incorruptumque, certum ac conſtantem canonem, cui ſoli inſiſtit ac innititur: ego quoque illam ipſam, poſtquàm ad agnitionem cœleſtis veritatis perveni amplexus ſum, meque ei addictum eſſe ſemper profeſſus ſum, & vna cum aliis ejuſdem confeſsionis Electoribus & Principibus, ad conſeruandam Chriſtianam piamque concordiam, in vero ac genuino intellectu, & addita ea, quam modò dixi, declaratione, confeſsioni huic ſubſcripſi, Eccleſiis meæ Ditionis docerentur, mandaui & edixi, quemadmodum etiamnum illam ipſam, & quidquid cum diuina Prophetarum & Apoſtolorum doctrina congruit: inprimis autem editum à me & publicatum Catechiſmum & Eccleſiaſticam ordinationem, in quibus omnes doctrinæ Chriſtianæ partes perſpicuè & dilucidè, aptoque ordine comprehenduntur, & quibuſdam in locis copioſiùs explicantur, amplector & approbo.

Vt autem animi mei ſententiam pleniùs vberiuſque declarem ac aperiam, & Chariſsimi Liberi noſtri, totaque poſteritas, denique omnes homines ſummatim cognoſcant, quæ ſit mea de ſingulis Articulis fides ac ſententia, & nemo poſt obitum meum, me vllius falſæ opinionis & ſectæ inſimulare poſſit, quemadmodum ea hodie eſt corrupti huius ſeculi, multorumque irrequietorum hominum conſuetudo & natura, qui ipſam quoque Auguſtanam Confeſsionem, ejuſdemque Apologiam, in longè aliam atque diuerſam ſententiam, quàm ipſa confeſsionis verba juxta præſcriptum verbi Dei, ad quod ſe illa refert, & cui tanquam fundamento innititur, admittant, in quibuſdam capitibus detorquent. Credo itaque, amplector & confiteor ex toto corde meo, articulos antiquæ noſtræ & Catholicæ fidei Chriſtianæ, qui ſic habent:

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ: Et in Ieſum Chriſtum, filium eius vnicum, Dominum noſtrum, qui conceptus eſt è Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, paſſus ſub Pontio Pilato crucifixus, mortuus, & ſepultus; deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit ex mortuis, aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus ad judicandum viuos & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum: credo ſanctam Eccleſiam Catholicam ſanctorum communionem, remiſsionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam: Amen.

Hoc eſt,

Credo & confiteor æternum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cœlum & terram cum omnibus, quæ in eis ſunt, ex nihilo creauit; eadem adhuc æterno ſuo conſilio & prouidentia ſuſtentare & gubernare, eundémque ob nullum meum meritum, nullamve dignitatem, ſed ex mera gratia, & pro diuina ſua prouidentia, propter vnigenitum & vnicè charum Filium ſuum Ieſum Chriſtum, meum quoque Deum & Patrem eſſe, in quem fiduciam meam ita

reposui, vt non dubitem, quin nihilominus deinceps, quàm hucusque fecit, prouisurus sit omnibus tum animo, tum corpori meo necessariis; & quemadmodum hactenus omnia mala, quæ ipse per Diabolum, ejusque Sponsam mundum mihi immisit, in bonum conuertit, ita quoque & nihilominus deinceps eadem beneuolentia paternoque fauore me sit complexurus, cùm & facere id possit, vt omnipotens Deus, & facere quoque id velit, vt fidus Pater.

Secundò, credo & confiteor, Jesum Christum omnipotentis Dei Filium, ab æterno à Patre genitum, æqualem & vnicum cum Patre & Spiritu sancto esse Deum, eundemque eo tempore, quod in æterno Dei consilio erat definitum, in Maria semper Virgine, per Spiritum Sanctum, conceptum esse, nostram carnem assumsisse, & in hunc mundum esse natum, atque omnia hæc ideò subiisse, vt Rex noster & summus Sacerdos, quamobrem etiam Christus nominatur, Mediator item noster & frater esset: in gratiam nos reciperet, & cœlesti suo Patri, vt fidus Jesus & Servator, reconciliaret: quomodo etiam credo, eum hanc ipsam ob causam, sub præside Pontio Pilato contumeliosissimam mortem perpessum esse, vt nos ab æterna morte, quæ nobis alioquin sine fine incubuisset, liberaret: & à maledictione, quæ per primorum parentum nostrorum Adami & Heuæ peccatum, in omnes homines hæreditaria successione pervaserat, assereret.

Credo etiam & confiteor, hoc Domini nostri Jesu Christi in cruce peractum sacrificium, adeò esse efficax, vt illius ipsius virtute, per operationem Spiritus Sancti, vetus noster homo cum ipso crucifigatur, perimatur, & sepeliatur, ne prauæ carnis cupiditates in nobis ampliùs regnent ac dominentur, sed vt nos ipsos ei in hostiam gratitudinis offeramus.

Credo etiam, sepultum, ideoque verè mortuum esse, imò etiam ad inferos descendisse, vt in grauissimis tentationibus nostris, confirmare nos possemus, Dominum nostrum Jesum Christum per ineffabiles suos angores, cruciatus & terrores, quos in ipsa etiam anima sua in cruce, & antea perpessus est, nos ab infernalibus angoribus & pœnis liberasse, ita vt jam neque infernus, neque Satan saluti nostræ quidquam incommodare possint.

Credo etiam ex animo, eum tertia die ex mortuis resurrexisse, ac certus sum; *primùm*, per suam resurrectionem ipsum deuicisse mortem, vt nos justitiæ, quam nobis acerba sua passione & morte acquisiuerat, participes facere posset: *deinde*, nos etiam nunc, ipsius virtute ac efficacia ad nouam vitam excitari: *postremò*, Christi resurrectionem certissimum nobis esse pignus, quemadmodum ipse primus ex mortuis resurrexit, ita nos quoque, supremo illo die, ad vitam æternam resurrecturos.

Ad hæc credo etiam, Christum Dominum verè & visibiliter, quòd ad glorificatam eius naturam humanam attinet, sursum in cœlum ascendisse, & ibidem ad dexteram Patris sui cœlestis consedisse, hoc est, cœlesti & diuina gloria, se, tanquam totius suæ Ecclesiæ, omnium sanctorum Angelorum & hominum caput ac defensorem declarare, atque inde etiam, visibiliter & verè, sicut sursum ascendit, nouissima die, rursus deorsum in nubes descensurum esse in gloria Patris sui, ad judicandum viuos & mortuos.

Sed nihilo seciùs etiam hoc scio, Dominum nostrum Jesum Christum, vtpote verum hominem & Deum, quamvis secundùm naturam suam huma-

nam

nam nunc non ampliùs in terris, ſed in cœlo ſit, tamen ſecundùm ſuam diuinitatem, majeſtatem, gratiam & Spiritum, nunquam à nobis diſcedere. Nec quidquam me mouet, quòd ſint qui dicant, duas in Chriſto naturas diuelli ac ſeparari, niſi natura humana vbique non minùs atque diuina ſit præſens. Nam cùm diuinitas comprehendi non queat, & omni loco præſens ſit: neceſſariò conſequitur, eſſe eam quidem extra naturam humanam, à ſe aſſumtam, ſed nihilominus tamen ei perſonaliter vnitam permanere, haud aliter atque diuina natura cœlum nunquam reliquit, etiam eo ipſo tempore, quo Chriſtus in Mariæ virginis vtero concipiebatur. Atque hæc omnia, quæcunque Chriſtus Dominus paſſus eſt & peregit, credo in noſtram ſalutem eſſe acta, ipſumque ſe nobis eo ipſo donaſſe & proprium dicaſſe. Imprimis hoc me maximè conſolatur, quòd certus ſum & planè confirmatus, carnem noſtram iam in cœlis eſſe, & inde Seruatorem noſtrum Chriſtum nobis ſuum Sanctum Spiritum, mutui pignoris loco mittere, cuius virtute quæramus ea, quæ ſunt ſurſum, vbi Chriſtus ſedet ad dextram Dei Patris, non autem ea, quæ in terris ſunt.

Tertiò credo & confiteor, Spiritum Sanctum cum Patre, & Filio, verum illum æternum, & vnicum Deum eſſe: deinde, eum nobis datum vt nos per veram fidem, Chriſti, & omnium eius beneficiorum participes faciat, noſter Paracletus ſit & in æternum permaneat.

De Catholica Chriſti Eccleſia, credo filium Dei, ſibi ex vniuerſo genere humano, cœtum ad vitam æternam electum, per Spiritum Sanctum & verbum, in vnitatem fidei ab initio mundi vſque ad finem collegiſſe, colligere adhuc, tueri ac ſeruare, & me quoque eius cœtus viuum membrum eſſe & perpetuò manſurum.

De ſanctorum communione credo & confiteor, me cum vniuerſis & ſingulis credentibus, vt pote Chriſti membris, ipſius atque omnium eius bonorum communionem habere: ideoque fateor, me omnia, quæ Deus in me contulit, dona, in commodum & ſalutem aliorum eiuſdem mecum corporis membrorum promptè & alacriter conferre debere.

Præterea credo & confiteor, Deum Patrem propter pleniſsimam Chriſti ſatisfactionem, nunquam vllorum meorum peccatorum, atque illius etiam prauitatis, cum qua mihi per omnem vitam pugnandum eſt meminiſſe, ſed contrà potiùs me iuſtitia Chriſti ex gratia donare velle, ita, vt Dei iudicium metuere nequaquam habeam neceſſe.

De carnis reſurrectione credo, & confiteor, non tantùm animam meam, cùm è corpore meo, per temporariam mortem exceſſerit, è veſtigio ad Chriſtum caput ſuum aſſumptam, verùm etiam hanc ipſam meam carnem potentia Chriſti rurſus cum anima mea vnitam, & glorioſo Chriſti corpori conformatam iri.

De vita æterna credo, & confiteor, quemadmodum nunc initia æternæ lætitiæ in corde meo perſentiſco, ita etiam futurum eſſe, vt poſt hanc vitam plena perfectáque beatitudine potiar, quam nullius oculus vidit, nullius auris audiuit, nec vllius hominis cogitatio comprehendere vnquam potuit, idque vt in illa vita Deum in omnem æternitatem laudem ac celebrem.

Hoc faxit Deus Pater, & Spiritus Sanctus vnicus, æternus, & verus Deus, Amen.

Porrò, cùm multi me, licet injuria, in hanc ſuſpicionem adducere ſint conati, quaſi de ſacroſanctis Sacramentis non ita ſentiam & credam, vt de iis ſentire & credere Chriſtianos decet: ſuperiori huic meæ Fidei confeſsioni, meam de hoc quoque capite ſimplicem illam quidem, ſed tamen Scripturæ conſentaneam Confeſsionem adjungere volui.

Quare credo & confiteor cùm ore & calamo, tum etiam corde & animo omnia tam Veteris, quàm Noui Teſtamenti Sacramenta ab ipſo Deo ordinata & inſtituta eſſe in hunc finem, vt cuncta in cruentum illud Chriſti ſacrificium, ſemel in cruce peractum, quaſi digitum intendant: quemadmodum ſine omni controuerſia, omnes Patriarchæ & pij in Vetere Teſtamento, hoc ſolo per fidem ſe ſunt conſolati, cùm agnos ſuos aliaſque pecudes offerrent, futurum nimirum, vt ſemen Mulieris, qui eſt Dominus Jeſus Chriſtus, pari modo mactetur, & pro totius mundi peccatis plenam perfectamque ſatisfactionem præſtet. Itaque ſacroſancta Sacramenta ſunt, ſicut juuentus ante multa ſecula in hanc vſque diem in Scholis edocta eſt, & adhuc docetur, ſacræ rei ſymbola & inuiſibilis gratiæ, Dei ſcilicet in Chriſto, viſibilia ſigna, ſeu ſigilla, per quæ confirmamur, & certi reddimur de iis rebus, quæ alioquin nobis in verbo Dei à Deo ipſo, & ſanctis eius Prophetis & Apoſtolis promittuntur.

Quapropter ſentio & firmiter certoque credo, hac in re Deum imbecillitatis humani generis præcipuè rationem habuiſſe, cùm ipſe, vt qui ſolus ſit καρδιογνώστης, optimè ſciret, quàm arduum ac difficilè ſit humanæ naturæ, ſoli nudoque Dei verbo, & prædicationi Euangelij fidem adhibere. Itaque ei etiam hujuſmodi nobis res ante oculos proponere placuit, quæ, quoniam quotidie eas tractamus, nobis ſunt familiariter notæ, vt per eas fidem noſtram excitaret & confirmaret, quò tantò citiùs, & faciliùs verbo prædicato credere poſſemus. Id quod ex hac, à rebus mundanis deſumta ſimilitudine facilè & perſpicuè declaratur & intelligitur: Quotieſcunque ab Imperatore aliquo, Rege, aliove aliquo magno Principe ac Domino litteras aut diploma aliquod impetramus, licet illis ipſis Princeps propria manu ſubſcripſerit, tamen ſubſcriptione hac nobis non ſatisfit, niſi Sigillum eis appendatur: quod vbi litteris huiuſmodi appenſum eſt, tum demum in iis acquieſcimus, & affirmare verè audemus, *En mihi tanti Imperatoris, Regiſve literas & ſigillum, quibus mihi hoc illúdve promittit & addicit.*

Ad vſum verò ipſum Sacramentorum quod attinet, credo & confiteor, ſacra Noui Teſtamenti Sacramenta, Baptiſmum nimirum, & Domini noſtri Jeſu Chriſti Cœnam, à Chriſto ideò inſtituta eſſe, vt Chriſtiani iis vtantur, eaque in ſummo habeant pretio & honore, minimeque contemnant, vt quæ non notæ tantùm & Symbola quædam ſint Chriſtianorum, & publicè in conſpectu Dei & hominum, profeſsiones fœderis & gratiæ Dei, verùm etiam primùm & præcipuè certa ſigilla & teſtimonia voluntatis & gratiæ Dei erga nos. Quare cùm infantes nobis naſcuntur, nequaquam, quod quidam faciunt, ad octavum, nonum, decimúmve annum adoleſcere eos ſinemus, donec mediocri aliqua præditi ſint intelligentia & judicio, & tum demum eos baptizandos curabi-

rabimus, ſed potiùs, multoque magis hoc nos ſolabitur, quod Chriſtus ad diſcipulos ſuos ait Marci 10. *Sinite puerulos venire ad me, talium enim eſt regnum cœlorum.* Si ergo regnum cœlorum eſt parvulorum, id quod extra omnem poſitum eſt controuerſiam, quid eſt, quòd dubitemus, quin etiam ipſi in fœdere illo, quod Deus cum ſancto Abrahamo, omnium fidelium patre pepigit, includantur & comprehendantur? Quamobrem nulla omnino ratione à ſacro Baptiſmo ſunt arcendi & excludendi.

De virtute & efficacia ſacri Baptiſmi credo & confiteor, liberos noſtros, quia in hoc fœdere, vt jam dictum, etiam ipſi vnà includuntur, cùm in Articulos antiquæ noſtræ & Catholicæ Chriſtianæ fidei baptizantur, ſicut in iis ipſis educari & inſtitui debent, etiam cruentæ mortis Domini noſtri Jeſu Chriſti, omniumque eius bonorum, quæ ille morte ſua acquiſiuit, vnà participes fieri, idque hoc modo, quòd quemadmodum externum ſigillum, ſacroſanctum Sacramentum, nempe elementarem aquam, à miniſtro verbi diuini, extrinſecus in corpore recipiunt, ita quoque ſimul à Chriſto ipſo, effuſo illius ſanguine, in animabus ſuis, hoc eſt, internè baptizantur, & per Spiritum Sanctum deintegro, ſeu in nouas creaturas regenerantur. Quemadmodum enim Elementaris aqua, ſacrum ſcilicet in Baptiſmo Symbolum, non eſt ipſe Chriſti ſanguis, neque ipſe Spiritus Sanctus; ita quoque, & nihilo magis Spiritus Sanctus aut ſanguis Chriſti eſt in Sacramento, elementari videlicet aqua. Ac quanquam Elementaris illa aqua, ſua virtute & efficacia, nihil præſtare poteſt ampliùs, quàm vt externè corpus mundet & abluat; ad animam verò ipſam non pertingit; tamen certum eſt, animam ſanguine Chriſti, intrinſecus ad vitam æternam purgari; & quemadmodum Eccleſiæ miniſter illud, ita Chriſtus hoc præſtat & peragit, vt teſtatur Ioannes Baptiſta, Matth. 3. *Ego baptizo aqua ad reſipiſcentiam; is verò, qui ponè me venit, validior me eſt, cuius non ſum dignus, qui ſoleas portem: ipſe vos baptizabit Spiritu Sancto & igni.* Pari ratione ex dicto Pauli 1. Cor. 10. demonſtrari poteſt, eodem prorſus modo Iſraelitas nube & mari babtizatos eſſe, quo modo etiam Manna ſunt paſti & aliti, & aqua, quæ ex Petra profluebat, ipſis in potum data eſt.

Sic, quòd ad ſacroſanctam Domini noſtri Ieſu Chriſti Cœnam attinet, vltrò & lubenter, vnà cum omnibus Chriſtianis credo & confiteor, Chriſtum Cœnam hanc primùm inſtituiſſe, & cùm diſcipulis ſuis celebraſſe, ideoque eam minimè à Chriſtianis contemnendam, ſed potiùs in ſummo pretio & honore habendam eſſe. Nam hanc diſtributionem & fruitionem panis & vini, in hunc finem Chriſtus inſtituit, vt in hac actione, ſui recordatio, mortiſque eius annuntiatio fiat, donec veniat, hoc eſt, vt in hac actione, principiò Chriſtiani commonefiant & certi reddantur, ac deinde hac ipſa quoque actione in conſpectu Dei & hominum, hoc ſummum beneficium agnoſcant & prædicent, quòd corpus Chriſti pro ipſis in mortem traditum, & ſanguis illius pro ipſis effuſus ſit in remiſsionem peccatorum, & quòd hæc ipſa, ſiquidem vera fide ea amplectantur, verè eis fiant ſpiritalis cibus & potus vitæ æternæ, haud aliter atque viſibilis panis & vinum ſunt cibus & potus temporariæ huius vitæ; quandoquidem Chriſto, tanquam membra capiti ſuo, & palmites viti ſuæ, per Spiritum ipſius incorporantur, atque ita propter eum & per eundem,

remiſsionem peccatorum, iuſtitiam, & vitam æternam conſequuntur.

Credo etiam, nos hodie nullam aliam habere Cœnam, quàm eam ipſam, quam Chriſtus in poſtrema ſua Cœna ipſe inſtituit, & cum diſcipulis ſuis celebrauit, multoque minus vllam aliam neque habere neque celebrare debere, niſi contumaciter & petulanter contra mandatum & inſtitutionem Chriſti velimus ágere.

Iam verò negari nullo modo poteſt, & neceſſe habent id fateri omnes, quotquot de induſtria & pertinaciter contendere nolunt, Chriſtum diſcipulis ſuis nequaquam naturale & eſſentiale corpus ſuum, quatenus id menſæ aſsidebat, & nondum erat crucifixum, ore corporeo edendum, & multò minus ſanguinem ſuum, quatenus adhuc in eius corpore continebatur, & nondum erat effuſus, bibendum dediſſe, aut ita edi bibique mandaſſe: (Quemadmodum hodie horribilem in Eccleſia Chriſti diſtractionem hinc excitari videmus, quòd quidam corpus & ſanguinem Chriſti in Cœna naturaliter, eſſentialiter ore corporeo edere ac bibere velint; & quicunque hoc credere & confiteri recuſant, idque ſalua & integra conſcientia credere nequeunt, ij vt Sacramentarij, ſacrilegi & blaſphemi proclamantur, & conuiciis proſcinduntur) ſed multò potiùs corpus ſuum, quatenus poſtridie cruci affigendum, & ſanguinem ſuum, quatenus poſtridie primùm effundendus erat, edi & bibi iuſsiſſe, id quod Chriſti verba ſatis ſuperque declarant: Neque verò quidquam dubito, quin iam antè diſcipuli in vrbe Capernaum, abundè edocti fuerint, quænam edendi Corporis Chriſti, & bibendi eius Sanguinis ratio eſſet, ita vt ne minima quidem vllius dubitationis cauſa ipſis eſſet relicta, ſicut & Petrus ibidem præclaram edens confeſsionem inquit, *Domine, ad quem abibimus? verba vitæ æternæ habes; & nos credimus & cognouimus te eſſe Chriſtum illum Filium Dei viuentis.*

Ex qua Petri confeſsione, quam non ſuo tantùm, verùm etiam omnium reliquorum Apoſtolorum nomine edidit, liquidò perſpicitur, ipſum ex illa in vrbe Capernaum habita concione, tantùm didiciſſe & percepiſſe, vt nullam neque ipſe, neque cæteri vndecim Apoſtoli, cauſam habuerint interrogandi, quidnam ſibi Chriſtus hac ſua inſtitutione voluerit.

Quare credo & confiteor, in ſacra Chriſti Domini noſtri Cœna, quotieſcunque illa ſecundùm ipſius inſtitutionem celebratur, credentibus (quibus ſolis Cœna hæc eſt inſtituta) non minùs, quàm diſcipulis in prima Cœna, verum, traditúmque & crucifixum Chriſti corpus vnà cum omnibus eius cœleſtibus theſauris & donis, quæ ſua morte ſuis acquiſiuit, vt ſit famelicæ ipſorum animæ cibus, & ſuum ſanguinem, quem in remiſsionem peccatorum effudit, vt ſit potus, à Chriſto ipſo porrigi & diſtribui.

Ac quemadmodum tunc diſtantia temporis, quòd ſcilicet corpus ſuum nondum tradiderat crucifigendum, neque ſanguinem ſuum effuderat, nihil impediuit, quominus diſcipuli, iuxta Chriſti mandatum, verum illius, naturale, humanum corpus, quod ex Maria ſemper Virgine natum, & pro illis tradendum, non traditum erat, & verum eius ſanguinem, qui pro illis effundendus, non effuſus erat, æquè atque ſi iam pro illis corpus traditum & ſanguis effuſus eſſet, ederent ac biberent: ita quoque me & omnes credentes nihil

impe-

impedit distantia loci, quò minùs vnà cum Apostolis iuxta Domini institutionem, corpus illud Christi edamus, & sanguinem eius bibamus, etiamsi Christus illo ipso naturali suo corpore, nunc non sit ampliùs in terris, sed in cœlo ad dextram Patris sui cœlestis sedeat, *vnde venturus est ad judicandum viuos & mortuos*, id quod articuli fidei nostræ Christianæ docent & demonstrant.

Nihil hîc opus est quæstione hac, An Christus illo ipso suo naturali corpore, corporaliter in terris, non minùs apud nos in nostra Cœna, quàm in prima Cœna apud discipulos suos fuit, præsens esse possit; sed sufficit, scire nos ex ejus verbo, ipsum suo illo corpore, neque visibili, neque inuisibili; neque comprehensibili, neque incomprehensibili modo, in terris esse velle, & tamen nihilo minùs, tanquam omnipotens Dei Filius & semper & vbique sua gratia & Spiritu Sancto præstò est suis, imprimis autem in sacra sua Cœna, vbi ipse & cibi præbitor & cibus ipse est.

Et sicut Ecclesiæ minister sacrosancta Sacramenta, sigilla & signa, sacrum scilicet panem & poculum Domini distribuit: ita Christus se ipsum suis credentibus in cibum & potum non temporariæ huius vitæ, sicut alioqui sacra illa Symbola vinum & panis, sunt verus cibus & potus hominum: Sed multò potiùs famelicæ & sitienti, hoc est, agnitione peccatorum suorum, & sensu iræ Dei, consternatæ & perculsæ ipsorum animæ in cibum potumque æternæ & beatæ vitæ distribuit.

Ac si fortè quæstio hæc incidat, *Qui potest*, quæso, *Christus nos illo ipso suo corpore cibare & pascere, cùm ipse corpore suo sit suprà in Cœlis, nos autem hîc in terris*: Respondeo cum S. Ambrosio: *Quamvis pedibus nostris hic in terris simus: capite tamen suprà in cœlis sumus*: & cum S. Paulo, *Per vnum Spiritum in vnum corpus baptizati sumus, & omnes in vnum spiritum sumus potati.*

In hac mea Confessione refero me ad sacram ac diuinam Veteris & Noui Testamenti Scripturam, & in conspectu Dei, cui nemo mentiri potest, hoc ipso liberè & rotundè profiteor, in hac me esse citra vllam dubitationem sententia, si de sacrosanctis Sacramentis aliter, atque dixi, crederem & sentirem, fore; vt quantum in me esset, Articulos antiquæ nostræ & veræ Christianæ fidei euerterem, atque ita coram tribunali Christi in nouissimo illo die consistere non possem. Cùm enim in articulis indubitatæ fidei nostræ Christianæ confiteamur, vnicam tantùm esse æternam, omnipotentem, incomprehensibilem Diuinitatem in Tribus Personis, quæ omnes res alias creauerit, gubernet, & conservet; efficitur necessariò, non, vt quidam asserunt, humanam naturam Filij Dei, Domini nostri Jesu Christi, sed hominem Christum, juxta diuinam suam naturam, omnipotentem, vbique præsentem & efficacem esse.

Ad hæc si æternus ac vnigenitus Dei Filius per operationem Spiritus sancti, ex Virgine assumsit, & in omnem æternitatem retinet in fundamentum & solatium nostræ salutis, veram, nostræque animæ & corpori, in omnibus naturæ proprietatibus similem naturam humanam; sequitur hinc profectò, ipsum & post & ante suam resurrectionem, in cœlos Ascensionem, & Glorificationem, ad dextram sui Patris secundùm illam ipsam suam humanam naturam, esse visibilem, comprehensibilem, & vno tempore, vno in loco, vbi-

cunque ei viſum eſt, præſentem, quemadmodum ipſe de ſe teſtatur Lucæ 24.
Si item hic Jeſus Chriſtus ſolus eſt vnicus noſter Servator, Mediator, ſummus Sacerdos, Rex & Propheta, Dominus & caput ſuæ Eccleſiæ, certè Eccleſiæ miniſtri ſuis manibus, neque Spiritu & ſanguine Chriſti, ſed externa tantùm aqua nos baptizare: neque etiam corpore & ſanguine Chriſti, ſed viſibili tantùm pane & vino nos cibare & potare poſſunt: ſui verò Spiritus, corporis, & ſanguinis ipſe nos Chriſtus in remiſsionem peccatorum & vitam æternam participes facit.

Si verè Chriſtus pro nobis paſſus, verè crucifixus, & mortuus eſt: profectò tempore paſſionis ſuæ, humana eius natura non fuit Diuinitati eius omnipotentia, & gloria par & æqualis, nec in omnibus cœli & terræ locis, & abſque infirmitate, paſſione, & morte.

Si mortuum eius corpus verè repoſitum fuit in ſepulchrum, certè non iam antè in eo, nec poſt ſepulturam, extra illud, vbique viuum fuit.

Si Chriſtus verè, noſtro bono, deſcendit ad inferos: profectò illo ipſo tempore nondum ad dexteram Patris ſui in felicitate & maieſtate cœleſti conſederat.

Si verò ex ſepulchro reſurrexit: ſequitur extra omnem controuerſiam, nec animam eius iam antè in corpore, nec corpus iam antè extra ſepulchrum fuiſſe, nec poſtea in eodem manſiſſe.

Si verè ſurſum aſcendit in cœlos, ibidemque ſedet, vt verus homo, ad dexteram Patris ſui, concluditur nimirum hinc certò, ipſum ſecundùm humanitatem, non iam antè illic fuiſſe, neque poſt aſcenſionem in cœlos, infrà inuiſibilem manſiſſe, aut vbique præſentem & incomprehenſibilem factum eſſe, ſed viſibilem ſe & comprehenſibilem in cœleſti domicilio exhibere in oculis ſanctorum ſuorum Angelorum & hominum; imò non poſſe etiam nunc ſine manifeſta & horrenda idololatria, in pane Cœnæ, aut in vllo alio loco, quàm ſuprà in cœlis, à nobis per preces & inuocationem noſtram quæri, & tanquam corporaliter præſentem adorari & honorari.

Si verè deorſum ex cœlo in nubes venturus eſt, quemadmodum verè ſurſum aſcendit: certè non eſt iam antè hîc inuiſibiliter infrà, neque etiam vbique ſeu viſibiliter ſeu inuiſibiliter, ſed vno in loco: in nubibus, ſua humanitate erit, & ſe iudicem viuorum & mortuorum declarabit.

Si Spiritum ſuum Sanctum in corda electorum ſuorum mittit, vt ſibi Catholicam Eccleſiam ex toto genere humano ab initio mundi vſque ad eius finem colligat, eamque vnius eiuſdémque communionis capitis ſui Chriſti, & omnium ſuorum cœleſtium bonorum faciat participem, certè non fit huiuſmodi Sanctorum communio per viſibilem aliquem aut inuiſibilem corporis Chriſti in noſtra corpora ingreſſum, ſed per inhabitationem & operationem Spiritus Chriſti in ipſo & in nobis: nos quoque, qui ad Cœnam Domini accedimus, nullam aliam communionem & inhabitationem Chriſti in nobis habere poterimus, quàm eam ipſam, quam omnes credentes, qui inde vſq; ab initio mundi ſunt ſalui facti, habuerunt, aut qui ad Cœnā peruenire non poſſunt, hodie habent, & in æternum retinent: immò etiam Chriſtus non aliter ſe in ſua Cœna nobis communicabit & fruendum dabit, quàm quatenus & quomodo,

modo, se etiam post vsum Cœnæ, non in hac tantum vita, verùm in futura quoque, in omni æternitate in nobis manere & inhabitare. Certum enim est & indubitatum, ipsum nobis se fruendum dare, nequaquam, vt quamprimum à nobis rursum discedat, id quod, non sine summa filij Dei contumelia, in Papatu confictum fuit, sed vt in æternum in nobis & nobiscum maneat.

Si remissionem omnium peccatorum nostrorum nobis meritus est & impetrauit per solam eámque acerbissimam passionem & mortem crucis, modò nos hanc vera fide amplectentes tanquam satisfactionem pro peccatis nostris, nobis applicemus; necesse est, ipsum habuisse non Deificatum aliquod, & vbique præsens, sed verum, humanum, visibile, palpabile, & tunc temporis mortale corpus, *nostrísque corporibus per omnia, excepto peccato, simile*; alioqui per ipsum à peccatis nostris liberati non essemus, Hebr. 2. Si hæc nostra caro ex morte resurrectura, & vitæ æternæ per Christum particeps futura est; certè oportet, vt caput nostrum Iesus Christus veram suam humanitatem non in diuinam, spiritualem, inuisibilem, vbique præsentem naturam conuerterit, sed similem atque adeò eandem nobiscum humanam naturam in æternum retineat, quò nos perpetuò eius fratres, eius membra, ei, non secus ac palmites viti, insiti, eius caro & eius ossa esse & permanere possimus.

Denique si communio Christi, omniúmque eius bonorum & beneficiorum, iustitiæ & vitæ æternæ, nobis non nisi per mortem Christi in cruce est acquisita, nec aliter nobis ea contingit, quàm per veram fidem à Spiritu Sancto in cordibus nostris accensam, certum est & indubiè verum, neque Sacramentorum vsum, neque vllum aliud seu internum seu externum opus, posse ex opere operato, Christi ipsius, & eius beneficiorum nos reddere participes: sed Sacramenta esse diuina & veracia signa ac sigilla, atque ita externa quædam Spiritus Sancti instrumenta, quibus fidem nostram stabilit & confirmat, & ad vnicum Christi in cruce pro nobis peractum sacrificium deducit.

Nulla etiam alia communio Christi nobis contingere potest, cum verbo visibili seu promissioni Sacramentorum fidem adhibemus, quàm ea fit, cùm prædicato & audito Euangelij verbo credimus; Ideoque licet visibilibus signis etiam impij & increduli, ad suam condemnationem abuti possint oportet tamen, vt inuisibilia & fidei nostræ per visibiles illas res oblata & repræsentata cœlestia dona & beneficia, solis credentibus propria sint & maneant.

Atque in hac veræ fidei Christianæ Confessione, & nunc, & quouis tempore, animam meam, quandocunque illa ex hoc copore emigrabit, commendo sanctæ & indiuiduæ Trinitati, Deo Patri, eius Creatori; Deo filio, Liberatori, Mediatori & vnico Seruatori meo Iesu Christo; & Deo Spiritui Sancto, vero Consolatori meo, & ardentissimo desiderio cordis mei, summa cum religione ac demissione precor, vt vnicus meus Liberator & Seruator, benigna ac clementi, saluificáque manu sua me protegere, fidem meam adaugere, mihique integris adhuc sensibus pium, salutarem, & rationis compotem exitum ex hac vita largiri, & vbi primùm ex hoc terrestri corpore,

& ærumnosa hac & luctuosa miseriarum valle discessero, me in æternam quietem, lætitiam, felicitatem, & Patris sui regnum, quod is mihi & omnibus credentibus, per acerbissimam suam mortem, & pretiosi sanguinis sui effusionem acquisiuit, præparauit, & promisit, in sanctorum suorum & omnium credentium cœtum & congregationem, tutò transferre & suscipere velit.

Ac quemadmodum ego in Christiana hac mea confessione certò scio me seruatum iri, & hilari vultu ante tribunal Christi compariturum; ita etiam hoc ipso moneo, hortor, & rogo amanter, vt pium & fidum decet parentem, charissimos meos liberos, hæredes & successores, & à meæ diuinitùs commissis fidei subditis, mihíque deuinctis & obstrictis Conciliariis, Præfectis, & imprimis ab Academia mea, Scholarúmque & Ecclesiarum Ministris, cuiuscunque sint status & conditionis, & eorundem posteris, hoc ipso clementer peto, atque adeò hoc Charissimis meis liberis, hæredibúsque, & aliis iam dictis mando, constituo & injungo, vigore, & auctoritate immutabilis mandati diuini, in quo Deus de Abrahamo inquit: *Noui, quòd præcipiet filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Iehouæ, faciántque iustitiam & iudicium, vt venire faciat Iehouah super Abraham, quod loquutus est super eum.*

Denique summo studio ac zelo postulo, vt non ipsi tantùm priuatim in hac, quæ sola saluos nos facit, agnita & confessa sancti Euangelij veritate, & dicta Fidei Confessione, per quam nostra ætate, horrendæ illæ Papatus tenebræ, ex Dei ineffabili gratia & misericordia discussæ sunt & fugatæ, constanter ad vltimum vsque vitæ suæ terminum perseuerent; eandémque in conspectu Dei & totius mundi intrepidè & fortiter confiteantur, nec vnquam ab ea desciscant, atque ita, id quod ex toto pectore opto & precor, æternæ felicitatis mecum participes fiant; verùm etiam, vt imprimis ante omnia, quemadmodum piis & Christianis Principibus & Magistratibus conuenit, quibus defensio & propagatio agnitæ veritatis diuinæ, à Deo optimo maximo, tanquam summum & præcipuum ipsorum officium, seriò demandata est & imposita, in id singulari cura, studio, opera, fide ac diligentia incumbant, vt sacrosanctum & saluificum Euangelium, & vnica, irrefutabilis, incorruptibilis, & perpetuò durans Dei veritas, iuxta Propheticam & Apostolicam Scripturam, apud omnes ipsorum subditos, & ipsis addictos, purè, sincerè, incorruptè doceatur atque prædicetur, & per Dei benedictionem continua successione ad posteros propagetur, transmittatur, iísque quasi hæreditario iure tradatur; vt & ipsi amplissimæ illius promissionis Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi reddantur participes. *Quærite primò regnum Dei, & omnia adiicientur vobis*: vtque mandati & consolationis diuinæ optimo & fortissimo illi Iosuæ datæ memores sint, cùm Deus inquit; *Conforta te; & robora te valde, vt custodias & facias secundùm omnem legem, quam præcipit tibi Moseh seruus meus; Ne declines ab eo ad dextram, aut ad sinistram, vt prosperè agas in omnibus, ad quæ perrexeris: Non recedat liber legis iste ab ore tuo, sed mediteris in eo, die ac nocte, vt custodias & facias secundùm omne quod scriptum est in eo.*

Secundò, inter omnes constat semper ita vsu venisse; vt, quotiescunque verbum Dei aliquo in loco, & eius Sacramenta purè, sincerè, integrè, & absque

absque vlla obscuratione ac corruptela publicè docerentur, administrarentur, & proponerentur, & Deus sibi per saluificum suum verbum Ecclesiam colligeret; quamprimùm hostis ille nominis Christiani, dirus & detestandus Satan, partim sua admiscendo zizania, partim summa vi vehementissimè se ei opponeret, idque oppugnaret; & summo conatu ac molimine in eo elaboraret, vt accensam hanc cœlestem lucem, non externa tantùm violentia, verùm etiam excitandis omnis generis, & scandali plenis dissensionibus, rixis, & falsis, mendacibúsque opinionibus exstingueret, opprimeret, ac euerteret, quorum vtrumque in mea gubernatione mihi non sine periculo accidisse, omnibus publicè constat, præcipuè verò, exortos esse quosdam inquietos homines, qui ex mera ambitione & concepto odio, licet meliùs essent edocti, aliterque sentirent (de quo ex suis ipsorum libris in lucem editis conuinci possunt) Christianam meam inque Dei verbo fundatam & publicè typis editam Ecclesiasticam Ordinationem & Christianæ Religionis Catechesin, tanquam falsum aliquod dogma continentem, calumniari, traducere, cauillari, & apud multos rudes ac simplices suspectam reddere, summis viribus conati sunt; quæ tamen omnia, per gratiam & auxilium omnipotentis Dei, quia me ab illa nunquam fallente verbi diuini Regula, neque abduci, neque vlla externa vi ac potentia absterreri sum passus; sed in meæ vocationis munere fideliter, sinceréque & strenuè ac constanter perrexi, tandem mirabili prorsus modo, & cum summo, eoque manifesto, temporario & æterno emolumento, benedictione, & felicitate meorum subditorum, qui debita obedientia agnitam veritatem amplexi sunt, sustinui ac superaui, & illis ipsis, qui, vt iam dixi, Christianæ meæ Catechesi, & Ecclesiasticæ Ordinationi sese opposuerant, ex verbo Dei, os obturaui: vnde etiam factum est, vt plurimorum oculis mentibúsque apertis, ad agnitionem sinceræ puræque doctrinæ, verúmque intellectum Christianæ nostræ Religionis sint adducti. Hoc ergò, cùm ita sit, rogo, moneo, hortor Charissimos meos filios, itémque Consiliarios, Præfectos, Ministros, subditos, & præcipuè ac ante omnes Academiam meam, & Ecclesiam Heidelbergensem, cùm Diaboli & eius organorum fraudes & insidiæ, ideoque omnium piorum pericula quotidie magis magisque augeantur, vt ipsi quoque considerata & expensa periculorum magnitudine, tantò maiore fide, cura & diligentia hoc prouideant curéntque, & hanc rem, modò grauissimam Dei iram & offensionem, æternásque & temporarias pœnas effugere, & suam ipsorum, totiúsque posteritatis æternam salutem promouere cupiant, summo studio commendatam sibi habeant, ne se in agnita & confessa veritate per eas, quæ hodie in Orbem Christianum inuectæ sunt, varias & scandali plenas rixas, & contentiones, humanam auctoritatem, potentiam, & vanas mundi comminationes turbari, nec ab ea absterreri sinant, sed tantò magis vigilent, & attendant, & in id sedulò incumbant, vt veritas diuina iis in locis nostrarum Ditionum, vbi iam antè publicè ea tradita est & recepta, constanter conseruetur & propagetur; vbi verò propter obiecta à Satana impedimenta, aliásque difficulates & remoras, nondum illa plenè est cognita, nec satis altas egit radices, ibidem etiam, per legitima piáque ac Christiana media, ad æternam ac tempo-

ſtariam meorum]ſubditorum, aliorúmque felicitatem introducatur, proponatur,& vnà propagetur.

Tertiò, ac præcipuè moneo & hortor Chariſsimos filios meos, vt ſibi quàm diligentiſsimè à turbulentis tam Eccleſiarum, quàm Scholarum Miniſtris caueant, qui nunc in Religionis & Fidei negotiis, omnis generis contentiones, logomachias, & exitiales condemnationes in pias Eccleſias & Scholas, quæ tamen in fundamento & præcipuis Chriſtianæ Religionis capitibus conſentiunt, & ſalutem ſuam vnà nobiſcum in vnicum noſtrum Seruatorem Ieſum Chriſtum collocant, ex mera ambitione & peruerſo zelo, ac prætextu Miniſterij ſui, per quod Spiritum Sanctum mundum arguere videri volunt, idque indicta cauſa, nec ſine ſcandalo introducere, & non minùs, atque in exſecrando Papatu factitatum eſt, tam in Magiſtratuum, quàm in ſubditorum conſcientias dominari, & ſibi nouum quendam Primatum paſsim erigere ac conſtituere conantur. Ex qua re ſanè non tantùm in Politica, & in Eccleſiaſtica gubernatione diſtractiones & exulcerationes animorum & vtriuſque illius gubernationis perturbatio & interitus ſequitur, verumetiam Papæ & eius ſatellitio præbetur occaſio veram noſtram Chriſtianámque religionem ferro, flamma, exſiliis, aliiſque innumeris ſuppliciis perſequendi ſuámque tyrannidem hoc modo ſtabiliendi. Quæ res, quantas & quàm miſerandas pepererit diſtractiones, miſerias, & calamitates, etiam noſtra hac ætate, nimis, prôh dolor! multa in Electorum aliorúmque Germaniæ Principum prouinciis, nec non apud exteras & vicinas Gentes exſtant exempla, ex quibus meritò omnes Chriſtiani Principes, Eccleſiæ & Scholæ, exemplum, ſibi quod ex vſu ſit, capere, ideoque ſummopere à turbulentis illis hominibus, & pacis ac tranquillitatis publicæ inimicis ſibi cauere, nec permittere, vt ab illis occupentur, vel inter ſeſe, vel contra alios exacerbentur, aut à ſe inuicem diuellantur ac diſtrahantur: ſed multò potiùs, eiuſmodi homines vitare & fugere; &, ſi nulla emendationis in illis ſpes appareat, prorſus à ſe remouere, nec ſe horrendæ illius & exſecrandæ perſecutionis, & indignæ innocentum hominum cædis, quæ in Imperio Germanico, & apud alias exteras Nationes ex his minimè Chriſtianis condemnationibus conſecutæ ſunt, ſocios & participes facere debeant, ſicuti hac de re inter me alioſque Electores, & Principes, non ſemel ex iam dictis, aliiſque pluribus piis & grauibus cauſis conuenit: ſic tamen, vt hac ratione nihil piis Eccleſiarum Miniſtris, quòd attinet ad debitam eorum, quæ quotidie offeruntur, vitiorum reprehenſionem & correctionem, & errorum, Chriſtiana adhibita moderatione & æquitate, ex verbo Dei deſumptam refutationem, quæ non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem & emendationem dirigenda & inſtituenda eſt, derogaretur.

Finis Confeßionis Palatini.

CONFESSIO FIDEI AC RELIGIONIS, BARONVM AC NOBILIVM REGNI BOHEMIÆ,

Sereniſſimo ac Inuictiſſimo Romanorum, Bohemiæ, &c. Regi, Viennæ Auſtriæ, ſub Anno Domini M.DXXXV. oblata.

ADIECTVM SIMVL QVORVNDAM Grauiſſimorum Virorum de hac Confeſſione judicium.

Ex Editione, Anno M.DLVIII.

Actorum 24.

Confiteor autem hoc tibi quod juxta viam quam vocant Hæreſim, ſic colo patrium Deum, credens omnibus quæ in Lege & Prophetis ſcripta ſunt.

PRAEFATIO MINISTRORVM, ECCLESIÆ PICARDORVM, VT VOCANT, IN BOHOEMIA ET Morauia, in Confeßionem suæ Fidei.

SIQVIDEM *cùm multa & falsa & impia de nobis ac fratribus quoque in regno Bohœmiæ & Marchionatu Morauiæ aduersarij vulgò dißiparunt, coacti sumus & nos, vt Ecclesiæ bono & gloriæ consuleremus, istorum calumnias & mendacia refellere, præsertim cum huiusmodi de nobis sparsa, adeò quorundam improbitate inualuerunt, vt non finitimas modò regiones, sed longè dißitas etiam peruaserint. Vbi nos in hac causa nihil commeriti, atrocium tamen & grauißimarum rerum insimulamur, ac peßima nobis paßim nota infamiæ inuritur. Dum non à paucis, nil nisi quædam omnium scelerum ac malorum lerna & colluuies habemur, homines impij, malefici, profani, impostores, perfidi, sectarij, ac hæretici, neque vllum tam fœdum aut graue facinus esse, quod nobis indignum arbitrentur: & quòd nusquam esse, nisi apud nos tantum veram & Catholicam Ecclesiam, asseueremus: omnésque alios, qui Ecclesiis nostris non adcensentur, vt à Deo reiectos, saluos fieri non posse, vno ore audeamus pronuntiare. De Diuis, ac præsertim de beatissima Virgine matre Domini, impiè ac peruersè sentiamus. Ieiunia, Ceremonias, cæterósque ritus omnes Ecclesiasticos, velut ludicra quædam & vana existimemus.*

Commenti sunt & hoc maleuoli, qui nullum criminandi finem faciunt, quòd nostrates omnes, Sacramenta ipsa, vt à Christo instituta, ita præcepta, nihili faciant, nec eis vti velint, sed ea indignis modis aspernentur, ac eleuent. Vt in Sacramento sacræ synaxeos, seu Cœnæ Domini, præsentiam veri corporis ac sanguinis Christi, non adesse haud dubiè credant, plurima denique & grauia, & innominanda flagitia designent. Sed & hanc adiecerunt Catastrophen Aduersarij (nec enim omnia quæ oblatrant, veriùs quàm loquuntur, persequi libet) vt summa sit omnium laudum coronidis, nos & eos ferè Filio Dei nihil tribuere, verùm iam damnatis hæresibus ac impia doctrina, omnia & maximè simpliciorum animos labefactare & corrumpere.

Hæc pauca de multis recensuimus, quæ ab Aduersariis eo conficta, & in vulgus sparsa sunt, quo à nobis omnium animos abalienarent, omnibus nos partibus vociferantes, indignos nimis esse, qui hoc communi spiritu & luce fruamur.

Vt vel

Vt vel sic tandem mundus ipse in nos, velut in piacula quædam & catharmata concitatus, animaduerteret. Verùm ad horum maledicta & sycophantias, sæpius iampridem, à maioribus nostris responsum est, vt nemini obscurum sit, quam illi doctrinam & professi sint & tenuerint. Nam ne fortè deserta causa, aduersarij de ipsis triumphum agerent, quominus eorum calumnias, criminationes, & hæc impudentissima mendacia refellerent, non commiserunt, quam rem adhùc hodie ipsorum libri, regibus, principibus, ac variis heroibus missi, testatissimam faciunt, vt omnibus iam olim conspicuum sit, nos tantùm Euangelij nomine, ac propugnandæ veritatis, hæc perpeti & sustinere, & ea ab osoribus Christi salutariúmque rerum omnium inuenta esse, quæ de nobis maleferiati homines vanissimè nugantur & garriunt. Sed nos bene sperare iubet, nihil tam sanctè, aut subducta ratione fieri posse, quod sycophantæ morsum vitare queat, cùm etiam hoc ingenio nusquam non sint homines, si tamen hoc nomine eos dici fas est, qui sese totos ad optima quæque conuellenda ac deturpanda compararunt.

Quo autem iure impietatis accusemur, pro suo candore boni iudicent; Patres nostri prouocabant ad Synodum nostrorum, quæ vero ritu & legitimè coacta, verbo Dei, & non humanis opinionibus, Ecclesiæ controuersias & religionis conciliaret; summopere expetentes, vt sibi suorum explicandorum dogmatum copia fieret. Vbi si quid dissentaneum Scripturis reperiretur, per omnia ex animo & amanter ipsius Concilij censuræ & ordinationi subjacere volebant & obsequi. Nec illi vlla in re se reclamaturos promittebant: quin continuò, missis erroribus, ostensam veritatem amplecterentur. Sed quamvis id impensè rogarunt, non obtinuerunt tamen: quinetiam Aduersarij, non modò in hac causa nostra, licèt grauissima, non sunt æquiores facti, verùm nos subinde aliis malis cumularunt, dum nos suo ore, maledicentia & probris, ipsi vulgo inuisos reddiderunt. Id verò imprimis Sacerdotes quosdam, inuidia actos in fratres, fecisse constat: quibus tamen omnino incomperta fuit sententia Fratrum, nec enim vnquam inter eos fuêre, nec vlla dogmata, aut de religione quidquam cum eis per Scripturas contulerunt. Imò ne eos quidem sæpius rogati audire dignati sunt, tantùm abest, vt vltrò eos ad se inuitarint, aut conuenerint aliquando ad liberè & fraternè colloquendum, tractandúmve super rebus & negotio religionis: Sed in credendo faciles, nullius rei ad nostratium dogmata spectantis facti certiores, qui de nobis omne genus mendaciorum portenta comminiscebantur, continuò aures præbuerunt, ac eis vt in nos quicquid possint struant, fidem suam obstrinxere. Insuper & hoc tentare ausi, quò sinam magis traducerent inuidiam, & in amantes veritatis ac Euangelij odium: nempe vulgo persuadere, libros, seu tractatus Fratrũ, impios, & errorum plenos esse, quique ne vendi aut emi possent, vtrisque dira minantes, diligenter cauerunt, dum eorum lectione popularibus suis interdixerunt, vt sic verus ac germanus Scripturæ sensus, quem semper & cupierunt, & Dei bonitate amplexi sunt fratres, in lucem prodire nequiuerit.

Et cùm Aduersariis nihil pateret, vnde hanc Fratrum doctrinam damnare possent, tantùm hunc in modum ignaræ & credulæ plebi subinde dictitabant: Attendite, ne alloquamini illos, néve illorum libros legite, blandè enim & suauiter loquuntur & scribunt, at vulpem & virus in pecto-

re gestanti. Ne adhibete illis fidem, quia mendaces sunt, & Dæmon sua per illos agit & loquitur. Declinate igitur eorum colloquia, quamlibet etiam cæteris doctrina & fide, aut factis præstare videantur: subsunt enim insidiæ ad perdendum vos, etiam cùm de optimis rebus eos piè ac sanctè differere putatis. *Atque sic huiusmodi præstigiis & artibus, vt à nobis populum auerterent, aut ne ab ipsis deficeret, magna in nos inuidia madentes, hæc pro rostris deblaterare soliti sunt.* Quorum semel (*inquit vnus*) vt sit omnium instar, minimominus adfuit, quin illorum erroribus seducerer & irretirer, vulnus enim grauissimum mihi inflixerunt suâ blandiloquentiâ, adeo vt nequirem postea intra aliquot annos ad me redire, & ab istis, quos jam mihi persuaseram erroribus, excuti. Quod cùm mihi contigerit, pestilentissimum illud virus ex eorum colloquiis hausisse, idémque virus elui ac euomi intra tot annos non potuisse. Quid quæso vobis non tenentibus scripturas fieret? Quamobrem consilio huic meo acquiescite quæso, ac ejusmodi nocentissimos homines cauete, hæreticos, pietatis hostes, Dei contemptores, ad omnia perdendum destinatos, nec sit vobis cum eis quid consortij, nec in vrbes vestras, aut rempublicam admittite, ne quando teterrima peste illorum dogmatum afflati, ita demum vobis pereundum sit. *Et hoc pacto suis istis plusquam vanissimis nugis, vanum incutientes hominibus terrorem, eos à nobis audiendis auocabant. Præterea cùm initio in Religione Bohemorum, qui sub vtraque specie communicant, quidam & nati & educati essemus & institueremur, in eorum concionibus sæpe ac identidem audire soliti sumus, quonam pacto Christiana Ecclesia per dogmata ac traditiones humanas ex diametro pugnantes legi diuinæ, à veritate & Euangelio retracta sit. Item, si vellemus æternæ vitæ consortes fieri, per omnia nos parere, agi ac gubernari Verbo Dei oportere, & quicquid huic pugnans aut contrarium esset, id non ex Deo, sed errorem tantùm, impostur ámque constanter esse pronunciabant. Nec nòn & hoc commemorare soliti sunt prædecessores eorum, veteres Bohemos, multo aliter super rebus Ecclesiæ & religionis sensisse, quàm nunc recentiores.*

Hæc omnia nòs nihil sinistrè affecti ab illis audientes, omni studio & opera literis sacris indulsimus, vt germanum illarum sensum hauriremus, Et ad id adhibuimus quoque libros veterum, qui Ecclesiam semper ab impia doctrina & hominum traditionibus vindicare conati sunt. Adhibuimus & eos, qui olim præfuere Ecclesiæ Bohemorum, Magistrum IOHANNEM HVS, virum nullâ vnquam seculorum serie obliterandum: Magistrum Matthiam Parisiensem, Magistrum Iohannem Rokicanam, item Martinum Lupac, & cæteros complures. Deinde & Petrum Chelcikij, quem, tametsi Romani sermonis ignarum, Magister Iohannes Rokicana plurimum diligebat, & eius libris suum etiam calculum addidit, ac vsus est. Horum scriptis omnium perlectis, inde manifestè deprehendimus, cùm plebem, tum Sacerdotes, tota via, vt dicitur, ab ipsa puritate doctrinæ & scopo literarum sacrarum deerrare. Ideò vt abusus istos & errores, ne nos pariter ad interitum & perditionem demergent, vitaremus, ab illis desciuimus. Interea fama de Fratribus auditur, eos seditiosos, hæ-

reticos

reticos & perniciosos homines esse, vtpote qui Verbo Dei reclamarent & aduersarentur. Hæc fama primum animos nostros non mediocri timore perculit, vt non iam illis conteremur, veriti ne ab eis in errores à veritate reuocati, justam nobis damnationem acquireremus, si in ea etiam flagitia, quibus obnoxij esse ferebantur, prolaberemur. Tantum enim suo astu, vafritie, dolis, eos multi posse credebant, vt quò ipsi vellent, rudiorum animos traherent. Attamen reperti sunt quidam sani homines, tum ex Sacerdotibus, tum etiam ex plebe, qui in fratrum doctrina, nihil vitij aut erroris haberi, sibi exploratissimum esse dicebant. Vnde & nos æquiores sumus redditi erga fratres. Et in mentem nobis veniebat huius rei, num non ipsi fortasse ij essent, quorum & Christus meminit, Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, & dicent aduersus vos omne malum, mentientes propter me, & ejicient nomen vestrum, veluti malum propter filium hominis. *Itaque nec nos conquiescere aut cessare potuimus, quò ad certò nobis constaret, num vera essent, quæ de ipsis passim ferebantur: Sed & hoc obstitit, quo minus eos persequeremur, cùm ab omnibus illa, quorum accersebantur, controuerti videremus, neque quenquam inueniri posse, qui ea vt vera asserere auderet. Iam nos aduersus eos nihil moliri voluimus, donec ipsorum causa nobis compertior fieret & exploratior, ne fortè in Dei præceptum, proximum perperam & iniquè judicantes, aut illius falsi criminatores facti, justas Deo pœnas daremus.*

Adhæc cùm videremus inter Sacerdotes ipsos etiam in doctrina malè conuenire, & eorum atque adeò populi, multos impios cultus, ac publica & manifesta flagitia, nulla Ecclesiastica disciplina corrigi: coacti sumus, vt ipsos Fratres accederemus, ac de eorum doctrina & religione perquireremus, non ob aliud, quàm vt salutem & conscientiarum pacem, vbi tandem id per Euangelium fieri liceret, consequeremur. Conuenimus itaque eos, ac omnia diligenter explorantes, quænam foret eorum doctrina, religio, vita & conuersatio, re ipsa experimur, nullam ansam hosti præbitam esse, vt has de ipsis tragedias excitaret, nihilque prorsum in eis vidimus, quo meritò malè audire possent vel incusari. Comperimus item, & eorum doctrinam, religionem, totámque viuendi formam, nihil à sacris Canonibus, aut primitiuæ Ecclesiæ ritu ac exemplari recedere aut deflecti. Inuenti sunt præterea nobis inter eos quatuor illi articuli, quorum gratia veteres in Regno Bohemiæ, cum Romanis post multas tandem disputationes, grauissima bella gesserunt, quosque in Synodo Basiliensi, magna vi defenderunt ac obtinuerunt. Primò, Scripturam sacram, à Ministris omnibus, sacerdotibus ac Leuitis, ad id Ecclesiastico ritu ordinatis, non admixtis humanis figmentis, traditionibus aut doctrinis, sed purè ac sincerè vbique prædicandum esse. *Deinde*, vtramque speciem Sacramenti, corporis & sanguinis Christi, juxta ipsius constitutionem & mandatum, vt à Sacerdotibus, ita à cæteris omnibus, indiscriminatim ex æquo sumi oportere. Eúmque nihil minus, quàm transgressorem verborum Christi haberi, qui sub vtraque specie communicaret. *Tertiò*, publica & manifesta flagitia, in quolibet hominum statu & conditione secundùm scripturę regulam, quòd corrigi debeant & argui. *Postremò*, quòd

ſacerdotum munus ſit, concionari & docere, non ſeculari modo dominari, aut imperia, ditiones, & principatus poſſidere, ſed eſſe debeant in officio ſuo, quod eſt prædicatio Euangelij. *Hac bona præter multa alia plurima inter fratres reperimus. Quare non ſatis mirari poteramus, qua rabie & furiis acti forent, qui adeò miſere ac impotenter, tam bonos viros ſuis maledictis impetrent.*

Cùm igitur religionis illorum dogmata ex ſcripturis ſacris, & non hominum commentis eſſe, & manere videremus, Dei benignitate effectum eſt, vt nos in ipſorum ſententiam iuerimus. Aſcripti igitur ſumus illorum Eccleſia, & illius gratia vniuerſorúmque bonorum participes facti. Nec nos fugiebat, quæ ipſi quondam tulerant, & adhuc ferrent mala, nos non minus olim eadem laturos. Sed hoc nihil morabamur, audientes non tantùm homini dari, vt in Chriſtum credat, ſed vt etiam pro illo patiatur. Et eiuſmodi Chriſtus ipſe, ſalutis autor beatos pronunciat, qui ob iuſtitiam aduerſa perferunt, atque id ipſum vniuerſa ſcriptura comprobat. Ideo ſapienter Moſes maluit affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. In paucis enim vexati, *vt ſcriptum eſt,* in multis bene diſponentur. *Atque dum aliquandiu cum illis conſueuiſſemus, manifeſtè cognouimus, quòd quæ à veteribus Bohœmis, qui hæc futura prædixerant, bona accepiſſent, non tantùm non imminuerunt, verùm indies multo magis auxerunt.*

Sed præuiderunt veteres illi, quòd videlicet ea doctrina temporibus eorum inchoata, lentè ac paulatim proueheretur, & in primis Magiſter Matthias Pariſienſis, eo libro, quem de abominatione *inſcripſit, capite trigeſimo ſeptimo, Qui ſub titulo & nomine Magiſtri Iohannis Hus excuſus in lucem exijt, ſic ſcriptum reliquit,* Surget, nouus populus, ſecundùm nouum hominem formatus, qui ſecundùm Deum creatus eſt, ex quo noui Clerici & Sacerdotes prouenient & aſſumentur, qui omnes oderint auaritiam & gloriam huius vitæ, ad conuerſationem cœleſtem feſtinando. Hæc tamen puto ſucceſſiuè agi, & in temporibus à Deo, & pro ea diſpenſatis, Hoc autem facit atque faciet Deus, propter ſuam bonitatem & miſericordiam, diuitiáſque longanimitatis ſuæ & patientiæ, dans locum pœnitentiæ peccatoribus inueteratis, fugiendique à facie furoris Domini, donec ſimiliter patientur & ſucceſſiuè populus carnalis, & ſacerdotes & Clerici defluent, & quaſi à tinea conſumentur. *Hactenus ille.*

Hunc ſecutus eſt Magiſter Iohannes Hus, clarus pro teſtimonio Ieſu Martyrij corona, qui in quibuſdam literis ſuis, è carcere ad ſuos in Bohemiam miſſis, ita habet:

Vtinam mandate literis omnes abominationes Antichriſti liceret, vt hæ à fidelibus obſeruari ac caueri poſſent. Verum confido in Domino, quòd me in hac vita defuncto, is vobis Paſtores, qui eius ope, ipſius Eccleſiæ munia, me integriùs & fœliciùs obibunt, ſuſcitabit. Quique vniuerſas illius filij perditi impoſturas, ſcelera, errores, dolos, ſuperbiam, hypocriſim & fœditatem, pleniùs in lucem proferent: nullá-

nulláque,præmia aut minæ, eos à veritate abducere poterunt, quin pro ea semper omni confusione & morte contempta, parati sint testimonium ferre.Is est,qui vobis & mihi,ob diuitias gratiæ suæ daturus est perpetem vitam,& indeficiens gaudium.

Qui autem erant à partibus Magistri Iohannis Hus, de quibus etiam ipse, diuinitus inspiratus scripserat, hi & præsertim Magister Iohannes Rokicana, eo temporis in Bohemia primas tenens, subscripsit verbis & sententia Magistri Iohannis Hus, Etenim, inter concionandum, Ecclesiam diruta vrbi componens,aiebat:

Nos adhuc,*inquit*,per superficiem negotij gradimur, ac veluti per cancellos,seu nebulam prospicimus,nondum ad interiora scilicet penetrantes,Verùm subingredietur populus, qui advsque ipsa negotij fundamenta penetrabit, quique in solida basi superstruet, Verùm id paulatim fieri oportet. Futurum quoque est, cum magna pressura & angustia,cumque summa rerum difficultate.

*Hæc omnia sic accepimus ac legimus, antequam Fratrum Ecclesia inaugurarem ur,aut vlla cum illis necessitudine copulati fuissemus.Postquam autem diu cum illis egissemus,eos ceu lapides viuos,vero & stabili fundamento,quod olim iam fideles Bohemi,strenui veritatis vindices, secundùm datam sibi gratiam, iecerant,superstructos cognouimus.Videntes igitur hoc inter eos,non humanum, sed planè diuinum opus esse,cum omni fiducia, synceritatem fidei,ac alias res sacras,vna cum illis communiter amplexi sumus Deo gratias agentes,*cui placuit nos è tenebris in agnitionem Filij sui ac omnis veritatis adducere.

Cùm autem multo tempore simul cum eis omnibus rebus sacris vsi essemus, in Ministros tandem ac sacerdotes Ecclesiarum suffragio, electi atque ordinati sumus. Inuiti autem ac renitentes hanc prouinciam suscepimus, multas enim in hoc negotio graues ac periculosas res,quibus substinendis nos non esse videbamus pares,præsertim hoc decursu sæculi,quando, vt diuina habent oracula, exulcerata sunt omnia, nullo non scelere & maledicto, *vt ait Propheta, quasi torrente inundante super terram, diuina tamen ope confisi, verbòque eius,cuius hic opus agitur,hanc prouinciam in totum detrectare noluimus, neque Fratribus nostram operam,in re tam pia & vtili,postulantibus,denegare.*

Porro interea temporis, dum hoc in Ecclesia ministerio fungimur, èn multi prodeunt hostes,qui odio plusquam nouercali aduersus nos insurgentes, non vno modo grassari cœperunt,& nos suis mendaciis apud omnes prægrauare conabantur? Nec tantùm linguæ petulantia & detractionibus,sed scriptis etiam suis palàm insectabantur. At istorum malitia, quæ intus alebatur retecta, quam ipsi fidem habeamus, cuicunque manifestum fecimus, ac aliarum rationem rerum reddidimus quas ad salutem omnium facere credebamus. Nec non de quibus hostis se palmam relaturum sperabat & gloriabatur. Vt videre est in libello,quem nuncupauimus Illustrissimo Principi ac Domino Domino Georgio Marchioni Brandenburgensi &c. flagitante id à nobis generoso Domino Domino Conrado de Kragek.

Præsertim autem quid sentiamus de Sacramentis, Baptismo & Cœna Do-

mini, hîc candidè & apertè explicuimus, & non modò ibi, verùm in libello etiam, edito pridem à nobis, contra Thabroanitas seu Lilecienses, clarè & simpliciter fidem nostram exponendam curauimus, nullis anfractibus aut verbis obscuris, huic tractationi interiectis: vsi sumus communissima phrasi & vsitata, quo faciliùs intelligeremur ab omnibus.

Quanquam autem hæc omnia secundùm Scripturas congessimus, quò sic hostium animi præmolirentur, vt vel hoc darent gloriæ Christi, ne nos posthàc suis maledectis proscinderent: vix tamen istud nobis profuturum est, nisi priùs audiendæ veritati locus detur. Indesinenter enim sua tela, quasi sagittantes ad scopum, in nos collimant, furiosi quidam, nósque conuicijs incessunt & persequuntur, quæque etiam scribimus, damnant & hæreseos accersunt. Suadent enim rudioribus, qui eorum tendicula ignorant, nos aliud scriptis & verbis enunciare, aliud dicere foris, & aliud intus, in recessu cordis premere, vt solent, qui (quod aiunt) altera manu ferunt lapidem, altera panem ostentant.

Præterea hoc & quicquid isti belli homines, in nos apud plebem effutiunt, ac egregia ratione, quòd videlicet ita sentiant, omnibus plurimum bene probatum putant, eúmque ab omnib. hæreticum irrefragabiliter *(sic enim loquuntur) credi volunt, quemcunque talem esse pronunciauerint, cum tamen is sæpe sit in culpatissimus.*

Sed quia fortè qui sic sentit, nonnihil eorum ventri & ingluuiei detrahit, abusus eorum impios patefacit, veritatem colit & ornat, per paucos denique in Ecclesia primates suum officium facere dicit, & cum Ezechiele, pastores malos appellat, qui sese tantum pascunt & non gregem Domini, ipsis commissum. *Ideoque vt hostis Ecclesiæ reiicitur, feritur anathemate, flagris & pyla adiudicatur.*

Atqui si continuo verum foret, eum hæreticum & perniciosum hominem esse, qui talis ab hominibus habetur, quorum multis nunquam rectiora placent, necessariò inde colligeretur, Christum quoque cum Apostolis, ac omnes denique, quotquot steterunt à partibus veritatis, perniciosos homines ac impostores extitisse. Nam caput Ecclesiæ Christus, & omnes Apostoli, non minus atque patres nostri, ab ingrato mundo talibus nomenclaturis ac titulis sunt insigniti ac decorati.

Porrò, si id verum esset, vt ipsis placet, non intus impiè sentire, omnisque generis sceleribus obnoxios esse, verbis tamen bene profiteri & docere, iam profectò, propter hoc posterius bonum, cedendum esse veritati, ac monente Christiana charitate, corroboranda esset veritas. Proinde quod in rem omnium sit, non eorum tantum, nemo non videt. Nec equidem nostrûm tantùm, sed & illorum ac piorum omnium est, contra prophanos quosdam, Sacramentis Ecclesiæ derogantes, vt ea vsque apud omnes salua & inuiolata maneant, agere.

Istud ergo liquet, eos debere æqui bonique facere, quòd Sacramenta in suo semper honore & loco, authoritate Scripturarum haberi cupiamus. Atque hoc nomine vt Reipublicæ Christianæ consuleremus, hunc laborem contra Aduersarios Sacramentorum suscepimus. Et hoc in primis sacerdotum munus erat, non nos suis conuiciis impetere. Verùm Sacramenta Christi ab his phanaticis spiritibus, qui ea è suo gradu deturbare conantur, per Scripturas tueri ac vindicare,

Sed non-

Sed nonnulli fortasse inscitia, Sacramentorum partes tueri prohibentur, alios vt peritiores fere laboris piget, alij videntes se parua dicendi facultate munitos, hoc oneris subire recusant. Proin cùm non omnes aqualiter valeant, aut idem possint, & qui huius causa aduersariis, opponere patrocinium suum queant, nolint, multas res sacras silentio iacere & obscurari videmus. Et qui hanc causam indefensam reliquerunt, hi sunt, ad quos maximè attinebat: quique, vt iam olim maioribus nostris, ita nunc nobis quoque, hoc impingere crimen non cessant, quod Sacramenta, vt qua nihil ad salutem conferant, contemnamus. At hi, cùm ea ab aduersariis calcari patiantur, huius potius criminis rei sunt, quod nobis obtrudunt. Nam hac conuicia, qua ex malitia tantùm & odio in nos euomit Aduersarius, simul cum patribus, aliàs multis argumentis, reuulsimus. Si quando cum huiusmodi hominibus, de his rebus disserere propalam, & liberè vsu veniret, non operose equidem, eos in horum albo esse ostenderemus, qui acriter & curiosè festucam in oculo Fratris viderent, trabem verò in proprio oculo non animaduerterent: & nihil ipsis malorum, qua tamen semper nobis minantur, intentantes, non carcerem, non aculeos, non exilium, non etiam faces ad latera mouentes, imò sine rixa, & verborum concertatione, qua non decent Christianos, sed tantùm certissimis Scriptura locis, & per ea, qua ipsi operantur & agunt, & in propatulo sunt, Deo adjuti efficeremus, vt suam ipsi culpam & errata fateri cogerentur. Res tota cum modestia & lenitate transigeretur, & nos verum dicere non abnuerent.

Nec verò id facere optamus, vt eos in contemptum & ignominiam vocemus, sed tantùm vt Christo, tanquam germanos Fratres lucri faciamus, vtque superioris vita pœnitudine ducti, pristina dignitati restituantur. Non enim, Dei gratiâ, adeo sumus Christiana affectionis expertes, quòd nos non illorum miserescat. Prasertim cùm etiam publicum illis ac sanctissimum Ecclesia munus demandatum sit, cui cùm non respondeant, in sese horribilem Dei iram, mirabiles tenebras & cacitatem experiuntur. Hinc eos denique videmus, ob tam insignes lapsus & apertissimos errores, à bona hominum parte vehementer contemptos esse. Quam rem profectò, eorum causa non libenter audimus. Vnde cùm sint hoc pacto homines erga illos affecti, parum illis fidei habent, & vix vnquam de quoquam illorum bene sentiunt aut loquuntur. Qua ratione omnis eorum authoritas ac opinio plurimùm imminuta, nulliúsque jam ferè pensi apud plebem est.

Et pradicatio verbi, cui primus ac summus in Ecclesiis honos esse debet, per eos spreta jacet. Nam sicut eorum mores & vita ridetur, ita & omnis administratio, & verbum Dei contemnitur, nec adit inter homines fructus suos. Conscius nobis est Deus, & qui nos etiam exploratos habent, multi homines boni: quàm cupiamus, non minùs atque majores nostri, omnibus illis à Deo dari, vt resipiscant aliquando, & ex animo veritatem amplectantur. Quòd si illis hoc diuina praestaret bonitas, experientur profectò, nos fideles in ministerio verbi coadjutores, & quidem in Ecclesiis praeesse, & inter administros earum illos primas tenere cuperemus, nec ipsi eos ob Euangelij gloriam, merito honore & obedientia frustraremur.

Et quanquam hoc etiam modo, majores nostri citra omnem dolum, tum scri-

ptis, tum verbis, tum modis aliis pluribus, omni in re, se illis morem gesturos recipiebant: haudquaquam tamen persuasum est Aduersariis, Fratres hoc animo præditos esse, verùm de illis, omnia sinistrè interpretabatur, pessimi semper rerum nostrarum censores. Nec aliter ipsis, olim vsu venit, atque nunc nobis hoc tempore, tametsi non omnes adeò inimici, præfracto ac ferali animo, erga Fratres fuêre. Multi enim positis, odio & ira, bonam de Fratribus opinionem conceperunt, piéque de ipsis judicauerunt, ac ipsis nonnulli eorum adiuncti sunt, & inculpatè suo munere functi, relictis terris, in pace quieuerunt.

Atque his temporibus plerósque audimus, qui cœlestem hanc doctrinam magis propagatam vellent. Sed cùm magna sit Aduersantium vis & authoritas, vt plerunquam non major pars vincat meliorem, nihil moliri ausi, hoc supprimunt, donec Deus hæc omnia in melius conuertat, & ab hujusmodi malis & offendiculis, asserat Ecclesiam. Porrò hi omnium maximè, nobis & Euangelio Christi, quod profitemur, aduersantur & contradicunt, qui nullâ suæ salutis & proximi cura tenentur: Sed luculentis tantùm sacerdotiis inhiant, ambitiosè honores ac summas dignitates aucupantur, consuunt puluillos sub cubitis manuum, nec aliud quàm terram sapiunt, ac de terra loquuntur.

Hi sunt, & nulli magis, qui nos semper allatrant, conuiciis aspergunt, & cum omni Ecclesia, petulantissima, & præter omnem modum scurrili maledicentia lacerant, & passim per pagos & vrbes, exuto omni pudore ac Dei metu, nos justa plebis opinione fraudant, rident, opprobriis infamant: nec istos tamen quod sciamus, vel minimum vnquam læsimus.

Sed quia dilatant os suum sine termino, & omnes malitiæ numeros expleri volunt. Ideò nos cum Anabaptistis, pariter accensuerunt, qui non ita pridem ex variis Germaniæ locis, se recipientes, in has regiones penetrarunt, vbi cùm aliquandiu restitissent, lata in eos demum Principum sententia, inde proscripti sunt.

Nos ex factione Anabaptistarum non esse, nemini ignotum est. Nam ab hinc plurimos annos, ex Ecclesia Bohemorum, qui sub vtraque specie communicant, originem duximus: nec cum Anabaptistis quidquam commune habemus, nec plena eorum erroribus dogmata tuemur, nec quicquam ab illis mutuati sumus: perdiu enim antè congregatio nostra extitit, quàm de Anabaptistis quidquam auditum fuerit, aut nomen eorum mundo in lucem prodierit. Quæ res omnibus notior est, quàm vt scribatur. Et tamen Aduersarij contra suam ipsorum conscientiam, nobis hunc titulum & nomen indere conantur.

Quanquam autem majores nostri itidem, & nos superioribus annis à Romanis Sacerdotibus baptizatos, rebaptizare soliti sumus, multò alia tamen mens ac propositum, ac alius deinde finis, longéque diuersiores causæ nobis fuêre, quàm Anabaptistis: Nunc autem iam apud nos rebaptizatio illa abrogata est. Quæ de re inter prima, à nostratum Ecclesiæ heroibus in hoc libello, Regiæ Majestati, ratio paucis infrà redditur.

Porrò si rebaptizationis gratiâ à Bohemis jam Rationisontibus Sacerdotibus, Anabaptistæ censeamur, hoc ipsum telum necessariò in eos retorquebitur. Nam & ipsorum patres à pontificijs Sacerdotibus Baptismate initiatos, rebaptiza-

ptisabant, Pontificij rursus, relata talione, Bohemorum Baptisma iterabant. Vtrique autem à nobis ac majoribus nostris baptizatos, rebaptizarunt, & vi etiam homines ad hoc suum Baptisma coëgerunt. Et non modò id, verùm conjugij vinculis astrictos, iterum ac denuo confirmabant: hæc neque nos, nec prædecessores nostros aliquando fecisse constat. Nec matrimonio ab illis copulatos, rursus à nobis confirmari vnquam probatum fuit. Sed obtendunt Sacerdotes, se nihil deliquisse, aut quicquam errasse, rebaptizando à nobis Baptizatos. Quandoquidem nos hæreticos, sectarios, ab Ecclesiâque excisos credebant: ideò etiam optimo jure Baptisma nostrum nullius momenti, energiæ seu efficaciæ aut virtutis, eis esse videbatur, proinde rebaptizabant.

At si sicut eis, qui rei agunt suas partes, citra injuriam tueri licet, ita illis etiam respondere compellimur, quòd quemadmodum hi Baptismo, aliisque rebus nostris nihil differebant, & nos sic, ac cæteri complures, eadem ratione Baptismum, quem conferebant, irritum & cassum esse ducebamus. Habentes ad hæc magnas insignésque occasiones, ab illis eorúmque majoribus in concionibus & scriptis, præstitas atque oblatas. Romani itidem, retroactis temporibus, apertè illos hæreseωs damnarunt, quamvis vt sementem fecerunt, ita & messuerunt. Nam illi licet modò consilescant, hoc factum tamen olim Romanis abundè, ac cum fœnore pensarunt. Tantundem igitur illos à nobis, quàm nos ab illis, baptisatos, rebaptizando, commeruisse palam est.

Vtrisque ergo nostrûm, idem luditur, nihílque possunt hic nobis impingere, quod non in eos regeri possit; nisi fortasse hac parte dispares sumus, quòd inuitos etiam illi, absque vllo Scripturæ exemplo, præceptóque, ad id quod volebant, credendum cogere, hactenus soliti sunt. Hac in re, cum his minimè nobis conuenit. Neminem enim ad nostram sententiam amplectendam compellimus. Atqui præterea cùm plebs ipsa, suis affectibus indulgens, ad multa supra æquum & iustum incogitanter ruat, Sacerdotum intererat illius animos & motus restinguere. Sed magis iam id, quod nemo nisi indignissime ferat, tantùm contra nos omnes exsuscitant. Et in aures eius quicquid ipsis affingere ac comminisci libet, obganniunt. Nec dum eo contenti sunt sacrifici isti, planè nescij pacis & reconciliationis, quòd nos Ecclesiámque nostram, infinitis malis affecerunt ac deformarunt, & plurimos à nobis suis fucis ac mendaciis auerterunt. Verùm apud Regiam Majestatem nos calumniosè detulerunt; hoc toto molimine agentes, vt nos fauore & gratia Regiæ Maiestatis exuti, illius indignationem & seueritatem experiremur.

Eorum ergo opera & studio, eò res deducta est, vt ipsi voti sui compotes facti, Regiæ Maiestati, alioqui suopte ingenio clementissimæ, miris artibus persuaserint, vt Regia Maiestas non ita pridem, quendam ex nostratibus Sacerdotem, in carcerem conijci non abnuerit. Ideò hoc nomine potissimùm Ecclesiæ nostræ heroes, ac alij generosi viri complures, quosdam ex Ecclesia ad id negotij tractandum deligentes, ad Regiam Maiestatem mittere coacti sunt. Adeóque hunc libellum, per eosdem offerendum R. M. curarunt.

Hanc etiam ob caussam hi heroës, hoc faciendum esse censuerunt, quandoquidem purissima nostræ fidei, dogmatúmque confessio non semel facta, nunquam

tamen, quando vel à maioribus nostris, vel à nobis reddebatur, suscipi potuit. S fortasse nostratium Ecclesia, diuina bonitas id præstaret, vt vel nunc ab Aduersariis, horum Heroum authoritate, testimonio & fide, qui omni commendatione virtutis, in hoc regno nullis inferiores sunt, nostra hæc fidei ratio, confessióque non odiosè & grauatim recipiatur.

Nam cùm optimi Heroes hi, ex Ecclesia nostra sint, omnes illius ritus, doctrinam & religionem integrè norunt Proinde eorum testimonium & fides omnibus esse debet ratissima indubitabilísque. Alios testificari super rebus nostris oportere docet Christus, qui rogatus ab Anna Pontifice, de doctrina sua, respondit, de ea à discipulis percontandum esse, & auditoribus suis. Quid *me, inquit. interrogas?* interroga eos, qui audierunt quid locutus sum ipsis. Ecce hi sciunt quid dixerim ego.

Quare hoc Christi paradigmate, ducti amplissimi Heroes illi, fidei nostræ atque dogmatum rationem, in hoc libello compendiosissime reddunt: Vnde speramus apud omnes bonos & Christianæ doctrinæ candidatos Lectores, horum magnatum testimonium & authoritatem plurimùm valituram, quemadmodum & ore diuino sancitum est. In ore duorum aut trium testium constabit omne verbum.

Rogamus autem & obsecramus per Dominum fideles omnes, ne posthac de nobis aßentiantur vllis calumniosis sermonibus. Verùm persuasissimum habeant, hæc dogmata, & hunc religionis modum, nihil à sacris literis dissidentem, inter nos extare & teneri, quem hic libellus, Regiæ Maiestati oblatus, breuiter exponit. Et nos antea sæpius, atque adeò patres nostri multis voluminibus æditis, testati sunt.

Cùm ergo retinemus Christianam doctrinam, nec in vllam sectam deficimus, viderint Aduersarij, cur sic omnis Christianæ indolis obliti, hanc de nobis famam ferant.

Palàm est, nos non infideles aut Ethnicos esse, sed Christianos, de Scripturis rectè sentientes, ac Ecclesiæ Christi membra, non hæreticos. Nos enim omnia amplectimur & retinemus, quæ veræ Ecclesiæ sunt, & sine quibus nusquam ea in terris esse potest.

In primis literarum sacrarum authoritatem, augustissimam & sacrosanctam esse ducimus, nec ea inter omnium scripta, quidquam prius aut antiquius habemus, & huic tantùm subnixa est Ecclesia nostra, ab ea pendet & regitur.

Item, fidem sanctam & Apostolicam, sine qua Deo placeri non potest, quæque in Symbolo duodecim articulis diducitur, corde credimus, ac ore confitemur Iesum Christum Dei Filium, vnum Dominum & Seruatorem nostrum colimus & veneramur, illúmque inuocamus, ac in eo vno omnem salutis spem defigimus. Et per Baptisma ab eo institutum, omnes ipsi Ecclesiæ consecramus. Munus seu ordinem Ecclesiasticum, qui sacerdotium, & claues regni Dei dicitur, habemus, ac eo vtimur. Sacramentum corporis & sanguinis Christi sub vtraque specie, omnes promiscuè suscipimus. Deo soli, solúmque per Christum fidendum nouimus: nec impiæ vlli doctrinæ patrocinamur, nec hostes Christianismi sumus, nec

in Chri-

in Christianam religionem blasphemi, vt nobis obiiciunt, qui nunquam male licendo satiantur.

Euangelium enim, quod vehiculum est æternæ vitæ, & quod Paulus aliis verbis effert, potentia Dei ad salutem, omni credenti, *vnicè diligimus, complectimur ac tenemus: Huc nos ipsi, atque adeò alios hortamur, in eoque vno per Christum puppim & proram, quod patres dicunt, salutis omnium collocamus. Hæc certè firmissimè demonstrant, nos quemadmodum & prædecessores nostros, ex Ecclesia sancta & Catholica esse, nec ab ea in ritibus, doctrina verbi, religione, functione clauium, Sacramentorum administratione, vel tantillum dissidere.*

Ad id quoque contendimus, vt in Ecclesia permanentes, à morte æternis gaudiis potiamur:

Quanquam autem nunc iuxta externam faciem, & modum peculiarem habemus congregationem: hoc tamen apud nos non ob aliud fit, quàm vt commodiùs doceamus verbum, ministremus Sacramenta, controuersias & lites, si quando inter Fratres exoriantur, & nos consulant, dirimamus. Et ad Ecclesiasticam disciplinam exercendam, erga eos qui correctione digna committunt, quique manifestis flagitiis infames, resipiscere nolunt, vt excommunicatione ab Ecclesiis arceantur. Vbi vero resipuerunt, rursum ad consortium Ecclesiæ & Eucharistiæ Sacramentum admittantur. Non igitur ab Ecclesia catholica segregamur, cum earum rerum omnium, quæ propria Ecclesiæ sunt, vsum habeamus.

Quantum verò attinet ad externos ritus aut ceremonias, *sicubi dissimiles in Ecclesiis sint, nihil referre putamus: nam apud alios aliæ, pro gentium ac locorum varietate, inter Christianos existunt. Mutantur ceremoniæ, non mutatur fides, Christus aut verbum. Non ergo aliæ Ceremoniæ, si minùs pugnent verbo Dei, incommodant Christianismo, nec separant ab Ecclesia: Non enim hæc religio aut Christiana pietas, in ceremoniis aut ritibus externis sita est, sed in spiritualibus bonis, iustitia, fide, gaudio, pace & vero cultu, iacto fundamento (vt Paulus ait) Apostolorum & Prophetarum, summo angulari lapide Christo Iesu, in quo quæcunque structura coagmentatur, ea crescit in templum sanctum in Domino.*

Faxit autem, qua sua est bonitas, Trinæ illud semper adorandum beatitudinis numen, vt in Christo omnes vsque, charitate & fide omnisque aliis diuinis, dotibus adolescamus: Vtque alij aliorum infirmitates, lapsus ac errata, quæ & Deus ipse pater indulgentissimus tolerat, patienter ferre studeamus, eaque verbo eius invicem nobis ipsis ostendentes, fraterna dilectione corrigamus, quò ad pœnitentiam agnitionémque veritatis reuocemur, atque in eà perstantes, æternam vitam possimus adipisci, & Deo, cui omnia accepta ferenda sunt, pro sua inexhausta bonitate, diuitiásque gratiæ, quibus cumulamur, quas possimus, gratias habeamus. Facessant ergo calumniæ procul: absit hostilis animus, pellatur omnis amarulentia ac odium in fratrem, tollantur inimicitiæ, dissidia & rixæ, perennis ineatur pax, diligamus inuicem vt in Euangelio consentiamus omnes. Præstet hæc nobis omnia propter Christum, beatissimus Deus è supernis, per Spiritum suum Amen.

PRAEFATIO BARONVM ET NOBILIVM ECCLESIÆ PICARDORVM, VT VOCANT, consentientium.

QVONIAM *multi, si aliàs vnquam, nunc magis (paratiores profectò semper bona carpere, quàm imitari) propter sua deliramenta & insanias, hoc nobis crimen intendunt, quòd hæreticis quibusdam subscribamus, eorúmque errores tueamur & propugnemus. Ne quis ideo hac nobis iustè impingi putet, visum est hic ea paucis reuincere.*

Quanquam enim eorum Ecclesiæ nos adiunximus, qui Fratres vulgò vocantur, ab Aduersarijs vero, quibus, quia venenum aspidum sub labijs est, *vt Psaltes ait, in nigra semper candida vertunt, Picurdi & Valdenses in contemptum cognominantur, non tamen hac gratia nos illis copulauimus quòd hæretici dicerentur: Quis enim lubens errare velit, aut pro luce tenebras accipere. Sed quia re ipsa, tales eos esse cognouimus, quibus in primis Hominis astucia & dolus displiceat: quódque in omni Synceritate, in re & negotio salutis diuinis tantùm eloquijs & fide, quæ in Christum est, ac veterem Orthodoxorum sententiam imitantur.*

Quare nos verbum Dei ab eis audientes, per illud veritatem, quæ nos saluos reddere posit, docti sumus. Persuasissimum itaque nobis est, hoc ipsum verbo Dei, vt lidio lapide indicante, Sacerdotes nostros, cùm septa ipsa Euangelicæ doctrinæ non transiliant, nullis hæresibus addictos, sed ministros Christi ac veros vicarios esse, quibus parendum esse, ipsa veritas monet dictátque. Quo certè minus fas est, vt cum his sanctorum communio detrectetur haberi, præsertim astringente nos ad hoc, ipso Symboli Apostolici articulo, Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.

Iudicet igitur pius lector, an eò habendi simus hæretici, errorúmve fautores, quòd hominibus; etsi plurimum mundo despectis ac vilibus, pijs tamen ac verò Christianis adsensi simus. Quamvis nequissimi homines, quorum os redundat malitia, & semper mendacia ac dolos lingua eorum concinnat, multo secius iudicent, ac in eos grauissima probra iacientes, vt ab omnibus hæretici audiant, conentur efficere. Sed nemo hæc, de quibus accusantur, nisi planè communis sensus

expers,

experts, si audierit, ita habere dixerit.

Valeat ergo hoc scelestissimum genus hominum, qui semper in lucem suas offundunt nebulas. Si enim ob hæc tantùm, nempe religionem & doctrinam, quæ sycophantæ, & Aduersarij damnant & persequuntur, hæretici habeamur, non minus equidem diuo Paulo, simulátque Apostolis omnibus hæreseos crimen intentaretur, Paulus enim ingenuè profitebatur; se ex ea secta esse, quam tum homines impij, qui in eum semper tumultus excitabant, omnium malorum sentinam, turbantem Respublicas, pestiferam & exitialem esse dicebant. Ad hunc enim modum Fœlicem ipsum affatur præsidem in vrbe Cæsarea: Confiteor, *inquit* hoc tibi, quod juxta viam, quam vocant hæresim, sic colo patrium Deum, credens omnibus, quæ in lege & Prophetis scripta sunt.

Vt ergo nullis clàm esset, nos verè Christianos & fideles esse, non hæreticos: earum rerum, quas tantum nostræ salutis nomine, complexi sumus, quásque etiam cum tota nostratium Ecclesia, ab illius ministris publicè & priuatim docemur.

Regiæ Maiestati, Domino nostro clementissimo, hanc nostræ simplicissimam fidei rationem reddidimus. Quam vt omnibus alijs etiam, qui hæc scire dignabuntur, manifesta fieret, excudendam typis curauimus. Vnde poterit hæc legens, quicunque pietatis studiosus est, quam vera sint, quæ de nobis iactantur, pro sua modestia iudicare.

SVMMA RATIOQVE FIDEI AC DOGmatum, quę quidem tum per Regnū Bohœmię Marchionatúmque Morauiæ, tum aliàs quoque à nostræ professionis senioribus, omnibus eodem animo præditis, de Iustificatione, in Ecclesiis nostris docentur, Primum Regię Majestati, deinde piis omnibus & candidis Lectoribus, sincerè ac simpliciter oblata atque exhibita.

Articuli seu Themata Confessionis.

1 De Scripturis sanctis.
2 De Catechismo.
3 De fide sanctæ Trinitatis.
4 De Peccato, & sui ipsius cognitione.
5 De Pœnitentia.
6 De Christo Domino & fide in ipsum.
7 De Bonis Operibus.
8 De Ecclesia sancta Catholica.
9 De Præfectis seu Ministris Ecclesiæ.
10 De Verbo Dei.
11 De Sacramentis.
12 De Baptismo.
13 De Cœna Domini.
14 De Clauibus Ecclesiæ.
15 De Cæremonijs.
16 De Magistratu, seu potestate seculari.
17 De Sanctorum cultu.
18 De Iejunijs.
19 De Cœlibatu.
20 De Tempore gratiæ.

QVANQVAM autem retroactis temporibus, ab Ecclesiastis nostris, huius, quam tenemus, fidei religionísque, tum etiam doctrinę, ratio reddebatur sæpissime, Regibus, Principibus, ac demum omnibus, qui eam sibi reddi postularent, & in Ecclesiastica & seculari potestate constitutis. Visum tamen nunc nobis operæ precium est, rebus etiam non paucis ad id monentibus, vti iuxta hosce articulos, qui nobis, præsertim hoc tempore, alijs esse communiores, ac magis præcipui videbantur, tuæ Regiæ Majesta-

Maiestati, de ea doctrina, quam ab illis accepimus, quàm compendiosissimè fieri posset, rationem redderemus, vt nullus nesciat, iniustè omnia nobis ab Aduersarijs huius doctrinæ infligi, de quibus apud Regiam Maiestatem tuam, vt nobis nostratibúsque vis adferatur, accusamur.

ARTIC. I.

DE SCRIPTVRIS SACRIS.

PRincipiò, nostri omnes vanimi consensu docent scripturas sacras, quæ in Biblijs ipsis continentur, & à patribus receptæ, autoritatéque Canonica donatæ sunt, pro inconcussè veris certissimísque habendas: ac quorumcunque aliorum scriptis, vt sacra prophanis, & humanis diuina, per omnia præpositas iri oportere. Illísque integrè ac simpliciter credendum esse: nec non dogmata veritatis, per quæ homines ad salutem & iustitiam, per fidem instituantur ac formentur, ex illis petenda esse.

Proinde quòd à Deo ipso, Petro & Paulo, præter alios id astruentibus, traditæ & inspiratæ sunt, háncque ob causam potissimùm, vt ab omnibus intelligantur, eas Ecclesiis nostris, lingua vulgari & patria, præsertim verò Euangelia ipsa & Epistolas, vt in veteri Ecclesia fieri solitum est, legunt ac recitant. Indéque etiam documenta, exhortationes, vt poscunt res & negotia concionésque frequenter ad populum publicè fiunt.

Scripta autem Doctorum Ecclesiæ, præcipuè veterum itidem pro veris fidéque dignis haberi, vtiliáque esse ad instituendam plebem, dicunt. Attamen in quibus à diuinis Scripturis non dissident. Sic enim & ipsi sua teneri volunt, vt eatenus illis fides habeatur, vtique eis liceat, quatenus eis cum diuinis scripturis conueniat. De hoc Augustinus in præfatione libri tertij de Trinitate. *Noli*, inquit, *meis literis: quasi Scripturis Canonicis inseruire, sed in illis, & quod non credebas, cùm inueneris, incunctanter crede: in istis autem, quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmiter tenere.* Et alibi. *Noli meis neque Ambrosij verbis peræque credere, vt Scriptura canonicæ.* Et habetur in Decretis distinctione noua.

ARTIC. II.

DE CATECHISMO.

HInc Catechismum docent, hoc est, Catholicam hanc & Orthodoxam Patrum doctrinam: quæ *Decalogus* est mandatorum Dei, & fides Apostolica, in duodecim Articulos digesta, & tradita in Symbolo, per Nicenam Synodum, atque adeo aliàs confirmata & exposita: denique *Precatio dominica.* Hęc autem omnium sanctissima, bonam, be-

neplacentémque Dei voluntatem esse,constanter affirmant.

Deinde præcepta hæc,opere ac corde,cum quidem lex spiritualis sit: seruari, fidei etiam articulos omnes indubitanter credi, oréque confiteri, & opere testari oportere docent: ac eos Scripturis, pro viribus communiunt & roborant,simplicem eorum sensum, & si quid in eis abditum aut abstrusum sit, ad quidve faciat hoc quicquid est, ex eisdem Scripturis fusè ac apertè explicare conantur.

Idem docent, Deum tantùm per nomen solius Christi Mediatoris, orandum ac inuocandum esse.Non autem pro semetipsis tantùm,verùm pro Christianis etiam omnibus, vbi tandem terrarum sint, homines orare docent,pro omnibus Ecclesiæ Præfectis:item pro omnibus in eminentia & quâvis potestate, ad alios regendum, constitutis.

Maximè verò, & primùm pro Cæsaris semper Augusti celsitudine ac incolumitate, & pro Regiæ Maiestatis tuæ fastigio ac successu, consiliariisque omnibus,multis precibus Deum implorantes, vt Regiæ Maiestati tuæ, & Carolo Cæsari semper Augusto inuictóque, omnia è re totius Ecclesiæ,prosperet ac fortunet, & Imperium quàm latissimè proferat, vt ad omnes, qui Regiæ Maiestati tuæ subduntur ac parent, Deique ac Christi eius cultores veri sunt, clemens tibi ac propitium pectus præstare dignetur.In summa iuxta Christi & Apostolorum præceptum,Ecclesiæque primitiuæ exempla indiscriminatim, pro omnibus amicis pariter ac inimicis, orandum esse docent. Atque ob id studiosiùs populum ad conuentus solennes conuocant, eumque ibi ad preces ardentiores,omni diligentia hortantur.

Hoc salutari Christianóque Catechismo, non modò prouectiori ætate homines instruunt, verùm pueros ipsos etiam,vt à primis statim annis huic assuefiant,& veram religionem ac pietatem discant:Ideóque priuatos etiam cum illis seorsum celebrant conuentus, parentes eorum ac susceptores admonentes,vt in hac eos doctrina sacra diligenter instituant,pro ipsísque ac alijs omnibus,Christo Domino consecratis infantibus,pias Deo ipsi offerant preces.

Quicquid autem huic pio Christianóque Catechismo fuerit aduersum, rejiciunt, certísque Scripturæ argumentis, provt illis sufficit omnium Dominus vires,reuincunt ac confutant,populúmque vt illud caueat,præmonent.

Articulus III.

DE FIDE SANCTAE TRINITATIS.

PRæterea fide nosci Deum,Scripturis docent, Vnum in substantia diuinitatis,Trinum autem in personis,Patrem,Filium,& Spiritũ sanctum: Ex parte quidem personarum, habere discrimen, ex parte véro essentiæ ac substantiæ coæqualitatem & indistinctionem:Id autem

tem fides Catholica, & Nicenæ Synodi, aliarúmque cum hac idem consensus, decreta & sanctiones, Athanasiique Confessio seu Symbolum apertè testantur.

Hinc etiam docent, ejusdem vnius Dei summam potentiam, sapientiam & bonitatem. Tria quoque præstantissima ejus opera ipsi soli, & nulli præter eum congruentia. Opus scilicet creationis, redemptionis, conseruationis seu sanctificationis. Docent insuper, hunc solum verum Deum, in vna diuinitatis essentia, & personarum Trinitate beata, semper adorandum, venerandum, summáque reuerentia, honore & laude colendum, vt omnium Dominum ac Regem summum, in æuum regnantem: Ab eóque solo pendere omnia, expectare & petere. Illi soli summam subjectionem, obedientiam, timorem fidémque exhibendam, atque ob hoc omnem religionis cultum sincerè obseruandum, & id quidem qui non facit, damnationem sibi acquirere. Deuteronomij sexto. *Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles.* Iterum, *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima & mente tua:* Et in summa, ex omnibus, tam internis quàm externis viribus tuis.

Artic. IV.

DE PECCATO ET EIVS FRVCTV, *ac sui ipsius cognitione.*

HIc docent, ne peccata ignoremus, quæ cùm in proximos, tum in Deum admittuntur & fiunt.

Primùm, vt homines sese in peccato & conceptos & natos, atque mox ab ipsa natura & vtero peccatores esse, & subinde ab ipsa pueritia legem Dei, corde & opere præuaricantes, peccatorum mole pressos ac grauatos agnoscant, vti scriptum est. *Dominus, cùm de cœlo prospiceret super filios hominum, vt videret an esset, qui aut saperet, aut numinis curam gereret: hic omnes defecerant, omnes pariter corrupti sunt, nullus quod rectum est faciebat, ne vnus quidem.* Iterum: *Vidit Deus quòd multa malitia hominum esset super terram, & omnis cogitatio cordis illius tota in malum esset conuersa omni tempore:* Et rursum, *Dixit Dominus ad cor suum, Sensus & cogitatio humani cordis, mala ab adolescentia sua.* Paulus etiam: *Eramus,* inquit, *filij iræ natura, quemadmodum cæteri.*

Deinde docent ex Scripturis, Quòd homines agnoscere debeant, propter hanc sui ipsorum deprauationem ac corruptelam, & propter peccata, ab hac radice nascentia, dignam sibi imminere perditionem, formidabilem Dei vindictam impendere, & dignam suis factis, gehennæ pœnam propositam esse. *Authoramentum enim,* vt inquit Paulus, *peccati mors.* Item Dominus in Euangelio: *Ibunt qui mala egerunt in supplicium æternum, ibi erit fletus & stridor dentium.*

Ad hæc docent, Necessum esse, vt animaduertant omnes, ac norint

infirmitatem suam, extremámque inopiam & mala, in quæ ob peccata conjecti sunt, quódque seipsos modo nullo seruare, nullísque suis operibus aut studiis justificare possunt: nec quicquam habere præter Christum solum, cujus fiducia à peccatis, Satana, ira, Dei & morte æterna, sese redimant ac liberent. Itémque, nihil esse in hominibus, quo coram Deo alter alteri suppetias ferre queat: Siquidem *æquè omnes peccato obnoxij sunt, & justitia Dei vacui*, vt per Prophetam dixit: *Reduc mihi in memoriam* (vt scilicet homo quisquis es) *& judicemur, simul narra, si quid habes, vt justificeris: pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati sunt in me.* Item *Cæremoniæ & sacrificia tua mihi displicuerunt: nec apparatus thuris abs te probaui. Sed nec adipe sacrificiorum tuorum me satiasti.* Paulus etiam ad Hebræos: *Sacrificium & oblationem noluisti, & holocaustomata pro peccato non comprobasti, aut requiris.*

Insuper docent, omnia incommoda & afflictiones, quibus hîc quatimur conflictamúrque, meritissimo jure à Deo ob peccata hominibus infligi, seu propositas esse, vt æstus, frigora, fames, sitim, labores omnes, curas, infortunia, mœstitudines, tædia, languores varios, ipsam denique mortem, sicut scriptum est, *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Et: *Maledicta terra propter te: In labore comedes ex ea omni tempore, omnibúsque diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi.*

Attamen omnia hæc incommoda, patienter nobis ferenda docent, vtpote adhuc grauiora commeritis. Non tamen quòd per hujusmodi, quotquot sunt, malorum sustinentiam, sibi vitam æternam quisquam promereatur, cùm Apostolus prædicet, *non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur erga nos:* Sed vt scelerum suorum magnitudinem, suámque imbecillitatem ad miseriam omnes noscant intelligántque, *quàm malum & amarum sit*, vt Propheta dicit, *relinquere Deum suum.* Vtque his malis onusti ac pressi, expergefiant, & excitentur, ad quærendam gratiam ac opem Dei, *qui misericors est & miserator, & multus ad ignoscendum.*

ARTIC. V.

DE POENITENTIA.

HOc loco docent, Pœnitentiam esse, quæ ex peccatorum & iræ diuinæ agnitione nascitur, quæ per Legem Dei, primum dolores & terrorem conscientiæ incutiat: Scilicet cùm verbo Dei intus arguuntur peccata, & redditur mens malè conscia sibi, inquieta, prætristis & desperabunda, cor anxium, confractum, & pauidum, vt homo per se nulla re prorsus erigi possit, aut consolationem nancisci, sed totus afflictissimus est, spiritu dejecto ac trepidante, & ingenti horrore concussus, à conspectu iræ Dei, vt Dauid de se ait: *Quoniam non est sanitas in carne mea, propter indignationem tuam, Non est pax ossibus meis, propter peccatum meum: Miser factus sum, & curuatus sum nimis, tota die*

contri-

contristatus ingrediebar. Interim docent, ne sic pauefacti & territi desperent: sed vt ad Deum toto corde redeant, & fide in Christum, quæ pars quoque pœnitentiæ est: misericordiam apprehendant, dolentes, se peccasse: Etsi enim omni justitia vacui sint, diuinam tamen gratiam & clementiam implorent, vt sibi ipsis misereatur, & peccata condonet propter Christum ejúsque meritum, qui nostra causa factus est peccatum & maledictum, vt pro peccatis nostris Iustitiæ Dei satisfaceret.

Súntque sic affectis, diuinæ promissiones inculcandæ: *In die tribulationis tuæ inuoca me, eripiam te & glorificabis me.* Et hanc pœnitentiæ formam, per omne vitæ tempus, cùm opus est, teneri docent. Eos etiam qui sic resipiscunt, docent, quod apud Esaiam scriptum est, *vt desinant peruersè agere, discant autem benefacere.* Idem & Ioannes præcursor Domini. *Facite* (inquit) *dignos fructus pœnitentiæ.* Consistit autem in hoc maximè pœnitentia, *vt mortificetur vetus homo, ac deponatur cum actis & concupiscentiis suis, induatúrque nouus, qui secundum Deum creatus est.* Coloss. 3.

Itidem docent, vt pœnitentes Sacerdotem accedant, peccatáque sua Deo ipsi coram illo confiteantur, tametsi non præcipimus neque exigimus enumerationem peccatorum, consilium autem modumque vitandi peccata, & per claues Ecclesiæ absolutionem ab ipso petant, vt remissionem peccatorum, per huiusmodi ministerium, sic à Christo institutum, consequantur.

Item, docentur homines, vt absolutionem magnifaciant, credántque indubitatè fieri, quod per claues promittitur, cùm vox Christi sit, & mandato eius expressa: Iohan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, cui remiseritis peccata* &c. Sciantque clauium vsu ac ministerio, Christíque autoritate verborum, sibi omnia peccata condonari.

Docent etiam, absolutos, id est, quibus per Christum peccata remissa sunt, vt gratiæ Dei, in Christo acceptæ, grati sint, ne in vanum eam recipiant, neu etiam in peccata relabantur: iuxta illud: *Vade & posthac ne peccaueris, ne quid deterius tibi contingat.* Item, *Si volentes peccauerimus, post acceptam cognitionem veritatis, non vltra pro peccatis reliqua est hostia, sed terribilis quædam expectatio iudicij & ignis vehementia.*

Etiam docent, fundamentum & omnem virtutem pœnitentiæ in merito mortis Christi consistere. Lucæ 24. *Sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die, & prædicare sub nomine eius pœnitentiam ac remissionem peccatorum in omnes gentes*, Et iterum: *Resipiscite & credite Euangelio.*

Item docent, vt qui in Dei nomine dum in viuis est, pœnitentiam agere neglexerit, eum malo exitio perdendum, iuxta Christi verbum: *Dico vobis, nisi resipueritis, omnes simul peribitis.*

Articulus VI.

DE CHRISTO DOMINO, ET FIDE IN IPSVM.

OMnium primò docent, certam firmámque fidem habendam de Christo Domino, quod scilicet verus,& natura Deus sit simul & homo,per quem facta sunt omnia,in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia. Quem Ioannes *æternum Verbum* vocans,*Deum esse lumẽ, Filium vnigenitũ in sinu Patris manentem,plenum gratiæ & veritatis* interpretatur. Idem in 1.Epist.c.5.*ipse*(inquit)*est verus Deus,& vita æterna* Itemque de operib.eius ad nostrã salutem æditis, incarnatione, natiuitate,passione, morte, sepultura, resurrectione, ascensione in cœlos, consessu ad dexteram Dei, deque reditu ad judicandum viuos & mortuos, & quod per verbum ac Sacramenta, boni fructus in nos, vt salui fiamus,deriuantur ac emanant,vt scripturæ arcanæ habent, edisserunt.

Docent præterea,Christum modo illo sensibili & corporali,quo in terris olim mortalis conuersabatur,& prodi, tormentisque affici voluit, ac ligno suffixus, mortem oppetiit, deindéque gloriosè resurgens per durum saxum, atque clausum ostium penetrauit, iam non esse in mundo,neque fore donec finiatur mundus:Esse autem hoc modo in cœlis, vbi vnà cum Patre, eum omnis lingua confiteri, & pij omnes venerari debent.Hoc & fidei articulus clarè testatur, *Ascendit in cœlum,sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis,inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Et Paulus Thessalon.4. *ipse Dominus cum clamore & voce Archangeli ac tuba Dei descendet de cœlo.*Item Petrus in Actis,*Quem oportet quidem cœlum accipere vsque ad tempora restitutionis omnium.* Et Marci vltimo,*Itaque Dominus,postquam locutus fuisset eis,receptus est in cœlum,& consedit à dextris* Dei: Angeli autem assistentes, dixerunt ad illos.*Hic Iesus,qui assumptus est à vobis in cœlum,sic veniet,quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.*

Hic verò in terris etiam Christum ipsum verum Deum & verum hominem nobiscum quoque esse docent. Ratione tamen & modo existentiæ à priore diuerso,nempe inuisibili,insensibili,sed tamen vero,& ad salutem nostram necessario. Per hunc enim is in nobis operatur, vt nos in illo, & ipse in nobis sit, idque per Spiritum sanctum & dona ipsius,quem suæ visibilis essentiæ lóco se missurum Ecclesiæ suæ recepit,per quem potentia, gratia, bonitate & veritate sua, qua sibi obedientes saluos reddit, manet in ea cunctis diebus, vsque ad consummationem seculi.Ioan.16 *Expedit vobis,vt ego vadam,si enim non abiero,Consolator ille non veniet ad vos:Sin autem abiero,mittam eum ad vos*. Rursum: *Ego rogabo Patrem & alium* (quàm scilicet me) *Consolatorem dabit vobis,vt maneat vobiscum in æternum,Spiritum veritatis,quem mundus non potest accipere, qui non vidit eum neque nouit eum, vos autem cognoscitis eum,quia apud vos manet,& in vobis erit.Non relinquam vos orphanos,veniam ad vos*,per hunc scilicet Spiritum veritatis.

Hic

Hic autem Scripturæ ſenſus haudquaquam confictus ac recens eſt: nam & in veteri Eccleſia docebatur vulgo,& tenebatur conſtãter, vt habetur in Decretis, diſtinct.2. cap.1. Et ſunt Auguſtini verba: *Donec mundus finiatur ſurſum eſt Dominus.Sed tamen hic nobiſcum eſt veritas Domini:Corpus enim,in quo reſurrexit,in vno loco eſſe oportet, veritas autem eius in omni loco diffuſa eſt.* Quamobrem docent,Chriſtum Dominum hoc ſuo altero exiſtendi modo, quem nos inuiſibilem vocamus, eſſe in miniſtris Eccleſiæ,verbo & Sacramentis, & per hæc poſtea omnes eum in ſe ſic fide recipere debent, vt per eam cum eis inhabitet, insitque per Spiritum veritatis , de quo dixit. In vobis erit. *Et iterum*, Veniam ad vos, &c.

Porrò etiam docent , per Chriſtum homines gratis fide in Chriſtum, per miſericordiam juſtificari , ſalutem & remiſſionem peccatorum conſequi,citra vllum humanum opus & meritum. Solam itémque ejus mortem ac ſanguinem , ad abolenda & expianda omnia omnium hominum peccata ſufficere docent. Sic enim in Actis Petrus concionatur : *Non eſt in alio quoquam ſalus , quàm in vno Domino Ieſu; nec aliud eſt nomen ſub cœlo datum inter homines , in quo nos oporteat ſaluos fieri.* Iterum: *Huic omnes Prophetæ teſtimonium ferunt, quòd remiſsionem peccatorum accepturus ſit in nomine ejus , quiſquis crediderit in eum.* Et Paulus ad Hebræos : *Per ſemetipſum purgationem peccatorum fecit* : Ac rurſum: *Per quem habemus redemptionem,per ſanguinem ejus , remiſſionem peccatorum.* Et Iohannes: *Aduocatum habemus apud Patrem,Ieſum Chriſtum juſtum,& ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm,ſed etiam pro totius mundi.* Rurſum Paulus: *Sanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel peractam.* Et nonnihil inferiùs: *Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui ſanctificantur.*

Docent ad hæc, vt omnes homines ad ſolum Chriſtum, pro venia & remiſſione peccatorum ſuorum,pro ſalute,& quavis alia re impetranda, per omne ſuæ vitæ tempus accedant. Hebr.4. *Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Ieſum Chriſtum Filium Dei,teneamus profeſſionem* (ejus ſcilicet fidei de Chriſto :) & ſubinfert : *Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, vt conſequamur miſericordiam, & gratiam inueniamus , ad oportunum auxilium.* Et Chriſtus ipſe clamat : *Si quis ſitit,veniat & bibat: Qui veniet ad me,non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet vnquam.*

Item docent,in eo vno fiduciam omnem & ſpem defigendam eſſe, in eúmque etiam omnem curam rejici debere. Et quidem his addunt, propter ipſum tantùm, ejúſque ſolius merita, Deum placari & propitium eſſe,nos diligere,tueri,& pro filiis habere, vitámque æternam in eo eſſe, ac eam per ipſum , poſſeſſuros , quotquot illi fidunt. Ioannis 6. *Qui credit in me , habet vitam æternam.* Iterum: *Hæc eſt autem voluntas eius qui miſit me, vt omnis qui videt Filium & credit in eum,habeat vitam æternam, & ego ſuſcitabo eum in nouiſſimo die.*

Item docent,quòd nemo fidem hanc ſuis viribus, voluntate & arbitrio habere poteſt: donum equidem Dei eſt, qui vbi,& quando illi viſum eſt,eam per Spiritum Sanctum in homine operatur, Vt ad ſalutem,quicquid ei per verbum externum & Sacramenta, à Chriſto inſtituta,ritè fuerit adminiſtratum,percipiat.

De hoc Iohannes Baptiſta ait, *Non poteſt homo habere quicquam, niſi fuerit illi datum è cœlo.* Et Chriſtus ipſe: *Nemo* (inquit) *poteſt venire ad me,niſi Pater,qui miſerit me,traxerit eum.* Et paulò inferiùs: *Niſi datum ei fuerit à Patre meo,* ſcilicet per Spiritum ſanctum.

Pergunt docendo, Sola fide ſeu fiducia in Jeſum Chriſtum juſtificari homines coram Deo, ſine vllis eorum ſtudiis, meritis,& operibus. Vt Paulus dicit, *Porrò ei qui non operatur, ſed credit in eum,qui juſtificat impium,imputatur fides ſua ad juſtitiam.* Iterum: *Nunc verò abſque Lege juſtitia Dei manifeſtata eſt,dum comprobatur teſtimonio Legis ac Prophetarum. Et hæc juſtitia per fidem Ieſu Chriſti,*&c. Alibi: *Per hunc omnis,qui credit,juſtificatur.* Et hic ſextus articulus, apud nos omnium maximè principalis habetur, vt qui totius Chriſtianiſmi ac pietatis ſumma eſt. Proinde eum noſtri omni diligentia & ſtudio docent ac tractant, omnibúſque inſinuare conantur.

ARTIC. VII.

DE BONIS OPERIBVS.

HIs addunt,vt qui ſola Dei gratia,fidéque in Chriſtum, juſtificati ſunt, bona opera, quæ Deus præcipit, faciant, dignéque in eis quiſque iuxta vocationem ſuam,in quocunque vitæ genere, ſtatu,ac ætate ambulet. Sic enim Dominus apud Matthæum: *Docete eos* (inquit) *ſeruare omnia,quæ præcepi vobis.* Verùm, cum de hoc multa paſſim extent in Scripturis,pluribus agere ſuperſedemus.

Atqui etiam docent,qua potiſſimum ratione & conſilio,bona opera ſint facienda,non ideò ſcilicet,vt per ipſa homines juſtificationem, ſalutem,peccatorúmve remiſſionem ſe conſequi arbitrentur: Nam & ipſe Dominus ait, *Cùm feceritis omnia,quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſerui inutiles ſumus.* Rurſum Paulus: *Ex operibus Legis non iuſtificabitur omnis caro in conſpectu eius.* Item Dauid: *Non intres Domine, in iudicium cum ſeruo tuo,quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.*

Sed facienda ideo bona opera docent,vt per ipſa approbetur fides: Sunt enim bona opera certa teſtimonia, ſignacula & indices, latentis intus viuæ fidei, & fructus eiuſdem, per quos dignoſcitur arbor bona aut mala, Matth. 7. Item vt per ea firmam certámque efficiant ſuam vocationem, atque in ea ſine peccato ſeruentur. Vt Petrus habet Epiſt. poſter. cap. 1. *Fratres, operam date, vt vocationem veſtram atque electionem firmam faciatis.* Et rurſum: *Omne adhibete ſtudium in hoc,vt refugiatis à corruptione quæ eſt in mundo per concupiſcentiam, & ſubminiſtrate in*

fide

fide vestra virtutem in virtute verò scientiam, &c Sequitur: *Hæc enim cùm vobis adsint & exuperent, haud otiosos, nec in irritum laborantes efficient vos, ad Domini nostri Iesu Christi cognitionem.*

Hanc etiam ob causam bona opera fieri docent, vt abundè subministretur introitus in æternum regnum, atque inde copiosior merces à Deo referatur. 2. Pet. 1. *Hæc enim si feceritis, non labemini vnquam, Siquidem ad hunc modum*, &c.

Præsertim autem, per misericordiæ opera & charitatis in proximum, eleemosynas, infirmorum curam, aliorum institutionem, & hoc genus alia, quæ promissionem gratiæ & præmii habent, id fieri docent. Luc. 6 *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est, Date & dabitur vobis, Remittite & remittetur vobis.* Alibi: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Parate vobis sacculos, qui nõ veterascunt, thesaurum nõ deficientem in cœlis.* Iterùm: *Cùm facis conuiuium, voca pauperes & debiles*, &c. *& beatus eris, quia non possunt rependere tibi, rependetur enim tibi in resurrectione justorum.* Et Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi, Esuriui enim, & dedistis mihi edere, Sitiui*, &c. *Amen dico vobis, quod fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Opera ergo in fide facta, placent Deo, & suam mercedem habent in hac vita, & in futura.

Docent etiam, vniuersa bona opera in nomine tantùm Christi Seruatoris, ad gloriam Dei esse facienda, vt Paulus scribit 1. Corinthiorum 10. & Coloss. 3. *Quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Iesu facite.* Et ipse Dominus, *Sine me* (inquit) *nihil potestis facere*, scilicet quod Deo gratum, vobísque ad salutem profuturum sit.

Cæterùm docent, vt sciamus discrimen inter opera ab hominibus instituta, & opera quæ à Deo præcepta sunt, & qua ratione vtraque facienda ac seruanda sint, Siquidem opera à Deo præcepta, neutiquam sunt prætermittenda, propter humanas traditiones, Dominus námque eos, qui diuersum faciunt, seuerè arguit: *Quare vos transgredimini præceptum Dei, propter traditiones vestras: & frustra colunt me, docentes præcepta, doctrinas hominum.* Ideò diligenter admonent opera ab hominibus instituta, non tanti facienda esse, quanti quæ Deus constituit & præcepit.

Item docent, fidem & charitatem, quæ dilectio est, tum Dei, tum proximi, fontes esse omnium virtutum & bonorum operum. In 1. ad Timoth. 1. *Finis præcepti est charitas, de corde puro & conscientia bona, & fide non simulata: Sine fide enim*, vt Epistola ad Hebræos habet, *fieri non potest, vt quis Deo placeat: Sine charitate autem, nihil est conducibile*, 1. Corinth. 13.

Docent præterea, neminem esse, qui præcepta à Deo opera, factis expleat. Neminem item esse, qui non peccet, quamlibet studiosè se in bonis operibus & Lege Dei exerceat, Sicut scriptum est: *Non est homo vllus in terra, qui operetur bonum, & non peccet.* Vnicuique igitur in Chri-

ſto Ieſu perfectio Legis, vita, juſtitia, ſalus ex merito & gratia ejus per fidem petenda eſt. Quicunque enim Chriſtum apprehenderint, ac in eum ſe abdiderint & inclinarint, qui pro omni credenti legem impleuit, omnia eorum per ejus ſanguinem eluuntur peccata, ſic vt transgreſſiones legis, non poſſint damnare credentes. Vnde Apoſtolus Rom. 8. *Nulla condemnatio eſt his, qui inſiti ſunt Chriſto Ieſu, qui non juxta carnem verſantur, ſed juxta Spiritum:* Chriſtus ergo cunctis credentibus eſt ſatisfactio, & vt Paulus habet *ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redemptio.*

ARTICVLVS VIII.

DE ECCLESIA SANCTA CATHOLICA.

DOcent primum, Chriſtum Dominum ſuo merito, gratia & veritate, Eccleſiæ caput & fundamentum eſſe, in quo ipſa per Spiritum Sanctum, verbo & Sacramentis ſuperſtruitur, vt Chriſtus ad Petrum ait: *Et ſuper hanc petram* (id eſt, me ipſum) *ædificabo Eccleſiam meam.* Et Paulus 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter hoc, quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus.* Idem *alibi: Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui omnia in omnibus adimplet.*

Etiamnum credere & confiteri oportere docent, Eccleſiam ſanctam Catholicam, quo ad præſentem ſtatum collectum in mundo eſſe Chriſtianos omnes, quibuſcunque hi in terris agant, aut vbivis locorum diſperſi ſint, qui per ſacrum Euangelij verbum ex cunctis gentibus, populis, tribubus & linguis, cujuſcunque hi ordinis, ætatis, ſtatúſve fuerint, in vnam Chriſti, ſanctæque Trinitatis fidem congregati ſunt. Vt à Iohanne in Apocalypſi ſcribitur: *Poſt hæc vidi, & ecce turba magna, quam dinumerare nemo poterat*, &c. Et Dominus: *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo* (in quacunque gente & populo) *ibi ego ſum in medio illorum.* Vbicunque enim Chriſtus prædicatur & ſuſcipitur, vbicunque verbum & Sacramenta ejus ſunt, & ex illius præſcripto ac voluntate diſpenſantur ſuſcipiunturque, ibi Eccleſia ſancta & ſocietas Chriſtiana eſt, ac Dei populus, quantus quantus fuerit corũ numerus: Vbi vero Chriſtus abeſt, verbúmque ejus rejicitur, ibi nec vera Eccleſia, nec populus Deo gratus eſſe poteſt.

Docent inſuper, Vt quiſquis in hac Eccleſia vnitatem Spiritus Chriſti teneat, omniáque ejus membra charitate complectatur, totúmque ſe in rem illius & vſum deuoueat ac conſecret, ſectas non inuehat, ſeditiones non excitet, ſed in vinculo pacis, & eodem cum omnibus conſenſu ac animo, in ea verſetur, quòd is ſit verum membrum Eccleſiæ. De hoc ſic Paulus ad Epheſios, *Hortor itaque vos, vt ambuletis ita vt dignum eſt vocatione qua vocati eſtis, in omni ſubmiſſione ac manſuetudine, cum animi lenitate, tolerantes vos inuicem per charitatem, ſtudentes ſeruare vnitatem Spiritus, per vinculum pacis,* &c. Iterum, *Vnuſquiſque no-*

ſtrum

strum proximo placeat in bonum ad ædificationem, & ne quid fiat per contentionem aut inanem gloriam. Item, *Cauete concisionem.*

De sua verò congregatione sic sentiunt & docent, quòd ipsa, vt aliæ quoque quantumvis magnæ aut paruæ fuerint, non est vniuersalis Ecclesia sancta, sed pars tantùm ac membrum ejus, vt Corinthij fuêre. De quibus Apostolus 1. Corinth. 12. *Vos autem estis corpus Christi & membra ex parte.*

Docent etiam, in Ecclesia ordinem seruari oportere, vt nemo suis tantum commodis studeat, néve etiam de se arroganter sentiat, sed singuli quæ aliorum sunt, quærant, non sua, & inuicem sibi subjiciantur propter Christum, ac suæ salutis causam. Et hunc subjectionis modum Petrus, itémque alij, leges quoque ipsæ, & veteres Canones ecclesiastici tradunt: ideo nostri eum summo studio obseruant.

Præterea docent, vt manifestè impij, impœnitentes & contumaces, id est, Ecclesiæ monitis non audientes, censura & pœna illius, quæ recepta appellatione, *anathema* dicitur, seu *excommunicatio*, coherceantur. Idque fieri sine personarum acceptione, in eos omnes, quorum nota est impietas, quique crassioribus peccatis addicti, sæpius admoniti adhuc in peccatis pertendunt.

Hisque conspicuis & apertis, qui resipere nolunt, cujuscunque status aut conditionis fuerint, Ecclesiasticæ aut secularis, non vi humana, sed verbo & interdicto Domini, qui sic fieri præcipit, à consortio Ecclesiæ excludentur. Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & argue eum inter te & ipsum solum: si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos: quòd si nec ita audierit, dic Ecclesiæ: quòd si nec Ecclesiam audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Paulus item. *Præcipimus vobis, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt subducatis vos ab omni fratre, qui inordinatè se gerit, & non juxta constitutionem, quam accepit à nobis.* Et alibi: *Profligate malum istum ex vobis ipsis.*

Adhæc docent, Hypocritas & impios, in occulto patrantes iniquitatem, in Ecclesia semper fuisse ac fore ad extremum vsque diem, qui neque argui, neque facilè excommunicari possunt. De his sic Dominus dicit, quòd *in die nouissimo tandem Angeli segregabunt eos de medio iustorum, & mittentur in caminum ignis, vbi erit ploratus & stridor dentium.*

Cæterùm docent, Antichristum illum scelerosum, sedere in templo Dei, hoc est in Ecclesia, de quo Propheta, Christus quoque & Apostoli præcinuerunt: pios omnes admonentes, vt sibi ab eo, eiusque erroribus caueant, neque se seduci à veritate patiantur.

Duplicem in Antichristo malitiam ac fraudem ponunt, Falsæ doctrinæ alteram, contra sensum & mentem Christi totamque Scripturam. De quo Apostolus: *Erit tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi Doctores, hi quibus pruriunt aures, & à veritate quidem aures auertent, ad fabulas conuertentur.* Alteram vitæ eius omni genere peccatorum plenæ & abominabilis: de qua

etiam Paulus 2. Timoth. 3. *Illud autem ſcito, quòd in extremis diebus inſtabunt tempora periculoſa: erunt enim homines ſui amantes, auari, faſtuoſi, ſuperbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati,* &c. Chriſtus etiam ait th. 24. *Tunc offendiculum patientur multi, & alius alium inuicem tradent, séque odio habebunt inuicem, & multi Pſeudo prophetæ ſurgent, ac ſeducent multos: & quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum, qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Alibi: *Væ mundo ab offendiculis,* &c. *Et beatus eſt, quiſquis non fuerit offenſus propter me.*

ARTIC. IX.

DE ORDINE ECCLESIASTICO, SEV PRAEFEctis vel Miniſtris Eccleſiæ.

DOcent, Miniſtros Eccleſiæ, quibus adminiſtratio verbi & Sacramentorum demandatur, ritè inſtitutos eſſe oportere, ex Domini & Apoſtolorum præſcripto. Vtque ad hòc munus obeundum vocentur ex plebe pia & fideli, viri pleni fide & inculpati, donáque habentes ad hoc miniſterium neceſſaria. Præterea vitæ conſuetudinem honeſtam, atque vt hi probentur priùs, tum demum à ſenioribus facta precatione, per manuum impoſitionem ad hoc munus, in cœtu confirmentur. Heb. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumitur.* Et ad Titum ſcribens Paulus ac Timoth. quoque ordinationis huius modum normámque tradit: *Tu igitur, fili mi, fortis eſto in gratia, quæ eſt per Chriſtum Ieſum, & in his quæ, audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui erunt idonei, vt alios quoque doceant.*

Quare apud nos ſacerdotis officio fungi, nemini ſanè permittitur, niſi is, vt decet, vocatus, & ſecundùm huiuſmodi præcepta inſtitutus fuerit. E veſtigio eorum qui ſic ad miniſteriumE ccleſiæ allecti ſunt, patres eſſe docent, diligentem curam animarum ipſis creditarum gerere, illiſque Euangelij verbum & Sacramenta, iuxta Chriſti inſtitutionem fideliter miniſtrare., ac præbere ſeſe exemplum bonum ad imitandum omnibus, pro illis Deum, vt à peccatis & erroribus liberentur, deprecari. Et quæ illius voluntas ſit in omnibus, per Scripturas exquirere Petri 5. *Paſcite eum, qui in vobis eſt gregem Chriſti, curam eius agentes, non ex neceſſitate, ſed vltrò, non turpis lucri ſtudio. ſed animo per ſe propenſo.* Et paulus: *At tu vigila in omnibus, obdura in afflictionibus, opus perage Euangeliſtæ miniſterium tuum ad plenum probatum reddito.* Iterum: *Eſto igitur forma fidelium, in ſermone, in conuerſatione, in dilectione, in ſpiritu, in fide, in puritate, donec venero, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ, ne neglexeris quod in te eſt donum, quod datum eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum, authoritate ſacerdotij, hæc exerce, in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit in omnibus, attende tibi ipſi, & doctrinæ, perſiſte in his: nam id ſi feceris, te ipſum ſeruabis, & eos qui te audierint,*

Cæterùm

Cæterùm docent, vt officio Ecclesiasticæ administrationis fungentes, eam doctrinam in Ecclesia teneant, quæ nihil à sacris canonibus deflectat, eámque vnanimiter omnes eodémque spiritu profiteantur. Timot. 1. *Formam habeto sanorum sermonum, quos à me audiuisti, cum fide & charitate, quæ est in Christo Iesu*, &c. Ac iterum: *Renuncies quibusdam, ne diuersam sequantur doctrinam.*

Insuper docent, ne vlli qui Ecclesiis præficiuntur, quenquam supplicio, vi, aut minis per se, per aliósve, ad finem cogant, nec dominentur Ecclesiæ, aut in fidem dominium exerceant. Matthæi 20. *Scitis quòd Principes gentium dominantur illis, & qui magni sunt, potentiam exercent in eos, non ita erit inter vos; sed quicunque inter vos voluerit magnus fieri*, &c. Et Petrus, *non tanquam dominantes in hæreditatem, sed sitis forma gregis.* Rursum Paulus: *Non quòd dominemur vobis ratione fidei, sed adiutores sumus vestri gaudij in Domino.*

Debent autem Ecclesiæ ministerio admoti, iuxta quod Paulus ad Timotheum & Titum præscribi, *malos & aduersantes veritati, patienter ferre, nitique, vt Scripturarum testimoniis eos conuincant, Christoque lucrifaciant.*

Docent etiam, vt Sacerdotes negotijs secularibus non occupentur, præsertim verò, vt ab statu coniugij liberi sint, quò aptiores sint & expeditiores ad seruiendum proximi commodis & Ecclesiæ. Etenim coniugium multa secum adfert impedimenta, quæ multos, quò minùs bene respondeant suæ vocationi, remorantur. Proinde nostri idoneos magis, habilioresque ad Ministerium Ecclesiæ existimant cœlibes, si quibus tamen hoc peculiare donum à Deo datum fuerit.

Non quòd Sacerdotes peccare putent, si matrimonium contrahant, si id moneat necessitas, sintve ad hoc aliæ justæ rationes. Nam & Paulus apertè docet, ad Ecclesiastica munia tractanda, vnius vxoris viros eligendos esse.

Nec ita inique iudicant, quin honestum ac legitimum coniugium, multis nominibus præferant, impurissimo quorundam cœlibatui, qui in manifesta turpitudine viuunt, ventri ac scortationibus dediti. In professo enim illud Pauli est: *Melius est nubere quam vri*: nam ob huiusmodi flagitia, tam fœdæ ac nefariç libidinis, quæ multi exercent, non Sacerdotes modò, sed quisquis alius etiam, citra personarum respectum, meritò à communione Ecclesiæ exigi debet.

Necnon docent, quòd tota plebs ac populus, his qui Ecclesiis prçficiuntur, vltro subjici & parere debet, ac in his, quç ad salutem spectant, ab illis dirigi, eósque honore afficere. Lucæ 10: *Qui vos audit, me audit, & qui vos recipit me recipit.* Et Apostolus: *Parete his qui præsunt vobis, & concedite: Siquidem illi vigilant pro animabus vestris.* Rursum: *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in sermone & doctrina.*

Hinc quoque docent, Aduictum pertinentia, illis prospicienda suppeditandáque esse, vt Paulus ait, *Dominus ordinauit, vt qui Euangelium annunciant, ex Euangelio viuant.*

Item docent, vt qui possunt, & non perinde labore multo, in negotijs populi occupantur, nec alio aliquo modo impediti sunt, ipsi sibi suis manibus victum parent, ne alijs oneri sint, neu etiam otientur & desides sint (nam & otium seditiosum est), & ne oneri Ecclesiæ sint: in hoc Pauli exemplum sequentes, Actorum 20. Meminisse oportet verborum Domini Iesu, quoniam ipse dicit, *Beatius est dare quàm accipere.*

Si verò contingat apud nos, quempiam ex ordine sacerdotum in crimen aliquod, aut errorem prolabi, aut sui officij esse negligentiorem, is principio paternè admonetur. Deinde fraterna castigatione corripitur, qui si pertinax esse, & fratrum ac totius Ecclesiæ monita contemnere pertendat, is primùm omni Ecclsiastico ministerio & functione priuatur, postea etiam ab ipsius Ecclesiæ communione excluditur, tanquam seruus inutilis, membrum putridum, ramus arefactus, sal infatuatum. De quo Dominus ait: *Ad nihil valere vltra, nisi vt proiiciatur foras.* Et Paulus ad Timoth. cap. Peccantes (nempe Sacerdotes) coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.

Item docent, vt populus erga hujusmodi Sacerdotes erroneos, sectarios, facinorosos ac impœnitentes, autoritate Ecclesiæ excommunicatos sic se gerat, quemadmodum Scriptura præcipit: *Cauete vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos.* Et Paulus Rom. 5. *Obsecro autem vos, fratres, vt consideretis eos, qui dissidia & offendicula contra doctrinam, quam vos didicistis, gignunt, & declinetis ab illis. Nam qui ejusmodi sunt, Domino Iesu Christo non seruiunt,* &c.

ARTIC. X.

DE VERBO DEI.

DEinde docent, quòd verbi Dei seu Euangelij prædicatio, est ministerium a Christo institutum & præceptum. Matthæi vltimo: *Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ.* Item Petrus Actor. 10 *Præcepit nobis Dominus, vt prædicaremus.*

Et hæc administratio verbi apud nostros principalis habetur, omniúmque maximè fit, vt quæ plus ad salutem conferat ac necessaria sit, quam Sacramenta ipsa. Vt Paulus ait: *Non misit me Christus vt baptizarem, sed vt Euangelizarem*, nempe præcipuè ac primò: Per ipsum námque Euangelium, ejúsque prædicationem, fides, intus eam Spiritu Dei suggerente, acquiritur: Sensus deinde ac voluntas ejus Christíque, circa Sacramenta, & res alias, quæ ad salutem faciunt, cernitur.

Docent etiam, tenere discrimen inter vim Legis & Euangelij, quòd

quòd illud quidem ſit adminiſtratio mortis: hoc autem adminiſtratio vitæ & gloriæ per Chriſtum. 2. Corinth. 3. *Litera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Et Ioannis, *Verba quæ loquor vobis, Spiritus & vita ſunt.*

Concedunt inſuper, quòd veram fidem nemo adſequi poteſt, niſi verbum Dei audiat. Iuxta illud Pauli: *Fides ex auditu, auditus verò per verbum Dei.* Et iterum: *Quomodo autem credent in eum, de quo non audierunt.* Igitur noſtri omnem operam nauant, vt verbum Euangelij, impermixtum humanis traditionibus, in Eccleſia doceant ac prædicent. Proinde ipſa Euangelia, nec non alias Scripturas, lingua vulgari in templis legunt: ac ita demum populo interpretantur, & ferias ac ſtatos dies habent juxta veterem morem, quibus ad audiendum, omnes conueniant.

ARTIC. XI.

DE SACRAMENTIS.

DOcent imprimis, Sacramenta per Chriſtum inſtituta, ad ſalutem neceſſaria eſſe, quorum beneficio fideles, meritorum Chriſti participes redduntur conſortéſque fiunt. Si quis autem ſtudio ea contempſerit, aut non dignè æſtimarit, aut iis quocunque modo alio, quàm voluntas & præceptum Chriſti eſt, vtatur, eum grauiter in illorum authorem, Chriſtum, peccare dicunt.

Si vero vſu veniat, vt quiſpiam verè cupiat, juxta mentem & mandatum Chriſti, Sacramentis communicare, ſed tamen re aliqua impeditus, carcere, ægritudine, aut captiuus, ad alias gentes abductus, vel ab inimicis hoſtibúſque fidei oppreſſus, &c. tam ſalutaris ſui voti compos fieri nequeat. Hunc ſic ſtantibus rebus, ſi modò purè integréque Euangelio credat, per ſolam Chriſti fidem, haud dubiè ſeruatum iri.

Docent deinde, quòd Sacramenta per ſe, vel vt quidam dicunt ex opere operato, his qui priùs bono motu non ſunt prẹditi, & intus per Spiritum Sanctum viuificati, non conferunt gratiam, nec fidem illam juſtificantem, quæ mentem hominis Deo per omnia obſequentem, fidentem ac morigerum reddit, largiuntur. Præcedere enim fidem oportuit (de adultis loquimur) quæ hominem per Spiritum ſanctum viuificet, & cordi bonos motus injiciat: Sine fide enim, nec ſalus nec juſtitia eſt, nec vlli Sacramenta proſunt.

Huius quidem rei, in ſacris literis, aperta nobis exſtant teſtimonia, præſertim autem in Iuda Iſchariote, qui ab ipſo Chriſto Sacramenta acceperat, & ſacerdotij, concionatoriſque munere functus eſt. Itidem in Anania & Zaphira eius vxore, ab Apoſtolis Baptiſmi lauacro tinctis, & vt credere fas eſt, Cœna quoque Dominica vſis; Qui tamen in colligatione malitiæ & nequitiæ, & mendacio in Spiritum Sanctum permanſere, nec Sacramenta ab eis, malum hoc amolita ſunt, neque

fidem viuificam, quæ securam tranquillámque conscientiam, & cor Deo auscultans ac subditum reddit, illis donarunt. Perinde ac Circumcisio & sacrificia legis eam fidem, quæ & justificat & viuificat, non conferebant.

In hac sententia Paulus est, Romanis scribens, cap. 4. Abraham in exemplum adducens, quem cum adhuc in præputio esset, iam tum eum justitiam fidei habuisse astruit. Et de populo Israelitico alibi dicit, quòd *similiter baptizati erant, eandem escam spiritualem pariter comedebant, eundémque potum spiritualem bibebant:* Attamen plures illorum non approbauit Deus, sed ab eo reiecti & prostrati sunt in deserto.

Enimverò, si quis indignè ad Sacramenta accesserit, non is per ea dignus aut mundus redditur, sed inde sibi tantùm peccatum majus & damnationem accersit. Hoc clarè Paulus ostendit: *Quisquis* (inquiens) *ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Et iterum: *Iudicium sibi ipsi edit & bibit, non dijudicans corpus Domini.*

Docent præterea hic nostri, Sacramenta ex Christi instituto, suam perpetuò retinere efficaciam, testificandi videlicet & confirmandi: Dignis quidem præsentem gratiam & salutem, indignis autem peccatum & condemnationem, seu illa per bonos, seu per indignos & malos hypocritas, & occultè impios administrentur. Et donec hujusmodi hypocritæ suis flagitijs ac sceleribus prodantur, vt juxta morem ac ritum Ecclesiæ argui possint. Et si contumaces tandem fuerint, à consortio ejus exigantur, Sacramenta per ipsos administrata, si modò juxta mentem ac institutionem Christi administrentur, sunt recipienda: Non enim Sacramenta propter exhibentem illa, qualis qualis sit, neque ob eum qui ea suscipit, sed propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia.

ARTIC. XII.

DE BAPTISMO.

Docent item, quòd Baptismus sit salutaris administratio, à Christo instituta, & Euangelio adiecta, per quem ipse Ecclesiam suam purificat, emundat & sanctificat, in morte & sanguine suo, vt Paulus dicit: *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, vt illam sanctificaret, mundatam lauacro aquæ per verbum.* Et hanc de Baptismo fidem, soli tantùm nostri Ecclesiastæ in Regno Bohemiæ ac Marchionatu Morauiæ Scripturis ab his vindicarunt, qui credunt, confitentur ac scribunt, Baptismum, sordes tantùm corporis abstergere, animæ autem in salutem nihil prodesse.

Item docent, Pueros in salutem baptizandos esse, Christóque consecrandos, iuxta eius verbum: *Sinite pueros ad me venire, ne prohibete illos, talium est enim regnum Dei.* Nostri itaque his Domini verbis innixi,

pueros

pueros in nomine sanctæ Trinitatis baptizant. Etenim vniuersalis est locus: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti.* Nec deinceps eos rebaptizant , nec rebaptizarunt , vnquam.

Etsi olim eos rebaptizarint, qui ex alijs, Ecclesijs nostris ascribi petiissent. At neque hunc rebaptizandi morem illi inuexerunt. Sed cum in causa fidei ac religionis aduersus Bohemos , armis Romani decertarent , amborúmque Ecclesijs præfecti Scripturis contenderent, ac ijs vtrique alteros erroris astringerent, post multa vicissim in se jacta conuicia, res tandem eò deducta est, vt sese, tum Sacerdotio, tum Sacramentis, atque adeo toto planè Christianismo exuerent. Tum per loca alij aliorum Baptismum repetebant, perstantibus istis in summo odio, cum professionis nostræ majores, jam tum ab eis segregati , peculiarem suam seorsum haberent congregationem , & Sacramenta administrarent , omnes Ecclesijs suis adscenseri volentes , rebaptizabant. Insignes multas ad hoc habentes causas ac occasiones , non à præsentibus modò id temporis, sed etiam à veteribus plerisque summæ autoritatis, pietatis ac eruditionis viris, præbitas: Præsertim verò à diuo Cypriano, Martyre Christi, tum ab aliis quoque non paucis, qui illius causæ patrocinabantur Episcopis, qui omnes in Affrica rebaptizabant Scripturis (vt ipsis videbatur) probantes, ab hæreticis baptizatos, rebaptizandos esse.

Is autem rebaptizandi modus , hucvsque in Ecclesiis nostris extitit, donec certior ejus rei intelligentia non accessit. Posteaquam verò Dei benignitate progressu temporis , veritatis lumen nostris clariùs illuxit, ipsique scripturam diligentiùs excusissent, adjuti etiam doctorum virorum quorundam ope, Repabtismum hunc, nihil Ecclesiæ opus esse compererunt: Ideóque continuò eum, omnium calculis tolli curarunt. Abrogata itaque est vnanimi omnium nostratium consensu iteratio illa Baptismi, nec vsquam jam apud nos reuocatur Baptismus. Tametsi sacerdotes quidam, & quos Bohemiæ & Romanæ partis vocant, vt olim, ita nunc quoque nostros rebaptizent, parentibus plærúmque inuitis ac reclamantibus.

Quidam præterea conjugia nostrorum dirimunt ac rursus copulant , & vi eò etiam homines cogunt : sed juste mala hæc nobis irrogentur nec ne, Deo ipsi bonísque omnibus nolentes malum malo pensare, judicandum relinquimus.

Docent etiam nostri, quòd quisquis Baptisma susceperit, Christóque per id in mortem ejus consepultus fuerit , vt is deinceps in nouitate vitæ ambulet, &c. Verum si ex Euangelij prædicatione, nec certam in Deum fiduciam, nec erga eos omnes, qui regenerationis lauacro Christo inseruntur, charitatem consequatur, nec dignè sua vocatione ambulet, studiosè sedulóque curans placere Deo, nec in eo etiam vno, spem vitæ æternæ collocet, is equidem Baptismi gratiam ac

S. Trinitatis nomen, quod super eum inuocatum est, in vanum se suscepisse testatur. Quod Deum olim grauiter vlturum esse Scriptura comminatur.

ARTIC. XIII.

DE COENA DOMINI.

Dominicam Cœnam, seu Sacramentum Eucharistiæ ministerium esse à Christo institutum, deinde Apostolis, & per hos ejus gratia & bonitate, toti Ecclesiæ ad communem omnium vsum, salutémque exhibitum docent. Quemadmodum Euangelistæ testantur, & Apostolus, cujus verba vniuersa recinit Ecclesia: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis; quoniam Dominus Iesus, in ea nocte qua traditus est, accepit panem*, &c. Et aliquanto inferiùs: *Itaque fratres mei, cùm conuenitis ad manducandum* (hanc videlicet Cœnam) alius alium expectate.

Item, & hîc corde credendum ac ore confitendum docent, panem Cœnæ dominicæ verum corpus Christi esse, quod pro nobis traditum est, Calicémque verum sanguinem ejus, qui pro nobis in remissionem peccatorum fusus est, vt Christus Dominus apertè dicit: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, &c.

Docent etiam: quòd his Christi verbis, quibus ipse panem corpus suum, & vinum speciatim sanguinem suum esse pronunciat, nemo de suo quidquam affingat, admisceat aut detrahat, sed simpliciter his Christi verbis, neque ad dexteram neque ad sinistram declinando credat.

Horum verborum, dum à quibusdam in Regno Bohemiæ & Marchionatu Morauiæ, simplex ac germanus sensus oppugnaretur, silentque hi, quorum intererat, id Scripturarum authoritate tueri ac vindicare. Nostri tantùm prodiere, & Scripturis euicerunt, vt simpliciter his Christi verbis fides habeatur, atque ob id multorum calumnias, ronchos, sannas, obtrectationes, apertáque conuicia sustinent.

Est autem duplex Aduersariorum genus, qui nostratibus semper hæreticum nomen objiciunt: Quidam enim eorum confessioni, quam tamen candidè ac Syncerè reddunt, nec itidem doctrinæ, cui etsi cum ipsis nihil conueniat, ab Scripturis tamen in ea nihil dissentit, non credentes, ferunt nostros multa secus ac intus sentiant, verbis eloqui. Præterea etiam blasphemos esse in Sacramentum corporis & sanguinis Domini. At vetus hæc Sacerdotum calumnia est, qua illi nostros, Christiano nomine apud vulgus spoliare conantur. Sed hanc nostri jam pridem refellerunt, ac nunquam non refellere parati sunt, & multorum indubitabili fide ac firmissimis argumentis ostenderunt, se nunquam, quales eos Aduersarij faciunt, fuisse, esse, nec, Deo volente, futuros.

Sed quis bonus de quopiam Aduersarijs credat? Et nos cum in Fratrum

trum doctrina ac religione exploratiſſima quæque habeamus, nihil horum de quibus accuſantur, niſi malorum fraudes & dolos reperimus: Quin & hoc omnibus conſtat, eos in multos, veritati & Sacramentis aduerſantes, ſæpius ſcripſiſſe.

Quidam rurſus phanatici Spiritus, in verbis Chriſti non manentes, hanc in noſtris ſacræ Synaxeos confeſſionem defenſionémq; ſummo odio proſequuntur: Panem námque & calicem Cœnæ, quam hîc cum Paulo *Dominicam* vocamus, verum Chriſti corpus & ſanguinem eſſe pernegant. Atque hi noſtros, quibus cœperunt conuiciis, indeſinenter perfundunt. Eos propter hanc Cœnæ Dominicæ fidem ac confeſſionem, Papiſmi feces, ac beſtiæ caractere ſignatos, Idololatras, Antichriſtos, nunc meretricem illam, de qua Ioannes in Apocalypſi vaticinatur, & ſi quo grauiori nomine poſſunt, appellantes. Et hoc genus maledictis ac blaſphemiis eos criminari non ceſſant. Hæc omnia noſtri, Euangelij gratia, quod pro inimicis etiam deprecari jubent, patienter ſufferunt.

Docent ad hæc, in hujus Sacramenti adminiſtratione nihil aliud faciendum eſſe, niſi quod his clariſſimis Chriſti verbis oſtenſum & præceptum eſt: Qui diſcipulis panem præbens, ait: *Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum. Et accepto poculo, gratias egit ac dixit: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus, Noui teſtamenti, qui pro multis effunditur, in remiſſionem peccatorum.* Ac ita juxta hoc Domini præceptum docent, corpus & ſanguinem ejus, promiſcuè ab omnibus, ſub vtraque ſpecie, quemadmodum ab eo ſeorſum & per ſe inſtituta & ordinata eſt, & primitiua, etiam Eccleſia, hoc integro Sacramento vſa eſt, ſumi oportere. Quòd ſi quis temerario auſu, contra hanc Chriſti inſtitutionem quidpiam facere attentarit, is in Chriſtum ejus autorem, ipſiúſque voluntatem Scripturæ verbis expreſſam, peccat.

Inſuper, Sacramentum hoc, cum animi puritate, reuerentia ac fide, percipiendum docent, nec non imprimis & ſui ipſius probatione, quę vt hîc hominibus neceſſaria & vtiliſſima eſt, ita & Chriſto gratiſſima. Vt in veteri Eccleſia Paulus docuit: *Probet autem*, inquiens, *ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: Nam qui edit aut bibit indignè, judicium ſibi ipſi edit & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Et alibi: *Vos ipſos tentate, num ſitis in fide; vos ipſos probate; an non cognoſcitis voſmetipſos, quòd Ieſus Chriſtus in vobis eſt. Niſi ſicubi reprobi eſtis.* Qui verò non priùs in ſe deſcenderit, nec ſecum antè reputarit, qua fide, quóve animo ad hoc Sacramentum accedat, is Sacramentum ipſum contumelia afficit, totámque hanc Chriſti ordinationem contemnit. Proinde qui Eccleſiis præſunt apud nos, neminem ad hoc Sacramentum admittunt, niſi quantum in eo eſt, ſe antè probet & excutiat, ſéque erga Sacramentum hoc reuerenter gerat.

Vbi verò ſacræ hujus Cœnæ communio fieri debet, juxta veteris Eccleſiæ morem, de Chriſto ac morte ejus, de gratia ſalutéque per fi-

dem,interueniente illius sanguine cunctis oblata,de immensis bonis quæ per fiduciam mortis ac sanguinis sui, ipse in credentibus operatur concio fit. Et simul deinde cum toto cœtu populi precationes fiunt,Ministri verò Dominicę Cœnæ verba referentes,plebem ipsam ad hanc fidem hortantur, vt corporis Christi præsentiam adesse credant.Et procumbentibus interim in genua distribuunt. Plebs autem ipsa cum gratiarum actione sumit, in hymnis & canticis spiritualibus,beneficia Dei recolens,totam se in hoc impendit ac exerit,vt juxta Christi verbum hoc faciat,In ejus commemorationem.Quod equidem sic Paulus interpretatur:*Quotiescunque comederitis panem hunc,& de poculo biberitis*,mortem Domini annunciabitis,donec venerit.

ARTICVLVS XIIII.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA, SEV de Clauibus.

ET hîc docent,vt credatur Claues à Christo Ecclesiæ traditas esse, de quibus ipse ad Petrum pro omnibus ait; *Tibi dabo Claues Regni cœlorum:* Has autem esse administrationem Christi, Ecclesiæ eiusque Ministris traditam, quæ in ea ad præsentem vsque diem perseuerat, nec finem acceptura est ante mundi consumptionem.

Huius administrationis munus & autoritas, ex Christi mandato & officio, vt diuinæ referunt literæ, est, in Ecclesia scelerosos & impœnitentes corrigere ac ligare, eisque regnum cœlorum claudere, hoc est, à Christo Ecclesiæque vsu & participatione excludere. Et è contra verè pœnitentes absoluere, in conscientia tranquillos reddere, in spe certa salutis ac fide collocare, sicque eis regnum cœlorum aperire,& aduersus omnes tentationes ac illius hostis assultus, terriculamenta & præstigia instruere ac roborare. Id verò non sua potestate & arbitrio,sed tanquam dispensatores Mysteriorum Dei, ministri ac serui Christi autoritate, eius verbo & Sacramentis facere debent.

Munus namque illis ac officium suum committens Dominus, ita ait Ioan. *c.*20. *Sicut misit me pater,ita & ego mitto vos: Accipite Spirit.Sanctum, quorumcunque remiseritis peccata,remittentur eis, quorumcunque retinueritis, retenta sunt.* Et hic clauium vsus ac autoritas, in incestu illo Corinthi declarata est.Quoniam Paulus ipse, interdicto Domini,vna illic cum Ecclesia excommunicauit, ac Satanæ tradidit, qui hoc scelus admiserat.Rursus vbi Dei beneficio resipuisset,absoluit,& in Ecclesiæ Sacramentorúmque communionem recepit.Hoc itaque pacto ei regnum cœlorum reclusit.

Docent item,quòd claues Domini seu hæc clauium administratio & potestas,primò Præfectis & Ministris Ecclesiæ,deinde etiam cuiq; Chri-

Christiano cœtui, vt maximè pauci in eo fuerint, concessa & tradita est, vt Domini verba clarè testantur: *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo; vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

Post hæc docent, quòd quisquis his clauibus, quoties opus habuerit, per Sacerdotem Ecclesiæ, cui ascriptus est, vtatur, tam certò sibi credat, virtute clauium remitti peccata, quàm si à præsente Domino absolutionem acciperet, cum sacerdos Domini officium gerat, & ab eo hanc authoritatem traditam habeat, quemadmodum ipse in Joanne dicit: *Quorumcunque remiseritis peccata*, &c. Ac iterum: *Qui vos audit, me audit*. Rursum: *Qui vos accipit, me accipit, & qui vos spernit, me spernit.*

Admonent etiam, vt qui in Ecclesiæ ministerio sunt, his clauibus duntaxat, juxta ordinationem & voluntatem Christi, verbo eius rectam, non autem, vt ipsis collibitum fuerit, ex propensione animi sui, vtantur, ne prophecicum illud compleatur in eis: *At nunc ad vos mandatum hoc ô Sacerdotes! si volueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum. Mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis, &c.*

ARTICVLVS XV.

DE TRADITIONIBVS HVMANIS.

HVmanas traditiones, ritus & consuetudines, quæ nihil pietati aduersantur, in publicis conuentibus seruandas docent. Quemadmodum monet Apostolus, *omnia decenter* (in Ecclesia videlicet) & *secundùm ordinem fiant*. Alibi: *State & tenete institutiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.*

Verùm hujusmodi traditiones, ritus aut ceremonias, quæ Christi gloriam, atque adeo gratiam obscurant, plebem à veritate & fide abducunt ac retrahunt, diuinis præceptis æquantur aut præferuntur aut earum nomine, si quis illa transgreditur, verbi Dei sincerum vsum relinquat, vitari & reiici docent. Scribas enim ac Pharisæos, harum traditionum obseruantes, dure arguit Dominus apud Marcum cap. 7. *Bene vaticinatus est Esaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me, in vanum autem me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Nam omisso præcepto Dei, tenetis constitutiones hominum.*

Et Paulus etiam huiusmodi traditiones caueri vult. Col. 2. *Videte ne quis sit, qui vos deprædetur per Philosophiam & inanem deceptionem, juxta constitutionem hominum, juxta elementa mundi, & non iuxta Christum.* Hoc equidem & Canones tradunt dist. 8. præsertim autem 11. cap. *Consuetudinem*, Vbi sic scriptum legimus: *Consuetudinem laudamus, eam tamen, quæ contra fidem Catholicam nihil vsurpare dignoscitur.* Quamobrem nostri eos ritus tantùm & traditiones, quæ fidem, cultum Dei, aliáque bona

inter fideles prouehunt, alúntque, concordiam & pacem in populo conciliant & retinent, ac politiam & harmoniam quandam constituunt, quoscunque tandem authores habeant, Synodum, Pontificem, Episcopum aut alium quemvis, seruandas docent. Nulli siquidem in illarum authoribus offendi debent, quo minus, si nihil habent incommodi, eas obseruent.

Summè tamen cauendum est, ne nos à grauioribus, magísque principalibus rebus abstrahant. Etenim per omnia humanis diuina præferenda sunt. Ad hæc enim præcipuè referendus est animus, nihil interim morantes traditiones, si quid impietati ancillentur. Nam & Iudæorum primores, qui suis traditionibus diuina præcepta posthabebant, Christus sic in Euangelio increpat: *Reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam ac fidem; hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Et quidem multi hodie apud nos veteres ritus Ecclesiastici adhuc retinentur, vtpote ieiunia quædam, condictæ ac prçstitutæ feriç, quibus vt sacris intersit populus conueniat. Matutinç & vespertinæ precationes, Dies Dominicus, Festi dies Christi, Natiuitatis, Passionis, Resurrectionis, &c. Præterea Sanctorum memoriæ celebrantur, vt beatissimæ Virginis, Apostolorum, & aliorum item, sed eorum præsertim, quorum Scriptura meminit.

Hæc autem omnia apud nos, verbi & cultus diuini gratia fiunt. Quanquam etiam nostri, non omnium ritus ac mores seruant, quod neque fieri potest, neque vt vbi vbi in omnibus Ecclesiis idem ritus & ceremoniæ seruentur, necessarium est. Nullo tamen bono pióque ritui aduersantur, nec aduersari animus est. Etsi huiusmodi ritus nonnulli, non perinde necessarij videantur, modò tamen nihil obsint pietati, nec quicquam fidei, quæ vna & iustificat & beatos reddit, detrahant, non rejiciendos putant.

Itidem docent, quòd multis traditionibus, vt olim sub Mose, non est grauanda Ecclesia. Nam id & Apostoli fieri vetuerunt, vt ad quosdam, obseruationem legalium vrgentes, Petrus in actis dixit: *Quid tentatis Deum, vt imponatur iugum super ceruices discipulorum? quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* Et alicubi Paulus: *Videte inquit, ne iugo seruitutis implicemini.*

Christus quoque traditionum mole onerantibus populum, seueriùs interminatus est, dicens: *Et vobis legisperitis, væ, quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt.*

Ad hæc docent, Humanas traditiones pro inuiolabilibus ac æternis legibus, non haberi oportere. Verùm quemadmodum certis ac iustis causis feruntur, ita etiam aliis causis ac rebus exortis, & diuersum monentibus, liceat eas absque peccato violare etenim Apostoli traditiones seniorum transgrediebantur, cùm illotis manibus edebant panem, nec iterum cum cæteris ieiunabant, at vtrobique tamen, cùm excusentur à Christo, sine peccato erant. Ac rursum in primitiua

Ecclesia

Ecclesia Apostoli, cum aliis sanctis vnanimiter congregati, per Spiritum sanctum, vt *fideles se ab idolothytis, sanguine & suffocato abstinerent*, decreuerunt. Postea autem cessantibus iis, ob quæ id tum sanciebatur, cessat etiam & præceptum.

Docent deinceps, ne ob ceremoniarum, consuetudinum & rituum discrimina, quę in variis Ecclesiis inter Christianos videre est, nec reclamant aut officiunt pietati, alij in aliis offendantur, aut se vicissim contemnant, oderint & persequantur. Neu etiam sectas aut seditiones excitantes, se ab Ecclesiæ vnitate alienent & distrahant, cùm nunquam in Ecclesiis eædem fuerint, nec nunc quoque sint. Quod quidem etiam, & Patrum Decreta palam ostendunt, Dist. 12. capite *scit. Scit sancta Romana Ecclesia, quòd nihil obsunt saluti credentium, diuersa pro loco & tempore consuetudines, si illis Canonica non obstat authoritas.* Cuique autem in Ecclesia ad pacem conscientiæ suffecerit, si vno, omnes Christi fideles, Spiritu præditi sint, hoc est, si in doctrina & fide consentiant, *Qui enim Spiritum Christi non habet*, vt Apostolus dicit, *hic non est* eius. Qualescunque tandem ritus, ceremonias aut traditiones obseruet.

Qui ergo sunt Christi tanquam vnius corporis membra, se inuicem fouere ac iuuare debent, & sufferre per charitatem, citra quam, vt Paulus ait, *nihil, quod in salutem cuipiam cessurum sit, effici potest.*

ARTIC. XVI.

DE POTESTATE SECVLARI.

Docetur hîc apud nos iuxta Scripturas, quòd sublimior potestas seu Magistratus secularis, Dei ordinatio sit, vt in iis, quæ politica & temporaria sunt, populus regatur. De hoc illustris est Pauli locus: *Non enim est potestas nisi à Deo, quæ verò sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt.*

Docent ad hæc, vt qui in potestate sunt, publico munere magistratúque funguntur, quemcunque gradum teneant, se non suum, sed Dei opus agere sciant, quódque eis eorum aliorúmque Dominus & Rex summus sit, cui etiam, quòd dispensationis suæ rationem in supremo die reddituri sunt meminisse oportet. Et hæc sententia multis verbis apud Philonem, tum alias quoque tractatur, monéntque, vt Magistratus loci huius Psaltæ subinde recordentur. *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, Apprehendite disciplinam, seu osculamini filium.* Christum videlicet, Regem omnium & judicem summum, cum affectu, *ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via, cum exarserit in breui ira eius, Beati omnes, qui confidunt in eo.*

Insuper eos qui Magistratum gerunt beneficos esse hominibus oportere docent. Vt ipse Dominus ait: *Qui in alios potestatem habent, be-*

nefici vocantur. Sunt autem Magiſtratuum partes ac munus, omnib. ex æquo jus dicere, in communem omnium vſum, ſine perſonarum acceptione, pacem & tranquillitatem publicam tueri ac procurare. De malis ac facinoroſis, hanc interturbantibus, pœnas ſumere, alióſque omnes ab eorum vi & injuria vindicare. Certum eſt enim, Magiſtratus ſeruire Deo, ejúſque opera tractare, cùm & Dii vocentur: ideóque vt ejus voluntatem faciant, adniti debent. Nam & Paulus, *Magiſtratus Dei miniſtros* appellat, *& ad malorum vindictam, ad laudem verò bonorum poſitos eſſe dicit.*

Docent quoque, verbo Dei præcipi, vt omnes ſublimioribus poteſtatibus per omnia ſubdantur, in his tamen, quæ Deo ejúſque verbo non aduerſantur. Primùm verò Regiæ Majeſtati tuæ, deinde quibuſcunque aliis etiam, in eminentia & Magiſtratu conſtitutis, tum bonis, tum indignis ac malis. Vtque illos cuncti eorum in locis ac ditionibus, aliáſque pro gradu & officio, ſuo quemque honore afficiant & reuereantur, omne debitum illis perſoluant, cenſus ac tributa, vt quiſque tenetur, ſic pendat.

Quòd autem attinet ad eas res, quæ animarum, fideique & ſalutis ſunt, docent, Tantùm Dei verbo, ejúſque miniſtris audiendum eſſe, vt Chriſtus ipſe ait: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.*

Si quis autem ipſos, ad ea quæ in Deum ſunt, cum verbóque ejus, quod in æternum manet, pugnant & reluctantur, cogere velit, Apoſtolorum exemplo, qui ſic Hieroſolymis Magiſtratui reſponderunt, vtendum docent. *Obedire oportet*, inquiunt *illi, magis Deo quam hominibus.*

De hoc etiam & Patrum inſtituta extant, & habetur diſt. 11. qu. 3. c. *Si Dominus jubet ea quæ non ſunt contraria vel aduerſa ſacris Scripturis, ſubjiciatur Domino ſeruus: ſin autem contraria præceperit, magis obediat ſpiritus quàm corporis Domino.* Et infra: *Si bonum eſt quod præcepit Imperator, jubentis exequere voluntatem, ſin malum, reſponde, Deo obedire oportet magis quàm hominibus.*

ARTIC. XVII.

DE CVLTV SANCTORVM.

INitio docent, quòd poſt creatos homines nullus eorum vnquam extitit, nec nunc quoque eſt, nec aliquando futurus eſt, qui ſuis viribus, meritis, ſtudiis & operibus, ſanctus ſit aut juſtus. Vt Moſes ſcribit: *Nullus apud te per ſe innocens eſt.* Et beatus Iob: *Quid eſt homo, vt immaculatus ſit, & juſtus appareat natus de muliere? Ecce, inter ſanctos ejus nemo immutabilis, & cœli non ſunt mundi in conſpectu eius, quanto magis inutilis homo qui bibit, quaſi aquam iniquitatem.* Et ad vnum omnes nos natura, & à prima ſtatim origine peccatores eſſe, Scripturis conuincimur. Pſal. 13. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt*, &c.

Quic-

Quicquid autem in sanctis bonorum est, Dei largitati & gratiæ acceptum ferendum est. Nam quod sancti Deóque grati sint, illis citra omne meritum, diuinæ tantùm voluntatis sorte contingit. Etenim Deus ex mera & inenarrabili gratia, diuitiisq; bonitatis suæ ab æterno, ad fruendam cum Christo gloriam, quos voluit, elegit, qui redemptionem, justitiam & remissionem peccatorum, & propitium Deum habent, per sanguinem Christi. Cujus gratia per fidem in filios Dei adoptati sunt, sancti effecti, ab omni labe emundati, bonis operibus ac virtutibus, tanquam filij lucis præditi, spiritu Dei obsignati, quique postquam fidem, salutis cardinem, ad extremum vsque vitæ firmam tenuerint, in cœlos tandem, vbi sua Deus in eis dona coronat, recepti sunt.

Docent etiam, Sanctos aliquos à Deo, qui omnia in omnes diuidit, vt meliùs videt esse futurum, specialibus gratiis, dotibus ac virtutibus, ad communem totius Ecclesiæ profectum, præ aliis donatos esse. Ephes. 4. *Idem dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas*, alios autem Euangelistas, alios autem pastores ac doctores, ad instaurationem Sanctorum, in opus administrationis, in ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia. Horum autem memoria in Scripturis, in Ecclesiáque opera & fructus in hunc vsque diem permanent. Seorsum autem de beatissima Virgine matre Domini, vt Scripturæ habent, credere ac confiteri oportere docent, quòd ex Regia stirpe, de domo & familia Dauid progenita est, à Deo ante secula electa, *inter mulieres*, vt Angelus ad eam dixit, *Benedicta, gratia & Spiritu Dei, plena*, eóque sanctificata, vt fieret mater Seruatoris: qui cum Filius Dei sit, in hujus tamen vtero, carnem nostram induit.

Hæc virgo ante partum fuit, & virgo post partum, quæ se ancillam Domini nominauit: Non minùs tamen quàm cæteri, Filij sui sanguine & merito gratuito, redempta est, & æternæ beatitudinis hæres facta, Spiritus Sancti templum seu habitaculum, hujusque insignib. donis, virtutibus & gratiis prædita. Etenim Deus ei præ cęteris magnalia fecit, ideóque hujus festos dies Ecclesiæ nostræ, ad Dei laudem & gloriam honorificè celebrant. Cantiones item pias de ea componunt, ac eas & priuatim, atque adeò publicè in templis concinunt, in eáque Deum laudant, & omnes ad ejus fidei, virtutúmque aliarum, vitæ ac operum imitationem hortantur: nec non labores, quos Domini caussa subiit, piè commemorant. Tum illam, vt optimæ vitæ exemplar, pro virili sua æmulari student, verborúmque ejus haudquaquam immemores sunt: Beatissimam enim eam, cum tota Ecclesia Sanctorum ebuccinant, nec in his quicquam, vt videre est, à Scripturis receditur.

Insuper docent, Honorem & cultum Deo debitum, non esse ad Sanctos, nec eorum imagines transferendum, vt in Esaia scribitur: *Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus*. Docent autem, Sanctos hoc pacto honorandos, vt sta-

tis & præscriptis feriis ac temporibus, omnes eodem, ad verbum Dei audiendum, & cultum Deo præstandum conuenientes, illorum memoriam celebrent, ac beneficia & dona, quæ Deus illis, & per illos Ecclesiæ contulit, commemorent, recordentúrque fidei, vitæ & conuersationis illorum, quo ad ea imitandum excitentur, vt in omni opere bono, per verbum Dei fructificent.

Ad hæc, vt de sanctis hæc recolentes, Deo pro tantis donis, quæ ipse pro sua inexhausta bonitate in eos effudit, gloriam dent, cum laude & gratiarum actione, pias cantiones de ipsis psallant, & eorum instar viuendum se mutuò hortentur, atque vt in hac & futura vita, eorum consortes reddi possint, Deum deprecentur, nec in his omnibus quidquam à Scripturis deflexum est. Heb. 13. *Memores estote eorum, qui præsunt vobis, qui locuti sunt vobis sermonem Dei, quorum imitamini fidem, considerantes, qui fuerint exitus conuersationis illorum.*

Item vt sciatur credatúrque docent, non de iis sanctis tantùm, qui superioribus seculis ante nos fuerunt, & his miseriis exoluti, in beatam vitam accepti sunt, verùm etiam de iis, qui nunc in mundo sunt. Omnes enim in Christum credentes, vbicunque gentium agant, sancti sunt. Et hi omnes generationis lauacro abluti, intérque Dei filios ac hæredes adcensi sunt, fide in Christum gratis donati, justificati, charitate in omnes flagrantes, fide Ecclesiæque ministerio à peccatis emundantur. Christi corpori & sanguini communicant, ad bona opera edenda, ad quæ conditi sunt, vt in eis ambulent, toti contendunt.

Hos equidem omnes, adhuc hic in viuis agentes, & mortali carne indutos, diuinæ literæ *Sanctos* appellant, 1. Petr. 2. *Vos estis genus electum, & regale sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucrum accessit.* Item Paulus, 2. Corinth. 13. *Salutant vos omnes sancti.* & alibi: *Salutate omnes qui præsunt vobis, & omnes sanctos*, id est, fideles seu Christianos. Hanc ob rem docent, quòd licet præ aliis Christianos omnes, malos etiam charitate complecti, eisque cùm aliàs, tum in necessitate præsertim, auxiliares manus præbere debeamus, iis tamen maximè, qui eadem nobiscum doctrina & fide defuncti sunt, eámque factis exprimunt, quibuscunque in rebus possumus, vsui esse debemus. Eósque cùm Christianam veritatem & doctrinam sectentur, in sancta & fraterna societate habendos, ac bene semper de illis sentiendum, honoréque, à quibus vt pro nobis orent, pietatis jure requirere licet, ob Christum, Christianæque charitatis vinculum, adficiendos, eorúmque commodis & rebus consulendum docent. Nec non vt se quique illorum precibus commendent, sæpius hortantur.

Istos autem qui Christi nomen profitentur, verum nequiter ac impiè viuunt, aut falsa doctrina irretiri, errare se agnoscunt, quantum in vnoquoque situm est, humaniter corrigendos, & per charitatem sufferendos esse docent: Deúmque precandum, quò eos ad salutis viam reuocet, vt Euangelium gloriæ Christi ornetur in omnibus.

ARTIC.

ARTICVLVS XVIII.

DE IEIVNIIS.

IEiunia nostri cultum quendam externum in pijs esse, Deo soli exhibendum, eáque pro personarum, gentium, locorum ac rerum ratione, à cunctis & vnoquoque etiam citra superstitionem & hypocrisin seruare docent. Nec sui huic Articulo desunt Scripturæ loci: Sed è multis tantùm hi sunto, 2. Cor. 6. *Commendemus nos ipsos vt Dei ministri, &c. in ieiuniis*. Et Christus Dominus: *Tunc*, inquit *ieiunabunt*. Rursum alio in loco Paulus, *vt vacetis ieiunio & precationi*.

Docent deinde, non esse ieiunium in discrimine ciborum, sed in parco illorum sumptu, sobrietate, & temperantia, & sui corporis afflictione & humilitate coram Deo. Refert autem in totum, quo quis animo aut voluntate ieiunet. Quòd autem ieiunium salutare sit, Deo gratum & acceptum, docetur apud Matth. cap. 6. Et Esa. 58.

An verò in cibis delectus aliquis habendus sit, vnumquemque verbis Christi dirigi monent, qui aduocatis ad se turbis, dixit: *Audite & intelligite, non quod ingreditur in os, impurat hominem, sed quòd egreditur ex ore, hoc impurum reddit hominem*. Et Apostolus: *Noui*, inquit, *& persuasum habeo, per Dominum Iesum, nihil esse commune per se, nisi ei qui existimat aliquid esse commune, illi commune est. Verùm si propter cibum, frater tuus contristatur, non iam secundùm charitatem ambulas, ne cibo tuo illum perdas, pro quo Christus mortuus est. Non est enim regnum Dei cibus & potus, sed iustitia & pax, & gaudium per Spiritum Sanctum.*

Siquidem Christiana libertas eo vsque porrigitur, vt tamen infirmis fratribus scandalo esse non debeat. Vt inibi rursum apud eundem est, *Omnia quidem pura, sed malum est homini, qui per offendiculum vescitur.* Item alibi: *Atque esca nos non commendat Deo, neque si comedamus, aliquid nobis superest, neque si non comedamus, quicquam nobis deest.*

ARTIC. XIX.

DE COELIBATV.

AD Cœlibatum docent, neminem cogendum, aut ab eo retrahendum esse; nam hunc Deus nulli præcepit aut vetuit, sed in cuiusque voluntate & arbitrio, vt cœlebs viuat, aut matrimonium contrahat, reliquit.

Qui autem se Cœlibatui propter regnum cœlorum addixerit, hunc rectiùs & tutiùs facere dicunt, quàm si se coniugio inuoluat ac implicet, iuxta quod ad Corinthios prioris, cap. 7. Apostolus dicit: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium tamen do, quòd bonum est homini sic esse*. Et in calce capitis: *Beatior est, si sic maneat, iuxta meam sententiam. Opinor autem, quòd & ipse Spiritum Dei habeam.*

Deinde docent, ne quis hoc consilio cœlibatum eligat, vt sibi aliisve remissionem peccatorum, & vitam æternam per ipsum promereri putet. Nullus etenim cœlibatus, nec opus nostrum nobis hæc adfert, sed vnius tantùm Christi mors & gratia. Verùm hoc nomine se astringere cœlibatui debet, qui ad eum idoneus est, quò commodiùs ac expeditiùs ipsi Ecclesiæ, fratrúmque societati in rebus salutis inseruire queat, compertum habens, multa coniugatos incommoda comitari: si sic permanere possit, bene facit. De hoc etiam Paulus: *Velim autem vos absque sollicitudine esse; Qui cœlebs est, curat ea quæ sunt Domini.* Ac rursum: *Arbitror igitur hoc bonum esse, propter præsentem necessitatem.* Et Dominus ipse commendat eos, qui se castrarint propter regnum Dei. Oportere autem docent, eos qui cœlibem vitam delegerunt, ad id summa ope, quod Apostolus habet, contendere ac niti, vt cùm primis bonis operibus præsint, vt sint sancti corpore & spiritu.

Docent præterea, vt qui se cœlibatui, omnibus interim rebus, quibus vitæ castitas conseruari possit, diligenter diuque expensis, consultò dedicârit, hoc animo, vt in Ecclesia Dei, aliquo salutari ministerio fungatur, & fidem dederit Deo Ecclesiæque ejus, se castè cœlibatum seruaturum, ideo, vt sit ad hoc Christi Ecclesiæque ministerium (cui se liberrimè consecrarit) expeditior habiliórque. Talem iam ad contrahendum matrimonium, sui juris, vt antea, non esse, excepta, vt Apostoli verbis vtamur, *vstione*, hoc est, si ei in cœlibatu contigerit, vt ita vratur, vt nec vllo consilio, doctrina, castigatione, aut monitu vstionem domare aut cohibere possit. Nam vt is, qui se matrimonio mancipauerit, non est sui iuris vt antea, ita & qui se Christo & Ecclesiæ eius in ministerium deuouit, Ministerium hoc, omnis generis voluptatibus, præferre debet, cuius gratia omnia etiam, & propriam vitam abnegare tenetur. Habet hæc castimonia vitæ, & voluptatum abstinentia, certas quasdam *promissiones huius & futuræ vitæ*, Marci 10. Rursum: *Qui non pugnant cum concupiscentiis & affectibus carnis, adeò vt cupiant vincere, hi abjiciunt donum sibi à Deo collatum, amittunt Spiritum sanctum, & sunt offendiculo Ecclesiæ, quam sua inconstantia labefactant & lacerant.*

Præterea docent, dona gratiarum diligenter ab omnibus, & summo studio conseruanda esse, ita nemini imponunt iugum intolerabile, cum conscientiæ offendiculo, verùm quia propter bonum ordinem, & vt Paulus ait, *propter bonum Schisma omnia fieri debeant in Ecclesia.*

Censent ex re Ecclesiæ esse, & commodare publicæ tranquillitati, vt is qui continere non potest, deferat eam rem ad Præsidentes in Ecclesia, quorum autoritate & consilio vtatur. Decet enim Ecclesiæ ministrum, Ecclesiæ & fratrum autoritate omnia facere, vt sit alijs bono exemplo: Et minus peccatur, si eorum, qui Spiritum Christi habent, vtaris consilio.

ARTIC.

ARTIC. XX.

DE TEMPORE GRATIÆ, IN QVO DIVINUS *fauor, & quæri debet, & inueniri poteſt.*

HOc demum loco docent, vt ſciant homines tantiſper, dum in viuis ſunt, tempus à Deo, quod gratiæ eſt, ſibi concedi, vt ipſum eiuſque gratiam, bonitatem, miſericordiam & lenitatem quærant. Sicque ex illius promiſſione inueniant, ac ita beatam ſalutem adſequantur. De hoc ſic in Actis Paulus concionatur: *Deus præſiniȷt præſtituta tempora, præfixitque terminos, habitationis hominum, vt quærerent Deum, ſi fortè palpent eum & inueniant*, Et Dominus per Prophetam ait: *In tempore accepto exaudiui te., & in die ſalutis adjuui te. Eccè nunc tempus acceptum; Ecce nunc dies ſalutis.*

Ideo diligenter admonent noſtri, ne quis hoc tempore gratiæ abutatur, ſed vt interea dum in proſpera valetudine eſt, dúmque per hoc tempus gratiæ licet, ſuperioris vitæ pœnitentiam agat, Deo reconcilietur, ſuámque conſcientiam fide in Chriſtum, ac per eius in Eccleſia adminiſtrationem, pacificet ac tranquillet, & ſecuram reddat. Hinc firmiter credens, ſibi condonari peccata, & propitium Deum eſſe propter Chriſtum, in cuius gratia firmatus, in boniſque operibus ambulans, ac proficiens, certò expectare debet, animam ſuam corporeis vinculis explicatam, tranſituram non in pœnam aliquam, ſed inſtar Lazari illius, ab Angelis in æterna bona deportatum iri, illícque eam Chriſto Domino, quo cum adeſt quicquid bonorum eſt & expeti poteſt, perpetuò manſuram: Nec equidem in nouiſſimo die iudicium mortis extimeſcet; nam in cœleſtem vitam rapietur. Ad hanc nos contendere vult Paulus, Hebręis ſcribens: *Exhortemini vos inuicem quotidie, quoad adpellatur dies hodiernus. Ne quis ex vobis induretur ſeductione peccati: Ingrediemur enim in requiem, nos qui credidimus, id eſt, Dei voci auſcultauimus in tempore.*

Docent inſuper, certiſſimum cuique eſſe debere, quòd ſi abſque pœnitentia & fide Euangelij, in peccatis ſuis deceſſerit, animam ſuam à morte, veluti impij illius diuitis, cui jam nulla reliqua erat gratia, æterni judicij ream fieri. Qui ſic impœnitentes vita hac defunguntur, in extremo omnium concluſionis die, ſuis auribus, horribilem Dei vocem audient, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus.* Rurſum Iohannis 5. *Et prodibunt qui mala egerunt in reſurrectionem condemnationis.*

Monent ad hæc, ne quiſquam ad Dominum conuerti, ſuorúmque admiſſorum culpam deprecari, pœnitétiámve agere, ad ſenectam aut ægritudinem differat, interea autem temporis ſecurus, ac in vtramque aurem dormiens, carni & mundi illecebris indulgeat, ſuæque voluntati morem gerat. Scriptum eſt enim, *Ne adijcias peccatum ſuper*

peccatum, & ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius: Non tardes conuerti ad eum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Is verò omnium maximè, qui post adeptum diuini erga se fauoris testimonium, suapte ac voluntariè peccatis sese immerserit, totque admonitiones salutares, vt in tempore resipiscat, spreuerit ac neglectui habuerit, verùm stultè ac procaciter Dei abusus misericordia, in eaque suppodiatus, in peccatis perdurauerit, ad vsque postremum ac jam imminentem mortis articulum, ac tum primò expergefactus mortis instantis, inferníque horrore & metu incipiat, vel serò sapere, periculosum est, ne Domini furorem (vt clarè verba illius testantur) extremo suo malo, & non misericordiam experiatur. *Clamabunt*, inquit Dominus apud Micheam 3. *ad me, & non exandiam eos, & abscondam faciem meam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in studiis suis, quippe qui vocem meam audire noluerint, cùm expandi manus meas tota die.* Verendum profectò, ne digna factis suis præmia referat, qui tempore, quod Deus illi ad pœnitentiam concesserat, tam ignauè ac perditè abusus fuerit.

Attamen ne quis desperet, docent; Nam si etiam in extremo mortis periculo, verè pœnitentiæ signum apparuerit, quod rarissimè tamen accidit talibus, rectè enim Paulus: Id inquit, *faciemus si permiserit Deus*, absque consolatione absolutionis non dimittitur. Durat enim tempus gratiæ, quoad vita ista durat. Meminerint hujus quod Paulus cum Propheta dicit: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundùm diem, tentationis in deserto*, &c. Quo iis admoniti omnes, adquiescant quoque in tempore, etiam antequam contenebrescat sol, & operiantur montes caligine, resipiscant: ac missa vetustate, ad Deum redeant, omniáque agant, ne à gloria excidant, nostri summo studio curaque adhortantur.

CONCLVSIO.

HActenus ex his R.M. tuæ inuictissime Rex, fidei nostræ, religionis, atque adeò doctrinæ, quam Seniores nostri omnes, vnanimi consensu in his regionibus profitentur, ratio paucis (cùm satis ipsa per se veritas polleat) exposita, quasique delineata est, verùm & doctrinam hanc ab iis, qui erroris eam, aut impietatis, quibuscunque possunt nominibus, omni licentia criminantur, pugnantiáque ei, falsa & impia adtexunt, pro se quisque iuxta Dei munus, non humana vi, sed Scripturis tuentur ac vindicant. Nec sic suis tamen mordicus hærent, nec hæserunt vnquam, quin si quid eos non satis assecutos esse, apertè Dei verbo, quod omnium regula esse debet, lenitatisque quo decet spiritu ostendatur, per quos in lucem veritas asserta est, gratias habentes, sua semper melioribus posthabere, & rectiora sequi, vt vsque fuere, parati sint.

Digne-

Digneris autem his legendis, Clarissime Rex, aliquid ocii decidere, tecumque expendere, an quisquam capita hæc doctrinę nostrę, seu symbola, vt quæ arcanis literis aduersentur, & parum pia sint; iure damnare queat. Quoniam autem mundo plausibilia non sunt, hoc magis Regiæ Maiestati tuæ ac omnibus bonis, placere debent. At si quis tamen eo amentiæ agatur, vt hæc contemnat, is etiam, quod nemo obscurè iudicauerit, vt veteres Orthodoxos, simulq; diuinas Scripturas, à quibus hæc desumpta sunt, ac Ecclesiam quoque, quæ de principio hanc ipsam sententiam amplexa est, contemnat necesse est.

Hinc colligi potest, quo iure quáve iniuria nos nostrique, ab huius doctrinæ osoribus, apud Regiam Maiestatem tuam deferamur. Quamobrem quàm possumus maximè obsecramus, ne Regia Maiestas tua eiusmodi Sycophantis, qui ex composito, quacunque possunt, hęreseos nobis crimen intentant, nósque aliam quandam doctrinam & dogmata, diuersa iis quæ hîc exposuimus, tenere dicunt, fidem habeat. Palàm enim est, nos in doctrina ac religione, nihil literis sacris politicisve ordinationibus, in primis verò Regni hujus Bohœmiæ, quod reluctetur, habere.

Scit Regia Majestas tua, nobilissime Rex, ejus nos jussa & imperium nunquam detrectasse, sed pacis semper studiosos, in cunctis obsequi paratissimos. Nec quippiam vnquam per nos, quod in rem Majestatis tuæ, communisque hominum societatis effici potuerit, infectum reliquisse. Nec quondam Deo volente, quæ ad officij nostri partes spectent, animúmve publicæ vtilitatis amantem, in nobis desiderari committemus. Non modò enim honestatis, concordiæ, pacis, ciuiliumque constitutionum gratia, Regiæ Majestati tuæ parere ac subdi justum ducimus; Verùm quia, vt à nostris etiam, cum plebe ipsa docemur, quod dicto omnes, Magistratibus audiant, eos reuereantur & colant à Deo præceptum nouimus. Calumniæ ergo, technæ, doli & fraudes sunt, quibus vt in nos inquiratur, apud R.M.T. per Aduersarios traducimur.

Quare, Illustrissime Rex, nos omnes benignitati tuæ, gratiæ ac patrocinio commendamus, responsúmque ad hæc, tuæ Regiæ Maiestatis clementia, & bonitate dignum, nobis dari precamur. Deus Regiam Maiestatem tuam incolumem seruet, & ad Ecclesiæ vsum semper prouehat.

Prouerbiorum 20.

Misericordia & veritas custodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus eius.

Finis Confessionis Bohœmiæ.

VERGERIVS LECTORI

QVA RATIONE QVOVE CONSILIO ductus, hanc ego Vvaldensium, aut Picardorum (quos vocant) Christianæ Religionis Confessionem, non ita multis hactenus cognitam ediderim, in primis dicendum mihi esse puto. Cùm Deus me nuper ex Germania in Prussiam, in Lithuaniam, atque Poloniam euocasset, multas ac varias variarum gentium Ecclesias visendi discendique studio incensum: tandem diu multúmque in illa ipsa Polonia obequitando atque lustrando, in Ecclesias incidi circiter quadraginta, ad Vvaldensium morem præscriptáque institutas. Quæ ipsa me sanè singulari quadam voluptate, lætitiáque affecerunt. Etenim pura in illis ac concors sonat Euangelij vox, adeò id quidem, vt neque in doctrina, neque inter docentes erroris aut controuersiæ quicquam, non dico animaduertere, sed ne suspicari quidem potuerim. Cæremoniæ castissimæ, atque purissimæ, à Papisticis istis superstitionibus gesticulationibúsque ita alienæ, sic prorsus remotæ, vt ne odor quidem illarum, aut vestigium vllum reliquum sit. Disciplina grauis atque seuera, ex qua vitæ renouatio atque redintegratio tales fructus fert, vt radicem horum minimè fucatam, sed verissimam, ac Christiano homine dignissimam facilè pœnitentiam agnoscas. Hæc cùm partim ad Fratres in Italiam aliarúmque nationum scripsissem, partim nonnullis Illustrissimis Principibus Germaniæ, alijsq; summis in ea viris ingenti exultatione coràm nunciassem, alij in vniuersum ignorare Vualdenses, alij vehementer mihi mirari visi sunt, quid tandem in mentem venerit Sarmatis, vt Vvaldensium præcipuè Confessionem admiserint, veriti nimirum, ne puram ac sacram Christi doctrinam, quam nuper adeò recepissent, illorum placitis inficerent, atque commacularent. Hanc igitur ob causam, grauissimam quidem illam omni studio mihi faciendum putaui, vt Vvaldensium Confessio, quæ jam erat difficilis inuentu, recuderetur, atque invulgaretur, quòd minimè dubitarem, quin omnes, quibuscunque purior doctrina cordi foret, vel ex primo (quod dicitur) gustu, non Confessionem modò, sed Polonos etiam ipsos, aliósque, quicunque eam in suam Ecclesiam recepissent, magnis celebraturi laudibus essent: ac denique Patrem cœlestem rogaturi, vt tam bene cœptas apud illos Ecclesiarum instaurationes seruare, ac sua immensa bonitate augere, in

diésque

diésque magis fortunare dignetur. Præter vero Martini Lutheri Reuerendissimi atque sanctissimi viri testimonium, qui hanc Vualdensium rationem Ecclesiasticam approbauit atque commendauit, subijcienda non immeritò putaui, aliorum quoque maxima eruditione, maxima pietate atque authoritate virorum testimonia; in primis Philippi Melanchthonis, Martini Buceri, & Vuolffgangi Musculi, qui mihi videntur eandem Confessionem adhuc magis, quàm Lutherus, laudare, cùm tamen is grauissimis verbis laudauerit. Cæterùm quanquam qui sim non ignoro, moneo tamen Ecclesias hisce XL. annis in Christo renatas, ne satis esse putent quòd superstitiones Papisticas, abominationésque cæteras ab Ecclesijs suis exturbare potuerint, sed vt de concordi, de pura, de genuina Filij Dei D.N. Jesu Christi doctrina retinenda, tum de disciplina vitæ, ac mortificatione tali doctrina digna aliquando tandem vicissim inuehenda, diligenter & anxiè curent.

Tubingæ Kal. Augusti M.D. LVII.

PRAEFATIO DOCTORIS MARTINI LVTHERI IN CONFESSIONEM WALDENSIUM.

QVANQVAM FRATRES HI PER *Bohœmiam & Morauiam agentes, fœlicius & eruditius suam Confessionem & Doctrinam istis Libris ediderint, quàm vt mea vel commendatione, vel præfatione opus habeant: tamen cùm jam multis annis odioso nomine Pighardi seu hæretici, & schismatici sint traducti, visum est meo quoque testimonio, quantum possum, illis seruire, si tamen quid valet meum testimonium, præsertim apud nostros & omnes veræ pietatis studiosos. Nam quid de me sentiant Papistæ, hominum genus jam dudum reprobum, & mente corruptum, & vt iterum Paulus dicit, peccans vt per se ipsum, & volentes damnatum, cur me moueret? Sum illis crucifixus, & ipsi crucifixi mihi.*

Sanè cùm essem Papista, æmulator scilicet longè feruentissimus Romanarum traditionum, (Nam qui nunc Papistæ sunt, & contra nos scribunt, seriò tales non sunt, qualis ego fui. sed toti frigent, & vel odio, vel quæstu capti faciunt, quod faciunt. facturi idem contra Papatum, si opes & gloriam majores apud nos sperare possent.) Ipse inquam, cùm essem Papista, verè & ex animo istos Pighardos Fratres odiebam magno Zelo Dei & Religionis, nullo omnino lucri aut gloriæ studio. Denique cum aliquando in aliquot libros Iohannis Hus imprudens incidissem, & Scripturas tam potenter & pure tractatas vidissem, vt stupere incipe-

rem, cur talem ac tantum virum exußissent Papa & Concilium: mox territus, clausi codicem, suspicatus venenum sub melle latere, quo simplicitas mea infici posset: tam violentum regnabat in me fascinum Papalis nominis & Concilij.

Sed postquam illi placuit, qui me segregauit ex vtero matris meæ, *vt reuelaret mihi filium illum perditionis, satis multis disputationibus contuli cum carne & sanguine, quos habere potui viros optimos, metuens, ne lumen, quod in me erat, tenebræ essent, adeò diffidebam mihi ipsi propter longitudinem, latitudinem, & profunditatem Pontificiæ majestatis, quam hactenus & ipse non segniter credideram à Spiritu Sancto regi & errare non posse, donec confirmatior paulatim fiebam, dum ad meas leuiculas velitationes, & quædam præludia Papistæ, velut fluctus feri maris (vt Iudas ait) despumarent suas confusiones. Tum cœpi Papam suspectum habere, & pedetentim contemnere, & tandem, prodentibus, imò destituentibus eum suis defensoribus, per libros ipsa vanitate vaniores, pro ipsa abominatione in loco sancto agnoscere.*

Ibi cœpit gaudium cordis mei: & circumspectis omnibus, quos Papa pro Hæreticis damnauerat & perdiderat, pro Sanctis & Martyribus laudabam, præsertim quorum pia scripta vel Confessiones potui reperire. Cæteros verò suspicabar, vel non esse conuictos, vel aliquo lapsu infirmitatis errasse, qui venia dignus fuisset, si Papistæ voluissent S. Pauli consilium sequi, dicentis, Si homo præoccupatus fuerit in delicto, vos qui Spirituales estis, instruite hujusmodi in Spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. *At ipsi Satanæ furorem secuti*, cum austeritate & potentia imperabant ouibus Christi, *vt Ezechiel loquitur, quod & adhuc facere non cessant.*

Inter hos autem occurrebant & isti Fratres, quos Pighardos vocabant, jam mihi non ita inuisi, vt antea erant in Papistitate mea. Denique offendi in eis vnum illud & magnum miraculum, in Ecclesia Papæ penè inauditum, scilicet, quòd omißis hominum doctrinis, quantum poterant, meditarentur in Lege Domini die & nocte, *esséque eos in Scripturis peritos & paratos, cùm in Papatu ipsi Magistri nostri prorsus negligerent Scripturas, quarum titulo jactabantur: nonnulli verò ex ipsis, ne vidissent quidem Biblia sacra vnquam. Quanquam fieri aliter non potuit, jacentibus linguis, non modo Græca & Hebraica, sed & Latina, quin aliquot loci illis necessariò obscuri manerent. Et illud apud eos vitij hærebat, dum vitare voluerunt spineta & paludes Sophistarum & Monachorum, prorsus omnibus studiis artium abstinuerunt, simul etiam inopia coacti, quam labore manuum leuabant.*

Sed nunc prodeunt non paulò cultiores & liberiores, ne dicam etiam illustriores & meliores, vt sperem non ingratos neque inamabiles fore omnibus verè Christianis, ita, vt & gratias nos agere oporteat quàm maximas Deo & Patri D.N. Iesu Christi, qui secundùm diuitias gloriæ suæ jussit è tenebris splendescere lumen hoc verbi sui, quo denuo in nobis destrueret mortem, & illuminaret vitam: & gratulari tum illis, tum nobis, quòd qui inter nos ipsos quoque longè fuimus, destructo nunc interstitio suspicionis, qua nobis mutuo hæretici videbamur, facti sumus prope, & reducti simul sumus in vnum ouile sub vnum illum Pastorem & Episco-

Episcopum animarum nostrarum, qui est benedictus in secula. *Amen.*

Quod si quæ differentiæ in hac eorum Confeßione occurrent, de ritibus & Ceremoniis, vel de cœlibatu, meminerimus nunquam fuisse, neque potuisse omnem Ecclesiarum, omnes ritus & obseruationes esse æquales vel easdem. Id enim non permittunt hominum, regionum, temporum rationes & varietates, modò salua sit doctrina fidei & morum. Hæc enim debet esse eadem, vt Paulus sæpe monet: Idem dicatis, (*inquit*), omnes. *Rursus*, vt vno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi. *Nam vt coniugium sit apud eos eo modo liberum, vt apud nos, non sinit eorum status & conditio: Interim satis est, quòd cuilibet licitum, & nulli peccatum esse docetur & creditur salua vnius cujusque fide & conscientia. Commendo igitur in Domino omnibus piis, & hanc Confeßionem Fratrum, in qua videbunt clarè, quanta injuria hactenus à Papistis fuerint damnati & vexati.*

VENERABILI VIRO IN CHRISTO, D. BENEDICTO, CÆTERISQVE FRATRIBVS Vualdensibus in Bohœmia.

GRATIA ET PAX, *&c. Existimo vir eximie, Fratres tuos in hoc nostro congressu in multis rebus meliùs meam sententiam cognouisse & perspexisse, quàm olim ego quoque videor mihi res vestras percepisse. Quare cùm de præcipuis articulis Doctrinæ Christianæ inter nos constet, complectamur nos mutuo amore. Neque dißimilitudo & varietas rituum & ceremoniarum disiungere debet mentes nostras. Sæpe Paulus concionatur de Cæremoniis, & prohibet Christianos dißidere propter varietatem rituum & Cæremoniarum, quamvis mundus propter Cæremonias vehementer pugnet.*

Seuerius exercitium seu disciplina in Ecclesiis vestris profectò non malè mihi placet: Vtinam in Ecclesiis nostris quoque paulo seuerior poßit retineri. De meo animo erga vos ita sentiatis, me vehementer optare, vt hi, qui Euangelium amant, & nomen Christi glorificari cupiunt, mutua charitate sese prosequantur, atque ita doctrinam suam communibus studiis ad gloriam Christi referant, ne se ipsos mutuis & domesticis odiis seu discordiis perdant, præsertim propter illas res, de quibus tumultuari non est necesse. Bene valete. Orate pro me, & pro gloria Christi. Datæ Vuitebergæ, Anno 1535.

EX LIBRO BVCERI CVI TITVLVS, SCRIPTA DVO ADVERSARIA LATOMI, &c. in cap. de Ecclesiæ autoritate, pag. 159.

ILLA certè ratio optima est, quam obseruant Fratres Picardi, qui fidei suæ Confessionem nuper Regi Ferdinando oblatam, Anno 1535. ediderunt, cum præfatione D. Lutheri: qui soli propè in orbe cum puritate doctrinæ, vigorem etiam Disciplinæ Christi apud se retinuerunt: quam laudem vt ijs tribuamus, & Dominum qui sic in illis operatur, celebremus, res ipsa nos cogit, etiamsi fratres illi à præpostere doctis nonnullis contemnantur. Ratio verò quam in hac re obseruant, hæc est.

Præter Ministros verbi & Sacramentorum, habent certum Collegium virorum, prudentia, & grauitate spiritus præcellentium, qui munus obeunt, monendi ac corrigendi fratres peccantes, componendi dissidentes, & in causis eorum iudicandi. Excommunicationis tamen sententiam, non nisi causa delata ad totam Ecclesiam, & communibus sententijs iudicata, ferunt, idque per supremum Ecclesiæ curatorem. De huiusmodi Senioribus scripsit & Diuus Ambrosius in Epistola 1. ad Timoth. Cap. 5. Vnde & Synogoga, & postea Ecclesia Seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia. Quod, qua negligentia obsoleuerit, nescio: nisi fortè doctorum desidia, aut magis superbia, dum soli volunt aliquid videri, &c.

EX PROLIXIS QVIBVSDAM LITERIS D. WOLFGANGI MVSCVLI, IN Bernensi Ecclesia Theologię Professoris, ad Polonicas Ecclesias scriptis, mense Februario. 1556.

VENIT huc ad nos, Fratres in Christo dilecti, vir omnium humanissimus, & veritatis propagandæ studiosissimus D. Franciscus Lysmanius, ex cuius ore primum, deinde & piorum virorum literis ad ipsum scriptis, de opere vestro, quo reformandis Ecclesiis incumbitis, magno cum gaudio percepimus. Benedictus Deus ac Pater Domini nostri Iesu Christi, labores vestros Spiritu suo confirmet, Ecclesiisq;

clesiisque suis ad certam fidelium salutem, ac nominis sui gloriam frugiferos reddat, Amen. Exosculamur autem cùm primis admirabile illud consilium Dei, quo ante annos aliquot Fratres, quos Vualdenses vocant, Bohœmia eiectos, ad vos, vel ad confinia salutem Regni Poloniæ transferre voluit, quo vestris Ecclesiis in cognitione ac propagatione veritatis adiumento essent. Non erat hoc in animis eorum quorum studio sedibus suis sunt expulsi, imò nec ipsi puto quid diuinitus ageretur intellexerunt. Verùm qui prudentes huius mundi, in suis ipsorum consilijs miris modis infatuat, & excæcat, hoc voluit pacto primordijs renascentis apud vos Ecclesiæ haud parum adferre adiumenti. Plurimum autem placet, quòd in ea doctrinæ forma consensistis quam illi puram, simplicem, ac minus scrupulosam in suis Ecclesiis retinent. Et paulo post. Gratulor hoc consilium Ecclesijs vestris, quo cum Vualdensibus coniungi voluistis: spero enim fore, vt minus dissensionum nascatur, & si quid tale nascatur, citius componi posse, quandoquidem ad certam posthac doctrinæ formam docendo collimare potestis.

Atque iterum. Existimo prudenter à vobis esse factum, quòd eam doctrinæ formam amplexi estis, quæ est simplex, & sacris Scripturis attemperata.

FINIS.

CONSENSVS IN FIDE ET RELIGIONE CHRISTIANA, INTER ECCLESIAS EVANGELICAS MAJORIS ET Minoris Poloniæ, Magníque Ducatus Lithuaniæ & cęterarum ejus Regni prouinciarum: primo Sendomiriæ Anno M.D.LXX. in Synodo generali ſancitus: Et deinceps in aliјs, ac demum Wlodiſlauienſi generali Synodo, Anno M.D.LXXXIII. confirmatus.

ET SERENISSIMIS POLONIÆ REGIBVS Augusto, Henrico ac Stephano, Oblatus:

Ex decreto autem Synodico in publicum typis editus anno Chriſti, M.D.LXXXVI.

ACCESSERVNT IN HAC EDITIONE ACTA & Concluſiones Synodi Generalis Torunienſis.

Excuſa Haidelbergæ, Typis Vœgelinianis,

Anno M.DCV.

2. Timoth. 2.

Sectare Juſtitiam, fidem, charitatem, pacem, cum iis, qui inuocant DOMINVM ex puro corde.

Pſal. L. & CXXII.

Benigne fac Domine in beneplacito tuo Syoni, & ædificentur muri Ieruſalem.

Sit pax in propugnaculis eius, & proſperitas in palatijs eius.

PRAEFATIO AD BENEVOLUM LECTOREM.

VETUS ET VERISSIMA EST SAPIENTUM *sententia*: Concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. *Imò vero ipsa Veritas, Dominus noster Iesus Christus, testatur, regnum inter se diuisum collapsurum, concordiam verò & amorem pium, sectatorum suorum signum proprium esse. Quapropter addicti sanctæ concordiæ, & operam dantes ædificationi Ecclesiæ ac extirpationi scandalorum, nos qui in Poloniæ Regno idololatriam Antichristi reiecimus, & omnes hæreses Christianæ fidei Symbolo Apostolorum, Nicæno & Athanasiano &c. adeóque authoritati Scripturarum repugnantes, vitamus, ac puram Euangelij doctrinam sincerè profitentes & exequi studentes*, Euangelici, *vocamur: Vt occurrere possimus apud extraneos suspicioni, domi verò occasioni & cuipiam fomiti discordiæ (quòd maiores nostri egredientes ex captiuitate Antichristiana, diuersis temporibus & locis, alij in Bohemia & Polonia, alij in Germania, alij in Heluetia & cæteris regionibus ac regnis exhibuerunt Magistratui suo, Imperatoribus, Regibus ac Principibus, diuersa, nostrarum Euangelicarum Confessionum exemplaria, vnam tamen eandemque veritatem in scriptis Propheticis & Apostolicis fundatam complectentia) conuocata ex omnibus Regni Poloniæ Prouinciis Generali Synodo Sendomiriæ, Anno Domini M. D. L X X. dictas Confessiones, Augustanam, Bohemicam, & Helueticam, examinatas deprehendimus in præcipuis articulis fidei Christianæ cum Scriptura sacra & secum inuicem concordes esse.*

Quod verò attinet ad Articulum de Cœna Domini, ne quædam varietas opinionum seu phrasium nos distraheret, præcidimus inter nos disputationes de modo rei, cùm omnes rem verè credamus secundùm verba Saluatoris, & piæ antiquitatis sententiam, quæ in Consensu Sendomiriensi descripta est.

Itaque scandalis sopitis, vera concordia & amore Christi in eius pura doctrina coniuncti sumus, Ceremoniis paulo diuersis, vt in qualibet Ecclesia mos obtinuit, libertati Christianæ permissis.

Qui dictus Consensus noster hactenus à nobis non modo est fideliter seruatus, sed etiam deinceps in aliquot Generalibus Synodis renouatus & confirmatus, vtpote in Cracouiensi anno M. D. L X X I I I. in Petricouiensi anno

M. D. L X X V I I I.

M. D. LXXVIII. & VVlodislauiensi anno M. D. LXXXIII. illis, qui litium scintillas excitare videbantur, ingenuè correctis, ac intra limites pacis reductis, atque ita vinculo concordiæ & amoris fraterni arctius astricto. Stat verò nobis omnibus firma sententia, auxiliante Deo, hunc sanctum Consensum contra omnes Diaboli, hostiúmque, & quorumvis hominum molitiones constanter retinere ac tueri.

Quare publicatione huius libelli (quo ratio Consensus, ordinis ac Disciplinæ inter nos constituta describitur) palàm facere & protestari volumus omnibus piis, tam in Sarmatia, quàm in aliis Europæ cæterarúmque mundi partium regnis viuentibus, nos non simulata, sed sacrosancta, mandato & Spiritu Christi facta, concordia coniunctos esse, & habitare fratres in vnum, ac proinde ab Aduersariis nostris calumniosè & iniquißimè nobis obiici discordiam & ataxian; Siquidem cum hoc scripto nostro res ipsa claueat, & id cognoscere volentibus euincit, nos in Regno Poloniæ omnes Euangelicos esse sancta pace copulatos, non dissidere; sed conuenire in doctrina fundamentóque fidei & salutis nostræ ac religionis Christianæ, & retinere fraternam concordiam atque mutuum amorem, & officiorum pietatis humanitatísque pulchram communicationem. Ac si qui fortè etiam inter nos reperirentur philauti, qui communem tranquillitatem turbare niterentur, scandaláque excitarent, & patientia Fratrum abuterentes, commoniti non se cohiberent: esse contra eos in promptu iustum Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem, vt coerceantur, & contumaces ex Ecclesia communionéque nostra, autoritate Canonum Synodicorum excludantur: secundum decretum ipsius Sancti Spiritus, in eiusmodi hominum pernicaciam latum, Galat. 5. Qui vos conturbat, portabit iudicium, quicunque est ille: Vtinam verò abscindantur, qui vos conturbant.

Oramus itaque omnes pios, qui legent Consensum hunc nostrum, ne admittant iniquas hostium nostrorum accusationes, calumnias & obtrectationes: sed huic testimonio & scripto nostro locum dantes, nobiscum & cum multis aliis, de rebus dextrè iudicantibus, viris Euangelicis, Deo Opt. Max. gratias agant, pro hac sincera doctrina Euangelij, & in ea pio Consensu atque concordia nobis diuinitus concessa: Nec etiam sua quidam nimis audaci & inclementi de nostro Consensu censura prohibeant nos benè agere: Imò ipsi quoque, si possunt, benè agant, & scandala, quæ rixas comitantur, in domo Domini vitent: ac vnanimes seruiant æquißimo ministrorum suorũ iudici DOMINO IESV, cui stamus & cadimus: Qui nos ita obtestatur. Iohan. XIII. Hoc est præceptũ meũ (in quo cognoscẽt omnes, vos esse meos discipulos) vt vos inuicẽ diligatis; sicut ego dilexi vos, vt etiã diligatis alij alios.

Deus Pater cœlestis nos totámque suam sancto Euangelio addictam Ecclesiam cõseruet, confirmet, & benedictione sua augeat in sancta concordia, ad gloriam suam & amplificationem Regni sui, inter omnes homines Christianos, verbo veritatis morigeros: vt Spiritu Sancto nos gubernante, veri discipuli atque imitatores CHRISTI simus: nemini scandalum præbeamus: *& fidem, conscientiámque puram retinentes ad triumphantem ECCLESIAM lætabundi in æternum perueniamus; per DOMINVM nostrum IESVM CHRISTVM. Amen.*

MINISTRI DOMINI IESV, ET SANCTI Euangelij in Ecclesia eius.

Erasmus Gliczner, *Superattendens Confessionis Augustanæ in Maiori Polonia, suo & omnium fratrum suorum nomine.*

Iohannes Laurentius, *Superattendens Fratrum Confessionis Bohemicæ, in Maiori Polonia, suo & fratrum suorum nomine.*

Paulus Gilouius, *Superattendens Confessionis Helueticæ in Minori Polonia, &c. suo & omnium fratrum suorum nomine.*

CONCILIATIO ARTICVLI DE Coena Domini, et Consensvs mvtvvs in Religionis Christianæ capitibus, inter Ecclesias Majoris & Minoris Poloniæ, Russiæ, Lithuaniæ, & Samogitiæ, &c. quæ juxta Confessionem Augustanam, Fratrum Bohemorum, & Helueticam, aliquo modo à se dissentire videbantur: factus in Synodo Sendomiriensi, Anno Domini M.D.LXX. die XIV. Aprilis.

POSTEA QVAM diu multúmque cum Sectariis, Tritheitis, Ebionitis, Anabaptistis, conflictatum esset, ac tandem diuino fauore ex tot tantísque certaminibus & deplorandis contentionibus emersimus, visum est iisdem Ecclesiis Polonicis reformatis & Orthodoxis, quæ in quibusdam capitibus & formulis doctrinæ hostibus veritatis & Euangelij minimè consentire videbantur, pacis & concordiæ studio Synodum conuocare, atque consensionem mutuam testari. Quare habita collatione amica & Christiana, sic junctis compositísque animis consensimus in hæc capita.

PRIMVM, quemadmodum & nos qui in præsenti Synodo nostram Confessionem edidimus, & Fratres, nunquam credidimus, eos, qui Augustanam Confessionem amplectuntur, aliter quàm piè & orthodoxè sentire de Deo & Sacra Trinitate, atque Incarnatione Filij Dei, & Iustificatione nostra, aliísque præcipuis capitibus Fidei nostræ: Ita etiam ij, qui Augustanam Confessionem sequuntur, professi sunt

sunt candidè & sincerè, se vicissim tam de nostrarum Ecclesiarum quàm de Fratrum Bohemicorum (quos quidam rerum ignari *Vvaldenses* vocant) Confessione de Deo & Sacra Triade, Incarnatione Filij Dei, Iustificatione, & aliis primariis capitibus Fidei Christianæ, nil agnoscere, quod sit absonum ab Orthodoxa veritate, & puro verbo Dei. Ibique sanctè inuicem polliciti sumus, vnanimiter secundùm regulam verbi Dei, nos defensuros Consensum hunc mutuum in vera & pura Christi religione, contra Pontificios, contra Sectarios, contra denique omnes hostes Euangelij & veritatis.

Deinde verò, quantum ad infœlix illud dissidium de Cœna Domini attinet, conuenimus in sententia verborum Domini nostri Iesu Christi, vt illa Orthodoxè intellecta sunt à patribus, ac imprimis ab Irenæo, qui duabus rebus, scilicet terrena & cœlesti, hoc mysterium constare dixit. Neque elementa signáve nuda & vacua illa esse asserimus, sed simul reipsa Credentibus exhibere & præstare Fide, quod significant. Denique, vt expressiùs clariúsque loquamur, conuenimus, vt credamus & confiteamur, substantialem præsentiam Christi non significari duntaxat, sed verè in Cœna eo vescentibus, repræsentari, distribui & exhiberi corpus & sanguinem Domini, symbolis adiectis ipsi rei, minimè nudis: secundùm Sacramentorum naturam. Ne verò diuersitas formularum loquendi contentionem aliquam pariat, placuit præter Articulum, qui est insertus nostræ Confessioni, mutuo consensu asscribere Articulum Confessionis Saxonicarum Ecclesiarum de Cœna Domini, ad Tridentinum Concilium Anno Domini M.D.LI. missæ: Quem etiam pium agnoscimus & recipimus. Cuius Confessionis hæc sunt verba. *Et Baptismus & Cœna Domini sunt pignora & testimonia gratiæ, vt antea dictum est, quæ de promissione & tota redemptione nos commonefaciunt, & ostendunt beneficia EVANGELII ad singulos pertinere, qui his ritibus vtuntur, &c. Item. Nec admittuntur vlli ad communionem, nisi priùs à Pastore aut Collegis eius auditi sint, & absoluti. In hac exploratione interrogantur & erudiuntur rudiores de tota doctrina, & deinde absolutio promulgatur. Docentur etiam homines, Sacramenta esse actiones diuinitus institutas, & extra vsum institutum, res ipsas non habere rationem Sacramenti: sed in vsu instituto in hac communione verè & substantialiter adesse Christum, & verè exhiberi sumentibus, Corpus & sanguinem Christi. Testari Christum, quòd sit in eis, & faciat eos sibi membra, & quòd abluerit eos sanguine suo:* &c. Omnia huius Articuli verba integra.

Huius autem sancti mutuique Consensus vinculum fore arbitrati sumus, conuenimúsque, vt, quemadmodum illi nos nostrásque Ecclesias & Confessionem nostram in hac Synodo publicatam, & Fratrum, Orthodoxas esse testantur: Sic etiam nos illorum Ecclesias eodem Christiano amore prosequamur, & Orthodoxas fateamur: Extremumque Vale dicamus & altum silentium imponamus omnibus ri-

xis,distractionibus,diffidijs,quibus Euangelij cursus,non sine maxima multorum piorum offensione,impeditus est, & vnde Aduersarijs nostris non leuis calumniandi & veræ Christianæ religioni nostræ contradicendi occasio sit subministrata.

Quin potiùs paci & tranquillitati publicæ studere,charitatem mutuam exercere, & operas mutuas ad ædificationem Ecclesiæ pro fraterna coniunctione nostra præstare debemus.

Ad hæc recipimus mutuo Consensu,omni studio nostris fratribus omnibus persuasuros,atque eos inuitaturos ad hunc Christianum & vnanimem Consensum amplectendum,colendum & conseruandum, illúmque alendum & obsignandum, præcipuè auditione verbi (frequentando tam huius, quàm alterius cuiusque Confessionis cœtus) & Sacramentorum vsu:obseruato tamen recto ordine, & gradu tam disciplinæ,quàm consuetudinis vniuscuiusque Ecclesiæ.

Ritus autem & Ceremonias vniuscuiusque Ecclesiæ, liberos hac Concordia & Coniunctione relinquimus. Non enim multum refert, qui ritus obseruentur, modò sarta tecta & incorrupta existat ipsa doctrina,& fundamentum fidei ac salutis nostræ: Quemadmodum & ipsa Confessio Augustana & Saxonica de ea re docent:Et in hac Confessione nostra,in præsenti Synodo Sendomiriensi publicata,id ipsum expressimus.

Quamobrem consilia officiáve charitatis mutua inter nos conferre & in posterum de conseruatione & incremento omnium totius Regni,Lithuaniæ,Samogitiæ,piarum,Orthodoxarum & reformatarum Ecclesiarum, tanquam de vno corpore consulere polliciti sumus ac recepimus. Et si quando Synodos generales celebrabunt,nobis quoque significent: Et ad nostras etiam generales vocati, non grauatim veniant,si opus fuerit.

Atque vt colophonem huic Concensui & mutuæ Concordiæ imponamus,ad hanc fraternam societatem conseruandam tuendámque non incommodum fore putamus, in locum certum conuenire,vbi vna ex mutuis Confessionibus, compendium corporis doctrinæ (improbitate hostium veritatis ad id adacti)eliceremus,& in publicum ederemus: vt inuidorum hominum ora obturarentur, cum maximo omnium priorum solatio: sub titulo omnium Ecclesiarum Polonicarum Reformatarum & Lithuanicarum & Samogiticarum, nostræ Confessioni consentientium.

Datis igitur iunctísque dexteris sanctè promisimus & recepimus inuicem omnes,fidem & pacem colere, fouere, & indies ad ædificationem Regni Dei magis magísque amplificare velle: omnésque occasiones distractionis Ecclesiarum euitaturos. Denique se immemores & oblitos sui ipsius, vt veros Dei Ministros decet, solius Iesu Christi Saluatoris nostri gloriam promoturos,& Euangelij ipsius veritatem propagaturos tum factis,tum dictis recepimus.

Quòd

Quod vt fœlix, ratum firmúmque sit in perpetuum, oramus ardentibus votis Deum Patrem, totius consolationis & pacis authorem & fontem vberrimum: qui nos nostrásque Ecclesias ex densis Papatus tenebris eripuit, donauitque puro verbi sui & sacrosancto veritatis lumine: Hancque nostram sanctam pacem, consensionem, coniunctionem & vnionem benedicere, ad sui nominis gloriam, & Ecclesiæ ædificationem velit. Amen.

Stanislaus Myszkouuski, *Palatinus Cracouiensis, personaliter consensi & subscripsi.*

Petrus Zborouuski, *Palatinus Sendomiriensis, personaliter consensit M.P.*

Magnifici Domini Lucæ de Gorka Palatini Posnaniensis, & Domini Ioannis Tomiczki Castellani Gnesnensis, atque omnium Confessionis Augustanæ Ecclesiarum nomine, Stanislaus Bninski, *Senior Ecclesiæ consensi & subscripsi.*

Magnifici Domini Palatini Russiæ & cæterorum eius Prouinciæ fratrum nomine, Stanislaus Chrzunstouius *M.P.*

Sigismundus Myszkouuski, *Osuecienſis Capitaneus, personaliter consentiens M.P.S.*

Erasmus Gliczner, *Ecclesiarum in Maiori Polonia Confessionis Augustanæ Superattendens, suo & aliorum fratrum nomine, M.P.*

Nicolaus Gliczнerus *Senior Districtus Posnaniensis, nomine fratrum Maioris Poloniæ M.P.*

Andreas Prasmouius, *Minister cœtus Radzieiouiensis, nomine fratrum Confessionis Bohemicæ, facultate sibi commißa, M.P.*

Simeon Theophilus alias Bogomit, *Turnouius, Diaconus in Communitate Fratrum Bohemicæ Confeßionis, & ad præsentem Synodum legatus M.P.*

Stanislaus Sarnicius, *Senior Ecclesiarum Districtus Cracouiensis, suo & aliorum fratrum nomine.*

Iacobus Syluius, *Senior Districtus Chenczinensis suo & aliorum fratrum nomine.*

Paulus Gilouius, *Senior Districtus Zatoriensis & Osuiecinensis, suo & omnium fratrum nomine.*

Matthæus Rakouu, *Minister Criloniensis, missus à nobilitate Belsensi M.P.*

Stanislaus Karminski, *Iuuan, Rector colloquij in Synodo à Fratribus electus M.P.*

Daniel Chrobeuuski, Stanislaus Rozanka *medicus, Consules Cracouienses, &* Christophorus Trecius, *Ecclesiæ vrbanæ Cracouiensis Seniores, & ad præsentem Synodum nuncij, suo & fratrum nomine subscripserunt.*

Stanislaus Marcianus *Ducis VVisnouecij legatus, Minister Ecclesiæ Dziouolтensis.*

Valentinus Brzozouius, *Senior, nomine Ecclesiarum Podgoriensium, Minister in Dobrkouu subscripsit.*

Andreas Crusuicensis, *Minister in Lisouuo, nomine suo & cœtus Radzieiouiensis subscripsit.*

Petrus Tarnouius, *Minister in Dembnica, suo & Magnifici Domini Georgij Latalski nomine subscripsit.*

Eidem Consensui subscripserunt personaliter ex cœtu Fratrum Bohemicæ Confessionis, in Synodo Posnaniensi X X. Maij.

Georgius Israel, Ioannes Lorentius, *Seniores Ecclesiæ Fratrum in Maiori Polonia, nomine suo & omnium Ministrorum.*

Procopius Bronieuuski, *Signifer Calissiensis, M.P.*

Psal. CXXXIII. ECCE quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.

CONSIGNATIO OBSERVATIONVM NECESSARIARVM AD CONFIRMANDVM ET CONSERVANDVM Mutuum Consensum: Sendomiriæ Anno D. N. M.D.LXX. die XIV. April. in vera Religione Christiana initum inter Ministros Augustanæ Confessionis & Fratrum Bohemorum.

POSNANIÆ EODEM ANNO, MAII XX. facta, & à Ministris vtriusque cœtus approbata ac recepta.

I.

CONSENSVM Generalem Sendomiriensem, Anno Domini M.D. L X X. die 14. Aprilis factum, de doctrina Orthodoxæ Fidei, mutuáque concordia & pace omnium Ecclesiarum Euangelicarum in Regno Poloniæ, approbamus & fideliter recipimus, atque retinere, Deo adiuuante, pollicemur omnes.

I I. Ministri partis vtriusque, cùm conciones in templis, tum Sacramenta administrent & dispensent, ea forma & ritu eodem qui visitatus iisdem est, idque absque vlla offensionis suspicione.

I I I. Si in loco aliquo fuerint duo vtriusque cœtus Ministri, vel si casu aliquo alter alterum conuenerit fuerit ve vocatus, debent absque vlla offensionis suspicione & conciones & Sacramenta administrare, eodem & quidem puro & candido animo gloriam Dei promouentes.

IV. Vbi-

IV. Vbicunque fuerit Paſtor cœtus vnius,patronus loci illius,non debet Paſtorem cœtus alterius,ad conciones peragendas & adminiſtranda Sacramenta , abſque conſenſu ſui proprij Miniſtri vocare: multò magis erronem ſoliuagum non debet vocare & ſuſcipere.

V. De Cœna Domini illam ſententiam amplectimur,quæ eſt annotata in mutuo Conſenſu Sendomirienſi, & Articulo Confeſſionis Saxonicæ miſſæ ad Tridentinum Concilium Anno Chriſti M.D.L I. Vitabimusque terminos, verba & explicationes à Verbo Dei & hoc Generali Conſenſu , & ab hac ipſa Confeſſiono Saxonicarum Eccleſiarum ad Tridentinum Concilium miſſa,alienas.

VI. Miniſtros auditoréſque partis vnius, pars altera nulla vel ratione vel occaſione abſtrahat, ſed eos in eadem cœtus ſocietate confirmet & promoueat.

VII. Vtriuſque partis Miniſtri, auditores ſuos doceant, admoneant, illíſque ſua Paſtorali authoritate injungant ne Eccleſias Confeſſionis alterius in omnibus Doctrinæ & Rituum punctis,damnare, verbis vel ſcriptis vllis perſtringere audeant, ſed vt bene de illis ſentiant & loquantur.

VIII. Ex vtraque parte Seniores conſtituti , mutuas operas in promouenda hac Vnione , nec non in aliis negotijs Eccleſiarum tradant: Si opus fuerit bis vel ter in anno inuicem in locum deſtinatum conuenientes,& conſilia mutua conferentes.

IX. Miniſtri auditoréſque cœtus vnius, eum Miniſtris, patronis auditoribuſque cœtus alterius,nihil priuatim de mutatione Doctrinę & Rituum & Bonorum Eccleſiaſticorum , vel loqui vel cónſultare debent: Sed potiùs ſuadere,quò illa integra juxta judicium Miniſtrorum ſuæ confeſſionis maneant.

X. Vnanimiter cenſemus,vt peccata verbo Dei damnata,& publicis concionibus & priuata officij ſedulitate taxentur ab omnibus Concionatoribus verbi Diuini, vtpote idololatria, homicidium,auaritia, vſuræ, diſſidia, rixæ, maledictiones, ebrietas, commeſſationes, choreæ,ſcortatio,veſtitus luxurioſus,carníſque cupiditates & omnia vitia. De quibus tam Prophetæ quam Apoſtoli ipſeque Seruator loquuntur Eſa.3 & 5. Ierem.18. Ezech.16. Matth.12. Marc.7. Luc.21 Et 1. Cor.5.Gal.6.Epheſ.5.

XI. Diſciplina Eccleſiaſtica ſecundùm verbum Dei , ab omnibus approbatur : Atque tam in Miniſtros delinquentes , quam in omnia membra Eccleſiæ, ſine reſpectu perſonarum vt extendatur, neceſſarium eſſe judicamus : idque non ſolum verbis vt fiat, ſed executione ipſa,& veritate,ſecundum mandatum Domini Ieſu Chriſti, & exemplum Apoſtolorum Matth.5.& 18 Iohan.20.1.Cor.5.2.Theſ.3.

XII. Libertas illa conceditur,vt Miniſtri & membra cœtus vnius, alterius cœtus Miniſtros & membra, ſicubi opus fuerit,de pietate & pœnitentia commonefaciant.

XIII. Quilibet Paſtor de propriis auditoribus & ouiculis ad ſuam curam pertinentibus ſciat, illorumque veram curam agat.

XIV. Vtriuſque partis Miniſtri ad vſum Sacramentorum auditores ab altera parte venientes non admittant, abſque teſtimonio Paſtoris illius, cujus propriæ ſubjacent curæ: Exceptis Comitijs, Synodo Generali, aut fortè aliqua peregrinatione.

XV. Excommunicati authoritate clauium Chriſti ab vno cœtu, non admittantur ad ſacram Cœnam in altero cœtu, niſi priùs cum Eccleſia quam offenderunt reconcilientur.

XVI. Miniſtros in vno cœtu ex officio depoſitos vel excommunicatos, Miniſtri cœtus alterius nec recipiant, nec abſoluant, nec illis Miniſterium reſtituant, ſed judicio cœtus ſui recipiendos & abſoluendos relinquant.

XVII. Patroni Eccleſiæ & Collatores, nil mandare debent Miniſtro, de mutandis & innouandis cæremoniis, ſine conſenſu ſeniorum Miniſtrorum.

XVIII. Cæremonias & ritus Papiſticos ſenſim auferendos & omnino rejiciendos eſſe cenſemus, vt Exorciſmum, imagines idololatricas, Sanctorum reliquias, vſum ſuperſtitioſum candelarum, Conſecrationem herbarum, vexilla, cruces aureas & argenteas, ac his ſimilia: ne per illa verbum Dei profanetur, & ne Antichriſto patrocinari videamur.

XIX. Si controuerſia aliqua fuerit oborta inter vtriuſque cœtus Miniſtros in Doctrina vel in Ritibus &c. placidè inter ſe eam componere ſtudeant: Et ſi componi in eorum gremio non poterit, judicium & decretum in eo ab Generali Synodo Eccleſiarum omnium Majoris & Minoris Poloniæ expetant: hócque pro ipſa quæſita veritate verè & ex animo agnoſcant & amplectantur.

XX. Obſeruationes has Concordiæ mutuique Chriſtiani Conſenſus, datis junctiſque dextris ſanctè promiſimus & recepimus inuicem omnes, in omnibus Eccleſiis Chriſti, noſtræ curæ in Regno Poloniæ ſubjectis, auxiliante Deo, conſtanter retinere atque obſeruare. Idque approbauimus propria ſubſcriptione.

Eraſmus Gliczner, *Eccleſiarum Confeßionis Auguſtanæ in Majori Polonia Superintendens ſuo & Fratrum ſuorum nomine.*

Georgius Iſraël, Ioannes Laurentius, Georgius Philippenſis, *Seniores Eccleſiarum Chriſti, Confeßionis Fratrum Bohemorum in Majori Polonia ſubſcripſerunt.*

Nicolaus Gliczinerus, *Senior in Diſtrictu Poſnanienſi, ſuo & cæterorum Fratrum nomine.*

Petrus Koſtenius, *paſtor Eccleſiæ Chriſti in Miloſlavv, Archipreſbyter ejuſdem atque Ridzinenſis M.P.*

Simon, *Miniſter Eccleſiæ Chriſti in Vvilkovvo, Senior Diſtrictus Coſtenenſis.*

Balthaſar

Balthasar Eychnerus *Minister Ecclesiæ Germanicæ Confessionis Fratrum Bohemorum Posnaniæ.*

Iohannes Turnouius, *Minister Christi Confessionis Fratrum in Barczinensi Ecclesia.*

Blasius Adamitius, *Ecclesiæ Christi Confessionis Fratrum Minister Szamotulis M.P.*

Lucas Iaraczeuianus *Confessionis Augustanæ Szamotuliis Minister M.P.*

Abraham Abdeel, *Confessionis Augustanæ in Germanorum Ecclesia Posnaniæ Minister M.P.*

Iohannes Enoch, *Ecclesiæ Christi Minister Posnaniæ, Confessionis Fratrum.*

Elias Thesbita, *Diaconus Fratrum in Ecclesia Ostrorogensi M.P.*

Simeon Theophilus *Turnouius*, *Diaconus Fratrum Bohemicæ Confessionis M.P.*

Iacobus Tichicus, *Diaconus Ecclesiæ Fratrum Bohemorum in Godziszenno M.P.*

Valentinus Cornelius, *Acolytus & Rector scholæ Fratrum Bohemorum Posnaniæ M.P.*

Iacobus Schuuenck *Oppolitanus, Præceptor Scholæ Augustanæ Confessionis Posnaniæ M.P.*

Lucas Comes à Gorka, *Palatinus Posnaniensis personaliter M.P.*

Ioannes de Tomicz, *Castellanus Gnesnensis personaliter M.P.*

Andreas Lipczinski, *articulis suprascriptis & tam pio Consensui, meo & aliorum Fratrum nominibus M.P.S.*

Zacharias Rydt, *approbo ista & subscribo M.P.*

Stanislaus Storch, *assentior his articulis M.P.*

Rom. 14. Proinde quæ pacis sunt sectemur, & quæ ædificationis sunt custodiamus.

CONTESTATIO CONSENSVS.

IBIDEM Posnaniæ post octiduum, nempe Maij die 28. Dominica I. post Trin. verum Consensum ac sanctam vnionem confirmarunt realiter inter se Augustanæ & Bohemicæ Confessionis cœtus hoc modo; Ministri, Patroni, totáque Congregatio Bohemicæ Confessionis tam Poloni quàm Germani vtriusque sexus homines, ex templo suo, turmatim ingressi sunt in Ecclesiam Augustanorum, ad matutinam concio-

nem, ac ibidem vtrisque auditoribus solenniter congregatis, Ministri Fratrum, Iohannes Laurentius Senior Polonis, Balthasar Euchestrus Germanis, concionati sunt. Simili modo post meridiem, Augustanæ Confessionis cœtus, cum Patronis (Domino Luca à Gorka Palatino Posnaniensi: Domino Iohanne Tomiczio Castellano Gnesnensi &c.) & Ministris suis, spectabili processione ex sua Ecclesia per ciuitatem, ingressi sunt in suburbio Ecclesiam Fratrum Bohemicorum, Poloni ad Polonos, Germani ad Germanos: atque illis Nicolaus Gliczneruus Senior, his Abrahamus Abdeel, Augustani Ministri verbum Dei prædicarunt. In his congregationibus vtrobique lecto Polonis & Germanis auditoribus Consensu & Consignatione, facta est sanctæ Concordiæ ac Vnionis voce Ministrorum contestatio, & ad eam ceu singulare donum Dei seriò colendam atque custodiendam sedula adhortatio ac obligatio vtrinque auditorum, vt falsis de se suspicionibus abjectis, vnum in Domino & veritate ejus facti, disciplinam ejus seruantes, amore fraterno inuicem sese prosequantur: cum ardentibus ad Deum votis, & maxima cunctorum lætitia & acclamatione. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in vnum!* Tandem Hymnum exultationis & gratiarum actionis: *Te Deum laudamus*, vno ore vna Ecclesia facti omnes cecinerunt.

Apostolus ad Ephes. 4.

Obsecro itaque vos in Domino, vt dignè ambuletis, cum omni humilitate, mansuetudine & patientia, tolerantes inuicem in charitate, studentes seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, &c. Amen.

GRACOVIENSIS SYNODI GENERALIS ACTA ET CONCLVSIONES, seu canones. Anno Domini 1573. Sept. die 29. &c.

CVM conuenissent tam verbi diuini Ministri & Superattendentes Confeßionum, Augustanæ, Fratrum Bohemorum & Heluetica, quàm Illustres, Magnifici, & Generosi Domini Patroni, & Seniores cum legatis Ecclesiarum Orthodoxarum Maioris & Minoris Poloniæ, atque Magni Ducatus Lithuaniæ, Rußiæ, Samogitiæ, & ex aliis prouinciis, quò de rebus ad propagationem Religionis Christianæ Orthodoxæ & disciplinæ Ecclesiasticæ necessariis agerent: Tum inuocato Nomine Sancti Spiritus (& perlectis literis ac auditis legationibus ab Ecclesiis & spectabilibus personis ad Synodum mißis) hæc, quæ sequuntur, egerunt ac decreuerunt.

PRIMO. Consensus mutuus, olim Sendomiriæ constitutus ac sancitus, denuò in hac Synodo repetitus est: Cuius verba omnia ordine perlecta & diligenter examinata, atque à cunctis vnanimiter comprobata sunt.

SECVNDO. Consignationem Articulorum certorum, inter nos omnes obseruandorum, qui sanciti sunt in Synodo Posnaniensi Anno M.D.LXX. die XX. Maij, in hac Synodo Cracouiensi, legimus, perpendimus, & cunctos istos Articulos approbatos, pro communibus recipimus.

TERTIO. Porrò vt partim optimus ordo, cum Ecclesiastica disciplina vigere magis ac magis possit: partim etiam vt doctrina Christiana, summa cum concordia à nobis propagari & fœlicem cursum habere queat: ac denique vt schismatibus & scandalis (quibus vehementer impeditur & tardatur ædificatio Ecclesię Dei) eatur obuiam: superiorum Articulorum Consignationi, Constitutiones quasdam, jampridem in Synodis Districtualibus, Xansensi & Wlodislauiensi sancitas subiecimus, ac pro communibus recepimus. Relicta tamen libertate fratribus Bohemicæ & Augustanæ Confessionis, vt possint suos ritus & consuetudines, quæ in hoc genere ab eis obseruantur, retinere: præsertim de Superattendente & eius officijs, ac etiam de Senioribus & de Synodis.

EX XANSENSI SYNODO CONSTITVTIONES.

I. DE SVPERATTENDENTE.

In singulis Districtibus, ex Ministris illius Districtus eligendus est vnus in Superattendentem siue Seniorem spiritualem: huiusmodi verò, qui aptus esset ei muneri: Idque à Ministris & Senioribus illius Districtus in Synodo fieri debet: Et quatenus possibile esset, vocandus eò erit vicini Districtus Superattendens, vt inaugurationi ipsius præsit.

Cuius hæc sunt officia.

I. Certo in loco fungetur officio Ministerij: ac educabit Catechistam impensis Patronorum illius Districtus, qui ad munus Ministerij sedulò sese exercere, & in absentia Superattendentis, cùm videlicet is ad visitandas Ecclesias vel Synodos profectus erit, conciones sacras habere debet.

II. In Districtu sibi commisso, passim vbi opus fuerit, Ministros tam per oppida quàm in pagis constituere debet.

III. Ministros in certis locis habitantes, eorùmque auditores visi-

tare tenetur, ad minimum ſemel in anno : idque cum vno aut duobus Senioribus ſecularibus ſeu Diaconis.

IV. Summa cum diligentia munus ſibi concreditum exequatur, ita ne lupi rapaces doctrina falſa & hæretica gregem Chriſti inficiant & diſpergant aut perturbent.

V. Cùm fuerit vocatus ad Synodos aliarum Eccleſiarum alterius Diſtrictus ſeu Prouinciæ, eo accedere debebit, idque ſumptibus cœtus ſui Diſtrictus.

VI. Synodos in ſuo diſtrictu ſeu diœceſi ſtatis temporibus, certas & neceſſarias ob cauſas indicet, eaſque diriget.

VII. Querelæ inter fratres ſi fortè acciderint, eas vigilanter excipere debet: atque aduocata vtraque parte, in Conſeſſu Seniorum dijudicare & conciliare: ſaluis tamen legibus.

VIII. Catechiſtas & Adoleſcentes bonæ indolis, qui ad Miniſterium idonei eſſe poſſent, examinare & ſuſcipere debet.

IX. Literas ab aliis Eccleſiis, & quibuſvis hominibus, quæ ad Eccleſias Diœceſis illius miſſæ fuerint, accipiat: Ad quas de conſilio Seniorum, præcipuè Miniſtrorum, cæterorúmque fratrum præſertim in rebus difficilioribus, reſpondeat.

X. Munus eius à Synodo ad Synodum durare debet : Et juxta ſententiam Synodi, aut is retinendus & approbandus, aut alius eligendus & conſtituendus erit.

II. DE SENIORIBVS ORDINIS Equeſtris ſeu Politici.

Seniores vbique in Diſtrictib. ſeu Diœceſibus duo vel tres eſſe debent: qui in particulari ſeu Diſtrictuali Synodo ab omnibus Miniſtris & Patronis ſuffragiis liberis eligantur : poſtea à Superattendente ejuſdem Diſtrictus & ab aliquot Miniſtris inaugurentur.

Quorum hæc ſunt officia.

Obſtringet eos ſub conſcientia Synodus & Eccleſia, vt ſedulò obſeruent Miniſtros, quò veram & Orthodoxam doctrinam purè, fideliter & diligenter, proponant: Vtque vitam piam & modeſtam agant. Quòd ſi animaduerterint, quempiam illorum errare & ſcandalum præbere, monere debent hominem, ac ſi res poſtulauerit, propter enorme aliquod peccatum à Miniſterio eum ſuſpendent, conſilio Superattendentis, vſque ad Synodum. Sic etiam erga ſingulos fratres ſe gerent, vt errantem coerceant, obſeruatis tamen diſciplinæ Eccleſiaſticæ gradibus.

II. Ad Synodos omnes proficiſci debent: Et vnà cum Superattendente Eccleſias viſitabunt.

III. Curare debent & commonefactionum aſſiduitate efficere, vt bona Eccleſiaſtica reſtituantur ad vſum Miniſtrorum & Eccleſiarum.

IV. Operam dabunt, vt Miniſtri victum neceſſarium & habitatio-

nem

nem commodam habeant: Néve vlla injuria aut grauamine affligantur.

V. Constitutiones Synodicas ad executionem debent perducere: Atque omnes controuersias inter Fratres componere. Officio verò fungentur tantum ad Synodum, quos vel in eodem confirmare, vel mouere, alióſque ſubſtituere, liberum erit Synodo.

III. DE SYNODIS.

Synodi duplices in ſingulis Diſtrictibus celebrari debent, altera Particularis, quater in anno, altera verò Diſtrictualis, ſemel in anno.

IV. DE MINISTRIS.

I. Miniſterium nemo ſibi vſurpare, neque ſe quiſquam ſua præſumptione mittere poteſt: Sed Superattendens in Synodis Diſtrictualibus Miniſtros eligere, ordinare & mittere debet.

II. Neque etiam quiſquam vocationem & ſtationem ſuam aut munus paſtorale ſibi commiſſum, ſuo arbitratu deſeret, ſine conſenſu totius Synodi & Patronorum ſuorum.

III. Patronus priuata ſua authoritate ac voluntate, nec recipiat, nec dimittat, multò minus ejiciat Miniſtrum: Sed ejuſmodi negotia in Conſeſſu Seniorum proponat & expediat.

IV. Nulli Miniſtrorum, cæterorúmve Fratrum liberum ſit in lucem emittere libros, vel Manuſcriptos vel Impreſſos abſque conſenſu totius Synodi.

EX VVLODISLAVIENSI SYNODO DISTRICTVALI CONſtitutiones, in hac Cracouienſi Generali receptæ.

I Cohibeantur & procul arceantur omnia vitia, profuſæ commeſſationes, ingluuies ac ebrietas, maledicta, choreæ, faſtus & luxus in veſtitu, quem vitare debent cuiuslibet conditionis homines, omni in loco, maximè verò in Sacris Cœtibus, ne offenſionis cauſam præbeant.

II. Nuptiæ ſumma cum honeſtate, modeſtia & morum ſanctimonia celebrentur.

III. Publica hoſpitia ſeu cauponæ, ſint honeſtatis domicilia, benè in omnibus ordinata & prouidè conſtituta: ita vt & potus & cætera ad victum hominum atque iumentorum pertinentia tam peregrinis quàm indigenis neceſſaria, in eis inueniri poſſint. In quibus ne fiant conuenticula puellarum & quarumlibet fœminarum ſuſpecta, ac

præſertim nocturna, Domini id curare, cúmque choreis, luſus chartarum &c. ac ſimilia vitia ſeuerè prohibere debent.

IV. Subditorum habeatur ſumma ratio, ita vt Chriſtianum amorem, humanitatémque debitam ab ipſis Dominis & eorum Procuratoribus experiantur. Laboribus nimijs ne opprimantur, ſed quandoque relaxatione & remiſſione ij fruantur. Labor ab ipſis bidui vel ad ſummum tridui ſeptimanatim, nec vltra exigendus eſt. Cenſus & aliæ penſiones ab ipſis juſtè & clementer ſine grauamine & oppreſſione accipiantur. Nempe ita ſeſe erga ſubditos ſuos gerant Domini, quales, ſi in iſtorum proximorum ſuorum loco eſſent, Dominos erga ſe optarent.

V. Diebus Dominicis ne permittant Domini in ſuis ditionibus negotiationes, forúmque publicum: Neque iiſdem diebus colonos ſuos vllis laboribus aut vecturis onerent.

VI. Cùm hoc præcipuum ſit parentum munus, vt ſuos liberos in vera ſinceráque religione, in Dei timore & pietate inſtitui curent: nefas eſt Chriſtianorum ac Euangelicorum hominum liberos, diſcendi gratia ſcholas blaſphemorum & idololatrarum frequentare.

QVARTVS SYNODI CRACOVIENSIS *actus erat, de Arrianabaptiſtis.*

Ex hic cùm aliquot Concionatores & auditores ſuapte ad Synodum noſtram veniſſent, & de ſuo dogmate ibidem diſſerere vellent: Synodus poſt grauem de ijs deliberationem, denegauit eis colloquium ac diſputationem, & tale decretum fecit.

Siquidem Arrianabaptiſtæ ex nobis egreſſi, non manent in Doctrina Chriſti ac Fide de vero Deo, Patre & Filio cum Spiritu Sancto, adeóque Deum non habent: & iam à nobis ſæpiſſimè colloquijs ac ſcriptis admoniti pertinaciter in errore manent: Nullum iam ampliùs cum ipſis commercium (quandiu ſententiam ſuam tuentur) habeamus, nullas diſputationes ipſorum admittamus: ſed eos libróſque illorum blaſphemos, ſecundum præceptum Spiritus ſancti vitemus, ne aliàs fundamentum religionis Chriſtianæ, Fidem firmiſſimam de de Deo (in cuius nomine ſumus baptizati) ſubter nos commouere ac in dubium vocare videamur: & ne operibus eorum malis, doctrinis venenatis, atque blaſphemijs gloriam Domini oppugnantibus, communicemus.

QVINTO. DE CHOREIS.

Diſceptatum eſt in Synodo de Choreis, quibus nonnulli patrocinari vellent, fingentes talem diſtinctionem: Quòd *aliæ ſint honeſtæ, aliæ inhoneſtæ.* Sed omnium tam Spiritualium quàm Secularium, ſecundùm

ſacras.

ſacras Scripturas ſuffragio (refutatis palliationibus & excuſationibus chorearum) prorſus eæ ſunt damnatæ, ac vetitæ omnibus veram pietatem profitentibus, non ſecundùm carnem ambulantibus, ſed opera carnis ſpiritu mortificantibus, mundum & ipſius vanitates non amantibus, ac Chriſtum quotidie cum cruce ſequi conantibus.

SEXTO. De Cæremonijs præſertim in vſu Cœnæ Domini, mota quæſtione: An eæ in omnibus Eccleſiis noſtris vniformes eſſe poſſent? Concluſum eſt, vt ſecundùm morem primitiuæ Eccleſiæ libertati Chriſtianæ ceremoniæ inter nos permittantur: Monitis tamen fratribus ſi qui ſeſſione in Sacra Cœna vtuntur, vt eam Cæremoniam Arrianabaptiſtis propriam relinquant.

SEPTIMO. Hi articuli cum ſuperiùs nominatarum Synodorum Conſtitutionibus & Canonibus in omnibus & ſingulis punctis, ab hac Generali Synodo examinati, approbati & ſolenniter confirmati ſunt, ab omnibus tum præſentibus Miniſtris & Patronis ac Eccleſiarum legatis, nomine ſuo & ſuorum, vltrò tali pœna in violatores horum conſtituta. Nos Patroni Equeſtris ordinis, ſi contra iſtos Articulos quid commiſerimus, vt Miniſtris priuemur, atque aliis pœnis (ſecundùm Diſciplinam Eccleſiaſticam) quæ in pertinaciter peccantes, ſacris Scripturis expreſſæ ſunt, afficiamur. Nos verò Miniſtri, vt ab officio Miniſterióque deponamur, ac etiam excommunicationis in Verbo Dei deſcriptæ pœnam ſubeamus. Quod vt ratum firmúmque ſit, Domini & fratres in hac Synodo præcipui, nomine ſuo & Eccleſiarum ac fratrum ſuorum omnium, exemplar actorum hujus Synodi, Cracouiæ Kalend. Octobr. M.D.LXXIII. manibus ſuis ſubſcripſerunt, & etiam ſigillis ſuis conſignârunt.

Iohannes Firley de Dumbrouuicza, *Palatinus & Generalis Capitaneus Cracouienſis, Marſchalcus Regni Poloniæ &c. M.P. ſubſcribo.*

Staniſlaus Slupeczki, *Caſtellanus Lublinenſis ſubſcribo M.P.*

Iohannes Tarlo, *Caſtellanus Radomienſis, M.P.*

Hieronymus Buzinski, *Theſaurarius Regni Poloniæ, M.P.*

Sigiſmundus Myſzkouuski, *Oſuueczinenſis Capitaneus, M.P.*

Staniſlaus Garnyſz, *Dapifer Cracouienſis, M.P.*

Leonhardus Straſz, *Burgrabius Cracouienſis, M.P.*

Staniſlaus Plaza, Iohannes Plaza, Andreas Firley *de Dumbrouuica, Palatinides Cracouienſis.*

Nicolaus Koniecpolski, Nicolaus Dluski.

Chriſtophorus Goſlauuski de Bebelno.

Hieronymus Goſtomski.

Sigiſmundus Palczenski, *Subcapitaneus Cracouienſis.*

Iohannes Pakouuski, *de Pakouuicze.*

Matthias Louuieniczki.

Marianus Przilenski, *Burgrabius Arcis Cracouienſis.*

Valentinus à Brzezie.

Stanislaus Karminski *Iuuan Senior Districtus Cracouiensis.*

Iohannes Zebrzidouuski, *Senior Districtus Cracouiensis.*

Stanislaus Sudrouius *Ostrolencensis, Christi Jesu Minister in cœtu Vilnensi, suo & ejusdem cœtus Fratrum nomine.*

Georgius Israël, Ioannes Lorentius, Iohannes Rokita, *Seniores Confessionis Bohemicæ in Majori Polonia, suo & Ecclesiarum Fratrúmque suorum nomine.*

Erasmus Gliczner, *Ecclesiæ Dei Confessionis Augustanæ in Majori Polonia Superattendens, suo & Collegæ sui.*

Iohannes Enoch; *aliorúmque Fratrum suorum omnium nomine.*

Paulus Gilouius, *Superattendens Confessionis Helueticæ in Districtu Zatoriensi, suo & Fratrum suorum nomine.*

Andreas Prasmouius *Radzieiouiensis Minister, Superattendens in Districtu Cracouiensi.*

Thomas Golecius, *Minister Hamostensis cœtus Vilnensis.*

Valentinus de Brzozouuo, *Minister Ecclesiæ Dei, Senior in Districtu odgoriensi.*

Petrus Luncki, *Minister verbi Dei & Senior in Districtu Rauensi & ocznensi.*

Georgius Pontanus, *Ecclesiæ Christi Minister, Superattendens in Districtu Lublinensi & Belzensi, suo & suorum nomine.*

Stanislaus Czaslauius, *Minister Christi in Corithnica, missus ad hanc Synodum à Fratrib. districtus Chenczinnensis, suo & suorum nomine subscripsit.*

Simeon Theophilus Turnouius, *Minister Christi & Ecclesiæ eius Orthodoxæ in Luthomirsko, subscribit M. P.*

Porrò tota hæc Cracouiensis Synodus, omnium Confessionum fratres, Superattendentes, Seniores, Ministri, & Domini Patroni, quorum hîc sunt expressa nomina, & reliqui congregati, sanctum Consensum ac vnionem, atque omnes istos Articulos & Constitutiones confirmarunt & obsignarunt: denique Sacra Synaxi, Corpus & Sanguinem Domini simul percipientes, iis ceremoniis, quas Ecclesia Cracouiensis in vsu habet. Atque ita in amore fraterno gaudentes & Dominum collaudantes ad suos redierunt.

Psal. LXVII.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Amen.

Stanislaus

PETRICOVIENSIS SYNODVS GENERALIS, ANNO DOMINI M. D. LXXVIII. Iunij die. I. II. & III.

CONVENERVNT ex omnibus Regni prouinciis Superattendentes Consessimum cum Senioribus & numeroso cœtu Ministrorum, Magnatum ordinis Senatorij & Nobilium non mediocri frequentia, Domino Petro Zborouio Palatino Cracouiensi, & Domino Iacobo Niemoieuio, cum Paulo Gilouio (à Synodo delectis) potissimas partes in regimine Synodi agentibus.

CONCLVSIONES SYNODICÆ.

I.

QVia nobis relatum est, conscribi in Germania à viris doctis Harmoniam Confessionum Euangelicarum, non improbamus omnino istud consilium & laborem piorum hominum, nostrum Consensum Sendomiriæ factum hoc modo promouere atque confirmare (corpore Doctrinæ ex Confessionibus nostris compacto) studentium. Sed postquam fuerit opus id publicatum ac ad nos perlatum, deliberabitur à nobis in alia Synodo Generali, num ei subscribere debeamus.

II. Consensus Sendomiriensis, & cætera deinceps in Synodis nostris Generalibus constituta ac recepta, summa cum alacritate ab omnibus approbantur & confirmantur.

III. Disciplina Ecclesiastica vt majori sedulitate inter nos exerceatur, & in omnibus justam executionem sortiatur, vtile admodum & necessarium esse decernimus.

IV. De ceremoniis potissimùm in administratione Cœnæ Domini, exoptandum & optimum quidem esset, vt per totum Poloniæ Regnum, in omnibus Euangelicis Ecclesiis iisdem ritibus Sacra Synaxis celebraretur. Et certè non esset ea res adeò difficilis, quòd ad ipsos Ministros & prudentiores homines. Illico in vnam certam formam consentiremus. Sed quia vulgus ac homines simpliciores mutatione rituum offenderentur; & ad cæremonias suæ consuetudini dissimiles omnino adduci non possent: Ac si cogerentur, eò forsan res deueniret, vt Disciplina Ecclesiastica in eos extendenda esset. (Quâ quidem propter externos ritus homines pios ferire, neque Domini est voluntas, neque purioris Ecclesiæ Christianæ mos.) Proinde Cæ-

remonias Libertati Christianæ donamus, ac permittimus, vt stantes vel genua flectentes pij Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sumát. Sessionis verò ad Mensam Domini quia prçter ritus in omnib. per Europá Euangelicis Ecclesiis vulgò consuetos illi inter nos primi authores extiterunt, qui omnia temerè in Ecclesia immutantes, & sine scientia Christum quasi imitantes, à nobis ad Arrianismum perfidi transfugæ facti sunt: Quare hanc propriam ipsis (vt Christum ita & Sacra ejus irreuerenter tractantibus) & tanquam minùs honestam ac religiosam, simplicioribúsque admodum scandalosam cæremoniam rejicimus.

V. An ægrotis mortemque subituris Sacra Cœna sit exhibenda? Ita conclusum. Debere omnes Pastores docere & assuefacere auditores suos, vt quotiescunque Mensa Domini pro omnibus Fidelibus in communi cœtu apparatur, ad eam singuli accedere non negligant: Adeoque nullas dilationes facientes, nec vltimum vitæ punctum expectantes, sed corpore & animo sani sint semper, secundùm mandatum Domini Iesu, parati, ac vsu Ministerij ejus in spe vitæ æternæ confirmati. Tamen & ea in re, vt conscientiis hominum non dominemur, justis de causis id petenti ægroto: qui mentis & rationis compos sit, non est denegandum: Verùm diligenter & prudentissimè explorata ac erudita ipsius conscientia: & quatenus id pro circumstantia loci atque temporis fieri potest, aliquot Fidelium collectis, & vnà cum ægroto participantibus.

VI. Constitutum est, vt nullus Patronus recipiat ac in Ecclesia docere patiatur vllum Ministrum, nisi qui esset à Superattendentibus ac Senioribus nostrarum Ecclesiarum legitimè ordinatus ac missus, bonumque & certum testimonium ab iis haberet.

VII. Siquidem vnio facta est inter nos Helueticæ, Augustanæ & Bohemicæ Confessioni addictos, liberum erit Ecclesiæ seu Patronis cœtus vnius Confessionis, justis causis ac bono ordine, à Superattendentibus alterius Confessionis Ministrum petere ac ad se vocare.

VIII. Consonum est votum omnium, & res judicatur ad ædificationem Ecclesiæ imprimis necessaria, vt aliquam Generalem Scholam in Polonia habeamus, communi largitate Dominorum Patronorum constitutam: Quod quidem se effecturos Domini promptè promiserunt, ex propriis bonis ad minimum à singulis rusticis suis singulos florenos conferre pollicentes.

IX. Decimas cæteráque bona templis dicata, Domini Patroni debent Deo, Ministris & vsibus Ecclesiæ fideliter reddere: si conscientia & fama bona in Domo Domini frui volunt.

X. Sancitum est, vt Domini in suis ditionibus, diebus Dominicis prohibeant Nundinas annuas & septimanales. Item, conuenticula in tabernis, compotationes, alearum, chartarum, & similes varios lusus: concentus, musicorum instrumentorum vsum, atque choreas &c. Prçser-

sertim verò eo temporis momento, quo concio & cultus diuinus in templo peragitur.

Paulus Gilouius, *Superattendens Confessionis Heluetica in Districtu Craconiensi.*

Erasmus Gliczneruς, *Superattendens Ecclesia Confeßionis Augustana in Maiori Polonia.*

Iohannes Laurentius, *Superattendens Fratrum Confessionis Bohemica in Polonia.*

Psal. CXXXVIII.

Domine in seculum misericors, opera manuum tuarum ne deseras.

VVLODISLAVIENSIS SYNODVS GENERALIS, ANNO DOMINI M.D.LXXXIII. Iunij die XIX.

ANNO DOMINI M.D.LXXXIII. Iunij die 19. hora meridiana, inuocato Spiritu Sancto factum est exordium Synodi VVlodislauiensis, cui intererant plurimi viri clarissimi, ordinis Senatorij & Equestris, ex prouinciis Regni Polonia, ac Legati ex Magno Ducatu Lithuania &c. cum Superattendentibus, Senioribus ac Ministris septuaginta circiter. Ibique primò tractata & constituta sunt ea, qua ad bonum ordinem Synodi & actionum eius pertinebant: cum electione personarum, qua potissimas negotiorum partes sustinerent.

ACTA ET CONCLVSIONES SYNODICÆ DIE XX, &c.

I.

PRima actio erat de renouatione & confirmatione Consensus Sendomiriensis, inter Fratres Confeßionis Bohemicæ, Augustanæ & Heluetic*æ*, ea intentione, vt ista Sancta Concordia inter dictas Ecclesias semel constituta, & confirmata, deinceps etiam inuiolata ac integra permaneret: Repreßis maturo consilio omnibus technis, qui-

bus Satanas nequiſſimus gloriæ Dei & noſtræ ſalutis hoſtis, diſſidiique & tumultuum author, iſtam vnionem & pacem pulcherrimam inter nos turbare niteretur. Quare ibidem perſonarum & partium quarundam acta, Cõſenſui non penitus congruentia, ſpiritu manſuetudinis ac ingenuè ſunt perpenſa & correcta. Atque ita eò firmiùs aſtrictum eſt vinculum pacis, ad conſeruationem Sanctæ Concordiæ, vndique ratam & inuiolabilem, ſecundùm Conſenſum Sendomirienſem & cæterarum Synodorum Conſtitutiones, in amore mutuo, temporibus perpetuis.

II. Concluſum, vt Conſenſus Sendomirienſis, cum Conſignatione Poſnanienſi & Actis atque Canonibus Generalium Synodorum noſtrarum, huiuſque VVlediſlauienſis, Lingua Latina & Vernacula publicentur: Cum ſubſcriptione perſonarum, præſertim præcipuorum Seniorum.

III. Conſtitutum, vt quilibet Miniſter ſibi comparet habeátque dictum libellum, Conſenſum & Conſignationem &c. complectentem: Atque ita in omnibus ſe gerat & concordiam tueatur: ſub pæna Eccleſiaſtica.

IV. De Harmonia Confeſſionum Euangelicarum (pio ſtudio & ſolerti labore apud Heluetios nuper edita) in eam ſententiam itum eſt. Siquidem nos in Polonia & Lithuania &c. diuino fauore, habemus certam Concordiæ noſtræ normam ac vinculum, Conſenſum Sendomirienſem &c. quo tanquam vexillo pacis in vnum Domini exercitum coniuncti fœliciter vtimur. Proinde iſti Harmoniæ cæteriſve Concordiæ formulis ſubſcribere, ac eas in noſtras Eccleſias inferre, ſuperuacaneum eſſe cenſemus.

V. Decretum eſt, ne quiſpiam audeat vllos libros proprio arbitrio publicare. Sed illi libri, qui Generalem Eccleſiæ Doctrinam continent, Cenſuræ Superattendentium omnium Confeſſionum & Seniorum præcipuorum ſubiaceant. Qui verò ſpecificum aliquid tractant, à Miniſtris Senioribus Diſtrictuum examinentur.

VI. Quòd attinet ad ceremonias Cœnæ Domini: Sententia iam olim in Sendomirienſi Synodo agitata, & concluſio in Generali Cracouienſi atque Petricouienſi Synodo facta ac repetita, in hoc etiam VVlodislauienſis Synodi Conſeſſu approbata eſt: nempe, ne in vſu ſit ſeſſio ad Menſam Domini, in vllis hujus noſtri Conſenſus Eccleſiis Poloniæ & Lithuaniæ &c. Nam hæc cæremonia (licet cum cæteris libera) Eccleſiis Chriſtianis & Cœtibus Euangelicis non eſt vſitata, tantúmque infidelibus Arrianis, cum Domino pari ſolio ſeſe collocantibus, propria. Cùm itaque ſeſſio potiſſimùm occaſione & malo auſpicio illorum, qui miſerrimè ex nobis exciderunt, & Dominum qui nos redemit, abnegarunt, in conſuetudinem irrepſit aliquot noſtris Eccleſiis, rogamus & hortamur omnes iſtos Cœtus & fratres noſtros in Domino, vt Seſſionem commutent in cæremonias nobis in

Eccleſiis

Ecclesiis Euangelicis per Europam consuetas, scilicet vt administretur Cœna Domini stantibus, vel genua flectentibus (cum protestatione contra Artolatriam Papistis consuetam.) Quem vtrumque ritum, provt in quibus Ecclesiis hactenus vsitatus est, nobis liberum, sine scandalo & vituperatione inuicem relinquimus & approbamus.

VII. Cùm multiplicata sint grauia scandala & enormia vitia, ebrietas, comessatio, prodigalitas, ludi alearum & chartarum, auaritia, vsuræ, oppressio subditorum, erga proximos iniquitas non reddens cuilibet quod suum est, circumuentiones, debitorum non solutiones, crudelitas, fastus, vestitus luxuriosus, choreæ, scortatio, maledictiones, iurgia, inimicitiæ, proximorum offensiones ac homicidia: pigrities, otium & laborum ac negotiorum propriæ vocationis fuga: cultus & verbi Diuini in Cœtibus pijs leuissimis de causis scandalosa intermissio, sacræ Synaxis neglectio, admonitionum & Disciplinæ contemptus: communionis idololatriæ & blasphemiæ, respectu sui siue liberorum suorum &c. non euitatio: quorundam etiam ab Ariolis sciscitatio, & incantatricum ac eiusmodi illusionum variarúmq; superstitionum vsus: & his similes abominationes ac peccata Verbo Dei contraria, & plurimum mali secum vehentia. Proinde conclusum est secundùm Diuina in Scripturis sacris decreta, & piarum Synodorum nostrarum Constitutiones, Disciplina Ecclesiastica, debitis gradibus, omnino & seriò contra tales (si qui in nostris cœtibus reperirentur, cuiuscunque sint status & conditionis) vti: cum excommunicatione pertinacium, ab vsu Cœnæ Domini, & ex Cœtu Fidelium eiectione.

VIII. Synodum Generalem nemo indicere debet priuato arbitrio, tantùm ex communi sententia omnium Superattendentium & primariorum Dominorum Patronorum. Particulares verò liberæ sunt cuilibet Seniori in sua Diœcesi, consciis etiam Senioribus secularibus.

IX. Omnium quidem Ministrorum ea cura esse debet, vt singuli etiam posteritatis veræ Religioni prospicientes, exemplo Prophetarum, Domini ipsius & Apostolorum, habeant secum commorantes bonæ indolis adolescentes, quos in vsum Ecclesiæ quantum possunt pane suo alant, ac doctrina & exemplis, à primis vnguiculis, ad pietatem & ad labores officij, informent. Maximè verò id fieri necesse est à Senioribus Ministrorum, quo etiam ij liberiùs domo, à sua Ecclesia ad cæteras, pro necessitate functionum suarum, proficisci possint. Sancitum itaque, est, vt in familia cujuslibet Senioris, vnus aut duo &c. juuenes alantur, subsidio seu collecta (vt vocant) Dominorum Patronorum sui Districtus: præsertim verò, si quis Senior Minister sit fortunæ tenuioris.

X. Vt verò possit faciliùs & feliciùs conseruari ac augeri seminarium Ecclesiæ Dei, scholis prouidendo, idoneos juuenes educando,

ipsiſque ad literas colendas ſumptus largiendo; obtulerunt jampridem ea in re promptam ſuam voluntatem Domini Patroni. Ac ſuperioribus temporibus in quibuſdam Synodis vltro ab ipſis concluſum eſt, vt quilibet Dominus, ab vnoquoque ſuo ruricola ſeu ruſtico agrum habente, det vna vice florenos ſingulos, vt ex ea ſumma collecta in vſum diſcentium, quotannis juſtis modis prouentus ſuppeteret. Quare ſeriò rogat & obteſtatur Synodus, omnes Dominos Patronos in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ &c. vt tandem Collectas, ad erectionem & ſubſidium ſcholarum memoratóſque vſus, conferre dignentur. Æquum enim & dignum eſt, vt qui ex manu Dei omnia ad diſpenſandum ſibi commiſſa habent, ad promouendam gloriam ipſius non ſint ignaui, præpoſtera ac ſordida parſimonia ne peccent, Deúmque ad iram & vindictam non prouocent: Et qui ciues Eccleſiæ præcipui ſunt, ac in ea fructu Miniſterij Chriſti vtuntur, ſint Eccleſiæ (quod ſibi Deus olim per Prophetam de ipſis promiſit) nutritores: atque cum reliquis etiam tenuioris ſortis hominibus, in re ad omnes ſpectante, per ſe ac aduersùs impetum ſcandalorum admodum neceſſaria, par onus ferant. Aliàs in hoc negotio negligentes, duri, ac inuerecundi, juſtiſſimè caſtigari deberent diſciplina Eccleſiaſtica, quolibet Miniſtro eam ſine adulatione erga ſuas ouiculas fideliter exercente.

XI. Sicubi ſit Miniſter, emeritus miles, annis aut ægritudine confectus, ac ad ſuſtinendos Miniſterij labores impar, conſtitutum eſt, vt ratione talium Miniſtrorum fiant Collectæ quotannis in Synodis particularibus, ac in manus eorum fideliter reddantur.

XII. Ordinatio Miniſtrorum & miſſio in certa loca, ad operandum in vnica Domini, commiſſa eſt Superattendentibus & Collegis eorum Miniſtris Senioribus.

Quòd verò ad victum & cætera Miniſtris neceſſaria pertinet, id Domini Patroni præſtare, Senioréſque ſpirituales & ſeculares pariter curare debent.

His ita pia conſultatione conſtitutis, & vigore Generalis Synodi decretis, confirmata ſancta Concordia & pace, ac mutuo amore aucto, Principi Paſtorum Domino Ieſu cum Patre & Spiritu S. ſuper omnia Benedicto Deo, læti gratias egimus. Et Seniores ad id à Synodo deputati, nomine totius Synodi manibus propriis ſubſcripſimus.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: Amen.

Iohannes Lorentius, *Senior & Superattendens Eccleſiæ Confeſſionis Fratrum Bohemorum in Polonia, ſuo & Fratrum nomine ſubſcripſit.*

Paulus Gilouius, *Superattendens Eccleſiarum Confeſſionis Heluetica Reformatarum, in Diſtrictu Cracouienſi, &c. ſuo & Fratrum ſuorum nomine ſubſcripſit.*

Eraſmus Gliczner *Superattendens Eccleſia Dei Confeſſionis Auguſtanæ in Majori Polonia ſuo & Fratrum ſuorum nomine ſubſcripſit.*

Bartho-

Bartholomeus Croſſius *Miniſter verbi Dei, & earum Eccleſiarum, ibidem Senior, ſubſcripſit.*

Iohannes Rokita *Litomiſlienſis, Senior in Diſtrictu Caliſſienſi, & Paſtor Eccleſiæ Coſiningenſis ſubſcribo.*

Simeon Theophilus *Turnouius, Senior Fratrum in Diſtrictu Siradienſi, Paſtor Eccleſiæ eius orthodoxæ Luthomirſci, Notarius Synodi, M.P. ſubſcribo.*

Iacobus Laſzkouuski, *Nuncius Dominorum Eccleſiæ Fratrum ex Maiori Polonia M.P.*

Stanislaus *Comes à Gorka Palatinus Poſnanienſis, manu propria ſubſcribo.*

Pſal. XLVII. & LXVII.

Exultatio vniuerſæ Terræ Mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis Magni.

Iehouah Exercituum, diſperde Gentes (& mentes) *quæ bella volunt.*

ACTA ET CONCLVSIONES SYNODI GENERALIS TORVNIENSIS ANNO DOMINI M.D.LXXXXV. Menſe Auguſto.

Micheæ IV. verſ. V.

Omnes populi ambulant, quiſque in nomine Dei ſui: nos autem ambulabimus in nomine Iehouæ Dei noſtri in ſeculum & in æternum.

TORVNIENSIS SYNODI GENERALIS Acta & Concluſiones.

ANNO *Domini M.D.XCV. die XXI. Auguſti, in nomine Domini celebrata eſt Generalis Synodus Euangelicorum, Toruníj, ad quam maxima frequentia ex omnibus ampliſſimi Poloniæ regni prouincíjs conuenere, cuiuſuis ordinis, ſtatus, & dignitatis viri Chriſtiani, Senatores Regni, Officiaríj, Equites, Ciues, Superattendentes, Seniores, & Miniſtri Eccleſiarum Chriſti. Præterea multæ inſignes legationes hinc inde ad eandem Synodum miſſæ, cum literis & commendatione*

fraterni amoris , nec non promtitudinis animi in recipiendis & amplectendis ijs omnibus , quæ in hac Generali Synodo ex Verbo Dei, iuxta priorum Synodorum Decreta concordibus suffragiis sancita essent. Quorum hæ præcipuæ fuêre.

Prima ex magno Ducatu Lithuaniæ à Synodo Vilnensi, cum subscriptione multorum Magnatum solemniter adornata, & Legatis viris lectissimis, tam Ministris, quàm secularibus commissa.

Altera ab Illustr. Domino Constantino Duce ab Ostrog Palatino Kijouiensi, Græcæ Religioni addicto, officia amicitiæ Ecclesijs Euangelicis offerente, & cum iis nomine suo ac suorum coniunctionem in vera Religione expetente, satis honorificè missa, & per legatum præsentem Dominum Casparum Luszkouium expedita.

Tertia à nobilitate Russiæ, Voliniæ aliarúmque prouinciarum, quę Græcam religionem & ritus amplectuntur. Quarta ab Euangelicis Palatinatus Russiæ, ex Synodo particulari Prochnicensi missa. Quinta à Palatinatu Sendomiriæ ex Synodo item Districtuali Iuaniscensi instituta. Simul etiam ex Districtu Chencinensi Legati, cum Politici, tùm Ecclesiastici, viri præstantes aduenere. Sexta ex Districtu Zatoriensi, & Osuiecimensi, à Superattendente loci & præcipuis Patronis missa. Septima ab Illustri & Magnifico Domino Stanislao Gostomski de Lezenice Palatino Rauensi, Capitaneo Radomiensi. Octaua ab Illustri & Magnifico Domino Christophoro Zenouicio, Palatino Brestensi in Lithuania. Nona ab Illustri & Magnifico Domino Nicolao Monuid, Palatino Polocensi. Decima ab Illustri & Magnifico Domino Alexandro Prunski , Castellano Trocensi. Vndecima à Magnifico Domino Nicolao Comite ab Ostrorog ex Russia. Aderant & ex Ciuitatibus Borussiæ Viri spectabiles, & aliorum præstantium virorum, quos fama istius Synodi accenderat, numerus ingens.

Durauit hęc Synodus dies, sex, nimirum à X X I. Augusti vsque ad X X V I I. eiusdem Mensis.

Vbi primùm inuocato Spiritus Sancti auxilio quotidie manè in templo D. Virginis , preces publicæ cum ieiunio atque Conciones & Exhortationes ad amorem Christi & sanctam concordiam ac pietatem à primarijs Ministris sunt habitæ.

Ac prima quidem die, id est, 21. Augusti, cùm nondum omnes, præsertim quibus iter longum erat conficiendum, in ciuitatem aduenissent, coactis Dominis Patronis & Ministris in templum, actum fuit de deligendis hujus frequentissimæ Synodi Præsidibus, qui eam ita moderarentur, vt omnia grauiter, ordine, honestè, & sine vlla confusione fierent. Ac communi omnium suffragio Directores Synodi nominati sunt, ex Politicis, Magnificus Dominus Suuientoslaus Orzelski ab Orle , Capitaneus Radzieiouiensis , & Magnificus Dominus Andreas Rzeczycki, Succamerarius Lublinensis. Ex Ecclesiasticis autem regimen & ordinis cura incumbebat Superattendentibus primarijs Domino Erasmo Gliczner o, Domino Simeoni Th. Turnouio,

Domino

Domino Francisco Iezierscio. Ibidem etiam electus est in Notarium Synodi publicum Daniel Mikolaieuuski, Orthodoxæ Radzicio uiensis Ecclesiæ Pastor, cui ex Politicis adjunctus est Dominus Christophorus Pauulouuski. Horum munus erat, literas aperire, legere, respondere, acta Synodi ordine excipere, ac in omnibus Dominis Directoribus præstò esse.

Sequente die 22. Augusti à concione & precibus, exceptæ sunt & auditæ legationes ex variis Regni prouinciis: vbi etiam Legatus Sacræ Regiæ Majestatis Magnificus Dominus Stanislaus Bykouuski Castellanus Lencicien sis, & vnà cum eo alij auditi fuêre.

Postea Propositio Synodi bipartita, clarè in templo à Magnifico Domino Directore proposita fuit: agendum nimirum nobis, diuino fauente Numine, de duobus.

I. De consensu in Ecclesiis nostris renouando, stabiliendo, & confirmando: bono ordine in cœtibus conseruando: nec non de disciplina Ecclesiastica restauranda, & scandalis, si quæ sunt, extirpandis.

II. De oppressionibus, injuriis, & contumeliis, quibus Ecclesia Dei in hoc Regno nuper quorundam extraneorum opera grauissimè diuexari cœpit, vbi & quomodo liberatio ab iis nobis petenda & postulanda esset. Hæc fuit propositio.

Et cœptum est hoc die aliquid agi, de priore ejus parte, ac prælectus est publicè Consensus Sendomiriensis, vnà cum aliarum Synodorum Decretis.

Die 23. Augusti, reliquæ Prouinciarum Legationes auditæ; Magnifico Domino Castellano Lancinensi responsum datum.

Ad hæc Reuerendissimi Domini Episcopi Cuiauiensis, ex tractu Dobrzynensi & Pomeraniensi: & ex Palatinatu Plocensi Legati, tum admissi auditique, tum cum sufficiente responso dimissi sunt.

Dein examen institutum fuit in eos, qui consensum nostrum violare aut ei refragari viderentur, & ordine Ministri circiter septuaginta suffragia sua de Confessionibus, & Consensu Sendomiriensi liberrimè proposuerunt, & concluserunt: tres fidei Confessiones, Augustanam, Bohemicam, & Heluecticam, in primariis doctrinæ capitibus, De sacra scriptura, De Deo Vero, De persona Filij Dei θεανθρώπου, De prouidentia Dei, De peccato, De Libero Arbitrio, De Lege, De Euangelio, De Iustificatione per Christum, De Fide, De Regeneratione, De Ecclesia Catholica, ejúsque vnico & supremo capite Christo, De Sacramentis eorumque numero, fine & vsu, De statu animarum post mortem, De Resurrectione & vita æterna, conuenire. In reliquis autem, in quibus discrepare illæ videntur, præsertim in articulo de Cœna Domini, nobis Consensum Sendomiriensem medicinam afferre, nósque inuicem nobiscum conglutinare, ac ab omnibus hæreticis, sectariis, & blasphemis idolatris, Orthodoxam & Apostolicam fidem adulterantibus sejungere. Ibidem etiam actum est, de conseruanda &

tuenda puritate doctrinæ de Deo, ejus essentia, & Personis, propter eos, qui à voce Trinitatis abhorrent: & decretum, vt, qui ea voce vti nollent, tanquam de fide suspecti ex cœtu nostro Euangelico excludantur.

Die XXIV, quæ fuit Diuo Bartholomæo sacra (& ob proditoriam illam ac nefandam lanienam Parisiensem, in nuptiis Regis Nauarræi hoc die Anno Domini M D. L X X I I. à Pontificiis perpetratam, valdè est memorabilis) post absoluta Diuina Officia, partim actum fuit, publicè & priuatim, cum eo qui Consensui reclamabat, & concordiam cum cæteris Ecclesiis fouere nolebat: partim consultabatur de disciplina restauranda, de ordine bono & honesto in Ecclesiis, de refrænanda quorundam vita inhonesta, de Ministris erronibus non recipiendis, nec admittendis: & de excommunicandis iis, qui Consensui subscribere nollent.

Cœptæ etiam sunt prælegi hoc die conclusiones Synodicæ, & ab omnibus liberè examinatæ, & alia ad bonum Ecclesiæ regimen spectantia, ad vesperam tractata sunt.

Die X X V. Augusti, quod restabat ex prima propositione, de Consensu, ordine Ecclesiastico, & coërcendis turbatoribus Ecclesiarum, ante meridiem absolutum fuit.

Postea ad alteram propositionem transitione facta, varij ex omnibus Regni partibus & prouinciis, varias injurias, contumelias, oppressiones, & molestias, quas Religionis Christianę causa paterentur, coràm exposuerunt, & de iis conquesti sunt. Ac repertæ sunt circiter quadraginta notoriæ injuriæ, quæ passim cùm publicè, tum priuatim, cùm Nobilibus, tum Ministris, Ciuibus, & Plebeis quibusvis, potissimùm à Clero Pontificio, & ei adhærentibus ac temerè morem gerentibus, contra omne Ius & æquum, contra libertates Patrias, & contra Confœderationem, communi omnium Regni Ordinum approbatione sancitam receptámque, & Sacræ Regiæ Majestatis Clementissimi Domini nostri juramento confirmatam, impunè inferuntur.

Tandem post longam illam injuriarum, despectuum, & violentiarum, non sine magna omnium commiseratione, & afflictæ sortis Ecclesiæ deploratione, factam enumerationem vnanimi Ministrorum & Patronorum sententia, hæc proposita & comprobata sunt: In his ipsis angustiis & doloribus multis etiamnum per Dei gratiam restare, quæ nos consolentur & erigant.

Veluti *primum*, Veritatis Euangelicæ & salutis nostræ in Christo certitudinem, quæ inde quoque euincitur, quòd propter eam à mundo, cui semper veritas peregrina est, & qui Deo ejúsque Verbo vbique resistere solet, persecutionem patiamur, juxta prædictionem Christi Domini: *Eritis exosi omnibus propter nomen meum.* Matth. 10. versu 22.

Deinde, Esse nobis solatio patientiam, per quam possidemus animas nostras.

Lucæ

Lucæ 11. versu 19. & modestiam; quæ vel ipsis hostibus innotescat, eósque ad moderatoria consilia flectat. Necesse igitur esse, nos aduersariis judicio Dei commissis, patiendo ad victoriam contendere, eò quòd dicat Dominus, *eum demum seruatum iri, qui sustinuerit vsque ad finem.* Et scitum memoriáque dignum esse illud Lactantij: *Defendenda Religio est, non occidendo, sed moriendo, non sæuitia, sed patientia, non scelere, sed Fide; illa enim bonorum sunt, hæc malorum:* Lib. 5. de Iustitia Cap. 19. *Tertiò*, Nondum nos (Deo sit gratia) sub Serenissimorum Regum nostrorum hactenus justo & clementi regimine eò esse redactos, vt ab Aduersariis nullo negotio opprimi, ac omnibus libertatibus per vim exui possimus: sed restare spem bonam de æquitate & prudentia Serenissimi Regis nostri, & de mutua beneuolentia gentilium nostrorum, diuersam Religionem Romanam sequentium, Gallicásque lanienas exhorrescentium: si modò iis ista principia mala, & grauamina, quæ jam patimur, liquido innotescant, vt sub nostra oppressione suarum etiam libertatum euersionem, & pacis publicæ amissionem, latere & periclitari sentiant. Præterea esse in omnibus Regni prouinciis, Ducatibus, Palatinatibus, & Ciuitatibus, multo plures quàm vulgò existimatur, veros Christianos, quos non pudet Euangelij Christi, quorum confessione, constantia, zelo, & in asserenda Veritate inuicta promptitudine, nos animari & excitari par sit, vt non quavis persecutionum procella, nos à Veritate in transuersum rapi sinamus, sed armati Fide, ac noua vita exornati, conjunctis animis, gloriam Dei promoueamus, Ecclesiæ ædificationi incumbamus, & in Orationibus, Iejuniis, & placando irato Deo, simus assidui. *Postremò*, ab ipso etiam jure communi, & libertatibus, quibus Dei dona æquè vt Aduersarij nostri gaudemus, modum nobis ex his immensis malis euadendi, monstrari & porrigi: vt nimirum Sacræ Regiæ Majestatis, quæ inter dissidentes de Religione pacem se velle tueri, ac ab omni oppressione quosvis immunes præstare jurejurando adstrinxit, auxilium humillimè imploremus, & defensionem, expositis tam grauibus & penè intolerabilibus injuriis, obnixè petamus: imò & Fratribus sanguinis nostri, inter quos plurimi sunt candidi, conscientiæ bonæ, & pacis ac publicę tranquillitatis amantes, idem in publicis Regni conuentibus exponamus, nósque ipsorum suffragiis & opera, contra sanguinolenta Cleri, præsertim externorum hominum consilia, adjuuari petamus. Cumprimis autem à Domino nostro Iesu Christo, cujus veritas in nostris personis oppugnatur, vt Ecclesiam suam seruet, errores reprimat, & causam suam potenter judicet, supplicibus votis exposcendum, & orandum, vt nos custodiat, donec ex hac militia, in portum æternæ quietis, transferamur.

Tandem XXVI. Augusti, *primùm* omnium infrascripti Canones Synodi Toruniensis, publicè lecti, correcti, & omnium calculis, nemine refragante, recepti & confirmati sunt. *Deinde* delecti Legati, tum

ad Sacram Regiam Majestatem, tum ad alia loca, & illustres personas, ac futuros conuentus Regni & Magni Ducatus, & responsa data, ad literas eorum, qui Legationem ad Synodum instituerant.

Tertiò, delecti etiam sunt Seniores Generales Politici Ecclesiarum Orthodoxarum, ad quos ea, quæ ad bonum & pacem Ecclesiæ procurandam faciunt, imprimis referuntur, & ab iisdem cum Superattendentibus, de necessitate, tempore, & loco Synodorum Generalium deliberaretur & statueretur.

His absolutis & conclusione Synodi facta à Superattendente Domino Simeone, Magnificis Dominis Patronis, & toti Nobilium Ordini, pro hoc labore Ecclesiæ impenso sunt actæ gratiæ, cum seria admonitione & obtestatione ad amorem fraternum, ad pietatem, & disciplinæ sanctæ omniúmque jam rectè constitutorum & authoritate Synodorum approbatorum obseruationem, tam Ministris quam Patronis coram seuero Dei judicio rationem reddituris, necessariam. *Deinde* vicissim Domini Patroni, Spectabili Senatui & Ciuibus Toruniensibus pro concessis commodis hospitiis & templo honorificè per Magnificum Dominum Directorem, gratiam habuerunt. Et *postremò* admonitione ad preces & gratitudinem erga Deum pro tanto beneficio, quo nos in hac Synodo afficere, & omnia ad optatum finem pro nominis sui gloria deducere dignatus est, à Domino Francisco Iezierscio in Auditorio, & à Domino Erasmo Glitznero in templo præmissa, ab omnibus dehinc primò decantatus est Psalmus LXXXIV. *Quam dilecta tabernacula tua Domine!* deinde Canticum illud Ambrosij, *Te Deum Laudamus.* Atque ita propitio Deo nostro colophon huic Generali & amplissimæ Synodo Toruniensi feliciter, cum magna omnium piorum lætitia, est impositus.

TORV-

TORVNIENSIS SYNODI GENERALIS, ANNO DOMINI M. D. XCV. die XXI. Augusti celebratæ, Canones.

I.

CONSENSVM nostrum Euangelicum Sendomiriæ Anno Domini M.D.LXX. institutum, & eodem anno consignatione Posnaniensi illustratum ac postea Generalibus Synodis, Cracouiensi, Petricouiensi, & Wlodislauiensi auctum stabilitúmque, prout ista in exemplari Torunij Latinè & Polonicè Anno Domini M.D.XCII. excuso continentur: vniuersi hac nostra Generali Toruniensi Synodo comprobamus confirmamúsque, & contra Aduersarios, qui tam verbis quàm scriptis hactenus discordiam & fictum Consensum nobis Euangelicis objectare ausi sunt, hunc verum consensum sincerè nos amplecti & fouere, atque secundùm eum in sancta concordia verè conjunctos esse protestamur.

II. Quilibet Minister Euangelicus in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ ac cæteris Prouinciis adjunctis, tenebitur hunc Consensum (cui hos quoque Synodi Toruniensis Canones incorporamus) non tantùm habere & legere, sed etiam ex præscripto illius, & Canonum in eo expressorum, tum ipse agere, tum cœtum sibi commissum gubernare.

III. In Synodis particularibus, & cœtibus frequentioribus, quales solent haberi in ferijs Paschalibus, aut alio quovis ad id accommodato tempore, ad minimum semel quotannis libellus iste Consensus cum Synodis Generalibus in eo contentis prælegatur, & iuxta illum examen Fratrum & membrorum Ecclesiæ Dei instituatur: quique aliqua in re deliquisse deprehensi fuerint, corrigantur, & in reos fiat executio disciplinæ.

IV. Nullus Superattendens, aut Senior, quenquam ad Ministerium & munus pastorale mittere, aut Patronus quisquam, siue cœtus noster, pro Ministro recipere audeat, nisi eum, qui sit ritè ordinatus, & certum habeat testimonium Consensuique subscribat, & secundùm eum sese gerat.

V. Quilibet Superattendens siue etiam Senior Districtus, habeat librum Consensus ad id paratum, in quo & ipse nomen suum propria manu adscribat, & omnes Ministros ad inspectionem suam pertinentes, subscriptos habeat. Quod quidem illicò post hanc Synodum facere debent & imposterum semper in missione Ministrorum idem obseruabunt.

VI. Articulum octauum Consignationis Posnaniensis ad executionem deducendo, ita constituimus, vt tres Superattendentes, tempore & loco alternatim indicto, quotannis, vna cum primario Seniore Magni Ducatus Lituaniæ in vnum conueniant, propter communicanda consilia de negotijs Ecclesiæ Dei. Tum etiam iuxta veterum consuetudinem, tenentur Comitijs interesse, aut saltem aliquem in locum suum cum instructione mittere, propter conferendas sententias de rebus necessarijs & propter indictiones Generalis Synodi, vnà cum primarijs Dominus Patronis, provt res postulauerit.

DE DISCIPLINA.

VII. Contra pertinaces Legis Diuinæ, decretorum verbi eius, & omnium Canonum Synodorum nostrarum Generalium, in libro Consensus contentarum, transgressores, huiusmodi disciplina à maioribus nostris in Generali Cracouiensi Synodo instituta est: vt Minister & munere Ministerij, & loco priuetur: Patronus verò, vt Ministro mulctetur, & contra eiusmodi excommunicatio vibretur. Huius tamen Sanctæ disciplinæ ordinem iuxta doctrinam Filij Dei & Apostolorum eius, ita illustramus.

Primùm, vt quicunque in doctrina Euangelij Dei, nobiscum non consentiat, & qui idololatriam aut hæresin amplectatur, denique qui concordiam nostram dirimat, neque Consensum nobiscum retinere velit, pœnam superiùs descriptam, sine vlla dilatione reipsa sustineat. Qui verò in vita sua committat peccata à Deò prohibita, quæ sunt specificè enumerat in Consignatione Posnaniensi articulo X. & in Cracouiensi Synodo, quibusdam in locis, item in Wladislauiensi articulo VII. is post vnam & alteram admonitionem & reprehensionem, ab vsu Sacramenti arceatur: quòd si non resipuerit, publicè in suo cœtu excommunicetur. Minister, qui officio suo iuxta Canones Synodales, aliqua in re non defungatur aut disciplinam non exerceat, ac multo magis, si offendiculum aliquod præbeat, post vnam & alteram admonitionem, à Superattendente & Senioribus ab officio vsque ad Synodum Districtualem suspendatur. Patronus siue auditor, si sit vitijs deditus, & officio suo in Canonibus Synodalibus descripto desit, post admonitionem Ministri & Seniorum secularium, ab vsu Cœnæ Dominicæ remoueatur, quovsque in Synodo Districtus sui reddet rationem.

Quicun-

Quicunque verò Sacra Communione,& vſu Cœnæ Dominicæ,ſine juſtis cauſis, & ſententia Miniſtri ſui non requiſita abſtineat, poſt tertiam, aut ſanè per decurſum vnius anni, Sacræ communionis neglectionem, publicè in cœtu, aut in Synodo, juxta modum conſuetum diſciplinæ ſacræ,excommunicetur.Eidem pœnę ſubiaceant,qui cœtus ſacros, audiendi Verbi Dei gratia cogi ſolitos, prorſus negligunt.Item: Quicunque contra articulos præteritarum Synodorum filios ſuos in Scholas & Academias Arrianicas,& alias, in quibus ſincera Euangelij Domini doctrina non traditur, tam intra quàm extra regnum mittat, publicè à Cœnæ Dominicæ vſu & communione Eccleſiæ Dei excludatur. Et ſi quis nunc in ijs Scholis liberos ſuos habet, intra duodecim Septimas ab hoc Synodo Torunienſi, eos inde abducere debet, idque ſub pœna nominata. Libros itidem Arrianorum, nemo ex fratribus noſtris citra Conſenſum Miniſtri, in æde recipere,aut lectioni eorum occupari debet. Ad extremum,quicunque in Eccleſiis noſtris Euangelicis noluerit vti voce iſta, *Sanctæ Trinitas*, eum tanquam ſuſpectum, quòd non ſit rectè fundatus in fide de Deo Patre,Filio & Spiritu Sancto,è cœtu noſtro excludimus.

In his ergo omnibus diſciplinæ gradibus inhærentes prioribus Synodis Superattendentum,Seniorum,Patronorum & Miniſtrorum fidem & conſcientiam obligamus, vt hanc ſanctam diſciplinam ex officio ſuo reipſa exequantur, veriti ne & ipſi tùm cenſuras Eccleſiaſticas,tum verò horrendas judicij diuini pœnas incurrant.

Summatim autem de diſciplina hanc concluſionem facimus Si quis reperiatur, qui contra officia Chriſtianitatis ſuæ peccet, aut negligens & remiſſus, tam in vocatione ſua, quàm in diſciplina exequenda deprehendatur:tunc vt contra auditorem ſuum Miniſter,ita contra Miniſtrum Superattendens cum Senioribus, ex diſciplina, juxta Canones Synodales ager.Iterim in grauioribus negotiis,ſalua cuique manebit prouocatio ad Synodum diſtrictualem.

Superattendens autem Seniores & Patroni in Synodo Diſtrictus (citati à Delatore duabus ad minimum ante Synodum ſeptimanis) vt de crimine,ita de neglectu officij & executionis diſciplinæ juſtificare ſe,& diſciplinæ ipſi quoque ſubjacere debebunt.

VIII. Declarando decimum tertium Conſignationis Articulum, ſic ſentimus:*Ouiculas Chriſti nullius Miniſtri dominio & jugo ita ſubjici debere, vt juſtis intercedentibus cauſis & circumſtantiis, non liceat ipſis alterius cœtus ordinis Miniſtrorum opera, vti:verbi gratia ratione habita circumſtantia loci & propinquitatis templi, & in ſimilibus occaſionibus, æquiſque rationibus & cauſis.*

Quòd ſi vero aliqui auditores ſcandala excitantes, & impiè viuente, offenſi diſciplina & reprehenſione proprij Paſtoris, ab eo ſecedere,& alterius Paſtoris, majoris licentiæ & impunitatis peccandi cauſa, curæ ſe committere velint: hujuſmodi, nulla ratione alterius cœ-

tus Minister recipere debet: præsertim si ea de re à proprio illarum ouium Ministro admoneatur. *Porrò*, in talibus negociis necessaria sunt Ministrorum colloquia, & sinceræ de his consiliorum communicationes.

IX. Nullus Minister & Senior Spiritualis, adolescentes, alumnos, & personas qualescunque promotas à Ministris aliorum cœtuum, ad se recipiat, præterquam si honestæ suæ dimissionis & libertatis à propriis Ministris testimonium & literas fide dignas habeant & ostendant. Qui secus faxit, ipso facto pœna in Cracouiensi Synodo expressa tenebitur. Tali enim transfugarum receptione, euerteretur disciplina & bona educatio, ac probatio juuenibus & inexploratis hominibus admodum necessaria, quam plerunque improbi & impij alumni declinare, & coram ea fugere solent.

X. In indictione Generalium Synodorum, non videtur æquum, vt semper omnium Superattendentium subscriptiones requirantur, præsertim si qui negligentes officium suum, nobiscum Conuentibus regni publicis non intersint, nec quenquam in locum suum mittant, aut ad extremum hac de re certiores facti, rem silentio inuoluant: tales enim in eo passu suffragium suum amittunt. Item judicandum, si quis Superattendentum aliqua in re conscius sibi sit criminis, & cognitionem Synodi metuat. Is enim proculdubio nunquam in Generalem Synodum consentiret; adeóque ea nunquam à nobis celebrari posset. Atque hæc est declaratio articuli Synodi Wladislauiensis octaui.

DE SCHOLIS.

XI. Vna Schola Generalis debet constitui in meditullio regni, in loco apto. In districtibus quoque, provt primariæ, ita & particularibus Scholis, à cœtibus diligenter prouideri debet.

XII. Collecta ad fouendas Scholas secundùm Petricouiensis Synodi Canonem VIII. item Wladislauiensis Synodi Canonem X. ab omnibus Patronis ex propria ipsorum arca, pro conscientia cujusque conferatur: vt dent à singulis rusticis agrum excolentibus singulos florenos, qualescunque fundos & tenutas habuerint: ab Aulicis autem & conductorum agricolarum aratris in duplo, videlicet florenos binos: eámque pecuniam intra tempus, quod ad Calendas Ianuarij anni sequentis intercedit, reddant singuli collectoribus ad id in Districtibus deputatis. Hæc autem pecunia debet asseruari in certo loco proprij Districtus, ita vt aliquod ex ea emolumentum cedat, quod communiter constitutum fuerit. Illud autem conuerti debet, primùm ad Generalem Scholam, deinde ad particulares, quæ aliunde prouisionem habere nequeunt, & ad alias necessitates Ecclesiæ Dei. Ratio autem hujus Collectæ reddi debet, in Synodo Districtuali. Quòd si quis absentium hanc Collectam dare renuat, Domini Seniores &

Mini-

Ministri, quilibet suas ouiculas ad hoc officium gloriæ Dei & ædificationi Ecclesiæ admodum vtile hortari & incitare tenebuntur.

XIII. Dominorum Seniorum Secularium hoc quoqne est munus & proprium officium, vt inter fratres negotia, & facta deuia, exhortationibus suis refrenent, ad ordinem rectum in omni re bona, & ad pietatem deducant, & inseruiant; jurgiis & litibus obuiam eant; dissidia & controuersias inter Fratres dijudicent & componant; ac pro viribus pacem & charitatem inter domesticos fidei foueant: in id incumbentes, vt quilibet Frater Christianus, primùm Deo, deinde & proximo, in omnibus officium debitum præstet: & quantum fieri potest, ne per citationes ad jus & subsellia judiciorum mundanorum prodeat, juxta apertum hac de re Spiritus Sancti decretum, 1.Cor.6. vers.1. Quod si verò intercedentibus causis ineuitabilibus, ad citationes & processum juris, alicui ex fratribus, potissimùm autem miseris orphanis, res deuenerit, proprium est D. Seniorum, talibus consilium suppeditare, & modum monstrare, vt quàm rectissimè hujusmodi actiones, sine conscientiæ vulnere, & damno ac jactura sua, possint expedire.

XIV. Debent etiam Domi Seniores seculares diligenter intueri, quomodo se quisque in officio & vocatione sua Christiana gerat, & delinquentem ac etiam post vnam & alteram admonitionem obstinatum Fratrem deferre ad Pastorem, vt super eum rigor disciplinæ extendatur: peculiariter verò, si deprehendatur aliquis Frater, cujuscumque status & vocationis, à pecunia mutuo data pecuniam vel fœnus verbo Dei prohibitum aut vsuram (quocunque nomine appelletur) accipere, & priuatus priuatū de peculari. Talis, si aliquoties ab iis & pastore monitus, non tamen desistat, publicè in cœtu, aut in Synodo excludatur. Idem sentiendum de his qui impudicè lasciuia sua, aut simili peccati genere, offendicula in Ecclesia faciunt.

XV. Considerantes istud quàm in mala & periculosa deuenerimus tempora, & quàm toti Christianitati, ferulæ iræ Diuinæ immineant; denique quantas cœtus fidelium Christi oppressionum & persecutionum angustias sustineat, animaduertimus rem apprimè esse necessariam, vt iram Dei publicis precibus, cum jejuniis & maceratione corporum in conspectu Domini concorditer omnes in omnibus Ecclesiis nostris Euangelicis, temporibus & diebus certis, placare studeamus. Vt verò ad hanc rem noua non quæramus tempora, dies consuetos, quos vulgo Angaria vocant, hujusmodi jejuniis & precibus publicis, quater in anno, dicamus. Interea tamen aliis quoque quàm creberrimis jejuniis, tam publicis Ecclesiarum, quàm priuatis quorumvis fidelium, viam præclusam nolumus; quin potiùs ad ea exhortamur & incitamus.

XVI. Domini Patroni, præcipuè autem Seniores, sedulam operam dabunt, vt sacræ Ædes seu Templa, in quibus cultus diuinus

peragitur,non desolentur,sed diligenter restaurentur,& accuratè ornentur , citra tamen ejusmodi ornatum , qui vllam idololatriæ speciem resipiat aut præ se ferat.

XVII. Domini Patroni in quolibet cœtu,in duas partes nominatim diuisi,omnes cujusque partis alternatim (relicta tamen singulis alteriùs quoque partis veniendi libertate) ad conuentus necessarios sistere se debent,sub censura Ecclesiastica.

XVIII. De Cæremoniis interea temporis Conclusiones præteritarum Synodorum non immutamus , sed cuilibet cœtui consuetas pro libertate Christiana relinquimus : & an eæ in vnam candémque formam redigi queant, ad futuræ Generalis Synodi deliberationem rejicimus.

FINIS CANONVM.

1. Corinth. 2. vers. 16.

Quod si quis videtur contentiosus esse, nos ejusmodi consuetudinem non habemus , neque Ecclesiæ Dei.

AVGV-

AVGVSTINVS TOMO II. EPIST. LXXXVI. AD CASVLANVM Presbiterum.

SIT ergo vna fides vniuersæ, quæ vbique dilatatur, Ecclesiæ, tanquam intus in membris: etiamsi ipsa fidei vnitas, quibusdam diuersis obseruationibus celebratur, quibus nullo modo, quod in fide verum, impeditur. Omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinsecus. Illæ autem obseruationes, quæ variæ celebrantur in ejus veste intelliguntur, vnde illi dicitur: In fimbriis aureis circumamicta varietate (Psal. XLIV.) Sed ea quoque vestis ita diuersis celebrationibus varietur, vt non aduersis contentionibus dissipetur.

MINISTRI ECCLESIARVM QVI IN SYNODO TORVNIENSI aderant.

Erasmus Gliczner, *Ecclesiæ Dei Confessioni Augustanæ in Maiori Polonia Superattendens, suo, & fratrum suorum nomine subscripsit.*

Simeon Theophil. *Turnouius, Ecclesiarum Orthodoxarum Confessionis Bohemicæ in Maiori Polonia Superattendens, Præpositus Ostrorogensis, suo & fratrum suorum nomine manu propria subscripsit.*

Franciscus Iezeritius: *Superattendens Ecclesiarum Confessionis Helueticæ in Minori Polonia, suo & fratrum suorum nomine subscripsit manu propria.*

Andreas Chrzastouuski, *Minister sancti Euangelij in Lituania, Consensum pium approbans, meo & fratrum nomine subscribo.*

Iacobus Popouuski, *Minister sancti Euangelij, consensum pium approbans, meo & fratrum in Lituania cœtibus nomine subscribo.*

Philippus Bochuuicz *Cracouiensis, Minister Verbi Dei Kordanouu, Senior Russiæ albæ, ab Ecclesiis Lituanicis legatus, manu propria subscribo.*

Matthias Bancouius, *Minister Verbi Dei Sereciensis, Senior Districtus Nouogrodensis, manu propria subscribo.*

Iohannes Lucinius, *Minister Chlebouiensis, Senior Transuelienſis, ab Ecclesiis Legatus, manu propria.*

Stanislaus Minuidius, *Minister Christi Neapolupithæ, ex Lituania Legatus, manu propria.*

Georgius Plotkouuski, *Pastor Ecclesiæ VVizanensis in Lituania, manu propria subscribo.*

Nicolaus Trzcinski, *Senior Ecclesiæ Podlachiensis, manu propria.*

Iohannes Chocimouuski, *Palatinatus Russiæ nuncius, & Senior Spiritualis, suo & Fratrum suorum eiusdem Palatinatus nomine subscripsit manu propria.*

Bartholomæus Falconius *VV.S. Consenior Districtus Russiæ & Legatus, subscripsit manu propria.*

Petrus Tarnouius, *Minister Dembnicensis, & Senior cœtus Radzieiouiensis manu propria.*

Daniel Mikolaieuuski, *in Ecclesia Radzieiouiensi Consenior, & Verbi Dei Minister, Synodi Generalis Notarius publicus, subscribo.*

Iohannes Girck, *Pastor Ecclesiæ Lesnensis,* Christophorus Musonius *præpositus Ecclesiæ Cosminensis,* Matthias Rybinius, *Ecclesiæ Posnaniensis Minister,* Andreas Colensis, *Ecclesiæ Goluchouiensis Minister, Seniores Ecclesiarum Confessionis Bohemicæ, in Maiori Polonia, &c.*

Petrus Dresnensis, *Senior Diœceseos Pogorzeliensis, suo & fratrum nomine subscripsit manu propria.*

Laurentius Karsnicius *Vstensis, Senior Diœcesis Posnaniensis, Confessionis Augustanæ, Minister in Gnin, suo & fratrum nomine subscripsit.*

Gregorius Zarnouecius, *Minister Vloszeuiensis, Legatus Districtus Chencinensis.*

Martinus Ianicius *Smilouitanus, Verbi Dei Minister in Zalesie, Consenior Districtus Chencinensis, suo & cæterorum fratrum nomine.*

Franciscus Stancarus, *Ecclesiæ Dei quæ est in Vlodislauu Pastor, Legatus tractus Chencinensis.*

Franciscus Pl. Seceminius *Chmielnicensis & Sedzieiouiensis Ecclesiæ Minister, Legatus missus ex Districtu Chencinensi, manu propria subscripsit.*

Iohannes Duscouius, *Legatus Districtus Sendomiriensis manu propria.*

Iohannes Stassouius, *Legatus Districtus Sendomiriensis, manu propria.*

Christophorus Krainski, *Ecclesiastes Lublinensis, Legatus Districtus eiusdem, manu propria.*

Iohannes Cluentius, *cœtus Rzecicensis Minister, Districtus Lublinensis Nuncius, subscribo manu propria.*

Iohannes Prætorius, *Minister Cosensis, Legatus Ecclesiarum quæ sunt in Districtu Zatoriensi & Osuiecinensi, suo & aliorum fratrum nomine.*

Albertus Myslouius, *Iesu Christi Minister, Pastor in Kryloux, Confessionis Helueticæ, subscripsit manu propria.*

Stanislaus à Grozno, *Minister Christi in Chomstouno, in Districtu Xecinensi Confessionis Helueticæ, manu propria.*

Clemens Agnellius, *Clodauiensis, Minister in Kosciol, manu propria.*

Valentinus Curio *Halensis, Ecclesiæ Radzieiouiensis Minister, & Scho-*

Iacobus

la Moderator, manu propria.

Iacobus à Iarocin Pruski, *Minister Verbi Dei in Ludziczko, Confessionis Heluetica, manu propria.*

Stanislaus Gronicius, *Minister verbi Dei in Zerkouu, suo & suorum fratrum nomine, manu propria.*

Nicolaus Hermes *Ecclesia Cieninensis Minister.*

Paulus Orlik, *Crotossinensis Ecclesia Minister.*

Iohannes Campensis, *Minister Christi in Ecclesia Niemcinensi, manu propria.*

Andreas Syluanus, *Minister verbi Dei in Barcin, manu propria.*

Samuel Orlik, *VVissinensis Minister manu propria.*

Iohannes Turnouius, *Illustris Domini Palatini Brestensis Cuiauiensis Concionator Aulicus, manu propria.*

Stanislaus Stauensis, *Minister Verbi Dei in Brzeskorzystuua.*

Iohannes Pigelius, *Pastor Ecclesia Piranensis, Confessionis Heluetica.*

DOMINORVM PATRONORVM ECCLESIARVM EVANGELICARVM, QVI IN Generali Toruniensi Synodo interfuerunt, Subscriptiones.

ANdreas Lesczynski, *de Leszno, Palatinus Brestensis Cuiauiensis, personaliter præsens subscripsit, manu popria.*

Ioannes Abramovvicz, *Palatinus Minscensis, Capitaneus Lidensis, ex Magno Ducatu Lituania, personaliter præsens subscripsit manu propria.*

Adamus Balinski *de Chomiaza, Castellanus Bidgostiensis, Capitaneus Crusuiensis præsens subscripsit, manu propria.*

Illustris Domini Constantini Ducis Ostrogensis, Palatini Kijouiensis Legatus ad præsentem Synodum, Casparus Luszkovvski, *manu propria.*

Magni Domini Stanislai Gostomski, de Lezenice, Palatini Rauensis, &c. Legatus ad præsentem Synodum Nicolaus Trzylatovvski, *manu propria.*

Stanislaus Szafraniec *de Pieskovva Skala (antea Palatinus Sendomiriensis) Tribunus Cracouiensis.*

Svvientoslaus Orzelski ab Orle, *Capitaneus Radzieiouiensis, Director Synodi, manu propria.*

Andreas Rzeczycki, *Succamerarius Lublinensis, & Ecclesiarum eiusdem Palatinatus Nuncius, manu propria.*

Petrus Goraiski *de Gorai, Nuncius Ecclesiarum Palatinatus Sendomiriensis, manu propria.*

Christophorus Reij, *de Naglovvice, Dapifer Lublinensis, ab Ecclesiis*

Palatinatus Lublinensis , Belzensis , & terræ Chelmensis nuncius , manu propria.

Andreas Szafraniec *de Pieskovva Skala, Capitaneus Lelouiensis , manu propria.*

Hieronymus Abrahamouuicz, *Tribunus Lidensis , ex Magno Ducatu Lituaniæ, manu propria.*

Georgius Iatalski *Senior, Comes in Labiszyn , Palatinides Posnaniensis, manu propria.*

Laurentius Skarbek, *Capitaneus Lucinensis, manu propria.*

Sendiuotus *Comes ab Ostrorog, manu propria.*

Andreas Krotoki, *Palatinides Inouuladislauiensis, manu própria.*

Andreas Zaremba *de Calinouua manu propria.*

Iohannes Christoporki, *Dapifer Siradiensis, manu propria.*

Iohannes Niemoieuuski, *Iudex Castrensis Inouuladislauiensis.*

Laurentius Niemoieuuski.

Marcianus Niemoieuuski,

Alexander Niemoieuuski.

Nicolaus Rozenski , *Iudex terrestris Inouuladislauiensis, manu propria.*

Iohannes Ruszynouuski , *Vexillifer Palatinatus Inouuladislauiensis, manu propria.*

Martinus Trleski, *Dapifer Inouuladislauiensis manu propria.*

Gallus Koscielski, *Subiudex terrestris Brestensis, manu propria.*

Iohannes Modlibog, *Venator Inouuladislauiensis, manu popria.*

Iacobus Suuierzeuuski, *de Lescze, Nuncius ex cœtu Radzieiouiensi.*

Albertus Koscielski, *ab eodem cœtu Nuncius ad Synodum.*

Andreas Grodzieczki, *Martinus Bukouuieczki, de Bukouuiec, Iohannes* Suchorzeuuski, Matthias Siedlieczki, Christophorus Bardzki, Petrus Zychlinski , *Nuncij Ecclesiarum Orthodoxarum ex Maiore Polonia, suo & fratrum suorum nominibus subscripserunt.*

Martinus Kreza, *manu propria.*

Martinus Vuichorski, *notarius Castrensis Radzieiouiensis, manu propria.*

Casparus Kempski, *manu propria.*

Simon Ostromeczki, *manu propria.*

Albertus Dojpouski, *manu propria.*

Arbertus Gadeczki, *manu propria.*

Stanislaus Cikouuski, *manu propria.*

Stanislaus Sorulski, *ex Magno Ducatu Lituaniæ.*

Iacobus Bronieuuski, *manu propria.*

Iohannes Koricinski *de Korytnica , ex Siradiensis Palatinatu , manu propria.*

Martinus Bronieuuski, *& Martinus Chrzastouuski, nuncij ex Palatinatu Russiæ, suo, & fratrum suorum eiusdem Palatinatus nominibus, manu propria.*

Petrus Palczeuuski, *ex Districtu Zatoriensi nuncius, manu propria.*

Alber-

Albertus Zbozy Zakrzeuuski, *Iudex Castrensis Radzieiouiensis, manu propria.*

Zbozy Zakrzeuuski, *manu propria.*

Gregorius Zbozy Zakrzeuuski.

Albertus Zychlinski, Andreas Kryſzkouuski, Sebaſtianus Granouuski, *manu propria.*

Iohannes Bokiey Zaniſlauuski, *ex Magno Ducatu Lituaniæ.*

Raphael Soſzyc Zbiroski, *notarius castrensis Lidensis, ex Magno Ducatu Lituaniæ, manu propria.*

Petrus Goluchouuski, Andreas Oſſolinski, *Ecclesiarum Palatinatus Sendomiriensis nuncij, manu propria.*

Iohannes Lipski, *de Iastrzebniki, manu propria.*

Przeclaus Laſzkouuski, *manu propria.*

Raphael Nouuouuieyski, *manu propria.*

Iohannes VVaſſouuski, manu propria.

Iohannes Coſſouuski, *Vicecapitaneus Dybouiensis.*

Iohannes VVoiſzeuuski, *manu propria.*

Michael Paledzki, *manu propria.*

Bernhardus Thoczki, *manu propria.*

Ianuſius Lubouuski.

Paulus Gnieuukouuski.

Caſparus Iaruzel Brzezniczki.

Balthaſar Rachoczki, *Medicinæ Doctor.*

Henricus Girck, *Senior Secularis Ecclesiæ Posnaniensis Confessionis Bohemicæ, suo & aliorum fratrum eiusdem cœtus nomine, manu propria.*

Chiſtophorus *Ridt, Confessionem Augustanam profitens, & Senior cœtus Posnaniensis, subscribo Consensui, manu propria.*

Caſparus Hampel, *Nuncius Ecclesiæ Posnaniensis, manu propria.*

Georgius Gelhar, *Nuncius cœtus Posnaniensis, manu propria.*

Ad Hebræos XII. Vers. XIV.

Pacem ſectamini cum omnibus, & ſanctimoniam: ſine qua nemo videbit Dominum.

FINIS.

ARTICVLI GENERALES SINGVLARVM CONFESSIONVM QVÆ SVNT IN HAC SYNtagmatis parte.

AVGVSTANAE CONFESSIONIS Articuli.

Saxonicæ Confessionis Articuli, pagina 48. Capita.

VVittembergicæ Confessionis Articuli. pagina 98.

Confessionis Illustrissimi Palatini pagina 141. Articuli.

Bohemicæ Confessionis pagina 161 Articuli præcipui.

Polonicus Consensus in fide & Religione Christiana; pagina 214. Articuli.

ALIVS INDEX
ALPHABETICVS.

Fides

FINIS.

CATHOLICVS VETERVM,

QVI PATRES VOCANTVR,

Ex verbo diuino,

CVM SVPERIORI CONFESSIONVM Fidei Syntagmate,

In omnibus FIDEI *Christianæ articulis*

CONSENSVS:

EX IPSORVM SENTENTIIS VERBISQVE EXPRESSIS, sine vllis additamentis, constitutus.

Auctorum nomina, Articulos & ordinem indicant paginæ sequentes.

Psalm.119. *O beatos qui ambulant in lege Domini: & qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum!*

ILLVSTRISSIMO ET POTENTISS.
Principi ac Domino,

DOMINO FRIDERICO
COMITI PALATINO AD RHENVM,
SACRI ROMANI IMPERII ARCHIDAPIFERO,
& Electori, Ducis Bauariæ, &c.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

PERMIRVM *videri poterit, Illustrissime ac potentissime Princeps, quòd quum tot præstantissimi Theologi, fidei articulos tam accuratè exposuerint, nihilominus ego nunc de iisdem aliquid ausim in lucem proferre: nec minus mirum quòd Celsitudini V. hoc idem inscribere non verear. Quis enim iustas doctissimorum hominum adversus scripturientes querelas non audiuit? quis tandem librorum & scribendi finis, inquit Ecclesiastes, quibus etiam aërem sæpe diverberari, rectè dixit alicubi Nazianzenus. Neque ignorat quisquam, magna magnis demum conuenire. Sed istorum neutrum à me neglectum fuisse, vt spero, comperietur. In hoc enim Scripto nihil prorsus meum, nihil obscurum profero: sed omnia ex Auctoribus verè magnis, & de rebus maximis, nudè & simpliciter proponuntur. Tradunt autem Theologi, vel Catechesin primùm, ad iuuentutem Christianam informandam: vel nudis Scripturæ testimoniis capita Religionis demonstrant vel: denique S. Scripturam oratione copiosa pertractant: idque tum de veritate, tum pro veritate, vt loquuntur Veteres. Nunc etiam in his, tractatus eximij à multis Dei seruis euulgati complures extant: quam quidem Theologi studij partem qui rejicit, summum Dei beneficium peruerso ingratóque repudiat animo, confusionem horrendam inuehit: ad omnes denique nefandas hæreses viam munit. Sunt enim eruditi recentiorum Ecclesiæ Doctorum tractatus, non sine magna Dei prouidentia, ad nostra tempora, ad ædificationem Ecclesiæ, atque ad legitimam imprimis, sacræ Scripturæ interpretationem, appositè comparati. Tertiam verò partem illam, nudis auctoritatibus doctrinam fidei complectentem, nondum mihi videre licuit in ordinem fuisse digestam. Sic enim, ni fallor, præstantes illi Viri statuerunt: cuius esse facile eiusmodi*

testimonia in vsum suum colligere, præsertim, cùm in ipsorum scriptis passim inueniantur: sed eorum genuinam explicationem requiri, quam non nisi solidè docti proferre possunt. Attamen hæc vt conscriberem me mouit, primùm illud Chrysostomi in Ioan. hom. 16. qui ait, Hoc omnium malorum esse causam, quòd multi nesciant Scripturarum testimonia in opportunis rebus adducere. Hinc Augustinus præcipiebat, Vnumquemque sibi debere Scripturæ locos exscribere. Id tamen à paucis obseruari constat. Deinde, multos videmus efflagitare vt ad Patres, Patrumq; doctrinam recurramus: quo nihil antiquius nobis esse debet, dum veri Patres proponantur: ita vt ea quæ de Religione proferuntur, ad normam & amussim exigantur eorum quæ Apostoli & Prophetæ, verè Patres nostri, conscripserunt. Sed isti qui plenis buccis magneq; oris hiatu Patres obiectant, nihilq; minus quàm Patrum doctrinam audiunt, certè solis nominibus contenti, sua falsò dum venditant, iniqua præuaricatione Ecclesiam peruertunt. Hoc etiam ad errores stabiliendos prætexunt, quod videant Ecclesias, quæ doctrinam Euangelicam profitentur, dissidijs laborare. Operæpretium fuerit igitur Synopsin conscribere quæ veram Religionem ex S. Scriptura, atque ex Veterum monumentis depromptam, nudè proponat, cui & harmonia reformatæ Ecclesiæ confessionum annectatur. Nam ad perspicuitatem συνοπτικοῖς λόγοις *multùm conferre, rectè fuit in lib. de Rep. à Platone iudicatum, Huius ergo libri primum caput in vnoquoque articulo est, de verbi Dei testimonijs, ex quibus tanquam ex Axiomatibus omnium certissimis, imò & euidentissimis & per alia superiora indemonstrabilibus summéque necessarijs, vtpote à Deo profectis, demonstrationes Theologicæ perfectissimæ, & syllogismi* ἐπιστημονικοὶ *conficiuntur, ex quibus immutabilis scientia constat. Monemur enim ab Apostolo, Ephes. 4. ne circunferamur quouis doctrinæ vento. Illis opponuntur ea, quæ in scientijs dicuntur* τὰ δοξαστικά*, &* ἀγωμάτευτα*, ex quibus fiunt syllogismi* ἀπιθανοὶ *& sophistici. Eiusmodi sunt in Theologia, quæ res est in solidum diuina, quæcunque merè ab humana traditione & nuda consuetudine proficiscuntur. Præclarum enim est illud Tertulliani, de præscrip. adu. hær. Aliunde nos non posse suadere de rebus fidei, nisi ex literis fidei.*

Secunda pars vniuscuiusque Articuli continet doctrinam veterum Ecclesiæ Doctorum, ex ipsorum puris, ac putis verbis excerptam. Nec tamen sunt hæ sententiæ inter Axiomata Theologica per se recensendæ (hoc enim & verbi Dei auctoritati derogat, & doctrinæ ipsorummet Patrum aduersatur) sed sunt Theoremata, Aphorismi, vel Lemmata per illa summa verbi Dei Axiomata demonstranda, in quibus quid ipsi docuerint fit manifestum.

Tertiò, de iisdem primariæ & celebratissimæ Ecclesiarum Confessiones collocantur: in quibus tamen disponendis non est habenda dignitatis aut temporum ratio. Quorsum enim vbi de veritate æterna agitur, nationum præstantiam, aut temporum calculum religiosè spectaremus? Variis autem temporibus, ex varijs circunstantijs diuerso idiomate in diuersis regnis, Respubl. formis, Principibus & Magistratibus diuersis, editæ fuerunt tanquam Apologiæ & Religionis Testationes publicæ. Sermonis diuersitas, inquit Basilius lib. 2. aduers. Eun. diuersitatem doctrinæ non coarguit. Imò quæuis in quibusdam discrepantia, nequaquam vnitatem præcipuam dirimit: dum fidei capita sarta tecta conseruentur. In Concilio Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Confessiones fidei, aduersus hæreses & calumnias editæ fuerunt. Identitas doctrinæ de fidei articulis in rebus ipsis spectatur. Vtile est, ex August. lib. 1. de Trin. c. 3. eandem fidei doctrinam diuerso stylo aliis atque aliis verbis expositam habere. Sacra inter Ecclesias elucet harmonia, quia in fidei causa ad normam verbi Dei omnia reuocantur. S. Scriptura, inquit Athanas.

aduersus Arr. est libra iustissima. Et August. de Gen. ad lit. lib. 2. c. 5. Maior est S. Scripturæ auctoritas quàm omnis humani ingenii capacitas: sic vestigiis Patrum insistitur ad veram antiquamq; doctrinam retinendam. Cæterùm displicebit illis tota hæc ratio, qui malunt de Religione ex quorundam scriptis, imò potius ex præiudiciis & columniis, sua iudicia proferre. Quando tandem votum illud Bernardi audient? epistol. 91. Ad illud Concilium toto desiderio feror, inquiebat eximius ille vir, in quo Traditiones obstinatiùs non defensantur: aut superstitiosiùs obseruantur: sed diligenter humiliterq; inquiritur, quæ sit Dei voluntas bona & beneplacens & perfecta. Recedant à me & à vobis qui dicunt, Nolumus esse meliores quàm patres nostri: tepidorum & dissolutorum se filios protestantes: aut si sanctis & bonæ memoriæ Patribus gloriantur, imitentur certè sanctitatem, quorum indulgentias pro lege defendunt. Aut ascendas necesse est aut descendas. Si attentas stare, ruas necesse est. Minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult. Et vbi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus. Hæc ille, plus quàm aurea.

Postremò, coniungimus sententias ex Gratiani Decreto, & ex iis qui vulgò Scholastici Doctores dicuntur: licèt eorum auctoritatem, nemo, nisi iniquus rerum æstimator, cum illis veteribus exæquabit: imò hîc liberè agnoscendum est, istos quando sua ad verbi diuini normam non componunt, fœnum & stipulam annectere: atq; de iis res ipsa cogit dicere, id quod est apud Nazianzenum in laudem Heronis, ipsos lutum luto purgare.

Hic igitur liber Synopsin Religionis Christianæ præbet, in qua veteris & recentioris Ecclesiæ fidem & Concordiam contemplari licet: Enchiridium est Theologicum iis qui libros integros perlegere non possunt. Est enim hîc scriptorum & doctrinæ Patrum quadam Analysis & Epitome, in qua doctiores etiam agnoscent ea quæ ex illis auctoribus perceperunt. Siquidem meliùs est, inquit Leo serm. 5. in nat. dom. doctos onerare iam notis, quàm rudes fraudare discendis. Nec tamen omnia sunt hîc descripta quæ in eandem sententiam ex iisdem auctoribus proferri possent. Satis est (vt monet Iustinus martyr, Zenæ & Sereno) eousq; proferre, quousq; aperiantur optima, & detegantur falsa. Quamuis autem hæ sententiæ nullis annotationibus, nullisq; adiunctionibus admisceantur, efficit tamen Articulorum & capitum commoda & perspicua distributio, vt non sint tanquam arena sine calce, congestæ: imò aliæ aliis lucem, robur & explicationem apertissimè præbent: vt si quis hæc attentè sincereq; animo perlegerit, omnino in quo acquiescat sit habiturus. Optimus ille lector est (vt cum Hilario lib. 1. de Trinit. loquamur) qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potiùs: & retulerit, magis quàm attulerit.

Verùm iam eos mihi videre videor, qui quasi manu iniecta, ab hac Concordiæ & Orthodoxi Consensus regia via, nos reuocare conabuntur: exclamantes, Proferri demum à nobis ea quæ faciunt ad confirmandas Ecclesiæ Reformatæ Confessiones: reliquis quæ aduersantur prætermissis. Verùm quum sint hæc expressa & luculenta verba eorũ qui hîc citãtur, & omnia ad verbi Dei normam dirigantur, quis tandem nos ab illa Concordiæ genuina ratione reuocabit? Itaque quisquis hæc oppugnare aggredietur: ipsum Dei verbum oppugnabit, veram Antiquitatem reiiciet, Patres inter se improbè committet, Ecclesiarum deniq; sanctũ consensum & concentum labefactare molietur. Quòd si Patres, vulgò sic dicti, aurea aureis non semper annectant: sed interdum à diuini verbi Synosura declinent (lapsos enim, vt homines, aliquando fuisse, nemo nisi imperitus negauerit) tunc sunt ad verbum illud diuinum scriptum reuocandi, quod solum est ἀδιάφθορον, nulla vnquam labe infectum, & ἀκίνητον, quod & certissimam & constantissimam fidei regulam esse semper illi

agnouerunt. Hoc qui jam non admittunt, non sunt Christiani doctores habendi, vt docet Chrysost. in Matth. hom. 49. Sed & illud in Veterum scriptis etiam atque etiam obseruandum est, quod tam sollicitè monet Hieronymus & symb. Ruff. & ad Latam, inquiens, Multos Hiberas nænias libris authenticis apposuisse: multáque falsam inscriptionem præferre. Quid de iis dicemus quæ nostro æuo circumferuntur? Certè Beatus Rhenanus, Erasmus, Ludouic. Viues, multiq; alij viri docti euidenter probant, multa inter illa esse pseudepigrapha, quæ Hieronymo, Augustino, Chrysostomo, Basilio, &c. tribuuntur: multa fuisse admixta, inuersa, corrupta. Imò iam, nisi Principes & Magistratus ab eiusmodi corruptelis bonos auctores maturè vindicent, istorumq; sacrilegam audaciam coërceant; qui & veterum & recentiorum Ecclesiæ Doctorum scripta in nouis editionibus apertissimè corrumpunt, actum est de piis & eruditis scriptis. Dicet aliquis inde: An idcirco à vera doctrinæ certitudine prolabemur? Minimè verò. Sacram enim habemus anchoram, nempe verbum Dei, inconcussum fundamentum, vbi certò pedem figamus: ibiq; in portu tutò nauigemus. Contra insidiosos errores, inquit Augustinus in epist. Ioan. tract. 2. Deus voluit ponere firmamentum in Scripturis, contra quas nullus audet loqui, qui quoquo modo se vult videri Christianum. Ne quidem illi qui Christi nomen oderunt, inquit idem ille, de moribus Eccles. Cathol. cap. 29. vnquam aduersus Scripturas ausi sunt dicere, falsum esse scriptum. Hæc ille. Huc accedit, quòd ad exemplaria Græca in Nouo Testamento & ad Hebraïca in Veteri, ex Hieronymi, Ambrosij, Augustini, & ex ipsis Romanorum Decretis recurrendum sit. Ex quibus illud colligitur quod rectè Hieronymus dixit in Matth. cap. 13. In sanctis Scripturis repositam esse Saluatoris notitiam, & nos in eis ipsum inuenire.

Itaque, Illustrissime Princeps, quominus hoc scriptum V. Celsitudini offeram, tenuitas mea me deterrere non debet. Quid enim vtilius quàm tot habere in promptu sententias verè ad generis humani salutem natas? Nam hic V. C. Deum in suo verbo loquentem audiet: piorum Maiorum, verè sacrum, doctrinam agnoscet: sanctissimam Ecclesiæ harmoniam admirabitur. Atque sub V. C. nomine, pacis pietatísque amantes, venustatem Orthodoxæ doctrinæ conspicient: in qua fide Celsitudo V. ab incunabulis eximiè fideliterque fuit à præstantissimis viris educata, quorum fidelissimis consiliis & obsequiis semper vtitur: pro cuius etiam doctrinæ Confessione tot tantáque viri pij sunt perpessi, atque vt ea perpetuò fruantur, etiamnum sustinent. In hac igitur saluberrima professione Euangelicaq; Religione conseruanda, præclarum illud spirituale certamen decertandum, in quo, vt verbis Tertulliani vtar, agonothetes est Deus: xystarches, Spiritus S. epistates noster, Iesus Christus: corona æternitatis, brabium: angelica politia in cœlis, salus & gloria æternum. Amen.

Deus Creator, & Redemptor noster, Celsitudinem V. adeóque omnes quorum prudentissima & fidelissima opera vtimini, quamdiutissimè ac felicissimè conseruet.

Illustriss. V. Celsitudini

obsequentiss.

GASPAR LAVRENTIVS.

AVCTO-

AVCTORES EX QVIBVS CONSTITVITVR Orthodoxus Consensus.

I.

Vetus & Nouum Testamentum.

II.

Athanasius qui vixit circa annum	367	*Theodoretus anno*	450
Basilius anno	381	*Tertullianus anno*	200
Nazianzenus anno	384	*Arnobius anno*	330
Ambrosius anno	380	*Lactantius anno*	314
Hieronymus anno	402	*Cyprianus anno*	250
Augustinus anno	421	*Hilarius anno*	370
Chrysostomus anno	404	*Nyssenus anno*	360
Irenæus circa annum	180	*Origenes anno*	230
Iustinus Martyr anno	164	*Vigilius anno*	500
Clemens Alexandrinus vixit circa ann.	200	*Salvianus circa annum*	480
Cyrillus Alexandrinus anno	446	*Fulgentius circa annum*	498
Cyrillus Hierosolymitanus vixit sub Theodosio Principe		*Leo Episcopus Romanus anno*	464
		Gregorius Epis. Rom.	606
Epiphanius circa annum	380	*Damascenus circa annum*	730
Eusebius an.	342	*Bertrandus an.*	870
Socrates hist. Sozomenus. Theodoritus circa annum	430	*Bernardus an.*	1160
		Theophylactus.	1028

III.

Confessiones editæ in Concilio Nicæno Constantinopolitano primo: Ephesino Chaldonensi. quæ omnes explicant tantùm Articulum de S. Trinitate & de persona Domini nostri Iesu Christi vt & Symbolum Athanasii Ideo in illo fidei articulo illa collocantur in hoc Orthodoxo Consensu.

IV.

Confessiones Ecclesiarum quæ Euangelicam doctrinam profitentur omnes Articulos fidei explicant vt videre est in superiore Syntagmate Confessionum: & in earum HARMONIA *& Concordantia ibidem subiecta. & per Articulos fidei digesta Itaq; illarum Confessionum verba non reponuntur in hac parte in qua colliguntur sententiæ veterum Christianorũ qui Patres vocantur.*

V.

Proponuntur quædam sententiæ, ex DECRETO *à Gratiano constituto* 1151. *vnde* IVS CANONICVM *natum.*

Ex Lombardo magistro sententiarum, qui vixit anno 1161.

Ex Thoma qui vixit anno 1274.

Ex *Iohanne* DVNS *Scoto: Durando, Bonauentura, Ockamo: qui vulgò Scholastici doctores nominantur: ex eo quòd in suis Scholis sententias Lombardi philosophicè tractarent: qui vixere circa annum* 1308. 1324.

ARTICVLI SVNT,

ORTHO-

ARTICVLVS IX.

De Cvltv Dei.

Genes.18.

Scio quod Abraham precepturus sit filiis suis & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciat iudicium & iustitiam.

Deut.10. *Et nunc Israel quid Dominus Deus petit à te nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua: custodiásque mandata Domini & statuta eius quæ ego præcipio tibi hodie bono tuo.*

Cap.6. *Erunt verba ista quæ præcipio tibi in corde tuo, & repetes ea filijs tuis, & loqueris in eis.*

Psalm.50. *Immola Deo sacrificium laudis.*

Psalm. 116. *Quam gratiam referam Domino*, vel, *quid retribuam Domino, pro illis omnibus quæ in me contulit beneficijs. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.*

Psalm.37. *Recede à malo & facito quod bonum est.*

Psalm.55. *Vespere & manè & meridie precor, & ipse meam vocem exaudiuit.*

Esaiæ cap.30. *Filij mendaces, filij rebellionis noluerunt audire legem Domini.*

Ioann.8. *Siquis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.*

Cap.14. *Siquis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus.*

Ioann 3. *Nisi quis renatus vel regenitus fuerit non potest videre regnum Dei.*

Ibidem, *Quisquis peruerse agit, odit lucem.*

Matth.27. *Siquis vult post me venire abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

Ibid. *Quid prodest homini si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.*

Rom.8. *Nulla est condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm Spiritum.*

Ibid. *Accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater.*

2.Cor.5. *Qui viuunt iam non sibi viuant: sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.*

Coloss.3. *Verbum Christi inhabitet in vobis abundanter in omni sapientia. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est.*

Phil.3. *Nostra conuersatio in cœlis est, vnde etiam Salvatorem expectamus Dominum Iesum Christum.*

Rom.6.22. *Liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem verò vitam æternam.*

Coloss.3. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram &c. Deponite iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri inuicem, exuentes veterem hominem cum factis eius: & induentes nouum eum qui renouatur in agnitionem secundùm imaginem eius qui creauit illum.*

Ibid. *Induite sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, modestiam, patientiam, condonantes vobis mutuò (sicut & Christus condonauit vobis, ita & vos) charitatem, quæ est vinculum perfectionis.*

Ibid. *Commonefacientes vos hymnis, psalmis & canticis spiritualibus.*

Rom.6. *Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato.*

Ibid. *Non regnat peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius: sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo.*

Cap.12. *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum: & nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate mentis vestræ, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta.*

Ibidem, *Dilectio sit sine simulatione: abhorrentes à malo, adhærentes bono.*

Cap.13. *Qui diligit proximum, legem impleuit.*

Galat.2. *Viuo autem, iam non ego, sed viuit in me Christus & vitam quam nunc viuo in carne,*

viuo per fidem Filij Dei qui dilexit me,& tradidit semetipsum pro me.

Loci alij huc referuntur plurimi quibus legis Dei vsus & præcepta ac ratio bonorum operum & vita Christiani hominis,plenissimè declarantur.Huc quoque referenda sunt multa quæ proposita fuere in articulis de Iustificatione,& in articulo de S.Scriptura aduersus humanas Traditiones.Et in Corollario de Libero Arbitrio.

Atque imprimis ea quæ in Confessionibus fidei docentur:de Lege Dei & de bonis Operibus,siue de Pœnitentia , siue Noua obedientia eorum qui iustificati, sunt Regeniti.

DE CVLTV DEI.

SIVE DE LEGE DEI, ET DE BONIS operibus excerpta ex Veteribus.

BASILIVS *de Spiritu S.*Nihil formidabilius est quàm non formidare Dei minas.

In constit.monach. Eò magis differt Dominus , vt te ad precandi assiduitatem magis vocet, vt intelligas quod sit donum Dei, vt datum diligenter custodias.

*In Psalm.*28. Vide an possis sincerè dicere Deo , Pater. Non cuiusuis donum est Deo εὐπρόσδεκτον acceptabile. Ideo Psalmus vult nos prius esse filios Dei. Nec quiduis est offerendum Deo : sed ea quæ ipse constituit, διετάξατο. Audiuisti cui sit afferendum,& à quibus. Afferre verò, Quid? honorem & gloriam. δόξαν διὰ τῶν ἀγαθῶν ἔργων· τιμὴν , διὰ καρπῶν δικαιοσύνης : gloriam quidem:per bona opera : honorem verò à fructibus iustitiæ.

Hom de Iulitta martyre. Gratitudo adeò probatur à Deo,vt tametsi nihil accipit quàm quod suum est, retribuit tamen gratiam ac si propria dedisses.

Hom. in diuites auaros. Viuens bonis fruar, (inquis)decedens faciam.Erras homo:Recepisti bona in vita tua.Morti ergo non tibi sit gratia.Prætulisti teipsum vitæ æternæ.

Orat. in illud, Attende tibi ipsi. Deus non est loco circumscriptus : neque mens tua habet in loco διατριβὴν ; conuersationem , quamuis sit in loco. Ne Deum quæras oculis,sed mente, ad illum fidem tuam conuertens : νοητὴ γὰρ αὐτοῦ ἡ κατάληψις : *spiritualis est ipsius apprehensio.*

Ibidem, Deus rectum fecit corpus tuum , vt ex ipsa forma discas vitam tuam ex cœlesti esse desuper.

Orat. in bapt. Ignoratio de Deo est mors Animæ. Θεοῦ ἄγνοια θάνατος ἐστὶ ψυχῆς.

*Hom.*19. *de Gordio martyre.* Nonnulli hortabantur Gordium vt Christum mente retineret, negaret ore : Respondit : Deum , animum loquentis inspicere.

In Asceticis. Orantibus imprimis insidiatur diabolus.

Ibid. Pietatis cognitio , est humilitatis & mansuetudinis cognitio. ἐπίγνωσις θεοσεβείας,ἐπίγνωσις ταπεινώσεως καὶ πρᾳότητος.

Ibidem, Charitas est peculiare insigne Christiani.

In Moral. ad finem. Quid est proprium Christiani?Fides quæ per charitatem operatur.Quid est proprium fidei ? πληροφορία τῆς ἀληθείας τῶν θεοπνεύστων ῥημάτων , ὑπ' οὐδενὸς λογισμοῦ , ἢ τῆς φυσικῆς ἀνάγκης ἢ εὐσχημονούσης διασαλευομένη : firmus assensus veritati verborum Dei, non iactatus ratiocinationibus fucatis. Quid proprium fidelis? ἐν τοιαύτῃ πληροφορίᾳ διακεῖσθαι in tali firmo assensu permanere.

In Moral. Deus est misericors, sed est etiam iustus iudex. Qui solem oriri facit , is etiam cæcitate mulctat.

Orat de prec. Hymnis,quasi sale,opera condienda.

Epist. Neapol. presbyt. Non Christiani sunt quidam,sed Christempori.

*Quæst.*95. Ad vsum vnumquemque addiscere ex sacra Scriptura consentaneum est , & necessarium ad certam pietatis perfectionem.

Quæst 278. Quomodo Spiritus alicuius orat. mens verò infructuosa est ? Responsio Hoc de his qui in lingua audientibus ignota,orationes edunt,dictum est. Dicit enim,Si orem linguâ, Spiritus meus orat , mens verò mea infructuosa est. Cùm enim ignota fuerint præsentibus verba orationis,infructuosa est mens orantis , cùm nemo vtilitatem capiat. Cùm verò præsentes intellexerint orationes prodesse audientibus , tunc is qui orat , fructum habet : hi qui

qui vtilitatem capiunt meliores redduntur. Similiter autem & in omni pronuntiatione verborum Dei: scriptum est enim, Sed si quis bonus est sermo ad fidei ædificationem.

Hieronymvs: *ad Heliodorum.* Scriptura præcipit parentibus obsequendum, sed quicunque eos supra Christum amat, perdit animam suam. Aries iste pietatis, quo fides quatitur, Euangelij retundendus est muro.

Ad Letam. Sic erudienda est anima, quæ futura est templum Dei: nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet: turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret. Adhuc tenera lingua Psalmis dulcibus imbuatur.

In Iouinianum libro 2. Nostra Religio sapientiæ erudit sectatorem, qui se cultui Dei dedicauit, & scit cur creatus sit, cur versetur in mundo, quò abire festinet. Si exterior noster homo corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem.

In Ecclesiasten cap. 8. Opera nostra, quia per corpus administrantur, aliquo semper errore sunt commixta.

In prou. c. 20. Munditia & rectitudo qualis in hac vita, iustorum esse potest?

Ad Furiam. Post Scripturas sanctas doctorum hominum tractatus lege: eorum duntaxat quorum fides nota est. Non necesse habes aurum in luto quærere: multis margaritis vnam redime margaritam.

Ad Paulinum. Plenus venter facilè de ieiuniis disputat.

Ibid. Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est. Singuli credentium, non locorum diuersitatibus, sed fidei merito ponderantur. De Hierosolymis & de Britannia æqualiter patet aula cœlestis. Regnum enim Dei intra vos est. Ne meliores existimes qui Hierosolymam viderit.

Ad Celantiam. Dominus qui nos placere sibi iubet; etiam docet quomodo placere possimus. Ipse itaq; te informet, ipse te doceat.

Ibid. Qualis est illa confessio, quæ sic Deo credit, vt pro nihilo eius ducat imperium? Aut quomodo ex animo ac verè dicimus, Domine, Domine, si eius quem Dominum confitemur, præcepta contemnimus? Apparet nec honorari ab eis Dominum, nec timeri, qui eius præcepta non faciunt. Ideò aliquid imperat, vt causas habeat remunerandi. Neque enim obsequij nostri Deus indiget, sed nos indigemus illius imperio. Qui perfectè amatur, totam sibi amantis vendicat voluntatem. Si verè Christum diligimus, si eius nos redemptos sanguine recordamur, nihil magis velle, nihil omnino debemus agere, quàm quod illum velle cognoscimus. Duo autem sunt genera mandatorum. Prohibendi vnum est, Iubendi alterum. Vt enim mala prohibentur, ita præcipiuntur bona.

Inter Christianum & Gentilem non fides tantùm debet, sed etiam vita distinguere: & diuersam religionem per diuersa opera monstrare. Illi terrena sapiant, qui cœlestia promissa non habent. Nec turbam sequantur errantem, qui se veritatis discipulos confitentur.

Ibid. Nec sufficere tibi putes mandata Dei memoria tenere, & operibus obliuisci.

Ibid. Caue si ieiunare cœperis, te putes esse iam sanctum. Hæc enim virtus adiumentum est, non perfectio sanctitatis. Quid prodest tenuari abstinentiâ corpus, si animus intumescit superbiâ? Quam laudem merebimur de pallore ieiunij, si inuidia liuidi sumus? Tunc præclara est abstinentia quum est animus ieiunus à vitiis.

Ad Pammachium. Si offeramus Christo opes cum anima nostra, libenter suscipit. Si autem quæ foris sunt Deo, quæ intus sunt Diabolo demus: non est æqua partitio.

Tom. 5. in Esaia cap. 57. Nullus fuerit locus qui non idololatriæ sordibus, inquinatus sit: in tantùm vt post fores domorum idola ponerent: quos domesticos appellant lares: & tam publicè quàm priuatim animarum suarum sanguinem funderent. Hoc errore & pessima consuetudine vetustatis, multarum prouinciarum vrbes laborant: ipsaque Roma Orbis domina, in singulis insulis domibúsque tutelæ simulachrum cereis venerans ac lucernis, quam ad tuitionem ædium isto appellant nomine, vt tam intrantes quàm exeuntes domo, incliti semper commoneantur erroris.

In Hierem. cap. 31. Notitia vnius Dei omnium virtutum possessio est.

Cap. 3. in Lament. Hier. Grauiter vnusquisque confunditur, quando mandata Dei vel audiendo vel legendo respicit, quæ viuendo contempsit.

Ibid. Valde apud Dominum vtraque hæc sibi necessariò congruunt, & vt oratione operatio, & operatione fulciatur oratio. Coram manibus leuat qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat: cor leuat & manus non leuat. Quisquis verò operatur & non orat, manus leuat & cor non leuat. Tunc cor fiduciam in oratione accipit, quum sibi vitæ prauitas nulla contradicit, & bonorum operum ratio orationi concinnit.

In Michæam c. 1. tom. 6. Tunc Scripturæ prosunt legenti? si quod legitur, opere compleatur.

*In Psalm.*97. *tom.*8. Christus non voce laudatur,sed opere:non audit vocem,sed opera.

*In Psalm.*107. Videte quid dicit Apostolus: Non ait, non est iacentis neque dormientis sed miserentis est Dei.Sed vide quid dicit:Non est volentis neque currentis.Athleta dormiens perdit victoriam.

*In Psalm.*133. Solent & viri, solent & Monachi, solent & mulierculæ hoc habere inter se certum : vt plures ediscant Scripturas, & in eo se putant esse meliores, si plures edidicerint. Ille plus edidicit qui plus facit.Cæterùm si quod tu ediscis,ego facio : magis mea opera Scripturas tenent, quàm tuus sermo qui vanè resonat.

In Epist. ad Galatas. Ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, vt in vnum omnes pariter veniremus. Non quò celebrior sit dies illa qua conuenimus, sed quò quacunque die conueniendum sit, ex conspectu mutuo,lætitia maior oriatur.

*Ibid c.*2. Legi sum mortuus,vt in Christo viuerem,crucísque eius affixus & in nouum renatus hominem, fide magis quàm carne subsisterem,& cum Christo egrederer de mundo.

In eandem epist. Amissa Apostolicorum simplicitate & puritate verborum, quasi ad Athenæum & auditoria conuenitur, vt plausus suscitentur, vt oratio rhetoricæ artis fucata mendacio quasi quædam meretricula procedat in publicum, non tam eruditura populos, quàm fauorem populi quæsitura. Quotusquisque nunc Aristotelem legit, quanti Platonis vel libros nouere vel nomen? vix in angulis otiosis eos senes recolunt. Rusticanos verò & piscatores nostros totus Orbis loquitur, vniuersus mundus sonat.Itaque sermone simplici simplicia eorum verba pandenda sunt.

Adver. Iouinianum, Quoties Paulum Apostolum lego,videor mihi non verba audire,sed tonitrua. Legite Epistolas eius & maximè ad Romanos,ad Galatas,ad Ephesios.

In Epist. ad Ephesios, libro 1. *in proœmio.* Si quicquam est quod in hac vita sapientem virum teneat, & inter pressuras & turbines mundi, æquo animo manere persuadeat, id esse vel primùm reor,meditationem & scientiam Scripturarum.Miror quosdam extitisse,qui cæteros qui id studij habent, reprehendendos putarent.

In Psalmum 86. Apostoli non scripserunt paucis, sed vniuerso populo.

*In Nahum cap.*3. Eleuabitur & properabit populus qui sub magistris fuerat ante consopitus, & ibit ad montes Scripturarum : ibi inueniet montes,Prophetas montes Noui Testamenti : Apostolos & Euangelistas : & cùm ad tales montes confugerit, & huiusmodi montium lectione fuerit versatus, si non inuenerit qui eum doceat (Messis enim multa, operarij autem pauci) tunc & illius studium comprobabitur & confugerit ad montes & magistrorum desidia coarguetur.

*In Hieremiam cap.*9. Et post Baalim,inquit, abierunt, quos didicerunt à patribus suis. Ergo nec parentum, nec maiorum error sequendus est, sed autoritas Scripturarum, & Dei docentis imperium.

In Hieremiam cap 26. Si quando propter mandata Domini & fidei veritatem,vel Sacerdotes nobis, vel pseudoprophetæ,vel deceptus populus irascitur, non magnopere curemus, sed exequamur sententiam Dei, nequaquam præsentia mala, sed futura bona animo cogitantes.

*In Epistolam ad Titum, cap.*3. *tomo* 9. Dialectici, quorum Aristoteles princeps est, quosdam contentiosos vocant, qui vt libet, non ratione, sed stomacho disputant litigantium. Si igitur illi hoc faciunt, quorum propriè pars contentionis est : quid debet facere Christianus, nisi omnino fugere contentionem. Frequenter accidit vt habeamus pugnas legis, non ob desiderium veritatis,sed ob iactantiam gloriæ,dum apud eos qui audiunt, docti volumus æstimari,aut certè ex hoc rumusculo turpia sectamur lucra. Quid enim prodest spumantibus labiis, & latratu garrire canum, cum simplex & moderata responsio, aut possit te placare si vera est, aut si falsa, leniter à te & placabiliter emendari.

*In Micheam, cap.*6. Veritas paupertatem, mendacium diuitias facit.

In Psalmum 146. Si nos opprimit mendacium, non contristemur : custodit Dominus veritatem in seculum.Magis creditur illi mentienti,quàm nobis verum dicentibus. Non debemus desperare : custodit Dominus veritatem in seculum. Christus est veritas : veritatem loquamur,& veritas nobis seruat veritatem.

Ibid. Etiamsi tardauerit, non desperes. Veniens veniet & saluabit. Hoc solùm sit in nostra conscientia, quia iustè patimur.

Ad Nepotianum, tomo 1. Nolo te orare in angulis platearum.

Ibid. Ieiunia sint tibi pura, casta, simplicia, moderata & non superstitiosa. Quid prodest oleo non vesci, quærere caryeas, piper, nuces, &c. tota hortorum cultura vexatur, vt cibario non vescamur pane : & dum delitias sectamur, à regno cœlorum retrahimur. Proh pudor, non erubescimus istiusmodi ineptiis, nec

tædet

tædet superstitionis ? Fortissimum Ieiunium est Aqua & Panis.

In Epist. ad Galatas cap.6. tomo 9. Dum in præsenti seculo sumus siue orationibus, siue consiliis inuicem possumus coadiuuari: quum autem ante tribunal Christi venerimus, non Iob, non Daniel, nec Noe rogare possunt pro quoquam, sed vnumquemque portare onus suum.

Ambrosivs *de pœnitentia Petri serm.46.* Petrus prorupit ad lachrymas, nihil voce precatus. Inuenio quod fleuerit, non inuenio quid dixerit. Lachrymas eius lego: satisfactionem non lego. *Et in Lucam lib.10 cap.96 eadem.*

De Cain & Abel.cap.9. Orationis tuæ cubiculum vbique tecum est, cuius arbiter nullus est nisi solus Deus. Orandum autem præcipué & pro populo doceris, hoc est, pro toto corpore, pro membris omnibus.

De obitu Theodosij, tomo 3. Inuenit Helena vxor Constantini Magni titulum, regem adorauit non lignum vtique: quia hic Gentilis est error & vanitas impiorum: sed adorauit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo.

In 1.ad Corinthios, c.14. Si benedixeris spiritu, hoc est, si laudem Dei linguâ loquaris ignotâ, audientibus, quis supplet locum idiotæ? quomodo dicit, amen super tuam benedictionem quia nescit quid dicas. Imperitus enim audiens quod non intelligit, nescit finem orationis & non respondet amen, id est verum, vt confirmetur benedictio. Si vtique ad ædificandam Ecclesiam conuenitis, ea debent dici quæ intelligant audientes.

Lib.1. Officiorum, cap.20. Christum alloquimur quum oramus: illum audimus, quum diuina legimus oracula.

Lib.2 cap.24. In causa Dei etiam dissimulare, peccatum est non leue.

Serm.33. Illud etiam ad perfectionem Ieiunij tacendum non est, vt qui abstinemus & minimè prandemus, hoc tempore prandia nostra pauperibus erogemus.

De Cain & Abel, lib.1. cap.9. Diffidere est de potentia Dei, æstimare quòd non audieris nisi clamaueris: Clament opera tua, clamet fides, clamet affectus.

Ibid. Plerumque inanis gloria, longæ precationi: intermissæ autem prorsus obrepit incuria.

Ibid. Singuli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro singulis. Si pro omnibus roges, omnes pro te rogabunt: siquidem & tu, in omnibus es.

Cap.10. Homines quidam præpostero ordine, antè sibi ab hominibus opem arcessunt: vbi autem humana subsidia defecerint, tunc opinantur diuini postulandam fauoris gratiam. Ad ipsum priùs est confugiendum qui nostræ possit curare animæ passiones.

De viduis. Arma Ecclesiæ oratio est.

De pœnitentia. Dum dolemus admissa, admittenda excludimus, & fit quædam de condemnatione culpæ, disciplina innocentiæ.

De fide resurrectionis. Morte Martyrum religio defensa, cumulata fides. Ecclesia roborata est: vicerunt mortui, victi persecutores sunt.

De Virgin. lib.3. Solemnes sunt actiones referendæ, quum è somno surgimus: quum prodimus: quum cibum paramus sumere: quum sumpserimus: quum denique cubitum pergimus.

Cyprianvs. *Epist.2.* Sit tibi vel oratio assidua, vel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum: ille te præceptis suis instruat.

Epist 56. Nec minor est Martyrum gloria, non publicè & inter multos perisse, cùm pereundi causa sit propter Christum perire. Sufficit ad testimonium Martyris sui, testis ille qui probat Martyres & coronat.

Ibid. Nihil colo ego nisi Dominum meum, qui condidit cœlum & terram.

Ibid. Venit Antichristus, sed & superuenit Christus.

Epist.vlt. Dominus nos confiteri magis voluit quàm profiteri.

De orat. Dom. Euangelica præcepta sunt magisteria diuina, fundamenta ædificandæ spei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fouendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis: quæ dum dociles credentium mentes in terris instruunt, ad cœlestia regna perducunt.

Ibid. Deus non vocis, sed cordis auditor est.

Ibid. Qui credidit in nomine eius & factus est Dei filius, hinc debet incipere vt & gratias agat & profiteatur se Dei filium, dum nominat Patrem sibi esse in cœlis Deum: contestetur inter prima, renunciasse se terreno & carnali patri, & Patrem habere cœpisse qui sit in cœlis.

Ibid. Nec verbis tantùm sed & factis, Dominus orare nos docuit.

De opere & eleemosyna. Quid facit in domo Dei perfidum pectus? quid qui Christo omnino non credit, appellatur Christianus Pharisæi tibi magis conuenit nomen, Luc.16. Quales nunc in Ecclesia quosdam videmus, quorum perclusæ aures & corda cæcata nullum de spiritalibus ac salutaribus monitis lumen admittunt.

Exhort.ad martyrium. Necnon & illud consilium vtile & salubre prospexi in exhortatione

tam necessaria, amputandas esse verborum nostrorum moras & tarditates atque ambages sermonis humani subtrahendas: ponenda illa sola quæ Deus loquitur. Præcepta ista diuina velut arma pugnantibus suggerenda sunt. Inde aures erigantur, inde instruantur mentes.

AVGVSTINVS *De Ciuit. Dei lib.4. cap.30.* Martyres per fidem pro veritate morientium & cum veritate morientes.

Lib.14 cap.28. Fecerunt ciuitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui vsque ad contemptum Dei: Cœlestem verò amor Dei vsque ad contemptum sui. Denique illa in seipsa, hæc in Domino gloriatur: illa in suis potentibus diligit virtutem suam, hæc dicit Deo suo: Diligam te, Domine, virtus mea.

Ibid. Ad simulachra adoranda vel duces populorum vel sectatores fuerunt, sapientes illius terrenæ, & coluerunt atque seruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori qui est benedictus in secula. In hac autem cœlesti, nulla est hominis sapientia, nisi pietas qua rectè colitur verus Deus, expectans præmium in societate sanctorum, non solùm hominum, verùm etiam Angelorum.

Confess.lib.5. cap.1. Accipe sacrificium confessionum mearum de manu linguæ meæ quam formasti & excitasti, vt confiteatur nomini tuo, & sana omnia ossa mea, Te laudet anima mea vt amet te: & confiteatur tibi miserationes tuas, vt laudet te.

Lib.de vera Religione, cap.1. tomo 1. Omnis vitæ bonæ ac beatæ via in vera Religione constituta est, qua vnus Deus colitur & purgatissima pietate cognoscitur.

De moribus Ecclesiæ Catholicæ, cap 34. tom.1. Videbitis quid inter superstitionis sirenas & portum religionis intersit. Nolite mihi colligere professores nominis Christiani, nec professionis suæ vim aut scientes aut exhibentes. Nolite consectari turbas imperitorum qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, vt obliti sint quid promiserint Deo. Noui multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores.

In Psalm.39. Sparsus est sanguis iustus, & illo sanguine tanquam seminatione per totum mundum facta seges surrexit Ecclesiæ. Consequens autem tempus est scandalorum & simulationis & tentationum per eos qui dicunt, Ecce hîc est Christus, ecce illic. Hostis ille noster, tunc leo fuit, quum apertè sæuiebat: modò draco est, quum occultè insidiatur. Ille autem qui conculcauit leonem ad passiones Martyres attrahentem: ita modò draconem conculcabit ne nobis insidietur. Persecutio tamen siue à leone, siue à dracone nunquam cessat Ecclesiæ, & magis metuendus est quum fallit, quàm quum sæuit. Illo tempore cogebat Christianos negare Christum: isto autem tempore docet Christianos negare Christum. Tunc cogebat, nunc docet: tunc ingerebat violentias, nunc insidias.

In Psalm.115. Reuera quisquis bene cogitat quid voueat Domino & quæ vota reddat, seipsum voueat, seipsum reddat: hoc exigitur, hoc debetur. Imago sua reddatur Cæsari: imago sua reddatur Deo. *In Psal 148.* Promissis Dei credimus, mandatis obtemperamus.

In Psalm.148. Modò ergo laudamus Deum, sed & rogamus Deum. Laus nostra lætitiam habet oratio gemitum.

Ibid. Tunc desinis laudare Deum, quando à iustitia & ab eo quod illi places, declinas.

Epist 121. In his huius vitæ tenebris in quibus peregrinamur à Domino quandiu per fidem ambulamus, Christiana anima ne desistat orare: & Scripturarum diuinarum sanctarúmque sermone discat, tanquam lucernæ in obscuro loco positæ, fidei oculum intendere, donec dies lucescat. Huius enim lucernæ quidam fons ineffabilis, lumen illud est, quod sic lucet in tenebris, vt non comprehendatur à tenebris: cui videndo, fide corda mundanda sunt.

Sentent 107. Sicut fundamentum corporeæ fabricæ in imo est: ita fundamentum fabricæ spiritalis in summo est. Terrena ædificatio, à terra incipit: cœlestis extructio à superno crescit exordio.

Epist 107. Orandum est in Ecclesia pro infidelibus, vt fideles fiant.

Serm.170. Dominus in cruce & Stephanus poterant pro inimicis orare in silentio, sed tu non haberes exemplum.

Epist.121. Sine intermissione orare, est beatam vitam sine intermissione desiderare. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Dicuntur fratres in Ægypto, crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas, ne per moras productiores euanescat intentio.

Serm.171. Domine, à te peto, ad te pulso, imò te pulso: tu es ianua, tu surge.

Epist.61 & 64. Martyrem non facit pœna, sed causa.

In Psal 88. Vox Martyrum non in pœna, sed in causa. Laus in causæ bonitate, non in pœnæ acerbitate.

Contra Parmen tom.7. Non quisquis in aliqua quæstione religionis fuerit ab Imperatore punitus, est Martyr. Non ex passione certa est iustitia: sed ex iustitia passio gloriosa est.

Serm.

Sermon. de verb. dom. 50 tomo 10. Martyres fuderunt ſanguinem, non elatione, ſed charitate.

Epiſt 144. Vt eſt iniquiſſimus quem nec pœnæ temporales deterrent ab immundis operibus: ita iuſtiſſimus qui nec pœnarum terrore reuocatur à ſanctis operibus.

In Pſal. 118. Illi occidendo defecerunt? martyres moriendo vicerunt.

Serm. de temp. 109. Sparſum eſt ſemen ſanguinis, ſurrexit ſeges Eccleſiæ.

Epiſt. 200. Nullus eſt modus vel finis, bonis patriæ conſulendi.

De Ciuit. Dei, lib. 1. *cap.* 10. Nemo Chriſtum confitendo amiſit inter tormenta.

Lib. 2. *cap.* 3. Oritum eſt vulgare prouerbium, Pluuia defecit, cauſa Chriſtiani.

Epiſt. 122. Dicunt iſti, Antequam hæc doctrina prædicaretur, tanta mala non patiebatur genus humanum.

De vera religione. Nouus homo & interior & cœleſtis habens, non annis, ſed profectibus, diſtinctas quaſdam ſpirituales ætates ſuas. Primam in vberibus vtilis hiſtoriæ. Secundam obliuiſcentem humana, tendentem ad diuina. Tertiam, rectè viuere non cogitur: imò peccare non libet. Quartam, tempeſtates huius mundi & fluctus ſuſtinet & frangit. Quintam, omni ex tranquillitate viuentem. Sextam, mutationis in æternam vitam. Septimam, quies æterna.

Ibidem. Inuictus homo eſt qui cohæret Deo, non vt ab eo aliquid boni extra mereatur: ſed cui nihil aliud quàm ipſum hærere Deo, bonum eſt. Hic vir quandiu eſt in hac vita, vtitur amico ad rependendam gratiam: vtitur inimico ad patientiam: vtitur quibus poteſt ad beneficentiam, vtitur omnibus ad beneuolentiam. Et quanquam temporalia non diligat, ipſe rectè vtitur temporalibus.

Epiſt. 133. Minus fit quod patitur vnum membrum, ſi compatiuntur alia membra. Nec debet quum præliatur infringi, qui vult poſt prælium coronari, vires illo ſubminiſtrante certantibus qui præparat ineffabilia dona victoribus.

Conf lib 10. Qui laudari vult ab hominibus, vituperante te: non defendetur ab hominibus iudicante te, nec eripietur damnante te.

De lib arb 3. Quàm ineffabiliter linguis omnibus, vel cogitationibus omnibus prædicandus & honorandus eſt Creator omnium Deus, ſine cuius laude nec laudari poſſemus, nec vituperari.

De vera Rel. Nemo perfectè poteſt diligere quò vocamur, niſi oderit vnde reuocamur. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Oderimus ergo temporales neceſſitudines, ſi æternitatis charitate flagramus.

De mor. Eccl. cap. 8. Bonorum ſumma nobis Deus eſt. Deus eſt nobis ſummum bonum. Neque infrà remanendum eſt; Neque vltra quærendum. Alterum enim periculoſum: alterum nullum eſt.

Cap. 14. Quid erit aliud optimum hominis, niſi cui inhærere eſt beatiſſimum?

Cap 14. Quid ampliùs de moribus diſputem? Si enim Deus eſt ſummum hominis bonum: ſequitur nihil aliud eſſe bene viuere, quàm toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere: à quo exiſtit incorruptus in eo amor ſit: quod eſt temperantiæ. Et nullis frangatur incommodis: quod eſt fortitudinis: Nulli alij ſeruiat: quod eſt Iuſtitiæ. Vigilet in diſcernendis rebus, ne fallacia doluſque obrepat: quod eſt prudentiæ. Hæc vtroque teſtamento nobis concinuntur.

Serm. 113. Eſto paruus in oculis tuis, vt ſis magnus in oculis Dei.

De Trinitat: lib. 13. *cap.* 20. Virtutes ipſæ quibus prudenter, fortiter, temperanter, iuſtéque viuitur, omnes referantur ad fidem.

In Pſal. 115. Non perfectè credunt, qui quod credunt loqui nolunt.

In Pſal. 123. Quò imus? Ad veritatem. Quà imus? Per fidem. Quò imus? Ad Chriſtum. Quà imus? Per Chriſtum.

In Pſalm 146. Hoc pignus accepit ſpiritus noſter vt incipiamus fide ſeruire Deo: & ex fide appellari iuſti.

Epiſt 85. Fides ſine ſpe & ſine charitate eſſe non vult.

Serm. 109. *de Tempore.* Erit tibi pœnitentia: ſed infructuoſa. Erit tibi pœnitentia: ſed dolorem habens, medicinam non habens. Nunc eſt fructuoſa pœnitentia, quando correctio libera pœniteat te ad vocem Scripturæ.

In Pſal. 31. Debemus nulla opera præponere fidei, id eſt, vt ante fidem quiſquam dicatur bene operatus. Ea enim ipſa opera quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania ſunt: ita mihi videntur eſſe, vt magnæ vires & curſus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet opera ſua ante fidem: vbi fides non erat, bonum opus non erat.

Libro de fide & Operibus cap. 14. Cùm dicit Apoſtolus arbitrari ſe iuſtificari hominem per fidem ſine operibus Legis: non hoc agit vt perceptâ ac profeſſâ fide opera iuſtitiæ contemnantur: ſed vt ſciat ſe quiſque per fidem poſſe iuſtificari, etiamſi legis opera non præceſſerint,

Sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum. Iacobus vehementer infestus est eis qui sapiunt, fidem sine operibus valere ad salutem.

Et c.15. Profectò ne sibi quisquam de fide quæ sine operibus mortua est, promittat æternam vitam.

Libro 83. quæst quæstione 76. Nam iustificatus per fidem, quomodo potest nisi iustè operari.

Ibid. Cùm Paulus Apostolus dicit hominem iustificari per fidem sine operibus: non tamen ita intelligendum est: vt accepta fide, si vixerit, dicamus eum iustum, etiamsi malè vixerit. Ideo exemplo Abrahæ & Apostolus Paulus vtitur, quia sine operibus Legis quam non acceperat, per fidem iustificatus est. Et Iacobus, quia fidei ipsius Abrahæ opera bona consecuta esse demonstrat, ostendens quemadmodum intelligendum sit quod Paulus Apostolus prædicauit.

De vera Religione, cap.55. Religet nos Religio vni Omnipotenti Deo.

Ibid. Ipsum donum Dei cum Patre & cum Filio æquè commutabile colere & tenere nos conuenit: vnius substantiæ Trinitatem, vnum Deum à quo sumus, per quem sumus, in quo sumus: à quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, à quo perire non permissi sumus: principium ad quod recurrimus, formam quam sequimur & gratiam qua reconciliamur, &c. Vnum Deum quo Creatore viuimus, per quem reformati sapienter viuimus, quem diligentes & quo fruentes beatè viuimus: vnum Deum ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

Contra Epist. Parmeniani lib.2. In omnibus orationibus suis, de vno Mediatore securi sint. Homines enim omnes Christiani inuicem se commendant orationibus suis: pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic vnus verúsque Mediator est.

In Psalm.108. Non est iusto oratio, nisi per Christum.

Ibid. Oratio quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum.

In Psal.18. Humana ratione non quasi auium voce cantemus &c. Nos qui in Ecclesia diuina eloquia cantare didicimus, simul etiam instare debemus quod scriptum est, Beatus populus qui intelligit iubilationem. Proinde, clarissimi, quod consona voce cantauimus, sereno etiam corde nosse ac videre debemus.

Sent.333. Quid supplicaturus Deo locum aptum & sanctum requiris. Interiora tua munda: & omni inde mala cupiditate repulsa, præpara tibi in cordis tui pace secretum. Volens in templo orare: in te ora, & ita age semper vt Dei templum sis. Ibi enim Deus exaudit, vbi habitat.

In Ioan. tract.13. Si fortè quæris aliquem locum altum, aliquem locum sanctum, intus exhibe te templum Deo.

Ad Simplicianum lib.2. Quibus admonemur exemplis non esse scriptum quomodo corpus constituatur ad orandum, dummodo animus Deo præsens peragat intentionem suam. Nam & stantes oramus, sicut & scriptum est. Publicanus autem de longinquo stabat: & fixis genibus, sicut in Actibus Apostolorum legimus: & sedentes sicut Dauid & Elias, & iacentes, &c. Non est vtique differenda oratio vt quæramus quà sedeamus, aut ibi stemus, aut ibi prosternemur.

Epist.121. Plærumque (precatio) plus gemitibus quàm sermonibus agitur, plus fletu quàm affatu. Ponit autem lacrymas nostras in conspectu suo: & gemitus noster non est absconditus ab eo qui omnia per Verbum condidit, & humana verba non quærit. Nobis ergo verba necessaria sunt, quibus commoneamur & inspiciamus quid petamus: non quibus, Dominum seu docendum, seu flectendum esse credamus.

De Baptismo contra Donatistas lib 5 cap.19. Qui sunt verè Christiani, nisi de quibus idem Dominus dicit. Qui diligit me, mandata mea custodit?

In Psal.36. Ipse est Christianus qui vult viam Christi sequi.

In Epistol Ioannis tract.5 Si dilectio Patris non in te manet, non es natus ex Deo: quomodo te gloriaris esse Christianum? Nomen habes & fructum non habes. Si autem nomen secutum fuerit opus, dicat te quisquam paganum, tu factis ostende Christianum. Nam si factis non ostendis Christianum; omnes te Christianum vocent, quid tibi prodest nomen, vbi res non inuenitur?

Epistola 86. Video præceptum esse ieiunium: quibus autem diebus non oporteat ieiunare & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non inuenio definitum. In his igitur rebus custodiemus inoffensam societatem.

Epist 118. Ianuario. Primùm tenere te volo quod est huius disputationis caput: Dominum nostrum Iesum Christum leui iugo suo nos subdidisse & sarcinæ leui. Quod neque contra fidem neque contra bonos mores iniungitis, indifferenter est habendum.

Contra

Contra duas epistolas Pelag. ad Bonif. lib. 3. cap. 4. Profectò illam Dei Legem, non solùm tunc populo, verùm etiam nunc nobis ad instituendam rectè vitam, necessariam nemo dubitauerit.

Ibid. Nunquid dicturi sumus, non ad nos pertinere quod scriptum est, vt alienum quodcunque perditum quisque inuenerit, reddat ei qui perdidit, & alia multa similia quibus piè rectéque viuere discitur, maximéque ipsum Decalogum qui duabus tabulis lapideis continetur, excepta Sabbathi obseruatione carnali quæ spiritualem sanctificationem quietémque significat. Quis enim dicat non debere obseruare Christianos, vt vni Deo, religionis obsequio seruiatur: vt idolum non colatur: vt nomen Domi non accipiatur in vanum: vt parentes honorentur: vt adulteria, homicidia, furta, falsa testimonia perpetrentur: ne vxor nec omnino res vlla concupiscatur aliena? Quis est tam impius qui dicat, se ista Legis non custodire præcepta, quia est iste Christianus, nec sub lege, sed sub gratia constitutus &c. Sub gratia positi quos viuificat Spiritus & fide ista faciunt quæ per dilectionem operatur, in spe bonorum spiritualium: hi pertinent ad Nouum Testamentum.

De litera & spiritu, cap. 2. Θεοσέβεια. Dei cultus dici potest, qui in hoc maximè constitutus est, vt anima non sit ei ingrata &c. Pietas vocatur qua colitur pater luminum, à quo est omne datum optimum. Colitur autem sacrificio laudis, actionibúsque gratiarum, vt cultor eius non in seipso, sed in illo glorietur.

In Psal. 31. Fides sine operibus mortua esset, & tanquam radix sine fructu sterilis, atque arida remaneret &c. Opus autem fidei dilectio est. Quid facit dilectio? Declina à malo & fac bonum.

In Psal. 70. Multum me mouet Dei amor & timor. Timor quia iustus est: amor, quia misericors est.

Epist 1. Præcipuè Apostolorum linguas exhortor vt legas. Ex his enim ad cognoscendos Prophetas excitaberis, quorum testimoniis vtuntur Apostoli.

Lib. 1. Retract. cap. 1. Non secundùm naturam homo debet viuere, qui vult bene viuere, alioqui, secundùm hominem viuit, quum secundùm Deum viuendum sit, vt possit ad beatitudinem peruenire.

Serm. 3. de natiuitate Domini. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei. Quando sic pœnitentes, vt tibi amarum sapiat in animo, quod antè dulce fuit in vita, & quod te priùs oblectabat in corpore; ipsum te cruciat in mente: iam tunc bene ingemiscis & dicis ad Deum, Tibi soli peccaui.

Lib. 10. Confessionum c. 10. Quid mihi ergo est cum hominibus vt audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Quid à me quærunt audire qui sim, qui nolunt à te audire qui sint?

Epist. 545. Pia est ista tristitia, & si dici potest beata miseria, vitiis alienis tribulari, non implicari: mœrore non hærere, dolore contrahi, amore non attrahi &c. Coram pio viuens impiè, etsi non obligat consentientem, cruciat sentientem.

Lib. de orando Deo, & epist. 121. Absit ab omni oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Nam multum loqui est in orando rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autem precari, est ad Deum quem precamur diuturna & pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumq; hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur: plus fletu, quam affatu. Ponit autem lacrymas nostras in conspectu suo, & gemitus noster non est absconditus ab eo, qui omnia per verbum condidit, & humana verba non quærit. Neque enim vt nonnulli putant, hoc est orate in multiloquio si diutius oretur.

Lib. de magistro. Non opus est locutione cum oramus, id est, sonantibus verbis, nisi fortè sicut sacerdotes faciunt, significandæ mentis suæ causa, non vt Deus, sed vt homines audiant, & consensione quadam per commemorationem suspendantur.

Ad inquisit. Ian. lib. 2. c. 83. In iis quæ per diuersa loca obseruantur, saluberrima Regula retinenda est, vt quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunque institui videbimus vel instituta cognoscimus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando & inuitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit vt amplius detrimentum sit. Ad mouendum piè animum & accedẽdũ diuinę lectionis affectũ varia cõsuetudo est.

De vera Religione c. vlt. Non diligamus visibilia spectacula, ne ab ipsa veritate aberrando & amando vmbras, in tenebras projiciamur. Non sit nobis Religio in phantasmatib. nostris. Non sit nobis religio, cultus hominum mortuorum, quia si piè vixerint, non sic habentur vt tales quærant honores: sed illum à nobis coli volunt, quo illuminãte lætantur meriti sui, nos esse conseruos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionẽ.

Nam idipsum actum est temporali dispensatione ad salutem nostram, vt naturam humanam ipsa Dei virtus & Dei sapientia incommutabilis Patri coæternus, suscipere dignaretur, per quam nos doceret id esse homini colendum, quod ab omni creatura intellectuali & rationali colendum est. Hoc etiam optimos Angelos & excellentissima Dei ministeria velle credamus vt vnum cum ipsis colamus Deum cuius contemplatione beati sunt. Neque enim & nos videndo Angelos beati sumus, sed videndo veritatem qua etiam ipsos diligimus Angelos & his congratulamur. Quare honoramus eos charitate, non seruitute: nec eis templa construimus. Nolunt enim sic se honorari à nobis, quia nosipsos cum boni sumus templa summi Dei esse nouerunt. Rectè ita scribitur Apocal.19. hominem ab Angelis prohibitum ne se adoraret, sed vnum Deum sub quo ei esset & ille conseruus.

Serm.226. de temp. Oratio iusti, clauis est cœli. Ascendit precatio, & descendit Dei miseratio. Fletus citiùs audit, quàm voces.

Sermone 6 de verbis dom. Ille qui te fecit maior est patre tuo. Maior se patria & ipsis parentibus tuis, vt quicquid iusserint parentes contra patriam non audiantur, & quicquid iusserit patria contra Deum, non audiatur. Obliuiscere populum tuum. *Psal.*44.

In Ioann tract.7. tomo 9. Noli timere ne implere legem non possis, fuge ad misericordiam; vtere pacto illo & chirographo, vtere precibus quas tibi constituit & composuit Iurisperitus cœlestis. Qui enim habent causam & volunt supplicare Imperatori, quærunt aliquem Iurisperitum à quo sibi preces componantur, ne fortè si aliter petierint quàm oportet, non solùm non impetrent quod petunt, sed & pœnam consequantur. Docuit Dominus quomodo orarent, & ipso quod docuit, posuit quandam conditionem. Si non secundùm legem petieris, reus eris. Iuris forensis est, vt qui in precibus mentitus fuerit, non vlli prosit quod impetrauit: Deus nouit vtrùm mentiatis; an verum dicas, non facit vt in iudicio tibi non prosit, sed nec impetrare te permittit, quia ausus es mentiri veritati.

De Doctr. Christiana lib.2. cap.21.22. 23. Contra superstitiones Mathematicorum, syderum obseruationes & diuinatorum genera. Illa omnia plena sunt pestiferæ curiositatis, cruciatus solicitudinis, mortiferæ seruitutis. Non enim quia valebant animaduersa sunt, sed animaduertendo atque signando, factum est vt valerent.

*In Psal.*118. *c.*11. Deum non colamus, nisi propter Deum: vt sui cultus ipse sit merces. Ipsum diligamus, & in seipso & in nobis & in proximis nostris.

De Agone Christi c 11. De Christo: ô medicinam omnibus consulentem: omnia tumentia comprimentem: omnia tabescentia reficientem, necessaria custodientem, perdita reparantem, deprauata corrigentem.

*De Trinit. lib.*14. Εὐσέβεια est pietas, θεοσέβεια verò Dei cultus. Hæc est hominis sapientia: θεοσέβεια expressiùs dicitur quàm εὐσέβεια.

*Epist.*45. Deus non exigit, imò vetat, siquis ex alieno aliquid vouerit. Si præproperè factum fuerit, magis corrigenda est temeritas, quàm persoluenda promissio.

Sent. excerptis. Qui Deum ideo colit, vt aliud magis quàm ipsum promereatur, non Deum colit, sed illud quod assequi concupiscit.

Sent 56. Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales nostro merito.

Libro 2. cap.6 contra Donatistas: Non afferamus stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus & quomodo volumus pro arbitrio nostro dicentes, Hoc graue est, hoc leue est: sed afferamus stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus: imò non appandamus, sed à Domino appensa recognoscamus.

TERTVLLIANVS *In Apologetico.* DEVM colimus per Christum.

De corona militis. Nusquam Christianus aliud est.

De pœnitentia. Bonum atque optimum est quod Deus præcipit. Audaciam existimo de bono diuini præcepti disputare. Auscultare enim debemus, quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequij prior est maiestas diuinæ potestatis. Prior est auctoritas imperantis quàm vtilitas seruientis. Bonum est, annon? Quid reuoluis? Deus præcepit pœnitere, &c.

Ibid. Sed aiunt quidam, Deum satis habere, si corde & animo suspiciatur, licet actu minus fiat. Sic ipsi salua venia in gehennam detrudentur, dum saluo metu peccant.

Ibidem, Dominum simul cognoueris, timeas: simul inspexeris, tenerearis.

Ibidem, Exomologesis est, qua delictum Domino nostro confitemur: prosternendi & humiliandi hominis disciplina est.

De virg velandis. Scandalum non bonæ rei sed malæ exemplum est ædificans ad delictum. Bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem.

De spectaculis. Quia non penitus Deum norunt [illegible] naturali iure, non etiam familiari: de lon-

de loginquo, non de proximo: necesse est ignorent qualiter administrari aut iubeat, aut prohibeat, quæ instituit.

Ibid Quidam ad hanc abdicationem spectaculorum de Scripturis auctoritatem exposcit, & se in incertum constituit, quod non significanter neque nominatim denuntietur seruis Dei abstinentia eiusmodi: Planè nusquam inuenimus quemadmodum apertè positum est, Non occides, Non idolum coles, &c. ita exertè definitum, Non in Circum ibis, non in theatrum, agonum munus non spectabis. Sed inuenimus ad hanc quoque speciem pertinere illam primam vocem Dauid, Felix, inquit, qui non habiit in concilium impiorum, & in via peccatorum non stetit, &c.

Ibid. Nunquam & nusquam excusatur, quod Deus damnat.

Ibid. Nihil non diaboli est, quicquid Dei non est, vel Deo displicet.

Ibid An ille recogitabit de Deo, positus illic vbi nihil est de Deo.

Ibid Nemo te cognoscit Christianum esse, sed cogita quid de te fiat in cœlo. Dubitas? Illo enim momento omnes Angelos prospicere de cœlo, & singulos denotare quis blasphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures Diabolo aduersus Deum administrauerit.

Ibid. Nemo venenum temperat felle & elleboro, sed conditis pulmentis & bene saporatis, & plurimum dulcibus id mali iniicit: ita & Diabolus lethali quod conficit rebus Dei gratissimis & acceptissimis, imbuit omnia illic ceu fortia, ceu honesta, ceu sonora, ceu canora, ceu subtilia.

Aduers. Gnosticos. Displicet occidi in salutem. cui non displicuit occidi in perditionem.

Ibid. Verba non solo sono sapiunt, sed & sensu. Nec auribus tantummodo audienda sunt, sed & mentibus.

Ibid. A primordio iustitia vim patitur: statim vt coli Deus cœpit, inuidiam religio sortita est. Qui Deo placuerat, occiditur: & quidem à fratre. Denique, non modò iustorum verumetiam Prophetarum, &c.

Ibid. Qui se Christianum confitetur, Christi esse testatur, qui Christi est, in Christo sit necesse est. Si in Christo est, in Christo vtique confitetur, cùm se Christianum confitetur: Hoc enim non potest esse, nisi sit in Christo.

De Baptismo. Nihil est quod adeo obduret mentes hominum quàm simplicitas diuinorum operum: vt in Baptismo quoniam sine pompa, sine apparatu, sine sumptu. Mentior si non è contrario Idolorum solennia vel arcana de suggestu, apparatu, déque sumptu fidem & autoritatem sibi extruunt.

De idololatria. Idololatriam committit, qui de Idolis catechizat.

Ibid. Fides tamen non minùs sibi contemnendam propter Deum, quàm omne mortis genus. Didicit non respicere vitam, quantò magis victum? Sic nobis de mansuetudine & clementia Dei blandiamur, vt non vsque ad idololatriæ adfinitates necessitatibus largiamur.

De fuga in persec. Nolle confiteri, negare est.

De carn. Christi, Mortuus es quisquis non es Christianus.

De pœnit. Ita pœnitentiam amplectere, vt naufragus tabulam.

Ibid. Vbi emendatio nulla, ibi pœnitentia vana.

Ibid. Vbi metus nullus, emendatio nulla. Metus instrumentum pœnitentiæ. Timor hominis, honor Dei est.

De cultu fœm. Timor est salutis fundamentum. Præsumptio impedimentum timoris.

Aduers. Marc. lib. 3. Totum Christiani nominis & pondus & fructus mors Christi, quam tam impressè Apostolus demandat, vtique veram, summum eam fundamentum Euangelij constituens: & salutis nostræ & prædicationis suæ.

De pœnit. Pœniteat amasse quæ Deus non amat: quando ne nos quidem seruulis nostris ea quibus offendimur non odisse permittimus.

Ibidem, Neque quia bonum est idcirco auscultare debemus, sed quia Deus præcepit. Prior est autoritas imperantis quàm vtilitas seruientis. Quid reuoluis? Deus præcepit nec præcepit tantùm, sed hortatur etiam. Inuitat iurans, cupit credi sibi. O beatos nos quorum causa Deus iurat! O miserrimos, si nec iuranti Domino credimus!

De spect. Nemo venenum temperat felle & elleboro, sed conditis pulmentis & plurimum dulcibus, id mali iniicit. Ita diabolus lethale quod conficit rebus Dei gratissimis & acceptissimis imbuit.

Chrysostomvs *hom. 43. in Matth.* Euangelia in collo posita nihil prosunt, vbi virtus est Scripturarum? In figuris literarum, an in intellectu sensuum?

Hom. de fide Annæ. Oportet tum initio, tum in fine conuiuij, agere gratias Deo: ob hanc præcipuè causam, quòd haud facilè in ebrietatem prolabemur.

In Psal 150. tom. 1. Instrumenta musica illi veteri populo permissa fuerant, propter eorum imbecillitatem, &c. Postquam verò Deus populum excitauit, instrumenta commouit, om-

nem ætatem, viros, senes, mulieres &c. vocans ad modulationem.

*In Matth. hom.*47. Rectam vitam appello, non ieiunandi laborem, sed pecuniam deponere, &c. Non enim Christus dicit, suum ieiunium esse imitandum.

Hom 3 ad pop. Antioch. Ne inter ieiunij laborem, à ieiunij corona excidamus, discamus qualiter & quomodo hoc negotium tractare debeamus. Ieiunauit Pharisæus, sed descendit inanis. Nosse oportet tempus quo illam medicinam adhibere opus sit. Non ieiunium Niniuitarum periculo eripuit; sed vitæ mutatio. Honor ieiunij, non ciborum abstinentia, sed peccatorum fuga. Ieiunas? hoc mihi demonstra per opera. Qui ieiunium ciborum abstinentiâ tantùm definit, is ieiunium maximè vituperat.

*De pœnit hom.*8. Quæ ieiunij vtilitas, quum corpus quidem arces à legitimo nutrimento. Iniquum verò nutrimentum animæ inducis?

Adu. Iudæos. Illud mihi ostendito, Iudæos ex sententia Dei ieiunare. Quod ni id fiat, quauis ebrietate est sceleratius ieiunium. Nec solùm considerandum est, quid ab istis fiat, sed etiam ob quam causam faciant. Quod fit iuxta Dei voluntatem, quamuis id videatur improbum, tamen Deo gratum est. Contrà quod fit præter Dei voluntatem, ac secus quàm vult ille fieri, quamuis existimetur acceptum Deo, tamen est pessimum, & omnium iniquissimum. Non enim eorum quæ fiunt, natura, sed Dei decretum ac voluntas efficit, vt eadem vel bona sint, vel mala. Ob id Martyres amamus, non quòd crucientur, sed quòd ob Christum cruciatus ferunt: nec latrones detestamur, quòd puniuntur, sed quòd ob malefacta puniuntur.

Ibid. Illi non accurrunt ad veritatem, & vos accurritis ad impietatem.

*In Matth hom.*53. Fides exercitata semper crescit: otiosa verò ad nihilum redigitur.

*In Ioan hom.*32. Qui sine fide suis rationibus nituntur, sunt vt ij qui sine naui mare transnare aggrediuntur.

In Genes. hom 21. Salutares vobis doctrinas proponimus, & non quas ex nostra mente excogitauimus: sed eas quæ à Domino per diuinas Scripturas nobis donatæ sunt.

*In Matth. hom.*35. Virtus fidei in periculis secura est, & in securitate periclitatur.

*In Psal.*42. Time Dominum patientem, ne seuerum sentias iudicem.

*In Psal.*84. Qui se agnoscit, sui accusator est: qui fuerit à se accusatus, à Deo erit excusatus. Sed ea demum fructuosa est accusatio, si secuta fuerit correctio.

*Ibid. & in Psal.*141. *& in Esa. proœm.* Hæc est ad interitum proxima via in peccato excusationes cogitare, &c. Quando peccaueris, dic peccaui. Nihil est hac defensione iustius.

Hom 3. in Esa. In forensibus iudiciis post criminum confessionem restat mors: sed apud Dei tribunal, post confessionem datur corona.

Hom de Pharis. & Publ. Non te cogo peccata tua hominibus hominibus enuntiare: conscientiam tuam Deo expone.

*De Lazaro hom.*1. *tom.*2. Initium salutis si quem sui pudet.

*Hom. de Mose tom.*1. *& hom.*30. *in Gen.* Preces sunt magna arma, magnus thesaurus, magnus portus. In precando mens verborum comes accedat. Sunt colloquium cum Deo.

Ibid. Optat dare qui præcipit petere.

*In Psalm.*4. Precatio vinculum dilectionis in Deum.

*In Psalm.*129. Precatio ex intimo pectore proficiscens, est similis arbori quæ profundas egit radices, nec impetu ventorum conuellitur. Ea verò quæ tantùm est labiorum, similis est arbori in superficie terræ sitæ, quæ vel leuissima aura tollitur.

Ibid Vt pluuia duram terram mollit, ita animum in vitiis obduratum, precatio.

*In Psalm.*140. Vt olim suffitus fiebat in templo: ita precaturus animam tuam accende.

In Psalm. 41. Qui non audit quæ dicit, non clamat ad Deum, sed temerè loquitur.

In Matthæum homilia 10. Deus dando tardiùs quod petimus, instantiam orationis indicit.

Hom ad pop. Antioch 51. Lingua nostra est manus apprehendens pedes Dei.

*Hom.*79. Templum es, ne locum quæras.

De orando Deo. Vt sol præbet lucem corpori: sic animæ lumen est precatio.

Ibid. Vt corpus sine anima mortuum est: ita sine precatione anima.

Ibidem, Precatio est cœlestis armatura, radix & basis vitæ piæ Est Pharmacum animæ ægrotantis.

Ibid. Vt corpus neruis compactum: ita anima stat precibus.

Ibid. Ecclesiæ murus, precatio.

Ibid. Vt quum Regina ingreditur in ciuitatem, eam omnis opulentia consequimur. Ita postquam precatio ingressa est in animam, omnes virtutes simul ingrediuntur.

*In Epist. ad Rom hom.*10. Quod magnopere Deus velit amari, ex eo nascitur quod & magnopere amet.

Ibid. Si serpentem ad lectum latitare sciremus, omni studio ad illum interficiendum

ferre-

ferremur. Diabolo autem in nostris animis latitante, supini ac desides indormimus.

*In Gen. hom.*1. Vt Pharmacum sumpturi à cibis abstinent, &c. Ita ieiunio mentes piorum præparandæ sunt.

*Hom.*2. Ieiunium est animarum nostrarum tranquillitas, senum decor, adolescentum pædagogus continentium magister.

Homilia 7. in Genesin. Quando Iudæi & Gentes vident paruum aliquod delictum nostrorum, statim linguam exacuunt contra nos omnes: & sic ex vnius delicto, totam Christianorum gentem iudicant.

Homil 8. Deus non vult vt Christianus seipso tantùm contentus sit, sed vt alios ædificet, non per doctrinam solùm, sed & per vitam: nec tantùm proderunt verba, quantum nocebunt opera.

In Matthæum homilia 43. Vbi sunt qui negant in media ciuitate versantem seruare virtutem, opus esse secessu (monastico.)

In Epist. ad Philip. hom 13. Quum sis Christo inimicus, gestas crucem? non isti degeneres & vitæ & corporis sunt crucis inimici? Solet Christus passiones & afflictiones crucem vocare.

*Hom.*22. Non ciborum abstinentia ieiunium operatur, sed abstinentia peccatorum.

*De pœnitentia, hom.*8. Quæ ieiunij vtilitas quum corpus quidem arces à legitimo nutrimento, iniquum verò nutrimentum animæ inducis?

*In Ioannem hom.*16. Absurdum quòd medicus, coriarius, textor, & omnes generatim opifices quisque pro suæ artis professione pugnet: Christianus autem non possit vllam Religionis suæ afferre rationem. Atqui illæ artes neglectæ ad pecuniam damnum referunt: huius autem contemptus, animæ detrimentum affert: & tamen tanta miseria, tanta infamia laboramus, vt in illas omnem curam cogitationémque adhibeamus: necessaria autem & salutis nostræ munimenta firmissima pro nihilo ducimus. Hoc non sinit gentiles recognoscere errorem suum.

Paulò pòst. Hoc Petrus præcipit, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea quæ in vobis est, fide & spe.

*Et iterum: Coloss.*3. verbum Christi habitet in vobis abundanter. Hoc autem omnium malorum causa est: quòd pauci Scripturarum testimonia in opportunis rebus sciunt adducere.

In Ioannem homilia 3. Pudeat igitur nos & erubescamus: mulier Samaritana tantam in discendo adhibuit diligentiam: nos verò non modò nihil ad diuinarum rerum eruditionem inquirimus, sed in omnibus securè & eodem modo afficimur, propterea omnia negligimus. Quis nostrorum, quæso, repetita domo, aliquod Christiano dignum opus aggreditur? quis Scripturarum sensus perscrutatur? Nemo sanè, sed alueolos & talos frequenter inuenimus, libros quàm rarissimos &c. Non propterea nobis Scripturæ datæ sunt, vt in libris duntaxat habeamus: sed cordi insculpamus. Si in quacunque domo Euangelium est, illic diabolus ingredi non audet: quantò minùs animam assiduis lectionibus familiarem, neque dæmon neque peccatum attinget? Sanctifica igitur animam, sanctifica corpus: hoc continget, si Euangelium semper & animo habueris & lingua.

*Opere imperfecto cap.*7. Sicut in bello non omnis qui pugnat, vincit, nemo tamen vincere poterit, nisi pugnauerit: Sic non omnes qui legunt & student, acquirunt scientiam spiritualem; nemo tamen acquirere potest, nisi qui fuerit studiosus ad legendum, aut assiduus ad audiendum. Qui orationibus non instat, nec operibus bonis, sed per solum studium lectionum factus est sciens, quando aliis prædicat, ipse sibi non sentit quod prædicat. Scientia quæ ex solis lectionibus est, ex ore procedit: quæ autem de Spiritu Sancto est, ex corde profertur: & ideo spiritualis scientia non solùm discitur, sed sentitur: non tantùm in Scripturis legitur, sed in corde suggeritur.

In Epistolam ad Hebræos homilia 31. Magnum bonum est vt quis peccata sua agnoscat, & memoriam eorum perseueranter retineat. Persuadeamus igitur nobis, peccasse nos: nec sola lingua pronunciet, sed etiam intima conscientia. Non dico tibi, vt te prodas in publicum, neque te apud alios accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti: Reuela Domino vitam tuam. Apud Deum ergo confitere peccata tua.

In Psalmum Miserere, hom 2. Peccata tua dicito, vt deleas illa. Si confunderis alicui dicere te peccauisse, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico, vt confitearis conseruo tuo, vt exprobet: dicito Deo, qui curat ea.

Libro diuersarum homiliarum. hom 12. Tu non audis orationem tuam, & Dominum vis audire precem tuam? flexi, inquit, genua. Curuasti quidem genua intus, sed mens tua foris vagatur.

In Matthæum homilia 45. Quid prodest meretrici si nomen habeat castum? sic nihil prodest peccatori, si seruus Dei dicitur. Quomodo fugietis à iudicio gehennæ? ecclesias ædificantes, non ecclesiasticę veritatis fidem tenẽtes

ſcripturas legentes, non ſcripturis credentes: Apoſtolos & Martyres nominantes, non opera Martyrum imitantes, nec confeſſionem eorum ſectantes. Sicut non omnes qui Dominum vocant, Domini ſunt, ſed qui faciunt Domini voluntatem: ſic non omnes qui in locis prædicant Apoſtolos & Prophetas & Martyres iam per hoc ſunt cultores eorum, ſed qui opera eorum imitantur & fidem ſequuntur.

Homilia de profectu Euangelij tomo 6. Per nos ipſos orantes apud Deum plus efficimus, quàm dum alij pro nobis orant. Quando Cananæa acceſſit & perſeuerauit clamans & dicens, &c. tunc Dominus beneficium dedit, dixitque, Fiat tibi ſicut vis. Vides quomodo repulit, cùm alij precarentur? Vbi verò ipſamet orans pro dono clamauit, Dominus annuit. Similiter ab initio & ad ingreſſum petitionis nihil reſpondet: vbi autem ſemel & iterum & tertio acceſſit, tunc denique beneficium conceſſit: & in fine docet quòd date diſtulerit, non vt eam repelleret, ſed vt patientiam mulieris omnibus monſtraret.

In eadem Homilia. Cæterùm non opus eſt patronis apud Deum neque multo diſcurſu vt blandiare alijs: ſed licèt ſolus ſis, patronóque careas & per teipſum Deum preceris, omnino tamen voti compos eris. *Sic in Geneſin homilia 43.*

In Geneſin hom.14. Neque ſi vitam habeamus & rectas negligimus doctrinas, lucrifacere aliquid poterimus, quod ad ſalutem noſtram ſit vtile. Neque ſi recta ſciamus fidei dogmata, vitam autem negligamus, aliquid nobis profuerit.

Ibidem, Deſes & ſupinus ſi vel tenuis tentationum aura afflarit, ſtatim commouetur & decidit: non ob naturam tentationum: ſed ob voluntatis infirmitatem.

Homilia 30. Quemadmodum piratæ quando vident nauem pretioſis mercibus onuſtam, tunc potiſſimùm varijs moliuntur inſidiis: ita diabolus quum videt ſpirituales diuitias coaceruatas: quando videt nos à manifeſtis vitiis abhorrere, fugere intemperantiam, continentiam amplexari, &c. tunc alium cominiſcitur dolum, quò peſſundet noſtras opes: facit vt bonis operibus inflemur, quò faciat à vera gloria excidere, & bene operando, ſublime de ſe ſapere

In Pſalmum 129. Quum orationem aggrederis, ne hoc ſolum quæras vt quod petis accipias, ſed etiam vt in oratione animam tuam meliorem afficias. hoc enim eſt etiam munus orationis.

In Pſalm.142. Doce me facere voluntatem tuam, hoc eſt, ad facta me deduc.

In Pſalm.148. Duo ſunt modi Deum laudandi: vnus per verba, alius per ipſum: accedit tertius per vitam & rectè facta.

In Matth.hom.15. Sicut oleum accendit lucernam, ſic bona opera excitant fidem.

Hom 25. Qui ore denegat, fieri non poteſt vt in corde credat. Radix enim confeſſionis eſt fides cordis. Confeſſio autem fructus eſt fidei. Quando fides cordis eſt, tanquam radix, integra, neceſſe ramos producit, aut radix eſt ſiccata. Nec valet confeſſio oris, ſine fide cordis? nec fides ſine confeſſione oris. Si ſufficeret tibi fides cordis, Deus cor tantùm tibi dediſſe: ſed os & quinque ſenſus tibi dedit vt confitearis.

Hom.29. Seductio non poteſt eſſe niſi habeat ſpeciem boni. Diabolum fortem facit noſtra negligentia: Non illius potentia fortis eſt, inquis, Diabolus, &c. Mentiris. Nam contra hæc Scriptura, ligatus eſt tuus aduerſarius.

Hom.31. Fructus verbi Dei eſt duplex: in Operibus bonis, & in Confeſſione fidei. Sed in pace gratus eſt magis apud Deum fructus boni operis: in perſecutione verò gratior apud Deum confeſſio fidei. In perſecutione nemo te diſcutit, quomodo viuis, ſed quomodo credis.

Item. In pace non eſt labor bene credere, ſed bene viuere.

Hom.53. Fides quæ otioſa tenetur in corde, minoratur & torpeſcit, & paulatim per actus carnales exinanita ad nihilum redit. Si autem exercitata fuerit, Scripturis & aſſiduis lectionibus ſuſcitata, operibus bonis viuificata; non ſolùm multiplicabitur, ſed etiam nunquam deſinet creſcere donec viuet homo.

In Matth. homil. 7. Tu non audis orationem tuam?

In Ioan hom.65. Nihil prodeſt vita bona cum praua doctrina: nihil ſana doctrina cum vita corrupta.

Homil. de fide tomo 3. Quum primùm credideris, ſimul & bonis operibus ornatus eris. Sublimior tamen fides quàm opera. Præcedat neceſſe eſt ſpes noſtra in Chriſtum, quæ poſtea paſcenda eſt bonis operibus. Ante opera primum fides inducenda eſt. Fidelem abſque operibus poſſum monſtrare, nempe latronem. Nullus ſine fide vitam habuit. Fides per ſeipſam ſaluum facit. Per opera, per ſe, nullus iuſtificatus. Oportet ante opera lucere fidem: & fidei pediſſequa eſſe bona opera.

In 1. ad Theſſ. hom.1. Fides per opera probatur.

In 1. ad Tim. hom.5. Fides abſque operibus

mortua est: multò magis absque fide nihil proderunt opera.

In 2. ad Thess. hom. 4. Nusquam ab operibus bonis salutis nostræ summa dependet, nusquam à rectè factis, sed per fidem veritatis.

In Epistolam ad Hebræos Homilia 10. Omnis fidelis sanctus est, secundùm quod est fidelis: siue sit secularis, sanctus est.

Hom. 15. ad populum. Audi Deum in Mandatis, vt & ipse exaudiat te in Orationibus.

Hom. 78. Non ita fontes reddunt agros fertiles vt oratio. Non in verborum multitudine, sed in mentis attentione positum est exaudiatur. Breues & frequentes fieri precationes Christus & Apostoli voluerunt. Nam si sermonem in longum extenderis, in negligentiam frequenter lapsus, multam Diabolo subrependi facultatem dederis. Non locum Deus requirit, sed feruidam mentem & continentem. Templum es, ne locum quæras.

Cyrillus Alexandrinus. Is veritatem conseruat, qui non creaturam sed Creatorem colit, & ei soli seruit.

In Ioan. 11. Ad petendã cum fiducia impellens eos, amen, amen affirmans, dixit, impetrabitis à Patre quicquid in nomine meo petieritis. In nomine meo, addidit, vt mediatorem se & collargitorem ostendat. Nullus enim accedit ad Patrem nisi per Filium, &c. In quantum Christus Mediator est, Pontifex & Paracletus, nostras preces ad Patrem adducit. Orandum igitur est in nomine Salvatoris, si exaudiri à Deo volumus.

Polycarpus Smyrnensis ex Eusebio libro 4. historiæ, martyrio cùm afficiebatur sic precatus est: Verus es tu & sine mendacio Deus: propterea & in omnibus laudo te & benedico & glorifico te per æternum Deum & Pontificem Christum Iesum dilectum Filium tuum, per quem & cum quo tibi & cum Spiritu Sancto gloria & nunc & in futura secula. Amen.

Ignatius Epist 6. ad Philadelphenses. Solum Christum ante oculos habere in precibus & Patrem illius qui illuminat, à Spiritu.

Epist. 3. Sit communis precatio, vna mens, vna spes in charitate, & fide inculpata in Christum Iesum. Omnes velut vnus quispiam in templum Dei concurrite, velut ad vnum altare, ad vnum Iesum Christum summum Sacerdotem Dei.

Clemens Alexandrinus in Pædagogo, lib. 3. Laudantes gratias agamus, laudemus vnum Patrem & Filium, Magistrum vnà cum Spiritu Sancto.

Stromatum lib. 7. Si verò quidam horas constitutas tribuunt precationi, vt puta, tertiam, aut sextam, aut nonam, attamen qui cognitione præditus est, per totam precatur vitam, per preces studens versari cum Deo.

Ibid. Omnis igitur locus sacer est reuera, in quo notionem Dei accipimus; & tempus quoque.

Arnobius aduersus Gentes lib. 2. Religionis auctoritas non est tempore æstimanda, sed nomine, nec colere, qua die: sed quid cœperis conuenit intueri.

Ibidem, Commune est omnibus & ab ipsis penè incunabulis traditum, bona malis anteferre, inutilibus vtilia præponere, & quod constiterit esse pretiosius, lætiùs id consectari & petere, in eóque defigere spem salutis & salutarium commodorum. Itaque cùm nobis intenteris auersionem à Religione priorum, caussam conuenit vt inspiciatis, non factum: nec quid reliquerimus opponere, sed secuti quid simus potissimùm contueri. Nam si mutare sententiam culpa est vlla vel crimen: & à veteribus institutis in alias res nouas voluntatésque migrare, criminatio: ista & vos spectat qui toties vitam consuetudinémque mutastis, qui mores alios, atque alios ritus priorum condemnatione transistis.

Ivstinvs *martyr.* Citat hoc oraculum à Gentibus vsurpari solitum: μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον ἠδ' αὖ Ἑβραῖοι soli Chaldæi, hoc est, Hebræi sapientiam sortiti sunt.

In Dialogo ad Tryphonem. Christiani dicebantur à Cœna profanis & illicitis libidinibus indulgere, extinctis candelis, &c.

Ibidem, Tryphon obiiciebat multos Christianos esse idololatras: Iustinus respondet, id in falsos Christianos esse reiiciendum.

Ibidem, Qui veritatem potest eloqui, nec facit, à Deo iudicabitur.

Ibidem, Proprium est τοῖς ἀνοήτοις, τὸ ἔθος πρὸ τῆς ἀληθείας τιμᾶν. Dementes consuetudinem veritati præferunt.

Lib. quæst & resp. Ecclesia non canit instrumentis inanimatis, sed cantu simplici, cuius vtilitas magna.

Apologia 2. Profitemur quidem nos talium Deorum esse expertes, sed non verissimi illius Dei, Patris Iustitiæ. Et eum qui ab eo venit, Filium & Spiritum colimus & adoramus cum ratione & veritate.

Ibid. Die qui Solis dicitur, omnes, tum qui in oppidis, tum qui in agris morantur, in vnum conuenimus: & ex Apostolorũ & Prophetarum scriptis legitur, quantum vacat: deinde vbi destitit is qui legit, ὁ προεστὼς qui præest concionem habet adhortatúrque ad imitationem eorum quæ lecta sunt: postea surgimus ac precamur: finita precatione profertur panis & vi-

num & aqua. Is qui præest etiam precationes & gratiarum actiones habet: populus acclamat, Amen. tunc, διάδοσις καὶ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται: distributio & sumptio eorum super quibus gratiæ sunt actæ, fit vnicuique. Iis qui non adsunt, mittitur per Diaconos. Ditiores, volunt, aliqui dant pro orphanis, pauperibus, & captiuis, & peregrinis.

NAZIANZENVS. *De pace orat.* I. Nihil magis timendum quàm ne quid magis quàm Deum timeamus.

De pauper. amore. Deo donare, hoc ipsum est à Deo accipere.

In Apologet. Christus habitat in cordibus nostris per Spiritum Sanctum νοεῖται, ἑρμηνεύεται, καὶ ἀκούεται: cognoscitur, explicatur, auditur.

In laudem Basilij. Non personarum dignitate, sed fidei integritate Christianismus dignoscitur.

In laudem Heronis. Pietas maximum præsidum vitæ. εὐσέβεια μέγιστον εἰς ἀσφάλειαν.

Carm. de rebus suis. Non etenim impuro tutum est contingere purum.

Non magis atque æbetes oculos obuertere Soli.

Carm. de seipso. Sine Christo cadauera sceletibus fœtida sumus.

Oratione de Spiritu Sancto. Si adorandum, quomodo non est religiosè colendum. Si verò religiosè colendum, quomodo non Deus, vnum pendet ab altero. Catena hæc veræ aurea & salutaris.

Oratione de Spiritu Sancto. Colere Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum.

In Cantica Serm. 22. Frustra huius seculi sapientes de quatuor virtutibus tam multa disputauerunt, quas tamen apprehendere omnino nequiuerunt, cùm illum nesciuerint qui factus est nobis à Deo sapientia, docens prudentiam: & Iustitia, delicta donans.

Ibid. Vbinam, quæso, vera prudentia, nisi in Christi doctrina. Vnde vera iustitia, nisi de Christi misericordia? vbi vera temperantia, nisi in Christi vita? Vbi vera fortitudo, nisi in Christi passione.

Epist. 190. Nónne si fluctuat fides inanis est & spes nostra?

Polycarpus martyr in Epistol. ad Philippenses. Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, ipse sempiternus Pontifex Dei Filius Christus Iesus ædificet vos in fide & veritate omni mansuetudine, & sine iracundia, in patientia & longanimitate & tolerantia & magnanimitate.

ARTI-

ARTICVLVS X.

De Ecclesia & de Pastoribvs eius.

Ex Sancta Scriptura.

Ephes. 5.

CHristus dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo: vt exhiberet eam sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam.

Ibid. *Mysterium hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

Act. 20. *Attendite vobis & vniuerso gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos ad pascendam Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo.*

1. Cor. 12. *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos secundò Prophetas, tertiò Doctores.*

1. Tim. 3. *Siquis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiam Dei curabit?*

Ibid *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium aptum ad docendum non vinolentum, non percussorem, non litigiosum, non cupidum lucri*

Ibi. *Diaconos similiter honestos non bilingues, non multo vino deditos non turpe lucrum sectantes; habentes mysterium fidei in conscientia pura: vxores itidem honestas &c Qui enim bene ministrauerint gradum bonum sibi acquirunt, & multam fiduciam in fide quæ est in Christo Iesu.*

Ibid. *Hæc tibi scribo vt scias quomodo oporteat in domo Dei versari quæ est Ecclesia Dei viui columna & firmamentum veritatis.*

Tit 1 *Constituas per ciuitates presbyteros: si quis est inculpatus vnius vxoris vir. Oportet enim Episcopum inculpatum esse sicut Dei dispensatorem non superbum non iracundum non vinolentum non percussorem non turpis lucri cupidum sed hospitalem bonorum amantem temperantem iustum pium continentem, tenacem fidelis sermonis qui ad doctrinam fa it vt possit exhortari in doctrina sana & contradicentes conuincere.*

Apocal. 12. *Mulier fugit in solitudinem, vbi locum habet paratum à Deo*

Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi*

Ezech. 34. *Væ Pastoribus Israelis, qui pascebant semetipsos, non greges.*

Ioan. c. 10 v 3. 27 *Oues meæ vocem meam audiunt: alienum autem non sequuntur. Et ego vitam æternam do eis.*

Ioan. c. 8. v. 31. *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis & cognoscetis veritatem: & veritas liberabit vos.*

Ioan. 4 32. *Iam non credimus propter sermonem tuum: Ipsi enim audiuimus, & scimus hunc esse seruatorem mundi.*

Ieremiæ 7. 4 *Ne glorientur in verbis mendacibus, dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini.*

1. Tim. 4. 1. *Spiritus manifestè dicit, quòd in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum: In hypocrisi loquentium mendacium; prohibentium nubere abstinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & iis qui cognouerunt veritatem.*

Matth. 23 9. *Patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester qui in cœlis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus.*

Matth. 18. 20. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*

Rom. 11 *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non flexerunt genu ante Baal.*

1. Paralipomenon cap 15 *Multi fuerunt dies Israelis absque Deo veritatis, absque Sacerdote monente & absque Lege.*

Luc 12. & 18. *Ne time parue grex: Nam visum est Patri vestro, dare vobis regnum.*

1. Corinth 14. *Ad ædificationem Ecclesiæ lo qui oportet &c. Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt. Deus non est author perturbationis, sed pacis. Omnia decenter & secundum ordinem fiant.*

DE ECCLESIA DEI.

CONSENSVS IN SVPERIORIBVS FIDEI Confeßionibus eſt in omnibus: ex ipſarum Lectione cognoſcendus.

Ex Veteribvs.

AVGVSTINVS *lib. de Vnitate Eccleſia, ſiue Epiſt. contra Petiliani Donatiſta Epiſtolam, tomo* 7. Quæſtio inter nos verſatur, vbi ſit Eccleſia: vtrùm apud nos an apud illos. Quæ vtique vna eſt, quam maiores noſtri Catholicam nominarunt, vt ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt. Hæc autem Eccleſia corpus Chriſti eſt. Caput eſt ipſe vnigenitus Ieſus Chriſtus, Filius Dei viui, ipſe Saluator corporis, qui mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Corpus eius Eccleſia, de qua dicitur, vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam. Inter nos autem & Donatiſtas quæſtio eſt, vbi ſit Eccleſia, quid ergo facturi ſumus, in verbis noſtris eam quæſituri, an in verbis capitis ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti? Puto quòd in illius potiùs verbis eam quærere debemus, qui veritas eſt, & optimè nouit corpus ſuum. Nouit enim Dominus qui ſunt eius. In verbis noſtris Eccleſiam quæri nolumus.

*Cap.*3. Non audiamus: Hæc dico, hæc dicis: ſed audiamus, Hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Dominici, quorum auctoritati vtrique conſentimus, vtrique credimus, vtrique ſeruimus: ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram, auferantur illa de medio quæ adverſus nos inuicem, non ex Diuinis Canonicis libris, ſed aliunde recitamus. Quia nolo humanis documentis, ſed Diuinis oraculis ſanctam Eccleſiam demonſtrari. In Scripturis ſanctis Canonicis eam requiramus.

*Cap.*4. Caput vnigenitus Dei Filius, & Corpus eius Eccleſia. Quicunque de ipſo capite à Scripturis Sanctis diſſentiunt, etiamſi in omnibus locis inueniantur in quibus Eccleſia deſignata eſt, non ſunt in Eccleſia.

*Cap.*16. Vtrùm ipſi Eccleſiam teneant, non niſi Diuinarum Scripturarum Canonicis libris oſtendant, quia nec nos propterea dicimus, nobis credere oportere: quia ipſam quam tenemus commendauit Optatus vel Ambroſius: aut quia noſtrorum Collegarum Conciliis ipſa prædicata eſt: aut quia tanta fiunt in ea mirabilia. Non ideo ipſa manifeſtatur Catholica, quia hæc in ea fiunt. Ipſe Dominus Ieſus, diſcipulos, teſtimoniis legis & Prophetarum confirmandos eſſe magis iudicauit. Hæc ſunt cauſæ noſtræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta.

Capite 10. Nec Catholicis Epiſcopis conſentiendum eſt, ſicubi fortè falluntur, vt contra Canonicas Dei Scripturas aliquid ſentiant.

Epiſtola 48. Quiſque noſtrûm, non in iuſtitia ſua, ſed in Scripturis diuinis quærit Eccleſiam.

Ibidem. Ipſa Eccleſia aliquando obſcuratur, & tanquam obnubilatur.

Epiſtola 166. In Scripturis didicimus Chriſtum, in Scripturis didicimus Eccleſiam. Has Scripturas communiter habemus Quare non in eis & Chriſtum & Eccleſiam communiter retinemus?

Ibidem. Ecce Scripturæ communes: ecce vbi nouimus Chriſtum, ecce vbi nouimus Eccleſiam.

Sermone 131. Sciendum eſt quòd Eccleſiam credere, non tamen in Eccleſiam credere debeamus: quia Eccleſia non eſt Deus, ſed Domus Dei eſt.

In Pſalmum 10. Luna intelligitur Eccleſia, quòd ſuum lumen non habeat, ſed ab eo vnigenito Dei Filio, allegoricè Sol appellatus eſt, illuſtratur.

In Pſalmum 62. Non ſolùm fideles qui modò ſunt, ſed & qui fuerunt ante nos, & qui poſt nos futuri ſunt vſque in finem ſeculi, omnes ad corpus eius pertinent, cuius corporis ipſe caput eſt qui aſcendit in cœlum.

In Ioannem tractatu 7. Fideles multi, multa

grana inter paleas gementia, diffusa toto Orbe terrarum: membra Christi omnes, ac per hoc vnum corpus.

In Ioann. tractatu 13. Ego, inquit Ecclesia, si Sponsa sum, si arrhas accepi, si precio sanguinis illius redempta sum, audio vocem Sponsi: & vocem amici Sponsi tunc audio, si Sponso meo det gloriam non sibi.

De Ciuitate Dei lib. 11. *cap.* 1. Ciuitatem Dei dicimus cuius ea Scriptura testis est, quæ non fortuitis motibus animorum, sed planè summæ dispositione prouidentiæ super omnes omnium Gentium literas, omnia sibi genera ingeniorum humanorum diuina excellens auctoritate subiecit.

De vnit. Eccles. tom 7. *cap.* 10. Quum verba nouissima hominis morientis audiuntur, nemo dicit eum mentitum, & impius iudicatur hæres qui illa contempserit. Quomodo ergo effugiemus iram Dei, si vel non credentes vel contemnentes repulerimus verba nouissima vnici Filij Dei & Domini nostri ac Saluatoris, & ituri in cœlum. Et inde perspecturi quis ea negligat, quis obseruet: & inde venturi vt de omnibus iudicet. Habeo manifestam vocem Pastoris mei, commendantis mihi, & sine vllis ambagibus exprimentis Ecclesiam: mihi imputabo si ab eius grege, quod est ipsa Ecclesia per verba hominum seduci atque aberrare voluero, cùm me præsertim admonuerit dicens: Quæ sunt oues meæ vocem meam audiunt & sequuntur me. Ecce vox eius clara & aperta ac audita. Qui eum non sequitur, quomodo se ouem eius dicere audebit?

Ibidem capite 16. Ecclesiam suam demonstrent si possunt, non in sermonibus & rumoribus Afrorum, non in Conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus: quia etiam contra ista, verbo Domini præparati & cauti redditi sumus, sed in præscripto Legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum cantibus, in ipsius Pastoris vocibus, in Euangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est, in omnibus Canonicis Sanctorum librorum auctoritatibus.

In Psalmum 21. Vbicunque timetur Deus & laudatur ibi est Ecclesia.

Quæstione ex vtroque mixtim, quæst. 114. Pagani Antiquitatis causa, verum se tenere contendunt: quia quod anterius est, inquiunt, falsum esse non potest. Quasi Antiquitas aut vetus consuetudo præiudicet veritati. Possent enim homicidæ, aut adulteri, aut cæteri criminosi per hoc illicita sua defendere, quia antiqua sunt, & ab ipso mundi initio cœpta: quum hinc magis intelligere deberent errorem suum: quia quod reprehensibile est & turpe est, malè cœptum probatur: quod autem honestum & sanctum est, dignè colatur. Ad extremum Paganorum traditio est ab hominibus inuenta: nostra autem lex à Deo data.

De Trinitate, lib. 3. *cap* 2. De omnibus sanctis tanquam lapidibus viuis ædificatur Hierusalem mater nostra æterna in cœlis.

Epist. 50. Vbi manifestatur Dominus Christus, ibi & eius Ecclesia declaratur. Isti autem mirabili cæcitate, quum ipsum Christum præter Scripturas nesciant, eius tamen Ecclesiam non diuinarum literarum authoritate agnoscunt, sed humanarum calumniarum vanitate confingunt.

Epistola 48. Bona Ecclesiastica non occupanda à priuatis, soli veræ Ecclesiæ deberi.

Epist. 50. Bona Ecclesiastica non sunt nostra sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vindicamus. *Sic & serm.* 21 *ad fratres.*

Epist. 80. Ecclesia non apparebit impiis tunc persecutoribus vltra modum sæuientibus. Aliquando erit quædam contenebratio & fiet quidam impetus, sed in vespera, id est, in fine mundi.

Epistola 86. Sit vna fides vniuersæ quæ vbique dilatatur Ecclesiæ, tanquam intus in membris: etiamsi ipsa fidei vnitas quibusdam diuersis obseruationibus celebretur, quibus nullo modo quid in fide verum est impeditur. Omnis enim pulchritudo filiæ intrinsecus. Illæ autem obseruationes quæ variè celebrantur, in eius veste intelliguntur.

Epist. 48. Nos ideò certi sumus, quia in Scripturis diuinis quærimus Ecclesiam, & vt promissa est, reddi conspicimus.

De Agone Christi cap. 20. Ecclesiæ caput est, homo ille cuius susceptione Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis: membra cætera sunt omnes Sancti, quibus perficitur & completur Ecclesia.

De Ciuitate Dei lib. 22. *cap.* 8. Cur, inquiunt, nunc illa miracula quæ prædicatis facta esse, non fiunt? Possem quidem dicere, necessaria fuisse priùs quàm crederet mundus, ad hoc vt crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia vt credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.

De Ciuitate Dei libro 18. *cap.* 2. Ob hoc debemus, vbi opus est, Assyrios memorare Reges, vt appareat quemadmodum Babylonia quasi prima Roma cùm pegrina in hoc

mundo Dei Ciuitate procurrat. Ipsa Roma quasi secunda Babylonia est.

Et capite 22. Ne multis morer, condita est Roma velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis.

*De Ciuitate Dei lib.*18.*cap* 18. Fortassis expectant, quid Christiani agere debeant, quando inter idola gentium Miracula fieri asseruntur. Et quid dicimus, nisi de medio Babylonis esse fugiendum? Tantò tenaciùs Mediatori est inhærendum, per quem de imis ad summa descendimus. Si enim dixerimus, ea non esse credenda (miracula) non desunt etiam nunc qui eiusmodi quædam vel certissima audisse, vel etiam expertos se esse asseuerent. Nam & nos quum essemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium.

Et capite 53 *lib* 18. Nouissimam persecutionem quæ ab Antichristo futura est, præsentiâ suâ ipse extinguet Iesus.

*De doctrina Christiana lib.*3. Hypocritæ non cum Christo dicendi sunt, quamuis videantur esse eius Ecclesia Ideo permixta Ecclesia dici potest, tanquam sit vnum vtrumque corpus propter temporalem commixtionem & communionem Sacramentorum.

Epist 50 Ecclesia non habens maculam aut rugam tunc futurum quum dicendum erit, vbi est mors victoria tua?

*Contra Faustum Manichæum lib.*20. *cap.*23. Multi Christiani Catholici vocantur & sunt adulteri, raptores, auari, ebriosi, & quicquid aliud sanæ doctrinæ aduersatur.

Ibidem. Sola sacra doctrina Catholica.

Contra Donatistas Quantò magis se esse Catholicos dicerent, tantò magis iam causam ipsam agere deberent, in qua probare possent se potiùs esse Catholicos.

*De vera Religione cap.*5 Catholici & Orthodoxi nominantur integritatis custodes & recta sectantes.

*Lib. quæst in Matthæum quæst.*11. Boni Catholici sunt, qui & fidem integram sequuntur & bonos mores.

In Epist Ioannis tractatu 4. Qui vocantur & non sunt, quid illis prodest nomen, vbi res non est? Quàm multi vocantur medici, qui curare non norunt? Quàm multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt? Sic multi vocantur Christiani, & in rebus non inueniuntur: quia hoc quod vocantur, non sunt: id est in vita, in moribus, in fide, in spe, & charitate.

*Epist.*80 *Hesychio de supremo mundi die* Non Romanos, sed omnes gentes Dominus semini Abrahæ, media quoque iuratione, promisit.

In Psalmum 26. Est quædam ciuitas quæ Babylonia dicitur. Ciuitas ista societas est omnium impiorum ab Oriente in Occidentem, ipsa habet regnum æternum.

Paulò pòst. Cognouimus aliam matrem Hierusalem cœlestem, quæ est sancta Ecclesia, cuius portio peregrinatur in terra. Reliquimus Babyloniam.

De Ciuitate Dei libro 15. *cap* 1. Genus humanum in duo genera distribuimus: vnum eorum qui secundùm hominem, alterum eorum qui secundùm Deum viuunt. Quas etiam mysticè appellamus ciuitates duas, hoc est, duas societates hominum: quarum est vna quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo: altera æternum supplicium subire cum Diabolo.

Ibid Illi duo excursus generare cœperunt, donec homines generare cessabunt: hoc enim vniuersum tempus siue seculum in quo cedunt morientes, succedúntque nascentes, istarum duarum Ciuitatum de quibus disputamus, excursus est. Natus est igitur prior Cain in illis duobus generis humani parentibus, pertinens ad hominum ciuitatem: posterior Abel ad Ciuitatem Dei. Sicut enim in vno homine, quod dixit Apostolus, experimur, quia non primum quod spirituale est, sed quod animale, postea spirituale: vnde vnusquisque quoniam ex damnata propagine exoritur, primò sit, necesse est ex Adam malus atque carnalis: quòd si in Christo renascendo profecerit, postea erit bonus & spiritalis. Sic in vniuerso genere humano quum primùm duæ istæ cœperunt nascendo atque moriendo procurrere ciuitates, prior natus est ciuis huius seculi: posterior autem isto, peregrinus in seculo, & pertinens ad ciuitatem Dei.

In Psalmum 61. Quid est vna Ciuitas, & vna Ciuitas? Babylonia vna, Hierusalem vna. Quibuslibet aliis etiam mysticis nominibus appellatur, vna tamen ciuitas, & vna ciuitas: illa rege Diabolo, ista Rege Christo.

Paulò post Ciuitas illa prior nata: ciuitas ista posterior nata: illa enim incœpit à Cain, hæc ad Abel. Hæc duo corpora sub duobus regibus agentia, ad singulas Ciuitates pertinentia, aduersantur sibi vsque in finem seculi, donec fiat ex commixtione separatio.

Ibidem, Non prius, inquit Apostolus, quod spirituale est, sed quod animale: postea quod spirituale. Ideo Ciuitas illa maior ætate, quia prior natus est Cain, & postea Abel: sed in his maior seruiet minori. Illa maior ætate: ista maior dignitate.

Ibidem, Mala ergo ciuitas ab initio vsque in finem currit, & bona ciuitas mutatione malorum

lorum conditur. Et sunt istæ duæ ciuitates permixtæ interim: in fine separandæ: aduersus se inuicem confligentes, vna pro iniquitate, altera pro iustitia: vna pro vanitate, altera pro veritate.

Libro de catechizandis rudibus capit.19. Duæ Ciuitates, vna iniquorum, altera sanctorum, ab initio generis humani vsque in finem seculi perducuntur: nunc permistæ corporibus, sed voluntatibus separatæ, in die iudicij verò etiam corpore separandæ.

Epist 48. Ecclesia est de cuius paucitate dicitur in comparatione multorum malorum, quia angusta & arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ambulant in ea.

Paulò post Ecclesia quæ per omnes gentes crescit, in frumentis Dominicis conseruata est.

In Psalm 39 Noli ergo numerare turbas hominum incedentes per latas vias. Noli ergo illos attendere, Multi sunt: Pauci autem per viam angustam. *A* fofer, inquam, stateram appende: vide contra pauca grana quantam paleam leues.

De consensu Euangelistarum c.10. Nec ipsa Miracula, quæ quamuis diuinitus de mutabilitate corporum fiant, à fidelibus quæri velit.

In Ioan. tract 13. Cautos nos fecit sponsus, quia miraculis decipi non debemus. Petrus Apostolus resuscitauit mortuum, Simon Magus fecit multa Erant ibi multi Christiani qui non poterant facere, nec quod faciebat Petrus, nec quod faciebat Simon: sed vnde gaudebant? quia eorum nomina scripta erant in cœlo.

Enchiridio ad Laurentium cap 56. Ecclesia, tanquam habitatori domus sua, & Deo templum suum, & conditori ciuitas sua: quæ tota hîc accipienda est, non solùm ex parte quæ peregrinatur in terris, à Solis ortu vsque ad occasum laudans nomen Domini, & post vetustatem captiuitatis cantans Canticum in suum: verùm etiam ex illa quæ in cœlos semper ex quo condita est cohæsit Deo, nec vllum sui casus malum experta est.

Lib.5 contra Donatistas c.27. Ex illis omnibus qui, vt ita dicam, intrinsecus & in occulto intus sunt, constat ille hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viuæ.

In Psalmum 56. Corpus eius est Ecclesia non autem ista aut illa, sed toto Orbe diffusa. Nec ea quæ nunc est in hominibus qui præsentem vitam agunt, sed ad eam pertinentibus etiam his qui fuerunt ante nos, & his qui futuri sunt post nos, vsque in finem seculi. Tota enim Ecclesia constans ex omnibus fidelibus, quia fideles omnes membra sunt Christi habet illud caput positum in cœlestibus quod gubernat corpus suum, etsi separatum est à visione, sed annectitur charitate.

Contra literas Petiliani c.108. Ipsi non sunt in Ecclesiæ Christi compage, quæ in membris Christi per connexum & contactum crescit in incrementum Dei.

Et contra Cresconium c.21. Damnati à Christo, iam in corpore Christi non sunt, quòd est Ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata.

Serm 181 de tempore, & de Catechizandis rudibus Ecclesia complectitur Sanctos, qui fuerunt, sunt, & futuri sunt.

Serm 115. Vbi est fides sancta, ibi est sancta communio.

In Psalmum 61. Absit vt non pertineat ad membra Christi qui pertinet ad ciuitatem, qui habet regem Christum. Illa vna est Ierusalem cœlestis, ciuitas sancta, hæc vna ciuitas vnum habet regem. Rex huius ciuitatis Christus est.

In Ioan tract 5, Verè iusti ministri gloriam suam non quærunt: Ministri enim sunt, pro iudicibus haberi nolunt, spem in se poni exhorrescunt.

Libro 2 de Baptismo contra Donatistas cap.3. Ipsa Concilia quæ per singulas regiones vel prouincias fiunt, Plenariorum Conciliorum auctoritati quæ fiunt ex vniuerso Orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere, ipsaque Plenaria sæpe priora posterioribus emendari: cùm aliquo experimento verum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine vllo typho sacrilegæ superbiæ, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana.

Contra Cresconium, lib.2.c.21. Ecclesia subdita est Christo. Non igitur debet Ecclesia se Christo præponere. Cum ille semper veraciter iudicet. Ecclesiastici autem iudices, sicut homines plærumque fallantur.

Contra literas Petiliani Donatistæ lib.1.cap.7. Origo mea Christus est, radix mea Christus est, caput meum Christus est.

In Psal.103. Nónne Episcopi fuerunt auctores Schismatum & hæreseum?

De Ciu. Dei, lib.19.c.19. Episcopatus nomen est oneris, non honoris; ἐπισκοπεῖν est superintendere: vt intelligat non esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.

Epist.150. Deus per Ministros suos Rerum signis extrinsecus admonet: Rebus ipsis intrinsecus per seipsum docet.

De doctrina Christiana lib.4. c 4. Scripturarum doctor, defensor rectæ fidei ac debellator

erroris, debet bona docere, mala dedocere, conciliare auersos, erigere remissos.

De Ciu. Dei lib. 10 *cap.* 10. Erunt Sacerdotes Dei & Christi: non vtique de solis Episcopis & Presbyteris dictum est, qui propriè iam vocantur in Ecclesia sacerdotes, sed sicut omnes Christianos propter mysticum chrisma: sic omnes sacerdotes, quoniam sunt membra vnius Sacerdotis: de quibus Apostolus Petrus: plebs, inquit, sancta, Regale sacerdotium.

Lib. 2. *cap* 28. Populi confluunt ad Ecclesias casta celebritate, honesta vtriusque discretione, vbi audiant quàm bene hic ad tempus viuere debeant vt post hanc vitam beatè semperque viuere mereantur: vbi sacra Scriptura, iustitiæque doctrina de superiore loco in conspectu omnium personante: & qui faciunt audiant ad præmium, & qui non faciunt audiant ad iudicium.

De doctrina Christiana lib. 4. *cap* 4. Claues Dominus dedit Ecclesiæ suæ vt quæ solveret in terra, soluta essent in cœlo: quæ ligaret in terra, ligata essent in cœlo.

De fide & operibus tomo 4. Quidam instituendam esse putant disciplinam & Ecclesiam, quandam peruersissimam securitatem præpositis tribuentes, vt ad eos non pertineat nisi dicere quid cauendum quidve faciendum sit, quodlibet autem quisque faciat non curare. Nos vero ad piam doctrinam pertinere arbitramur vt & canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ, toleremus: & canibus sanctum, vbi pax Ecclesiæ tuta est, non demus.

Ibid. Quum eis per quos Ecclesia regitur, adest salva pace potestas Disciplinæ aduersus improbos aut nefarios exercendæ, tunc rursus ne socordiâ, segnitiáque dormiamus: aliis aculeis præceptorum quæ ad seueritatem coercitionis pertinent, excitandi sumus, vt gressus nostri ex vtrisque testimoniis in via Domini, illo duce atque adiutore dirigentes, nec patientiæ nomine torpescamus, nec obuentu diligentiæ sæuiamus.

De fide & operibus cap. 26 *tomo* 4. Nisi essent quædam ita grauia vt etiam Excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus 1. Cor. 12. Congregatis vobis, &c.

Contra Parmen lib. 3. *cap.* 2. *tomo* 7. Et reuera si contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est. Nam consilia separationis & inania sunt & perniciosa atque sacrilega, quia & impia & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos.

Contra lit. Petil lib 3. *cap* 4 *tomo* 7. *p.* 1. Consortium Christianorum nullomodo relinquere debuerunt. Neque hoc ideo dixerim, vt negligatur Ecclesiastica disciplina & permittatur quisque facere quod velit sine vlla correptione quadā medicinali vindicta & terribili lenitate, & charitatis seueritate. Nam vbi erit illud Apostoli 1. Thess. 5. Corripite inquietos &c. satis ostendit non esse malum pro malo redditionem corripere inquietos, quamuis pro culpa inquietudinis reddatur pœna correptionis. Non ergo malum est correptionis pœna, cùm sit malum culpa. Neque enim ferrum est inimici vulnerantis, sed medici secantis. Fiunt ista in Ecclesia, ne virgo casta desponsata Christo in aliquibus membris corrumpatur à castitate quæ est in Christo. Verumtamen absit à seruis patrisfamilias vt immemores sint præcepti Domini sui: & sic aduersus zizaniorum multitudinem flagrantia sanctæ indignationis ignescant, vt quum ea volunt ante tempus colligere, simul eradicetur & triticum.

Ibid. cap. 10. Ille accusat vitium meum, ego laudo medicum meum.

De Bapt. contra Donat. lib. 1. *cap.* 9. Vna est Ecclesia quæ in omnibus generat cuius sacramenta retinentur. Neque hi soli ad eam non pertinent, qui separationis aperto sacrilegio manifesti sunt, sed etiam illi, qui in eius vnitate corporaliter mixti per vitam pessimam separantur.

De mor. Eccles cap. 28. Disciplina quæ animi medicina est, quantum Scripturis ipsis diuinis colligi licet, in duo distribuitur, Coercitionem & Instructionem. Coercitio timore: Instructio verò amore perficitur.

ATHANASIVS, *contra Arrianos oration.* 2. Nunquam populus ab Episcopis suis, sed à Domino in quem creditum fuit, nomen accepit. Certè à beatis Apostolis præceptoribus nostris, ministrisque Euangelij Salvatoris nostri, appellationes adepti non sumus, sed à Christo Christiani nuncupamur. Illi verè qui aliunde originem suæ fidei deducunt, meritò auctorum suorum cognomenta, vt ad quos pertineant præ se ferunt.

In lib. quæstionum quæst. 110 Quomodo etiam quidam hæretici edunt signa? *Responsio.* Ne sit nobis hoc mirum. Audiuimus enim Dominum dicentem: Multi in illo die dicturi sunt, Domine, nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas edidimus?

Oratione contra Arrianos. Quæ nunc Ecclesia liberè Christum adorat. Si alicubi pij vt Prophetæ abscondendi.

Homilia de semente. Ecclesia non est auditorium Rhetorum, sed ibi certamen de moribus propositum est.

Contra

Contra Idol. In choro qui constat ex diuersis hominibus, viris, pueris, fœminis, senibus, iuuenibus, sub vno Præside & Moderatore, quisque quantum potest cantat.

Epist. contra hæret. Plerique habiti Hæretici, post aliquot verborum interpretationem Orthodoxi habiti sunt.

Epist. de sentent. Dionysij. Veritatis præcones, sententiis inter se conueniunt.

Epist. ad Orthodoxos. Congregatis populis vnà cum Spiritu Sancto, qui Episcopum constituant, publicè & in præsentia Clericorum Episcopum postulantium, inquisitionem fieri oportet, atque ita omnia Canonicè peragi.

Apol. 2. Non est Canonicum, hominem populo incognitum, neque postulatum à Presbyteris, creari Episcopum.

Orat. 1. contra Arrianos. Non gladiis aut iaculis aut militari manu veritas prædicatur, sed suadendo & consulendo.

In quæstionibus. Quis est ille homo qui ædificauit super petram? Petrus, Petra Christus. Domus, fides: ventus, diabolus est: qui super arenam ædificauit, Iudas est.

Theophylactus in Matthæum c. 18. Non solùm quæ soluunt Sacerdotes, sunt soluta: sed quæcunque & nos iniuria affecti vel ligamus vel soluimus, & ipsa erunt ligata vel soluta.

In Lucæ c. 9. Iesus dedit discipulis potestatem contra malos spiritus: non illo contentus fuit, sed iussit etiam Euangelium prædicare. πολλοὶ πολλάκις θαύματα ἐποίησαν ἀπὸ δαιμόνων, ἀλλ' οὐκ ἦν τὸ κήρυγμα αὐτῶν ὑγιὲς, διὸ οὐδὲ τὰ θαύματα αὐτῶν ἐκ θεοῦ. Prædicatio per miracula confirmatur, miracula autem per prædicationem. Multi enim multa miracula per dæmones fecerunt quorum prædicatio sana non fuit, ideo miracula eorum ex Deo non fuerunt.

TERTVLLIANVS, *libro de præscriptione.* Quid? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?

Ibid. Ipsa doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicuius auctoris esse, neque Apostolici: quia Apostoli non diuersa inter se docuissent: ita & Apostolici non contraria Apostolis edidiscent, nisi qui ab Apostolis desciuerunt.

Ibid. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut cauerunt Testamento suo, sicut fidei commiserunt, ita teneo. Vnde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ? Nihil de proprio intulimus vt aliquid contrarium ei & in Scripturis deprehensum, detractione, vel adiectione vel transmutatione remediaremus.

Aduers. Iudæos. Babylon apud Ioannem nostrum, Romanæ vrbis figuram portat, proinde & magnæ, & regno superbæ, & sanctorum debellatricis. *Sic & aduersus Marcionem lib. 3. & libro de Resurrectione carnis.*

Aduersus Marcionem libro 4. Id verius, quod prius: id prius, quod ab initio: ab initio, quod ab Apostolis.

Libro de pudicitia. Ecclesia non est numerus Episcoporum.

Ibid. Grex Domini, Ecclesiæ populus.

Exhort. ad castitatem. Vbi tres, Ecclesia est, licet laici: vnusquisque de sua fide viuit.

In Apologetico. Præsident probati quique Seniores: honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.

De Baptismo. Nihil est quod adeò obduret mentes hominum quàm simplicitas diuinorum operum quæ in actu videntur. Vt in Baptismo, quoniam sine pompa, sine apparatu, sine sumptu. Mentior si non è contrario Idolorum solennia vel arcana, de suggestu, apparatu, déque sumptu fidem & auctoritatem sibi extruunt.

Lib. de Idolol. Principale crimen generis humani, summus seculi reatus, tota causa iudicij, Idololatria.

Ibid. Si fidelis literas doceat insertas idolorum prædicatione, sine dubio, cum docet, commendat: dum tradit, affirmat: dum commemorat, testimonium dicit, Deos ipsos hoc nomine obsignat: cùm Lex prohibeat, Deos pronunciari, *Psal. 16.* & nomen hoc in vano collocari.

Exod. 20. Hinc prima Diabolo fides ædificatur ab initiis eruditionis. Quære an Idololatriam committat, qui de idolis catechizat?

De virginibus velandis. Veritas sempiterna & antiqua res: semper Christus prior omnibus. Viderint igitur quibus nouum est quod sibi vetus est.

Ibid. Non permittitur Mulieri in Ecclesia loqui, sed nec Tingere.

Ibidem. Exurge veritas, nullam volo Consuetudinem defendas: ipsas Scripturas tuas interpretare quas Consuetudo non nouit.

AMBROSIVS *lib. 3. de Spiritu Sancto c. 18.* Homines in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non ius potestatis alicuius exercent. Isti rogant, Diuinitas donat: humanum enim obsequium, sed munificentia supernæ est voluntatis.

Libro 1 Officiorum cap. 1. Tantummodò intentionem & diligentiam circa Scripturas opto assequi.

Lib. 2 de Officiis. Aurum Ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget & subueniat necessitatib.

Paulò pòst. Aurum Sacramenta non quærunt: neque auro placent quæ auro non emuntur. Laurentius Martyr interrogatus vbi essent thesauri quos promiserat, ostendit pauperes, dicens, hi sunt thesauri Ecclesiæ. Laurentius aurum Ecclesiæ maluit erogare pauperibus.

Lib.5. epist.28 ad Theodosium Imperatorem. Episcoporum synodus conuenerat, nemo non ingemuit. An pudet te, Imperator, hoc facere quod Rex Propheta, auctor Christi secundùm carnem prosapiæ fecit Dauid? Ille cognito quòd in hoc ipse argueretur quòd ipse fecisset, ait, peccaui Domino. Noli ergo impatienter ferre, Imperator, si dicatur tibi, tu fecisti istud, &c. Dicetur & tibi, Quoniam pœnitet te, dimittit tibi Dominus peccatum tuum. Hæc ideo scripsi, non vt te confundam, sed vt Regum exempla prouocent vt tollas peccatum de regno tuo, &c. Noli peccato tuo aliud peccatum addere.

Epist.49. ad eundem Imperatorem Theodosium. Malo igitur Imperator, bonorum mihi esse tecum quàm malorum consortium: & ideo clementiæ tuæ displicere debet sacerdotis silentium, libertas placere. Nam silentij mei periculo inuolueris, libertatis bono iuuaris, &c.

Paulò pòst. In causa Dei quem audies, si sacerdotem non audies, cuius maiore peccatur periculo? quis tibi verum audebit dicere, si sacerdos non audeat?

In 1. ad Timoth. cap.5. Synagoga & postea Ecclesia SENIORES habuit, quorum sine Consilio nihil agebatur in Ecclesia. Quod qua negligentia obsoleuerit nescio, nisi fortè Doctorum desidiâ, aut magis superbiâ, dum soli volunt aliquid videri.

In præfatione in Dauidis Psalmos. Psalmus cantatur ab Imperatoribus, iubilatur à populis, certant clamare singuli quod omnibus proficit. Domi psalmus canitur, foris recensetur, sine labore perficitur, cum voluptate seruatur: certat in Psalmo doctrina cum gratia simul. Psalmus est virtutum organum.

In Lucam libro 6. cap.9. Christus est solus quem nemo deserere debet, nemo mutare. Fides imprimis Ecclesiæ quærenda mandatur.

Paulò pòst. Si qua est Ecclesia quæ fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, deserenda est. Petra tua Christus est.

Hexaemeron lib.4. c.8. Speciosa sicut luna, Ecclesia, quæ toto mundo refulsit: & tenebras seculi huius illuminans dicit, Nox præcessit, dies autem appropinquabit. Ecclesia sicut Luna defectus habet & ortus frequentes: sed defectibus suis creuit: & his meruit ampliari dum persecutionibus minuitur & confessorum martyriis coronatur. Hæc est vera Luna quæ de fratris sui luce perpetua, lumen sibi immortalitatis & gratiæ mutuatur. Fulget enim Ecclesia non suo, sed Christi lumine: & splendorem sibi arcessit de Sole iustitiæ, vt dicat: viuo autem iam non ego: viuit autem in me Christus.

In Lucam lib 6. c.9 de Interrogatione Jesu ac responsione Simonis Petri. Magna autem Christi gratia qui omnia propè vocabula sua discipulis donauit suis. Ego sum, inquit, lux mundi: & id tamen quod ipse gloriatur, discipulis nomen indulsit dicens: vos estis lux mundi. Ego sum panis viuus: & nos omnes vnus panis sumus. Ego sum vitis vera: & tibi dicit, Plantaui te vitem fructuosam omnem veram. Petra est Christus: bibebant enim de spiritali sequenti petra? petra autem erat Christus: etiam discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit, vt & ipse sit Petrus, quòd de petra habeat soliditatem constantiæ, fidei firmitatem. Enitere ergo vt & tu petra sis. Itaque non extra te, sed intra te petram require, &c. Petra tua fides est: fundamentum Ecclesiæ, fides est. Si petra fueris, in Ecclesia eris: quia Ecclesia supra petram est.

Libro 1. de pœnitentia c 6. Non habent Petri hæreditatem qui Petri fidem non habent.

Ibid. Christus est solus quem nemo deserere debet, nemo mutare. Cui bene dicitur Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Fides igitur imprimis Ecclesiæ quærenda mandatur: in qua si Christus habitator sit, haud dubiè legenda. Sin verò populus perfidus, aut præceptor hæreticus deformet habitaculum, fugienda synagoga censetur. Si qua est Ecclesia, quæ fidem respuat, deserenda est.

Ibid. Petra tua Christus est, fundamentum Ecclesiæ fides est. Si in Petra fueris, in Ecclesia eris. Petra est Christus.

HIERONYMVS *in cap 16. Matth.* Quodcunque ligaueris &c. Istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio: vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur: Cùm apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur.

In Epist ad Euagrium. Vbicumque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Thanais eiusdem est meriti, eiusdem & Sacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterùm omnes Apostolorum successores sunt.

Ad Euagrium, Epist.85. Apostolus perspicuè do-

docet eosdem esse Presbyteros quos Episcopos,&c. At ne quis contentiose in vna Ecclesia plures Episcopos fuisse contendat, audi & aliud testimonium in quo manifestissimè comprobatur eundem esse Episcopum atque Presbyterum. Apostolus scribens ad Timotheum: Propter hoc te reliqui in Creta,&c. Et in Epistol. ad Philip. Omnibus qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconis,&c. Vis & aliud exemplum? in Actibus Apostolicis ad vnius Ecclesiæ Sacerdotes ita Paulus loquitur: Attendite vobis & cuncto gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos vt regeretis Ecclesiam Domini, &c. Sed & Petrus in prima Epistola: Presbyteros, inquit in vobis precor Compresbyter, &c. Græcè significantiùs dicitur ἐπισκοποῦντες, id est, Superintendentes: vnde& nomen Episcopi tractum est. Parua tibi videntur tantorum virorum testimonia? Clangat tuba Euangelica, filius tonitrui quem Iesus amauit plurimum, &c. Presbyter ego, &c. Quòd autem postea vnus electus est qui cæteris præponeretur in scismatis remedium factum est: ne vnusquisque ad se trahens,Christi Ecclesiam rumperet. Nam, & Alexandriæ à Marco Euangelista vsque ad Heraclam & Dionysium Episcopos Presbyteri semper vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant, &c.

In Sophoniam capite 2. tomo 6. De Ecclesia autem videtur prima fronte blasphemum,quòd coniunctio ea futura sit in via deserta & bestiæ habitent in ea, & postea ei cum insultatione dicatur: Hæc est ciuitas malis dedita,quæ habitat in spe,quæ dicebat in corde suo Ego sum, & non est præter me amplius: quomodo facta est in solitudinem pascua bestiarum? Sed qui considerauerit illud Apostolicum, in quo dicitur, In nouissimis temporibus instabunt tempora pessima, & erunt homines sui amatores, auari, &c. Nec non & hoc quod in Euangelio scriptum est Matthæ.24. Regnante Antichristo, redigenda est Ecclesia in solitudinem, &c. Infertur & dicitur, ideo Ecclesiam hæc passuram, quòd in superbiam se eleuauerit malis operibus dedita: & nihilominus futuram sibi beatitudinem repromittens,&c.

Ibid. capite 3. Non ambigimus de rugitu Leonum quando viderimus principes Ecclesiæ ita in subiectos populos detonare, & voce tyrannica plebem conterere, vt non Pastorem grege, sed Leonem inter ouiculas putes frendēte.

Paulò pòst ibidem. Nec moueat aliquem, vt sæpe iam dixi, quòd coniunctio hæc aduersum Ecclesiam dicta interpreter, cùm sciat Ierusalem in Scripturis sanctis semper typum habere Ecclesiæ. Quod autem dicitur,principes eius in ea sunt Leones rugientes: scio me offensurum esse plurimos, quod super Episcopis & Presbyteris hoc interpreter. Consideremus ordinem lectionis, & videbimus quòd dicitur non ad Iudæos sed ad Christi Ecclesiam pertinere. Quid mihi præfers vnius vrbis consuetudinem? Quid paucitatem, de qua ortum est supercilium in leges Ecclesiæ vindicas?

In caput 9. Ieremiæ Nec parentum nec maiorum error sequendus est,sed auctoritas Scripturarum,& Dei docentis imperium.

In caput 3. Epistolæ ad Galatas Hoc aduersum hæreticos qui probationem fidei suæ ex eo signum aliquod fecerint arbitrantur. Qui cùm manducauerint & biberint in nomine Domini (habent quippe & ipsi altare sacrilegum) & signa multa inuocato Saluatore fecisse se iactent in die iudicij, merebuntur audire, Non noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.

De vita Malchi. Postquam ad Christianos Principes venit Ecclesia, potentior quidem & diuitiis maior, sed virtutibus minor facta est.

In Symbolo Ruffini, tomo 4. Illa est Ecclesia sancta quæ fidem Christi integram seruat.

In Epistolam ad Galatas c.1. Dupliciter Ecclesia potest dici, & ea quæ non habet maculam aut rugam, & verè Christi est corpus:& ea quæ in Christi nomine absque plenis perfectisque virtutibus congregatur.

In Michæam lib.1.cap.1. Ecclesia Christi quæ habitat bene & in toto Orbe Spiritus vnitate coniuncta est, & habet vrbes Legis, Prophetarum & Euangelij & Apostolorum.

In cap. 16. Non egressa est è finibus suis id est,de Scripturis sanctis.

In Psal.5. Ego cupio intrare in domum tuam id est,Ecclesiam,& volo intrare per viam tuam rectam. Quæ est ista via? Lectio Scripturarum.

In Psal.133. Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate: Ecclesia ibi est, vbi fides vera est. Ecclesia autem vera illîc erat vbi vera fides erat, quum Hæretici omnes has Ecclesias possidebant.

In 5. caput Esaiæ. De Ecclesia dicere possumus, si in hæresin corruerit, iubetur exire, & pristinæ fidei ornamenta suscipere: & si fuerit suscitata, sanctitatis & pœnitentiæ præmia promittuntur.

In Nahum cap 3. In aduentu Christi & sermonis Dei & doctrinæ Ecclesiasticæ & con-

summationis Niniuæ speciosæ quondam meretricis, eleuabitur & properabit populus qui sub magistris antè fuerat consopitus & ibit ad montes Scripturarum, ibique inueniet montes. Inueniet montes Moysen, montes Prophetas, montes Noui Testamenti, Apostolos & Euangelistas. Et quum ad tales montes confugerit & in huiusmodi montium lectione fuerit versatus, si non inuenerit qui eum doceat, tunc & illius studium comprobabitur, quia confugerit ad montes.

Ad Nepotianum. Nonnulli sunt ditiores Monachi, quàm fuerant seculares: & clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolo non habuerunt, vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit ante mendicos. Negotiatorem clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. Non ornentur veste, sed moribus. Ignominia omnium Sacerdotum est, propriis studere diuitiis. O quanta apud Deum merces, si in præsenti pretium non sperarent! Diuinas Scripturas sæpius lege, imò de manibus tuis sacra lectio nunquam deponatur. Disce quod doceas, & possis exhortari in doctrina sana. Non confundant opera tua sermonem tuum: ne cùm in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc quæ dicis ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent.

Ibid. Illud etiam dico, quòd Episcopi Sacerdotes se nouerint, non dominos.

Ibid. Sermo Presbyteri Scripturarum lectione conditus sit. Nolo te declamatorem esse & rabulam garrulúmque sine ratione, sed mysteriorum peritum & Sacramentorum Dei tui eruditissimum. Verba voluere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem tui facere, indoctorum hominum est.

Ibid. Vestes, pullas æquè deuita vt candidas, ornatus, vt sordes pari modo fugiendæ sunt.

Ibid. Multi ædificant parietes, & columnas Ecclesiæ substruunt, marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur, & Ministrorum Christi nulla electio est. Neque mihi aliquis opponat, diues in Iudæa templum, mensam, lucernas, &c. Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes hostias immolabant. Hæc præcesserunt in figura. Nunc verò quum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicarit, cogitemus crucem eius, & diuitias lutum putabimus.

In Esaiam cap. 4. Ego baptizo vos in aqua, &c. Ex qua discimus, quòd homo Aquam tantùm tribuit. Deus autem Spiritum Sanctum quo sordes abluuntur, & peccata purgantur.

Tom. 5. in 1 cap. Esaiæ. Omnis doctor qui austeritatem Scripturarum, per quam potest audientes corripere, vertit ad gratiam, ita loquitur vt non corrigat, sed delectet audientes: vinum sanctarum Scripturarum violat atque corrumpit sensu suo.

In 3. cap. Presbyteri merito & sapientia eligi, non ætate.

Ibid. Et nos habemus in Ecclesia senatum nostrum, cœtum Presbyterorum.

In Lament. Hier. c 4. Propter inertiam doctorum, tenebris ignorantiæ & cæcitate errauerunt in plateis turbæ plebum.

Ibid. Boni rectores ex sua infirmitate aliorum infirmitates pensantes, magis per humilitatis & mansuetudinis lenimentum, student peccantes ab erroris laqueo eruere, quàm per austeritatem in foueam perditionis nutantes propellere. Debet rector esse bene agentibus per humilitatem socius: contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, & vt bonus in nullo se præferat: & quum prauorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratus agnoscat: quatenus & honore suppresso æqualem se subditis bene viuentibus deputet: & erga peruersos iura rectitudinis exercere non formidet: nec præesse se hominibus gaudeant, sed prodesse.

In præfat. in Ezech. Apud Hebræos, nisi quis ætatem sacerdotij ministerij, id est tricesimum annum impleuerit, nec principia Geneseos, nec Canticum canticorum, nec Ezechielis voluminis exordium & finem legere permittitur, vt non ad perfectam scientiam & mystici intellectus, plenum humanæ naturæ accedat.

In Ezech cap 43. Rasa capita habet superstitio gentilis.

CYPRIANVS *Epist 75.* Iustè indignor ad tam apertam & manifestam Stephani Episcopi Romani stultitiam: quòd qui sic de Episcopatus sui loco gloriatur, & se Successionem Petri tenere contendit.

De vnctione Chrismatis. Non solùm in Regibus & Sacerdotibus vnctionis honor permansit, sed in omnem populum Catholicum effusa est huius gratiæ plenitudo: vt sicut Christus à Chrismate dictus est, ita & participes eius quotquot sunt consortes, sint tam vnctionis quàm nominis: & dicantur à Christo Christiani.

Epist 68. Coram omni synagoga iubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instrui, & ostendit ordinationes sacerdotales non nisi sub populi

assistentis

assistentis conscientia fieri oportere, vt plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & fit ordinatio iusta & legitima quæ omnium suffragio & iudicio fuerit examinata. Nec hoc in Episcoporum tantùm & sacerdotum, sed & in Diaconorum ordinationib. obseruasse Apostolos animaduertimus. Ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem cui præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant: & Episcopus deligatur, plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè nouit.

Ibid. De fraternitatis suffragio & de Episcoporum qui in præsentia conuenerant, quíque de eo ad vos literas fecerant, iudicio, Episcopatus deferretur & manus imponeretur.

Lib. de Disciplina. Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper, ac iugiter Deo viuere, & ad promissa cœlestia & diuina præmia peruenire.

De duplici martyrio tom.3. Hîc discrucior, quòd non paucos Pastores habeat Ecclesia, qui non solùm non opponunt corpora sua aduersus luporum incursus, verumetiam ipsi lupos agunt, dum perdunt animas simplicium, ipsi ventri suo, quæstui & ambitioni seruientes: adeóque verbum Dei cauponentur & impiis dogmatibus adulterent.

BERNARDVS *in conuersione sancti Pauli, serm.1.* Heu, heu, Domine Deus! Ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum gerere.

In Cantica serm.76. Parum est nostris vigilibus quòd non seruant nos, nisi & perdant.

In Cantica serm.25. Sciant Ecclesiæ præfecti, se medicos esse, non dominos.

Epist.42. Curritur ad curas Ecclesiasticas à doctis pariter ac indoctis: quasi quisque sine curis victurus sit, quum ad curas peruenerit.

Sermone 68. super Cantica. Quid sponsa, nisi congregatio iustorum? Quid ipsa, nisi generatio quærentium Dominum, quærentium Sponsum?

Nazianzenus in Apologetico. Non tantùm requiritur vt Pastor sit alienus à vitiis, sed etiam vt virtute præcellat.

In Sententiis tetrastichis. Aut à docendi munere abstine: aut doce vitæ integritate: ne altera manu trahens, altera repellas.

In eodem Apologetico. Aduersus eos qui illotis manibus & pollutis animis res sacras tractant: qui plures sunt numero quàm ij quibus præsunt δείλαιοι τῆς δυσσεβείας καὶ ἄθλιοι τῆς κακοπραγίας.

miseri in pietate, miseri in splendore.

Ibid. Quemadmodum non eadem medicamenta, nec eadem alimenta omnibus corporibus offeruntur, eodem modo quoque, animæ diuersa ratione disciplináque curantur. Sunt qui nihil curant priuatas castigationes, publica autem emendantur reprehensione. Alios cohortatio, alios reprehensio ad officium ducit. Ecclesiæ Pastor debet viâ regiâ incedere, nec ad læuam, nec ad dexteram deflectere: vnicuique verbi mensuram dispensare.

Ibid. Apud Hebræos non licebat cuiuis ætati quosuis sacros libros legere.

In Maximum. Ad Pastoralis muneris administrationem nihil contulerunt, nisi quòd comam, quam turpiter alere studuerunt, raserunt.

Ibid. De pecuniis iam in Ecclesia bellum geritur.

Ad Cledonium, Epistol.2. Synodorum mos, mandare scriptis acta.

Oratione contra Arrianos. Petrus in Iudæa docuit: Paulus gentibus omnibus: Lucas in Achaia: Andreas in Epiro: Iohannes Ephesi: Thomas in India: Marcus in Italia.

Oratione ad Arrianos. Vbi sunt isti qui Ecclesiam multitudine definiunt, gregemque exiguum aspernantur? Hi habent vulgus, nos fidem: illi aurum & argentum; nos fidei doctrinam repurgatam: illi habent templa, nos Deum: præterea templa Dei sumus.

In Laudem Athanasii. In pietate potiùs quàm in Sede est existimanda Successio. Nam qui eandem fidei doctrinam profitetur, eiusdem quoque throni particeps est. Qui contrariam fidem amplectitur, aduersarius quoque in throno censeri debet. ἡ ὁμογνώμων, τῆς δυσσεβείας διαδοχὴ, ὁμόθρονος, successio fidei propriè successio existimanda est: pietatis successor habet eandem Sedem. ὁ δὲ ἀντίδοξος, καὶ ἀντίθρονος, qui contrariam doctrinam sequitur, contrariam habet & sedem & successionem.

In laudem Basilij. Non personarum dignitate sed fidei integritate χαρακτηρίζεται, discernitur Christianismus.

BASILIVS *Hom. vel oratione Attende teipsum.* Ecclesia Dei habet venatores, viatores, architectos, ædificatores, agricolas, pastores, athletas, milites: his omnibus dicitur πρόσεχε σεαυτῷ, Attende tibi ipsi.

Homil. vel oratione 21. de humilitate. Par esto iis quibus præes, neque principibus secularibus te conformes, ne dominium exerceas ἐν τῷ κοσμικῷ ἄρχοντας.

De Baptismo. Iis tantùm licet Ministerium capescere, qui idoneis sunt dotibus præditi, & qui illas dotes seruant.

In Asceticis Quum ex Ethnico factus esset Basilius Christianus, dicit Magnopere se miratum dissidia quæ erant in Ecclesia, de fide: & Antistitum concertationes: quia quisque relicta Domini nostri Iesu Christi doctrina, rationes ac regulas quasdam propria auctoritate sibi vindicat: Item, vidi dissidia ex eo nasci, quia nulla erat Disciplina, nulla Dei cognitio: aut peruersa erat si aliqua, & propterea quòd Mandata negligerentur.

In iisdem. Conserui Domini, debent ea tradere quæ ex Sacris literis didicerunt, integra, sine vlla alterius rei mistione.

Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum. Apostolus vnius vxoris virum admittit, siue sit Presbyter, siue Diaconus, siue Laicus vtens matrimonio citra reprehensionem.

Lib 7. Beatus Petrus quum vidisset vxorem suam duci ad mortem.

EPIPHANIVS *Contra Marcionitas, hære. 42.* Nunquam audiuimus Petrinos aut Paulinos: sed ab initio vna prædicatio omnium Apostolorum, non seipsos prædicantium, sed Christum: ideo omnes Ecclesiæ vnum indiderunt nomen, non de seipsis, sed Domini ipsorum Christiani.

Ibid. Ecclesia non est Christorum, sed Christianorum. *Sic & in Hæresin 70. De Prophetarum vita.* Singuli Ecclesiarum Episcopi habent sub se Ecclesias: & nemo super alienam mensuram extenditur.

Hæres. 61. Hæretici, qui se Apostolicos nominabant, nihil possidebant, & de inopia gloriabantur, Ecclesiam lædentes per vltroneam superstitionem.

CHRYSOSTOMVS *in Gen. Homil. 4.* Vt quum Regia edicta promulgantur adstantes silent: Ita quando verbum Dei nobis proponitur, attentos animos afferre debemus.

Hom. 15. Qui pecuniam numerat, substantiam minuit: sed qui res spirituales distribuit, & auget rem suam & alios locupletat.

Ibid. Ecclesia est quidam Dei mercatus spiritualis, medicorum officina, spiritualis schola.

In Psal. 49. ad Hebr. hom. 4. Arce profanas manus à Sacramentis: si videas fornicantem accedere.

In Psal. 115. Pastores Ecclesiæ sunt similes apibus. Nam super vernantia Scripturarum viridaria residentes, succum spiritus literæ insitum haurientes, mel fidei dulcissimum auditorum cordibus instillant.

In Matth. hom. 15. Pastores, vos estis sal terræ, non adulantes, sed instar salis mordentes.

Homil. post. Qui sacris concionibus intersunt, sunt musica instrumenta quæ Spiritus Sanctus pulsat.

Ibid. Vt fontes scaturiunt, licèt nemo inde hauriat: ita Pastores non desinunt concionari, etiamsi nemo proficiat.

Ibid. Pastori sit terminus monendi, obedientia eius qui monetur.

In Ioan. hom 52. Vt qui assidet tabernæ vnguentariæ, etiam inuitus odorem accipit: Ita qui Ecclesiam frequentat.

In Acta hom. 9 In 1. ad Timoth. hom. 5. Vt in castris non omnes seruant eundem militiæ locum: Ita in Ecclesia, alius magistri, alius discipuli locum continet.

Hom de eruditione disciplinæ. Disciplinæ eruditio custos est spei, vinculum fidei, dux viæ ad salutem.

In Matth hom 43. Vbi sunt qui negant in media ciuitate versantem, seruare virtutem & opus esse secessu?

Ibid. Non locus facit virtute præditos, sed mens & mores.

In 2. ad Thessalonicenses hom 3. Antichristus ἀντίθεος erit, iubebit se pro Deo coli & in Ecclesias collocari.

Hom 4. De Romano Imperio loquitur Apostolus, quum ait, Qui tenet in præsentia &c. Quum sublatum fuerit Imperium Romanum, vacantem Imperij principatum inuadet: & tentabit ad se rapere Dei & hominum Imperium. Regnum Romanum ab Antichristo destruetur, & ille à Christo.

Lib. 2. de Sacerdotio. Non licet omnium lapsus vi corrigere. Non vim afferre oportet, sed suadere. Non ad deteriorem modum adhibenda disciplina, ne facias scissuram.

Orat. 5. adu. Iudæos, tom 5. Praua consuetudo tantùm accusare, non mederi Sæpe peccantes non sunt publicè euulgandi.

Hom. 2. ad popul. Antiochenum Non est theatrum Ecclesia, vt ad delectationem audiamus.

Hom 4 tom. 1 de verbis Esaiæ. Esaias habuit filium, habuit igitur vxorem. Petrus habuit vxorem, Philippus habuit vxorem: vt intelligas non esse malas nuptias.

In Psal 39. Fides in Christum Petra iure dicitur: Ex ideo quum Petrus eam exposuisset, dixissétque, Tu es Christus, &c. subiecit: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.

In Psal. 83. Ecclesia dicta est Luna: quia crescit in Sanctis, decrescit in peccatoribus.

Hom 4 de verbis Esaiæ. Ecclesia radices habet fixas in cœlo. Non illud mihi spectato, quòd in terris sit sita Ecclesia: sed quòd in cœlo versatur. Quare conditum est cœlum? propter Ecclesiam.

In-

In Psal. 149. Ecclesiã est nomen conuentus & congregationis.

In Eutrop Ecclesia non paries, sed fides.

In Matthaum hom. 5. Oportet domum è templo reuertentes, sacros libros replicare.

Ibid hom. 11. Non inde discedendum est sine profectu.

Hom. 10. Quis non moueatur ad peccandum, quum videat pietatis doctores peccantes?

Hom. 38. *ibid.* Sicut stomachus accipiens cibum, eum coquit, &c. Sic & Sacerdotes accipiunt scientiam sermonis ex Scriptura & eam populo subministrant.

Hom. 43. S. Deus benignus est, vt quid eius Sacerdos est austerus? Vis apparere sanctus? circa tuam vitam esto austerus, circa alienam benignus. Audiant homines te parva mandantem: grandia facientem videant te.

Hom. 13. *in variis Matthai locis.* Omnis Christianus qui suscipit verbum Petri, fit thronus Petri, & Petrus sedet in eo. Omnes Christiani in persona Christi quasi vna sedes dicuntur.

In Iohannem hom 62. Si membra meretricis habes, abesto ab Ecclesia, ne præsentia tua sordescat.

In Acta hom. 30. Hoc subvertit Ecclesias, quòd quæratis audire sermonem qui oblectet verborum compositione, quasi cantores audientes, vt simus in admiratione, non vt doceamus: vt oblectemus, non vt compungamus, non vt mores componamus.

In 1. *ad Corinth. hom.* 7. Consuetudinis præoccupatæ maxima vis est. Animos perturbat innouare aliquid, & à consuetudine alienum facere, & maximè quum de cultu & gloria Dei agitur. Gentiles quum nullo se possunt ratione defendere, Patres, auos & proauos in suam adducunt excusationem.

In 2. *ad Cor. hom.* 4. Non solùm ad peccatorum naturam, verumetiam ad mentem habitúmque peccantium oportet moderari pœnitentiam, quod faciebat Apostolus.

Hom. 15 16. Ecclesia est domus medicinæ. Externus Princeps si adulterum arripuerit, statim punit. Hoc non est tollere affectionem, sed animam habentem vulnus. At hic Princeps satagit, non vt puniat, sed vt affectionem auferat. Tu idem facis, vt si dolens morbo capitis, non morbum quiescere facias, sed caput abscindas. Ego autem non sic, sed morbum deseco, & à sacris Mysteriis & ambitibus arceo. Vbi illum reparauero, pœnitentiâ meliorem factum, iterum recipio, & corrigo quod factũ est.

In Epist. ad Ephes. hom. 5. Nihil quod ita Ecclesiam diuellere queat, quàm ambitio præsidendi.

In 1. *ad Timoth. hom.* 10. Is qui regendos alios suscipit, tanta decet virtutis gloria excellere, vt instar Solis cæteros obscuret.

Hom. 38. *ad pop. Antioch.* Hoc euertit Ecclesias, quoniam vos non vultis audire sermonem compunctiuum, sed quæritis qui sono & verborum compositione delectare valeat, tanquam citharœdos audientes. Et nos segniter facientes sequimur vestras concupiscentias, consideramus quomodo videamur admirabiles, non quomodo mores componamus.

Hom. 40. Ne quis Ecclesiam propter multitudinem admiretur. Ne filiorum cupias inutilium multitudinem. Gentiles interrogate persecutores, quando Christianorum mores integriores, &c.

Sermone de sacerdotio. Neque immeritos solùm adlegunt, sed & idoneos ejiciunt.

Ibidem, Magna prouisione opus est, vt Ecclesiæ facultatibus neque redundent, neque rursus desint quæ indigentibus continuò dispertiantur.

Ibid. Hom 4. Quomodo is qui sic idiota erit, vt hi esse volunt, contradicentes conuincere, eorúmque ora obturare potest?

Ibidem, Sacerdotis vulnera maiori egent medicina & cura quàm populi vulnera.

De prouid. orat. 1. Propterea quotidie diuini verbi auditione fruimur, vt hac oratione quasi falce, syluescentes animi passiones præcidamus, vt fructiferæ arbores simus.

De expuls. Chrysost. hom. Non est in parietibus Ecclesia, sed in multitudine piorum, quæ dicit: Non ego propria virtute confido, habeo Scripturam Domini mei, manum ipsius teneo: illa mihi cautio, illa me intrepidum & securum reddit: etiamsi Orbis terræ commoueatur, ego cautionem Domini mei teneo, lego manum eius, ipsa mihi est murus inexpugnabilis. Manum Domini vobis recito.

De incomprehensibili Dei natura. Christus non à signis, sed à charitate suos cognosci discipulos, asserit.

In Matthaum hom 49. Ex quo obtinuit hæresis Ecclesias, nulla probatio esse potest veræ Christianæ veritatis nisi Scripturæ diuinæ.

Ibidem, Nunc nullo modo cognoscitur volentibus, cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi nisi tantummodo per Scripturas.

Ad populum homilia 26. Non videtis quòd melius est, vnum habere pretiosum lapidem, quàm multos obolos? &c. Non cernitis quòd filiorum bonitas cum paucitate, quàm filiorum multitudo cum malitia, melior est? Non cernitis quòd in regno quidem pauci, in

igitur amici ne protrahite, causam discordiæ tollere incipite quemadmodum ministros Altissimi oportet, nondum paci obnoxium te solute

Carolus Magnus, & Ludouicus Pius, Imperatores & Reges Galliæ sic alloquuntur Pastores & Rectores Ecclesiarum Dei: in libro legum Ecclesiasticarum & ciuilium cap.82. in editione Parisiensi 1588. Non sinatis noua vel non canonica aliquos ex suo sensu & non secundum Scripturas sacras fingere & prædicare populo.

Tom 2. Concil. Concilio Chalcedonensi, sub Valentiniano & Martiano Impp. ad annum 454. Interfuerunt plerique nobiles Aulici, qui vocantur iudices, interfuit & Martianus Imp. & Pulcheria Regina: adfuerunt 300. Episcopi.

*Can.*19. Prouincialis Synodus bis celebretur quotannis.

*Ex can. Apost. can.*11. Ne clerici subeant secularia iudicia.

Concilio Ilerdensi in Hispania circa annum 500. *desumptus ex can. vetust. codicis*. Ne saltetur in Christianorum nuptiis.

Concilio Aurelianensi 4. Bis aut saltem semel in anno Concilium prouinciale celebretur. Omnes Episcopi intersint.

Conc. Aurel 5. Episcopus cum consensu cleri & plebis eligendus: sine præmio.

*Conc Tolet.*4. Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus vitanda est.

Concil Tolet. conqueruntur quòd per totos 18. annos nulla Synodus habita fuerit: vnde crassa ignorantia extiterat, & Sacerdotum corruptio.

Concil Constant. 6. can. 13. Presbyteris & Diaconis honorabiles nuptiæ.

Ibidem, Alligatus vxori, ne quæras solutionem.

*Ibid. can.*18. Sacerdotes publicè doceant neque vagentur per nouas interpretationes.

Canon. 5. Apost. in primo tomo Conciliorum. Episcopus aut Presbyter aut Diaconus vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat. Si verò reiecerit, sed si perseuerauerit.

Concilium Constantinopolitanum secundum. Renouantes quæ à 150. Patribus quæ in hac regia vrbe conuentum egerunt, & sexcentorum triginta qui Chalcedone congregati fuerunt, instituta sunt: definimus vt Constantinopolis sedes parem habeat dignitatem sedi antiquioris Romæ: & in Ecclesiasticis negotiis æquè atque illa magnificetur.

Concilium Carthaginense, cui Cyprianus interfuit. Neque quisquam nostrûm Episcopum se esse Episcoporum constituit: aut tyrannico terrore ad obsequendam necessitatem collegas suos adigit.

Concilium Mileuitanum. Si Presbyteri, Diaconi & cæteri Clerici de iudicio suorum Episcoporum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos quicquid est finiant. Quòd si & ab iis prouocandum putauerint, non prouocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates prouinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communionem recipiatur.

Concilium Oecumenicum Sextum Constantinopolitanum. In nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, &c. Præsidente piissimo & Christo dilecto magno Imperatore Constantino, &c.

*Concilium Toletanum quartum. c.*24. Omne opus Sacerdotum in prædicatione & doctrina consistit.

Concilium Romanum anno 1059. Concubinarij Presbyteri excommunicentur: nemo eorum Missam audiat.

Concilium Lateranense anno 1215. Ne nimia Religionum diuersitas grauem in Ecclesia Dei confusionem inducat firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam Religionem inueniat: sed quicunque voluerint ad Religionem conuerti, vnam de approbatis assumat.

*Dist.*31. *Canone Nycena.* Nycænà Synodus volens corrigere hominum vitam in Ecclesiis commorantium, posuit leges quos Canones vocamus, in quorum tractatu videbatur aliquibus introducere legem, vt Episcopi, Diaconi, subdiaconi cum coniugibus quas ante consecrationem duxerunt, non dormirent. Surgens autem Paphnutius confessor contradixit: honorabiles confessus, nuptias & castitatem dicens esse, eum propria coniuge concubitum: suasit itaque Concilio ne talem poneret legem grauem esse: asserens causam quæ aut ipsis aut eorum coniugalibus occasio fornicationis existeret. Et hoc quidem Paphnutius licèt nuptiarum esset inexpertus exposuit: synodúsque laudauit sententiam eius; & nihil ex hac parte sanciuit: sed hoc in vniuscuiusque voluntate non necessitate permisit.

Dist 38. *In Concilio Toletano.* Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in sacerdotibus Dei euitanda est, qui docendi officium in populo Dei susceperunt. Sacerdotes legere sanctas admonentur Scripturas, Paulo Apostolo dicente, Attende lectioni & exhortationi doctrinæ, & semper permane in his. Sciant

ergo Sacerdotes Sanctas Scripturas & Canones: & omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos.

THOMAS. *In Summa p. 2.2. quæst. 43.* Scandalum est dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis. Scandalum aliud est passiuum, quod semper est peccatum. Aliud est Actiuum in eo qui scandalizat: idque vel per se, & tunc est peccatum: vel per accidens, & tunc est scandalum passiuum sine Actiuo.

Art. 7. Si de veritate Scandalum sumitur, vtilius est nasci scandalum, quàm quòd veritas relinquatur.

Ex Gregorio in Ezech. hom. 7. Itaque bona spiritualia non sunt occultanda propter scandalum pusillorum. Sed in spiritualibus bonis distinguendum est. Nam quædam sunt de necessitate salutis, quæ prætermitti non possunt, propter scandalum passiuum vitandum. In bonis autem spiritualibus, quæ non sunt de necessitate salutis distinguendum. Procedit enim aliquando scandalum ex malitia, vt Pharisæorum: aliquando ex infirmitate vel ignorantia, quæ si duret, iam videtur esse ex malitia scandalum. Quædam sunt occultanda & differenda opera, propter scandalum pusillorum.

Quæst. 100. Papa potest incurrere vitium Simoniæ, sicut & quiuis alius homo.

OPTATVS *Mileuitanus Episcopus Afer aduersus Parmenianum Donatistam libro 2.* Ecclesia vna est, cuius sanctitas de Sacramentis colligitur, non de superbia personarum ponderatur. Eam apud vos solos esse dixisti. Ergo vt in particula Africæ, in angulo paruæ regionis, apud vos esse possit: apud nos in alia parte Africæ non erit: in Hispania, in Italia, in Gallia, vbi vos non estis, non erit, si apud vos tantummodo esse vultis. In tribus Pannoniis, in Dacia, Misia, Thracia, Achaia, Macedonia & in tota Græcia, vbi vos non estis, non erit. Vt apud vos esse possit, in Ponto, Galatia, Cappadocia, &c. & in tribus Syriis, & in duabus Armeniis, & in tota Ægypto, & in Mesopotamia, vbi vos non estis, non erit, & per tot innumerabiles insulas, &c. Vbi ergo erit proprietas Catholici nominis, cùm inde dicta sit Catholica, quod sit rationabilis & vbique diffusa? Nam si sic pro voluntate vestra in angustum coarctatis Ecclesiam: si vniuersas subducitis gentes, vbi erit illud quod Filius Dei meruit? vbi erit quod libenter ei largitus est, Dabo tibi gentes hæreditatem tuam? &c. Laudandum nomen Domini & à tota terra & ab ortu Solis vsque ad occasum.

In expositione Symboli Apostolorum Ruffini Aquileiensis, inter opera Cypriani & inter opera Hieronymi. Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Remissionem peccatorum, huius carnis resurrectionem. Non dixit, *In sanctam Ecclesiam*, nec *in remissionem peccatorum*, nec *in carnis resurrectionem.* Si enim addidisset IN Præpositionem, vna eadémque vis fuisset cum superioribus. Nunc autem in illis quidem vocabulis, vbi de diuinitate fides ordinatur, *in Deum Patrem* dicitur, & *in Iesum Christum Filium eius*, & *in Spiritum Sanctum*: in cæteris verò vbi non de Diuinitate, sed de creaturis ac mysteriis sermo est, IN præpositio non additur, vt dicatur *in sanctam Ecclesiam*: sed *sanctam Ecclesiam* credendam esse, non vt in Deum, sed vt Ecclesiam Deo congregatam, & remissionem peccatorum credendam esse & resurrectionem carnis. Hac itaque præpositionis syllaba, Creator à creaturis secernitur, & diuina separantur ab humanis.

ARTI-

ARTICVLVS XI.

VLTIMVS ET SVMMVS,

Ex Articulo de Iustificatione efflorescens.

DE RESVRRECTIONE ET DE VITA ÆTERNA.

Ex Sancta Scriptura.

Daniel.12.

IN tempore illo saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro. Et multi, de his qui dormiunt in terræ puluere resurgent, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium æternum.

Iob.19. *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

Ezech.37. *Fili hominis, putásne viuent ossa ista? Et dixi, Domine Deus tu nosti. Et dixit ad me, vaticinare de ossibus istis & dices eis, ossa arida audite verbum Domini: hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis: & dabo super vos neruos & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam super vos cutem & dabo vobis spiritum & viuetis, & scietis quia ego Dominus.*

Matth.11. *Mortui resurgunt.*

Marc.12. Luc.20. *De mortuis autem quod resurgent, non legistis in libro Mosis: Ego sum Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum sed Deus viuentium.*

Ibid. *Postquam resurrexerint, erunt vt Angeli sunt.*

Marc.13. *Mittet Angelos suos & congregabit electos à quatuor ventis ab extremo terræ, vsque ad extremum cœli.*

Ioan.11. *Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Dixit ei Iesus, Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet.*

Ioan 5. *Veniet hora in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem eius: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui mala verò egerunt, in resurrectionem iudicij.*

Coloss.3. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

Act.23. *De spe & resurrectione mortuorum in iudicium vocor.*

Act 4. *Annuntiabant in Iesu resurrectionem ex mortuis.*

Act.17. *Statuit diem in quo iudicaturus est Orbem in Iustitia.*

Rom.4 25. *Resurrexit propter iustificationem nostram.*

Rom 6. *Stipendia peccati mors: gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.*

1.Cor.15. *Si Christus resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt inter vos non esse resurrectionem mortuorum. Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra. Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserrimi sumus omnium hominum. Nunc autem Christus resurrexit. Quoniam per hominem mors, & per hominem quoque resurrectio mortuorum.*

Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ vt conforme fiat corpori suo glorioso.*

1.Thess.4. *Ipse Dominus in voce Archangeli & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi,*

2.Cor.5. *Scimus quoniam si terrestris huius domus nostræ tabernaculum dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.*

Ibidem. *Probamus potiùs migrare è corpore & ad Dominum ire habitatum. Omnes enim nos comparere oportet coram tribunali Christi,*

vt vnusquisque reportet quæ in corpore fecerit, siue bonum siue malum.

Iohan.6. *Qui credit in me, habet vitam æternam*, & Iohan.17.

Tit.3. *Iustificati gratia ipsius, vt hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.*

1.Iohann.5.11. *Vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in Filio eius est.*

Et loci complures huc referendi.

Ex Veteribus.

IN *Expositione Symboli Apostolorum* RVFFINVS *Aquileiensis inter opera Cypriani atque etiam Hieronymi*. Sermo qui Resurrectionem carnis prænuntiat, summam totius perfectionis succincta breuitate concludit. Quamuis etiam de hoc à Gentilitate, sed etiam ab Hæreticis fides impugnetur Ecclesiæ. Nam Valentinus resurrectionem carnis negat & Manichæus. Sed & isti qui Esaiam Prophetam dicentem *cap 26*. quidem, Resurgent mortui & suscitabuntur ij qui in monumentis sunt, audire noluerunt, nec Danielem *cap.12*. prophetantem: Quia tunc resurgent qui sunt in terræ puluere, hi quidem in vitam æternam, hi autem inde opprobrium & confusionem æternam. Inde in Euãgeliis, quæ recipere videntur, discere debuerunt à Domino Saluatore nostro Saducæos docente dictum. Quod autem resurgant mortui non legistis quomodo dicit Moyses in rubo: Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob. *Exod.3* Deus autem non est mortuorum sed viuentium. In quo etiam quæ sit & quanta sit resurrectionis gloria, in superioribus memorauit, cùm dixit: In resurrectione mortuorum neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei. Resurrectionis ergo virtus angelicum hominibus confert statum, vt qui de terra resurrexerint, non iterum in terra, cum pecudibus, sed in cœlo, cum Angelis, viuant, quos tamen ad hoc ratio prioris vitæ admiserit: illos scilicet qui iam non carni seruiunt, sed animæ suæ: carnem castis pudicitiæ frænis in obedientia Sancti Spiritus subiugauerunt, & omni eam vitiorum labe tenuatam, & ad spiritalem gloriam sanctificationis virtute mutatam, Angelorum quoque meruerunt consortiis inferre.

Sed infideles reclamant, & dicunt, Quomodo potest caro quæ putrefacta dissoluitur, aut in puluerem vertitur, maris etiam interdum profundo sorbetur, fluctibúsque dispergitur, recolligi rursum & redintegrari in vnum, & corpus ex ea hominis reparari? Ad quos primam interim responsionem sermonibus Pauli faciamus dicentis eis, 1.*Corinth.15*. Insipiens tu, quod seminas non viuificabitur, nisi priùs moriatur: & quod seminas non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum tritici, aut alicuius cæterorum seminum: Deus dat autem corpus prout vult. Quod ergo tu in seminibus quæ tu in terram iacis, per annos singulos fieri vides, hoc in tua carne, quæ Dei lege seminatur in terra, futurum esse non credis? Cur, quæso te, tam angustus & inualidus diuinæ potentiæ æstimator es, vt dispersum vniuscuiusque carnis puluerem in suam rationem colligi & reparari posse non censeas, cùm videas quòd etiam mortale ingenium demersas in profundum terræ metallorum venas rimatur, & artificis oculus aurum videt, in quo imperitus terram putet? Nec tantùm quidem concedimus ei qui fecit hominem, quantum homo, qui ab ipso factus est, assequi potest? Et cùm auri propriam esse venam, & argenti aliam, æris quoque longè disparem, ferríque & plumbi diuersas in terra species terræ latere, mortale deprehendat ingenium, diuina virtus inuenire posse ac discernere non putabitur vniuscuiusque carnis proprium sensum, etiamsi videatur esse dispersum, &c. Vnicuique animæ non confusum aut extraneum corpus, sed suum quod habuerat, reparatur: vt consequenter possit pro agonibus præsentis vitæ cum anima sua caro vel pudica coronari, vel impudica puniri.

Et ideo satis cauta & prouida adiectione fidem Symboli Ecclesia nostra docet, quæ in eo quod à cæteris traditur, Carnis resurrectionem, vno addito pronomine tradit: Huius carnis resurrectionem.

Apostolus quòd resurgant mortuì talibus asserit argumentis, 1.Corint.15. &c. & 1.Thess. 4. &c. Verùm ne existimes hæc Pauli solius prædicatione quasi nouella signari: audi quid etiam Ezechiel Propheta olim per Spiritum prælocutus est, cap.37. &c. Et Iob.14. &c. & cap.19. &c. Hæc quidem dicta sunt ad comprobationem professionis nostræ, quã confitemur.

temur in Symbolo, huius carnis resurrectionem. Quod enim adiunctum est, HVIVS, vide quàm consonum sit omnibus his quæ de exemplis diuinorum voluminum memorabamus. Quid enim aliud indicatur in dictis Iob, quæ superiùs exposuimus, quum dicit, qui resuscitat pellem meam quæ hæc nunc haurit, id est, quæ ista tormenta perpetitur, non apertè huius carnis dicit resurrectionem futuram? huius inquam quæ tribulationum & tentationum cruciamenta nunc sustinet. Sed & Apostolus cùm dicit, Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem: nunquid non corpus suum quodammodo contingentis & palpantis est vox! Hoc ergo quod nunc corruptibile corpus est, resurrectionis gratiâ incorruptibile erit: & hunc quod nunc mortale est, immortalitatis virtutibus induetur: vt sicut Christus resurgens à mortuis iam non moritur, neque mors & vltra dominabitur: ita qui & in Christo resurgunt, nec corruptionem sentient vltrà nec mortem: non naturâ carnis abiectâ, sed conditione eius & qualitate mutatâ.

Erit ergo corpus quod resurget à mortuis incorruptibile & immortale, non solùm iustorum, sed etiam peccatorum. Iustorum quidem vt semper possint permanere cum Christo: peccatorum verò absque internecione sui, debitas luant pœnas. Quòd autem iusti semper cum Domino Christo permaneant, ostendimus, quia Apostolus dicit? Deinde nos qui viuimus, 1.Thess. 4. &c. Et Philipp. 3. Qui transformabit corpus humilitatis nostræ conforme corpori claritatis suæ, &c. Et Eph. 2. dicit: Quia coëxcitabit nos cum Christo, simúlque fecit sedere in cœlestibus.

Vnde cùm hæc & horum similia quàmplurima in repromissionibus habeat resurrectio iustorum, non erit iam difficile credere etiam illa quæ Prophetæ prædixerunt: quòd iusti fulgebunt sicut Sol &c.

Nec hoc tibi contra naturalem corporis rationem videatur esse promissum. Si enim secundùm ea quæ scripta sunt, quòd accipiens Deus limum terræ plasmauit hominem, credimus: & hæc est natura corporis nostri, vt voluntate Dei terra verteretur in carnem: quid tibi aut absurdum aut contrarium videtur si eisdem rationibus quibus lutum profecisse dicitur in corpus animale; rursum corpus animale, in corpus proficere spiritale credatur? hæc quidem atque his similia multa inuenies in Scripturis diuinis de resurrectione iustorum. Dabitur autem & peccatoribus vt suprà diximus, incorruptionis & immortalitatis ex resurrectione conditio: vt sicut Deus iustis ministrat ad perpetuitatem gloriæ: ita peccatoribus ad prolixitatem confusionis ministret & pœnæ. Sic enim Propheticum definit eloquium, vbi dicit: Et multi resurgent de terræ puluere: hi quidem in vitam æternam: hi autem in confusionem & opprobrium æternum.

Precemur vt nobis & omnibus qui audiunt hæc quæ sunt exposita in Symbolo, concedat Dominus, fide quam suscepimus custodita, cursu consummato expectare repositam coronam iustitiæ & inueniri inter eos qui resurgent in vitam æternam, liberari verò à confusione & opprobrio sempiterno: per Christum Dominum nostrum, per quem est Deo Patri omnipotenti cum Sancto Spiritu gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

BASILIVS in Esa. 4. Præsens seculum nox: futurum dies.

Epist. 42. Humana sunt vmbrâ obscuriora & somniis fallaciora.

Orat. de morte. Præsens vita nihil aliud est quàm perpetua via.

Epist. 11. *&* 21. Quidam non sunt Christiani sed Christempori. Afflictio est vt grando quæ solida corpora non frangit, sed aliis frangitur.

In Psalmum 32. Quando arrogantiùs videris aliquem magna minantem: respice continuò in Dominum, consilia gentium dissipantem.

Oratione attende tibi ipsi. [illegible] Quare vteris Cantilenis ad ciendum lamentabilem dolorem? vt vestis sit concolor lugenti, squalens coma, tenebris operta domus alens mœroris vulnus augénsque? hæc tu istis facienda permitte, quibus spes venturi seculi nulla est.

In Psal. 33. Qui dixerit, viro iusto tribulationem non conuenire, nihil aliud dicit quàm athletæ aduersarium non conuenire.

In diuites auaros. [illegible] pietas præclarum sepulchrum.

Gregorius Nazianzenus orat. de pauperum amore. Hæc mihi videtur esse causa cur nullum huiusce vitæ bonum mortalibus certum sit ac diuturnum, vt nos in his rebus quæ sursum deorsúmque iactantur, ac priusquam manu teneantur, fuga se proripiunt, earúmque incertitudinem varietatémque perspicientes ad futuræ vitæ portum contendamus.

In funere patris. Vna est vita, oculos ad vitam coniectos habere.

Ibid. Præsens hoc tempus est laboris futurum præmiorum.

In laudem fratris. Tota hæc vita nihil aliud esse debet, quàm mortis meditatio.

In carminibus. Mercatum hanc vitam existima: nam hîc sempiterna fluxis rebus permutantur. Si nundinarum tempus tibi effluxerit, nullum aliud postea es habiturus.

In Iulianum orat 2. Memores simus in tranquillitate tempestatis, in tempestate Naucleri.

Ad 150. *Episcopos.* Deus ex rebus adversis, iter secundis aperit.

In laudem Basilij. Hæc est lex Martyrij vt nos neque in periculum vltrò conjiciamus, neque in discrimen adducti, certamen detrectemus.

Orat. in Max & Episc. in Ægyptum appulsis. Hanc vim habet ærumna pro Christi nomine suscepta, vt ardentiorem amorem ingeneret & ad sequentiá certamina arrhabonis vicem præbeat.

HIERONYMVS, *in Epitaph. Nepotiani,* Gratias tibi, Christe salvator, quòd tam potentem adversarium nostrum, dum occideris, occidisti

Ibi. Sine Christo vanum omne quod viuimus.

Ibi. Inter eum qui decem vixit annos & eum qui mille, postquam idem finis vitæ aduenerit, & irrecusabilis mortis necessitas, transactum omne tantundem est, nisi quòd senex magis onustus peccatorum fasce proficiscitur.

Ibid. Quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos esse credimus. *Exempla ibid.*

Rustico monacho. Nihil Christiano felicius, cui promittitur regnum cœlorum. Nihil laboriosius, qui quotidie de vita periclitatur. Nihil fortius, qui vincit diabolum. Nihil imbecillius, qui in carne superatur.

Ad Gerontiam. Vidi vnum qui viginti sepelisset vxores, alteram quæ vicesimum secundum habuisset maritum, matrimonio copulatos. Summa omnium expectatio quis quem priùs efferret, vicit maritus & totius vrbis populo confluente, coronatus.

Ibid. De Megarensibus dicitur: ædificant quasi semper victuri: viuunt quasi altera die morituri. Vnde subrepit obliuio conditionis suæ, verùm quid ago? Fracta naui de mercibus disputo.

Ad Celantiam. Illi breui huic vitæ se totos implicent, qui æterna nesciunt.

Ad Principiam. Iuuenis potest citò mori: sed senex diu viuere non potest.

Ad Paulam. Humanæ vitæ breuitas, damnatio delictorum est.

Ad Eustochium. Stadium est hæc vita mortalibus, hic contendimus, vt alibi coronemur.

Ad Marcellam. Non pariter Christum habere velimus & seculum, sed pro breuibus & caducis æterna succedant: & quum quotidie secundùm corpus præmoriamur, in cæteris non nos perpetuos existemus, vt possimus esse perpetui.

In Ecclesiasten cap. 9. Repetit, donec viuunt homines, eos posse fieri iustos: post mortem verò nullam boni operis dari occasionem. Viuentes metu mortis possunt bona opera perpetrare: mortui verò nihil valent ad id adiicere quod semel secum tulere de vita: nec iustè possunt agere, nec peccare: nec virtutes adjicere, nec vitia.

Ad Castrutium. Magna ira est, quando peccantibus non irascitur Deus. Medicus si cessauerit curare, desperat.

Ibidem, Dominus non vindicabit bis in idipsum.

Ad Iulianum. Helias ad cœlorum regna festinans, non potest ire cum pallio, sed mundi in mundo vestimenta dimittit.

Ibid. Recepisti mala in vita tua, nunc autem hîc lætare. Nec enim vlciscetur bis Dominus in eadem re.

Ad Pammachium. Hæc est vera Resurrectionis confessio, quæ sic gloriam carni tribuit, vt non auferat veritatem Resurrectionis veritas, sine carne & ossibus, sine sanguine & membris intelligi non potest. Multò minùs est restituere quod fuerit, quàm facere quod non fuit.

Ibid. Iustum est vt qui mortificationem Christi in corpore nostro circuntulimus, vita quoque Iesu manifestetur in corpore nostro mortali, id est, in carne mortali secundùm naturam, æterna autem secundùm gratiam. Ipsum Resurrectionis vocabulum significat non aliud ruere, aliud suscitari.

In cap 26. *Esaia.* Si parua tribulatio docet & emendat & corripit, quantò magis magna, quum admonemur conditionis nostræ & Dei potentiæ recordamur.

In Ioel c. 1. Sæpe Dei prouidentia fit, vt qui non cognouerunt Deum in prosperis, cognoscant in aduersis: & qui diuitiis malè abusi sunt ad virtutes penuriâ corrigantur.

AMBROSIVS *Lib. off* 1. *cap.* 12. Non externis, sed internis bonis æstimatur felicitas *ex Iob.* 21. *Psalm.* 54. *Psalm.* 93. *Luc.* 16. *Actor.* 14. Non est gloriosa victoria, nisi vbi fuerint laboriosa certamina. Qui non subscripserint ad coro-

coronam, non tenentur ad laborem certaminis: qui in stadium non descenderint non se perfundunt oleo, non obliniunt pulvere. Quos manet gloria, expectat iniuria. Futuram, non præsentem: in cœlo, non in terra mercedem promisit esse reddendam. Quid alibi poscis, quod alibi debetur? Quid præpropere coronam exigis antequam vincas? Quid detergere pulverem, quid requiescere cupis? Quid epulari gestis antequam stadium solvatur? Adhuc populus spectat, adhuc athletæ in scammate sunt, & tu iam otium petis? Isti qui in delitiis, qui in luxuria, &c. studia posuerunt sua, spectatores magis sunt, quàm præliatores: sed exoluent nequitiæ suæ pœnam. Expecta vt veniat quod perfectum est. Famule mi, quid feci tibi, aut quid contristaui te? Nónne ego tibi salutem donaui?

Lib.2.off c 2. Scriptura diuina vitam beatam in cognitione posuit diuinitatis, & fructu bonæ operationis.

Cap.5. Vita beata non in corporis exultatione consistit, sed in altitudine sapientiæ, suauitate conscientiæ, virtutis sublimate. Non ergo beati, quorum fide Deus accipit testimonium? Messis beatę conscientiæ interpellatur aliquando aliquo acerbo dolore.

De fide Resurr. Mors quidem in natura non fuit, sed conuersa est in naturam.

Ibid Cùm omnis vitæ nostræ vsus in corporis animæque consortio sit; Resurrectio autem aut boni actus præmium habeat, aut pœnam improbi, necesse sit corpus resurgere, cuius actus expenditur. Quomodo enim in iudicium vocabitur anima sine corpore, cùm de suo & corporis contubernio ratio præstanda sit? Resurrectio omnibus attributa est. Sed ideo difficile creditur, quia non nostrum meritum, sed Dei munus est.

Ibid. Irreligiosum puto æstimare defunctos potiùs pœnæ addictos, quàm immortalitati debitos, quos dilexeris.

Ibid. Quid miraris si homines quos acceperit terra restituat, cùm seminum corpora quæcunque susceperit erigat?

Ibid. Nostram Resurrectionem, nec Christi credimus Passione? Tu non credis Deo reformari posse naturam? Si nobis Christus non resurrexit, qui sibi cur resurgeret non habebat.

De obitu Theodosii. In requie illa cognoscit mortem hanc non naturæ finem, sed culpæ.

Hexaëm lib.3.c.11. Vallata est elegantia vitæ nostræ & quibusdam sollicitudinibus obsepta, vt tristitia adiuncta sit gratiæ.

Lib.de bono mortis, c.2. Mortis tria sunt genera: vna peccati, Ezech.18. Alia mystica quando quis peccato moritur & Deo viuit. Rom.6. Tertia qua cursum vitæ huius, & munus explemus, id est, animæ corporisque secessio: bona iustis. Quid boni est in hac vita quæ non expleri potest cupiditatibus suis. Quid tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto diutius quis fuerit tanto maiore oneratur sarcina peccatorum?

Cap.4. Ne iterum finis esset naturæ, data est resurrectio mortuorum. Quid est mors nisi sepultura vitiorum, virtutum suscitatio?

Cap.8 Quandiu in salo isto, tandiu inter naufragia. Mors stipendiorum plenitudo, summa mercedis gratia missionis est. Benedictio morituri in me veniat.

Iob.29. Non est mala solutio, quia dissolvi & esse cum Christo multò meliùs.

Cap.12. Intrepidè pergamus ad Redemptorem nostrum Iesum, intrepidè ad Patriarcharum Concilium, intrepidè ad patrem nostrum Abraham, intrepidè pergamus ad illum sanctorum cœtum iustorumque conuentum. Ibimus ad illos nostræ fidei præceptores. Fides opituletur, defendat hæreditas. Sequamur te, Domine Iesu, sed vt sequamur accerse, quia sine te nullus ascendit. Suscipe nos quasi via, confirma quasi veritas, viuifica quasi vita.

De Iacob. lib.1.c.7. Operum pulchritudo beatæ vitæ interpres est. *Ibid.* Solatur se resurrectionis fide & futuræ remunerationis gratia? nec recipit ea mente mœstitiam qui adhæret Deo, & diuinæ præsentiæ voluptate lætatur. Qui contristatur his, non secundùm Deum contristatur. Quod autem non secundùm Deum, hoc plenum stultitiæ.

De fuga seculi, c 8. Fugiamus hinc. Potes animo fugere, etsi retineris corpore. Potes & hìc esse, adesse ad Dominum, si illi adhæreat anima tua, si post ipsum cogitationibus tuis ambules, si fide non specie vias eius sequaris, si ad ipsum confugias. *Ibid* Fugere hoc seculum, est abstinere à peccatis.

De Cain & Abel lib 2.cap 10. Ecce iustus Abel tollitur, parricida impius Cain longæuam duxit ætatem, vrbem condidit, &c. Nonne apertè in his vox Dei clamat: Erratis qui putatis hìc esse omnem viuendi gratiam.

De obitu Theodosii. Theodosius fauitur luce perpetua & tranquillitate, absolutus dubio certamine.

De bono mortis cap. 12. (Redemptor noster nobis dicit) Nolite timere à peccatis: nolite timere ab iniquitatibus mundi, nolite timere à fluctibus corporalium passionum. Ego sum peccatorum remissio. Nolite timere à tenebris: ego sũ lux. Nolite timere à morte, ego sum vita.

De Iacob & vita beata. Nullis periculis reuocemur à Christo qui pro nobis tam indigna suscepit.

Ibid. Aduersa corporis non imminunt vitæ beatæ munus. In delectatione corporis, vitæ beatitudo non est: sed in conscientia pura ab omni labe peccati. Habet in se remunerationem qui sequitur Iesum.

Ibid. Non iste mollis, nec de sepulchro sui corporis solicitus, qui sciat cœlum deberi suis, &c. Nouerit melius esse cum Christo, &c.

De bono mortis cap. 2. Tanquam peregrinus ad illam sanctorum communem omnium patriam festinabat Dauid, petens pro huius commorationis inquinamento sibi remitti peccata priusquam discederet de vita. Qui enim hîc non acceperit Remissionem peccatorum, illic non erit. Non erit autem, quia ad vitam æternam non potuerit peruenire: quia vita æterna Remissio peccatorum est: itaque dicit: Remitte mihi vt refrigerer priusquam eam, & ampliùs non ero. Quid igitur tantopere vitam istam desideramus, in qua quantò diutiùs quis fuerit, tanto maiore oneratur sarcina peccatorum?

Epist. de mysterio Pascha. Hæc est dies quam fecit Dominus. Quis dies nempe ille qui tribuit viuendi principium, lucis exordium; auctor luminis ipse Dominus Iesus Christus qui de semetipso ait, Ego sum dies.

CYPRIANVS *Epist.* 2. Nihil appetere, nihil desiderare de seculo potest, qui seculo maior est. Quàm stabilis, quàm inconcussa tutela est, quàm perennibus bonis affluens cœleste præsidium, implicantis mundi laqueis solvi, in lucem immortalis æternæ de terrena fæce purgari.

Epist. 8. Deus quem corripit, diligit: quando corripit, ad hoc corripit vt emendet, ad hoc emendat vt seruet.

Epist. 9. Creuit pugna, creuit & pugnantium gloria.

Epist. 54. Qui in pace militibus suis futuram prænunciat pugnam, dabit militantibus in congressione victoriam.

De mortalitate, Quid aliud in mundo quàm pugna aduersus diabolum quotidie geritur. Obsessa mens hominis & vndique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Tot persecutionibus minùs quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur: & delectat hic inter diaboli gladios diu stare? cùm magis concupiscendum sit & optandum ad Christum properare. Quæ cæcitas animi, quæve dementia est, amare pressuras & pœnas & lachrymas mundi, & non festinare potiùs ad gaudium, quod nunquam possit auferri? Hoc autem fit quia fides deest: quia nemo credit vera esse quæ promittit Deus, qui verax est, cuius sermo credentibus æternus & firmus est. Deus tecum loquitur? & tu incredula mente perfidus fluctuas? Deus de hoc mundo recedenti tibi immortalitatem pollicetur, & tu dubitas? hoc est Deum omnino non nosse, hoc est Christum credentium Dominum & magistrum peccato incredulitatis offendere.

Ibid. Nunc dimittis seruum, Domine, &c. Luc. 1. probans scilicet, atque contestans tunc esse seruis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis & securitatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte, ad immortalitatem venimus. Illa est enim nostra pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis & firma & perpetua securitas.

Ibid Philip. 1. Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Lucrum maximum computans iam seculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri.

Ibid. Quid nobis Christianis in hoc mundo non commune cum cæteris, quandiu adhuc secundùm legem primæ natiuitatis manet caro ista communis? Quoadusque istic in mundo sumus, cum genere humano carnis æqualitate coniungimur, spiritu separamur. Itaque donec corruptiuum istud induat incorruptionem, & mortale hoc accipiat immortalitatem, & Spiritus nos perducat ad Deum Patrem: quæcunque sunt carnis incommoda, sunt nobis cum humano genere communia. Quinimo si qua conditione, qua lege crediderit Christianus noscat & teneat, sciet plus sibi, quàm cæteris in seculo laborandum, cui magis sit cum diaboli impugnatione luctandum.

Ibid Ad omnia te paratum facere timor Dei & fides debet. Sic licèt rei familiaris amissio, sit de infestantibus morbis assidua membrorum & cruenta vexatio, sit de vxore, de liberis, de excedentibus charis funebris & tristis auulsio: non sint tibi scandala ista, sed prœlia: nec debilitent aut frangant Christiani fidem, sed potiùs ostendant in colluctatione virtutem: cùm contemnenda sit omnis iniuria malorum præsentium, fiduciâ futurorum bonorum, 2. Cor. 12. &c. Quando ergo infirmitas & imbecillitas & vastitas aliqua grassatur, tunc virtus nostra perficitur: tunc fides si tentata perstiterit, coronatur. Hoc denique inter nos & cæteros interest, qui Deum nesciunt, quòd illi in aduersis queruntur & murmurant: nos aduersa non auocant à virtutis & fidei veritate, sed corroborant in dolore.

Ibid. Mori planè timeat, sed qui ex aqua & spiritu

spiritu non renatus. Mori timeat, qui non Christi cruce & passione censetur.

Ibid. Quid deinde illud, fratres dilectissimi, quale est quàm pertinens, quàm necessarium, quod pestis ista & lues quæ horribilis & feralis videtur, explorat iustitiam singulorum, & mentes humani generis examinat? an propinqui cognatos piè diligant, an misereantur seruorum languentium Domini, an deprecantes ægros non deserant Medici, an feroces violentiam suam comprimant, an rapaces auaritiæ furentis insatiabilem semper ardorem vel metu mortis extinguant, an ceruicem flectant superbi, &c. Meminisse debemus voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundùm quod nos Dominus quotidie iussit orare.

Ibid. Quid oramus & petimus vt adueniat regnum cœlorum, si captiuitas terrena delectat?

Ibid. Quàm frequenter atque manifestè de Dei dignatione præceptum est, vt contestarer assiduè & publicè prædicarem, fratres nostros non esse lugendos, accersitione Dominica de seculo liberatos: cùm sciamus non eos amitti, sed præmitti, recedentes præcedere: vt proficiscentes, vt nauigantes solent, desiderari eos debere, non plangi: nec accipiendas esse hîc atras vestes, quando illi ibi indumenta alba iam sumpserint. Occasionem dandam non esse Gentilibus, vt nos meritò ac iure reprehendant, quòd quos viuere apud Deum dicimus, vt extinctos & perditos lugeamus, & fidem quam sermone & voce depromimus, cordis & pectoris testimonio non probamus. Nihil prodest verbis præferre virtutem, factis destruere veritatem. Si in Christum credimus, fidem eius verbis & promissis habeamus, 1 Thess. 4. Ioan. 11. &c. Quod morimur, ad immortalitatem morte transgredimur: nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire: non est exitus iste, sed transitus, & temporali itinere decurso ad æterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? Quis non mutari & reformari ad Christi speciem & ad cœlestis gratiæ dignitatem venire citius exoptet? Phil. 3. &c. Ioan. 17. Psal. 58. Porrò cùm mundus oderit Christianum, quid amas eum qui te odit, & non magis sequeris Christum, qui te & redemit & diligit? 1. Ioan 2. Hoc nos ostendamus esse quod credimus, vt neque charorum lugeamus excessum: & quum accersitionis propriæ dies venerit, incunctanter & libenter ad Dominum, ipso vocante, veniamus. Amplectamur diem qui assignat singulos domicilio suo: qui nos istinc ereptos, & laqueis secularibus exsolutos paradyso restituit, & regno cœlesti. Quis non pergere constitutus properaret in patriam regredi? Patriam nostram paradysum computamus parentes, Patriarchas habere iam cœpimus, quid non properamus, vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus? Magnus nos illic charorum numerus expectat. Qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi & cùm æternitate viuendi? Illic Apostolorum gloriosus chorus: illic Prophetarum exultantium numerus: illic Martyrum innumerabilis populus. Ad hos, fratres dilectissimi, auida cupiditate properemus: vt cum his citò esse, vt citò ad Christum venire contingat, optemus.

Exhort. ad Martyr. c. 10. Maior est Dominus ad te protegendum, quàm diabolus ad impugnandum.

Ibid. Nihil præferre Christo debemus. Nihil enim nobis ipse prætulit.

De mortalitate. Si fide viuis, si verè in Deum credis, cur non cum Christo futurus & de Domini pollicitatione securus quod ad Christum voceris, amplecteris? Eius est mortem timere, qui ad Christum nolit ire.

Ibid. Si in habitaculo tuo parietes nutarent, nonne omni celeritate migrares? Si timeres naufragium, nonne portum velociter peteres?

Lib. 1 *epist.* 2. Dominus qui in pace prænuntiat pugnam, dabit in congressione victoriam.

Lib. 2 *epist* 6. Qui mortem semel vicit pro nobis, semper vincit in nobis.

AVGVSTINVS *de Ciuit Dei, lib.* 1. *c.* 1. Deus solet corruptos hominum mores bellis emendare atque conterere.

Cap. 11. Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit.

Cap. 12. At enim in tanta strage cadauerum, nec sepeliri potuerunt. Neque istud pia fides nimium reformidat, tenens prædictum, nec absumentes bestias resurrecturis corporibus obfuturas, quorum capillus capitis non peribit. Multa corpora Christianorum terra non texit, sed nullum eorum quisquam à cœlo & terra separauit.

Capit. 13. Nec ideo tamen abjicienda sunt & contemnenda corpora defunctorum, maximeque fidelium. Hæc non ad adiutorium quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent: vnde & antiquorum iustorum funera, officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ & sepultura prouisa. Deo placent talia pietatis officia propter fidem resurrectionis adstruendam.

Cap. 33. Mala quæ facitis vobis imputari non vultis: mala verò quæ patimini, Christianis temporibus imputatis.

Libro 2. *capite* 3. Vulgare prouerbium: plu-

uia defecit, causa Christiani. *lib. 3. cap* 1. Mali sola deputant mala quæ non faciunt malos: magísque stomachantur si villam malam habeant, quàm si vitam.

Lib. 11. *c.* 25. Temporalibus magis vtendum est, quàm fruendum, vt frui mereamur æternis. Non sicut peruersi qui frui volunt nummo, vti autem Deo: quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. Frui dicimur ea re quæ nos non ad aliud referenda, per seipsam delectat: vti verò ea re quàm propter aliud quærimus.

Lib. 13. *cap.* 22. Spiritalia erunt corpora post resurrectionem: non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu viuificante subsistent.

Lib. 15 *cap.* 7. Boni ad hoc vtuntur mundo, vt fruantur Deo: mali autem contrà, vt fruantur Deo: mali autem contrà, vt fruantur mundo vti volunt Deo. *Confess. lib.* 10 *cap* 22. Ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te, ipsa est & non altera. *Lib. de beata vita.* Homo suo malo est cordatus. *In Psal.* 31. Iob non dixit, Dominus dedit, Diabolus abstulit, intendat ergo charitas vestra, prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum: quia nec diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat qui desuper habet potestatem, aut ad pœnam, aut ad disciplinam. Ad pœnam impijs, ad disciplinam filijs. Nullus sine flagello. *In Psal* 66. Permixta ista temporalia Deus esse voluit, quia si bonis solis ea daret, putarent & mali propter hoc colendum Deum. Rursus si ea soli malis daret, timerent boni infirmi conuerti. Si solis bonis auferrentur, idem ille timor esset infirmorum ne conuerterentur ad Deum. Rursus si solis malis auferrentur, ipsa sola pœna putaretur, qua mali plectuntur. Quòd ergo dat ea bonis, consolatur itinerantes, quòd dat ea & malis, admonet bonos vt alia desiderent, quæ non habent cum malis communia. Rursus bonis aufert ea quando vult, vt interrogent se de suis viribus, & inueniant se qui fortè latebant, vtrùm iam possint dicere, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Subtraxit dona, sed non subtraxit datorem: manet qui dedit, abstulit quod dedit, sit ergo nomen eius benedictum.

Ibid. Dedit tibi, ne extollaris: abstulit tibi, ne frangaris. Deum tenes.

Ibid. Quid ergo præcipuè iustis? Illuminet vultum suum super nos.

In Psal 79. Ista omnia dat etiam malis, se solum seruat bonis. Viuificabis nos, nam mortui eramus quando terrenis rebus inhærebamus, mortui eramus quando terreni hominis imaginem portabamus, viuificabis nos, inuocabis nos, vitam interioris hominis dabis nobis. Et nomen tuum inuocabimus, te diligemus. Tu nobis dulcis eris remissor peccatorum nostrorum, tu eris totum præmium iustificatorum. Domine Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.

In Psal 88. Tu si promissa Patris bene agnouisti, non timeas flagellari, sed exhæredari.

In Psal 94. Quò fugiturus ab illo irato, nisi ad ipsum placatum? *Ibid.* Tribulationibus consummaris, non consumeris.

In Psal. 104. Quæcunque alia bona dat Deus, referenda sunt ad gratuitum cultum eius: ipse autem cultus eius non est referendus ad alia bona quæ dat Deus.

Ibid. Nec Deum existimemus propter vitæ huius necessaria coli à cultoribus suis, quæ donat & blasphematoribus.

Epist 34. Bonus Dominus qui non tribuit sæpe quòd volumus, vt quòd malimus attribuat.

Epist 54. Nunquid quoniam isti in sua nequitia perseuerant, ideo Deus in sua patientia non perseuerat, perpauca in hoc seculo puniens, ne diuina prouidentia non esse credatur, & multa seruans vltimo examini, vt futurum iudicium commendetur?

Epist. 83. Viriliter cogites te fidelem esse Christianum & eius redemptum esse sanguine, qui non solùm æterna sapientia, sed etiam per mala præsentia, docuit nos temperanter prospera seculi huius contemnere, & fortiter aduersa tolerare, eius felicitatis mercedem pollicens, quam nemo possit à nobis auferre.

Epist. 133. Nemo debet quum præliatur infringi, qui vult post prælium coronari, vires illo subministrante certantibus qui præparat ineffabilia dona victoribus.

Serm 47. *de Tempore.* Deduc, Domine, me in via tua, & ambulabo in veritate tua: tunc ad te securus perueniam, si in finem vsque tua gratia non deserat. Ipsa charitas fructum in vobis inueniat operis, non folia laudis, Amen.

Serm. 144. *de temp.* Longam cœnam malam ferre nemo, longam vitam malam omnes habere volunt. In Christo gaudium meum.

Serm. 162. Nosse debemus, duas esse mortes, & duas esse resurrectiones. Dicitur enim mors prima, dicitur & secunda. Porrò primæ mortis duæ sunt partes. Vna qua peccatrix anima per culpam discessit à Creatore suo. Altera qua iudicante Deo, exclusa est per pœnam de corpore suo. Mors autem secunda ipsa est corporis & animæ punitio sempiterna. Venit autem Dei Filius iustus, vt moreretur pro nobis, in qua carne quia nullum potuit habere peccatum,

tum, sine reatu pertulit peccati supplicium. Secundam itaque primæ mortis partem, id est solius corporis mortem, Dei Filius pro nobis accepit, per quam à nobis & dominationem peccati & pœnam æternæ punitionis exclusit. Hoc ergo Christus in suis fidelibus misericorditer operatur, vt hîc eos primò in anima resuscitet, donans fidem vt rectè credant, tribuens charitatem vt bonis operibus libenter insistant. In nouissimo verò die ad hoc eis corpora resuscitare dignabitur, vt eis æternam beatitudinem largiatur.

Serm. 113. Quando fuero de hoc corpore liberatus, terra terræ redditur, spiritus cœlo recipitur.

Serm.17.de verbis Domini Quid est diu viuere, nisi diu torqueri? Quid est aliud diu viuere, nisi malos dies malis diebus addere? *Ibid. serm.*25. Non probat malam mortem, nisi tempus post mortem. *Serm.*54. Quà vis ire? Ego sum via. Quò vis ire? Ego sum veritas. Vbi vis permanere? Ego sum vita.

Tract.19.in Ioan. Si accedendo ad illum, illuminamini, & recedendo tenebramini, non erat in vobis lumen vestrum, sed in Deo vestro. Accedite vt resurgatis, si recesseritis moriemini. Si ergo accedendo viuitis, recedendo moriemini, non erat in vobis vita vestra. Ipsa est enim vita vestra, quæ est lux vestra. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

Ibid. Omnes sectæ quæ se aliqua religione hominibus inserere præsumpserunt, non negauerunt Resurrectionem. *Tract.49.in Ioan.* Vt instruam charitatem vestram, habent omnes animæ, quum de seculo exierint, diuersas receptiones suas, habent gaudium boni: & mali, tormenta. Recepti sunt in pace sancti Patriarchæ, Martyres & boni fideles: omnes tamen adhuc in fine recepturi sunt quod promisit Deus, promissa enim est resurrectio etiam carnis, vita æterna cum Angelis: hoc omnes simul accepturi sumus. Nam requiem quæ continuò post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque quum moritur. Priores acceperunt Patriarchæ, videte ex quo requiescunt, multò recentiores sancti Martyres, quotidie boni fideles. *Tract.*50. Habes Christum in præsenti, sed habebis semper: quia quum hinc exieris, ad illum venies qui dixit latroni: Hodie mecum eris in paradyso.

*Tract.*55. Finis perficiens, non interficiens. *Serm.*89. Sic operari Deus suis assueuit, vt vbi defecit humanum consilium, illic intercedat diuinum adiutorium.

*Serm.*254. Mundus fornax est: palea, homines mali: aurum, homines boni: ignis, tribulatio: artifex, Deus: Aurum non purgatur si palea non vratur.

*De Trinit.l.*3. Christus factus est nobis vita temporalis per humilitatem, quæ mansio nobis æterna est per diuinitatem. *Lib.*15. *c.*35. Tunc non aliquid quæremus mente ratiocinante, sed contemplante cernemus. In illa luce nulla erit quæstio. *Epist.*86. Duo sunt quæ iustorum beatitudinem sperari faciunt, Mors & Resurrectio mortuorum. In morte requies est, in Resurrectione perfecta felicitas. *De Gen. l.*2. Nihil sic homines reuocat à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.

De fide & symb. Mors animæ est apostatare à Deo.

*Conf. lib.*13. *c.*20. Humanum genus profundè curiosum, procellosè tumidum, & instabiliter fluidum. *Enchir. cap.*21. Hæc vita ita est subiecta vanitati, vt hîc approbentur falsa pro veris: respuantur vera pro falsis: teneantur incerta pro certis. *Epist.* 82. In rebus seculi, fallax est suauitas, infructuosus est labor, perpetuus timor, periculosa sublimitas, initium sine prudentia & finis cum pœnitentia *Epist.* 138. Vt qui ruinam domus vident imminere, ad loca munitiora festinantiùs migrant: ita cùm Christiani sentiunt mundi huius ruinam, debent sua bona in thesaurum cœlestem celeliter transferre.

Conf lib 10. Ipsa est beata vita gaudere ad te, de te, propter te.

*Ep.*144. Mundus iste periculosior est blandus quàm molestus. Et magis cauendus cùm se illicit diligi, quàm cùm admonet cogitque contemni.

Ibid. Quantò futura meliora, tantò violentiora præsentia. *In Psal.*102. Oportet in via laborare, vt in patria gaudeamus. *Ib.* Quod pateris, medicina est, non pœna: castigatio, non damnatio.

*Epist.*87. Huius seculi dulcedini Deus tanquam bonus Medicus miscet res aduersas &c. Res prospera, donum est consolantis: res aduersa, donum est admonentis. A Deo tribulatio beneficium est, vt fugiamus ab ira ventura, & in hac vita concordare cum sermone Dei.

Ibid. Quid non misericorditer præstatur hominibus à Deo, à quo etiam tribulatio beneficium est? *Epb.* 156. Si fallacis prosperitatis semper hîc tranquillitas arrideret, nunquam portum veræ certæque securitatis appeteret.

*Epb.*5. Nihil est infelicius felicitate peccantium. *De Gen. ad lit.l.*3.*c.*15. Ipse sibi homo in tentationibus certiùs innotescit.

*De Ciu. Dei, l.*1.*cap.*12. Non sepeliri pia fides

absumentes bestias resurrecturis corporibus obfuturas, quorum capillus non peribit.

De libero arb.lib.2. Quid petis amplius quàm vt sis beatus? &c. An verò clamant homines, beatos se esse cùm pulchra corpora amplexantur: & nos in amplexu veritatis beatos esse dubitamus? Clamant homines se beatos cum æstu, &c. ad fontem perueniunt, &c. & nos negabimus beatos esse, quum irrigamur pascimúrque veritate. Solemus audire voces clamitantium se beatos, si iaceat in rosis aliísque floribus, &c. Quid fragrantius inspiratione veritatis? & dubitamus quum nos illâ inspiramur dicere beatos? Multi beatam vitam in cantu vocum, &c. & nos quum mentibus nostris canorum & facundum silentium veritatis illabitur, aliam beatam vitam quærimus: & tam præsente & certo non fruimur? Luce auri & argenti, luce gemmarum, &c. Beati sibi videntur. Et nos in luce veritatis beatam vitam collocare metuimus?

De vera Relig c.33. Amici huius mundi tam timent ab eius amplexibus separari, vt nihil eis sit laboriosius, quàm non laborare.

Cap.38. Omnia temporalia transeuntia mundus iste concludit. Seruiunt homines cupiditati triplici, vel voluptatis vel excellentiæ, vel spectaculi. Concupiscentia carnis, voluptatis infimæ amatores significat: Concupiscentia oculorum, curiosos: Ambitio seculi, superbos.

Ibid. Inuictus homo est qui cohæret Deo. Hic vir quandiu est in hac vita vtitur amico ad rependendam gratiam: vtitur inimico ad patientiam: vtitur quibus potest ad beneficentiam: vtitur omnibus ad beneuolentiam. Et quanquam temporalia non diligat, ipse rectè vtitur temporalibus.

Sent 3:0 Liberari à corpore mortis huius, est non ad pœnam corpus recipere, sed ad gloriam.

Ep.133. Iniustum est gaudere velle cum gaudentibus: Et flere non velle cum flentibus.

De Ciu Dei. lib.13.c.12. Quam mortem est Deus comminatus primis hominibus? An animæ, an corporis, an totius hominis quæ dicitur secunda? Respondendum est, Omnes. Mors autem animæ est vbi anima priuatur Deo.

Cap.20. & lib.22. In resurrectione corpus in spiritum non conuertetur.

Ibid Melior erit status quàm primorum hominum ante peccatum. Corpus spiritale ab Apostolo dicitur, non quia corpora esse desistent: sed quia Spiritu viuificante subsistent.

De fide & Symb. Non dictum est: Surget corpus spiritale, quasi corpus vertatur in spiritum: sed in puritatem mutabitur.

De Ciu.Dei, l.19.c.7. Linguarum diuersitas hominem alienat ab homine. *Cap.4.* Quis sufficit vitæ huius miserias explicare, quam lamentatus est Cicero in Consolatione de morte filiæ sicut potuit: sed quantum est quod potuit?

Lib.21.c.14. Vita ipsa mortalium tota pœna est, quia tota tentatio est. *Lib.22.c.13.* Quicunque sunt generationis & Regenerationis capaces pertinent ad Resurrectionem, etiam abortiui: quia non eximuntur de numero mortuorum. *Cap 16.* In vita beata nec mentis, nec ipsius corporis vlla manebit infirmitas. Infantes &c. Perfectionis modum habent in ratione, non in mole. *Ibid.* Capillus capitis vestri non peribit; non de longitudine, sed numero capillorum dictum est. Sic respondendum de capillis & vnguibus in Resurrectione, deformitates auferentur omnes, &c. Domine, dilexi decorem domus tuæ. Magna enim spiritalis corporis gratia. *Capit.29.* Corporalibus oculis Deum videbunt beati: quod locis S. Scripturæ demonstratur.

Enchir.c.29. hoc promissum est Resurgentibus sanctis, quòd erunt æquales Angelis Dei.

Ibid. Quod nunc agit iustitia in subueniendo miseris; quod prudentia in præcauendis insidiis: quod fortitudo in perferendis molestiis: quod temperantia in coercendis prauis delectationibus, non ibi erit, vbi nihil omnino mali erit.

De agone Christiano. Corona victoriæ non promittitur nisi certantibus Debemus cognoscere quis sit ille aduersarius quem si vicerimus, coronabimur.

Epist.120. Iob quæ amiserat duplicata sunt restituta: vbi etiam commendata est Resurrectionis fides. Nam filij non dupli, sed totidem redditi: etiam illos quos amiserat Resurrecturos significauit.

Serm.72. Si Deus cessat tentare, cessat magister docere. Nescit se homo, nisi in tentatione discat se: quum autem didicerit, non se negligat: si negligebat se latentem, non se negligat notum sibi. *Serm.111.* Quoties aduersitates, aut hostilitates, aut siccitates, &c. veniunt, iusto Dei iudicio, nostris hoc peccatis imputare debemus. Boni gratias agunt Deo, superbi murmurant contra Deum.

Serm.156. Vbi sunt qui dicunt, Animas nouis in quibus antea non vixerunt, corporibus induendas? Ecce in Resurrectionis auctore, hoc ipsum video resurrexisse quod cecidit.

Serm.162. Resurrexit Christus, vt resurrecturum se non dubitet Christianus. Quod enim præcessit in Capite, sequetur in corpore. Duæ sunt mortes. Prima duplex: vna per culpam recedere à Creatore: altera, peccatrix anima

exclusa

exclusa de corpore suo per pœnam. Secunda mors, est corporis & animæ sempiterna punitio: malorum tantùm. Christus nos liberat ab vtraque: & resuscitat duplici resurrectione.

Serm. de sanctis 46. Libidinem superasse & mundum vicisse, pars magna martyrij est.

Serm. 250. Habet & pax nostra martyres suos: libidinem fugere &c. pars magna martyrij est.

De cura pro mortuis gerenda. Si Animæ mortuorum & partes nostri dereliquerunt nos, vt habetur psal. 26. quomodo nostris curis & rebus intersunt? Non nouerunt quid agamus quidve patiamur. Esaiæ 63. Quomodo dicimus, eis fuisse consultum, qui obierunt antequam venirent mala, si & post mortem sentiunt. Si tanti Patriarchæ ignorauerunt quid erga populum ex his procreatum gereretur: quomodo mortui viuorum actibus cognoscendis, adiuuandísque miscentur? quid est ergo quod piissimo Regi Iosue promisit Deus, quod antè esset moriturus, ne videret mala? &c. *Ora. de 5 har.* Donabit certanti victoriam, qui certandi dedit audaciam. *In Lucam Serm. 14.* Non probat malam mortem, nisi tempus post mortem. *Ibid sermon. 37.* Seculi lætitia, est impunita nequitia. Magnæ misericordiæ est, nequitiæ impunitatem non relinquere. Deus parcendo, sæuit. *Serm. 39.* Habentes præcepta & promissa quid quærimus in terra dies bonos, vbi eos inuenire non possumus? Ipsum diu viuere quid est, quàm ad finem currere? Ambulare vis & peruenire non vis. Ipsi dies non stant, tu quare cum illis vis stare? *Serm 46. tom. 10.* Seruate gradus vestros, Deus seruat honores vestros. Comparata est Resurrectio stellis. Stella enim ab stella differt in gloria, splendor dispar, &c. cœlum commune. *Serm. 46. de verb. dom.* Quid times mori? Non palieris: habebis vitam æternam. Stulti sunt qui viuunt vt perdant diem æternum. *Hom 8.* Per ista asperiora tempora, magis proficit Ecclesia. *& hom. 10.* Sine persecutoribus hic iusti viuere non possunt, etiam quando prouinciarum iudices honorant Ecclesiam: quia omnes mali persequuntur bonos, non ferro & lapidibus: sed vita & moribus. Nunquid Loth patiebatur? &c. *In Psalm. 93.* Labor iustorum, flagellum est patris. Felicitas peccatorum, fouea ipsorum est. Pericula nostra nobis faciunt dulciorem liberantem. Intrat in fornacem tribulationis vt coquatur vas, non vt frangatur.

In Psal. 94. Tribulationibus consummaris non consumeris.

De mor. Eccl. Aliud est Bene, aliud Beatè viuere.

Sermone 143. & 162. de Tempore. Propria fidès Christianorum est, Resurrectio mortuorum.

Serm. 61. Cùm complebitur spes nostra, tum complebitur iustificatio nostra.

De Genesi ad literam lib. 6. cap. 24. Renouabimur à vetustate peccati, non in pristinum corpus animale in quo fuit Adam, sed in melius, id est in corpus spirituale quum efficiemur æquales Angelis Dei, apti cœlesti habitationi. vbi escâ quæ corrumpitur non egebimus.

In Psalm. 102. Vide quis prior vicerit: vide quis te faciat etiam secundò victorem. Ego, inquit, vici seculum: gaudete. Et vnde gaudemus, si ille vicit seculum, quasi nos vicerimus. Ita planè gaudemus, quia nos vicimus. Qui in nobis victi sumus, in illo vicimus. Ergo coronat te: quia dona sua coronat non merita tua.

De verbis Apost. serm. 2. Post redemptionem ab omni corruptione quid restat nisi corona Iustitiæ.

De symbolo ad Catechumenos lib. 1. c. 6. Credimus etiam Resurrectionem carnis, quæ præcessit in Christo: vt hoc etiam speret corpus quod præcessit in capite. Caput Ecclesiæ Christus, Ecclesia corpus Christi. Caput nostrum surrexit, ascendit in cœlum: vbi caput illic & membra. *Lib. 2. c. 11.* Hæc est summa fidei nostræ quæ separat ab infidelibus.

Ibid Spiritus viuificans faciet nos sicut ipse Dominus promittere dignatus est, æquales Angelis Dei, vt viuamus in æternum cum ipsis in æterna vita, in vnam immortalitatem ac sempiternam patriam: in qua patria, vita nostra æterna ipse Christus erit, ipse est enim, Verus Deus & vita æterna.

Lib 3. cap 10 Omnis spes fidei nostræ hæc est, quoniam resuscitabimur. Omnes quidem resurgemus ait Apostolus. Resurgent boni, resurgent mali: sed boni vt sempiterna beatitudine perfruantur: mali vt perpetuo igne puniantur. Ibi discernetur fidelis ab infideli: vt accipiat fides præmium, & perfidia supplicij obtineat locum. *Enchir. ad Laurentium c. 84.* Resurrecturam carnem omnium quicunque nati sunt hominum atque nascentur, & mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet Christianus.

Sermone de tempore 143. Propria fides est Christianorum, resurrectio mortuorum. Hoc sperent membra in se, quod præcessit in capite.

TERTVLLIAN. *De resurrectione carnis* Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum: illam credentes sumus, hoc credere veritas cogit, veritatem Deus aperit. *Ibid.* Duriùs creditur resurrectio carnis, quàm vna diuinitas.

Ibid. Quædam & naturâ nota sunt, vt immortalitas animæ penes plures vt Deus noster penes omnes. Vtar & sententia Platonis & conscientia populi, &c. At cùm aiunt, Mortuum quod mortuum, & viuum dum viuis: & post mortem omnia finiuntur, etiam ipsa: tunc memento & cor vulgi cinerem deputatum & sapientiam seculi, stultitiam pronuntiatam. Hæreticus ad vulgi vitia, vel seculi ingenia confugit.

Ibid. Ethnicus à te potiùs discat carnis resurrectionem confiteri, quàm tu ab illo diffiteri. Ab Apostolo armatus es. Adeò non erit Christianus qui eam negabit.

Ibid. Duriores quoque doctrinæ, totam hominis figulationem Deo nostro cedunt. Quantus hic sit, satis nosti, qui vnicum credidisti. Incipiat iam tibi caro placere, cuius artifex tantus est. Deus finxit hominem &c. Hoc eo commendarim, vti quicquid id omnino homini à Deo prospectum atque promissum est, non soli animæ, verùm & carni scias debitum.

Ibid. Carnem iam teneo, non terram: licet & caro audiat, Terra es & in terram ibis. Origo recensetur, non substantia reuocatur.

Ibid Vniuersa per carnem subiacent animæ. Caro dum ministra & famula animæ deputatur, consors & cohæres inuenitur, si temporalium, cur non & æternorum?

Ibid. Nemo tam carnaliter viuit qui negat carnis resurrectionem: Negantes enim pœnam despiciunt & disciplinam.

Ibid. Quod congruet iudicari, hoc & competet etiam ressuscitari. Plenitudo perfectióque iudicij non nisi de totius hominis repræsentatione constat. Qualis ergo vixerit, talem iudicari, quia de eo quod vixerit habeat iudicari. Vita est enim causa iudicij. *Ibid.* Facta per carnem administrantur, iam non sufficit animam sine carne foueri siue cruciari. *Ibid.* Resurgit caro & quidem integra. In deposito est vbicumque apud Deum, per fidelissimum sequestrem Dei & hominum Iesum Christum, qui & homini Deum, & hominem Deo reddet carni: & spiritui carnem: vtrumque iam in semetipso figurauit.

Ad Martyres. Nihil interest vbi sitis in seculo, qui extra seculum estis. *Ibid.* Sudore omnia constant militibus ne corpora atque animi expauescant. De vmbra ad Solem: de tunica ad loricam. Vos quodcunque hoc durum est, ad exercitationem, virtutem animi & corporis deputare. Bonum agonem subituri estis, in quo Agonothetes Deus viuus est: Xystarches Spiritus Sanctus: corona, æternitatis brabium, Angelicæ substantiæ politia in cœlis, gloria in secula seculorum. Itaque Epistates vester Christus Iesus qui vos spiritu vnxit, & ad hoc scamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione seponere, vt vires corroborarentur in vobis. Nempe enim & athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vacent, continentur à luxuria, à cibis lætioribus, à potu iucundiore: coguntur, cruciantur, fatigantur, quantò plus in exercitationibus laborauerint, tantò plus de victoria sperant.

De fuga in persec. Quantò frequentiores imminent persecutiones tantò examinatio procuranda est, quomodo eas fides excipere debeat. Circa persecutionem dixerim, Nihil fieri sine Dei voluntate. Quis est exitus persecutionis, quis effectus alius nisi probatio & reprobatio fidei, qua suos vtique Dominus examinauit? Hæc pala illa, quæ nunc & dominicam aream purgat, Ecclesiam scilicet, confusum aceruum fidelium euentilans.

Ibid. Agnosces ad eundem Agonothetam pertinere certaminis arbitrium qui inuitat ad præmium. Totum quod agitur in persecutione, gloria Dei est probantis & reprobantis. Tunc & fides in expeditione sollicitior, & disciplinatior in Ieiuniis, & orationibus & humilitate, in alterutra diligentia (f. mutua charitate) & dilectione, in sanctitate & sobrietate. Non enim vacatur nisi Timori & Spei.

Ibid. Scire debemus quatenus nec persecutio potest sine persecutione, propter probationem fidei necessariam iniquitatem, non patrocinium præstare persecutioni, sed ministerium. Præcedere enim Dei voluntatem circa fidei probationem, quæ est ratio persecutionis. Sequi autem Diaboli iniquitatem ad instrumentum persecutionis, quæ ratio est probationis.

Ibid. Iniquitas adhibetur, vt iustitia probetur, confundens iniquitatem.

Ibid. Quum exuimur persecutionis ardore tunc probamur de fidei tenore.

Ad Scapulam. Maiora certamina, maiora sequuntur præmia.

De Anima. Reuera lues, & fames & bella & voragines ciuitatum pro remedio deputanda, tanquam tonsura insolescentis generis humani. *De spectaculis.* Delicatus es, Christiane, si & in seculo voluptatem concupiscis, immò nimium stultus, si hoc existimas voluptatem. *Ib.* Quod est aliud votum nostrum quàm quod & Apostoli, exire de seculo, & recipi apud Dominum. Iam nunc si putas delectamentis erigere spatium hoc, cui tam ingratus es, vt tot & tales voluptates à Deo contributas tibi satis

non,

non habeas, neque cognoscas? Quid enim iucundius quàm Dei Patris & Domini reconciliatio, quàm veritatis reuelatio, quàm errorum recognitio, quàm tantorum retrò criminum venia? quæ maior voluptas, quàm fastidium ipsius voluptatis, quàm seculi totius contemptus, quàm vera libertas, quàm conscientia integra, quàm quod Deo viuis?

De test. animæ. Non est timendum ab eo qui nos liberat ab omni timendo.

Lib. cōtra Idololatriam Fides famē non timet.

De pœnitentia. Quum Deus bonorum suorum & author & defensor sit, necesse est proinde vt sit acceptator & remunerator.

Ibid. Pœnitentiam malo quàm mortē, inquit Dominus. Ergo pœnitentia vita est, quum præponitur morti. Eam tu peccator mei similis, ita inuade, ita amplexare, vt naufragus tabulā: hæc te peccatorum fluctibus mersum proleuabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit.

Ibid. Pœniteat amasse quæ Deus non amat. Neque qui bonum est, idcirco auscultare debemus, sed quia Deus præcepit: prior est auctoritas imperantis, quàm vtilitas seruientis. Quid reuoluis Deus præcepit, nec præcepit tantùm, sed hortatur etiam. Inuitat iurans, cupit credi sibi. O beatos nos quorum causa Deus iurat! O miserrimos, si nec iuranti Domino credimus!

CHRYSOST. *in Gen. hom. 36.* Omnes virtutis colores in facie nostra reluceant: ita deinceps poterimus gloriam huius vitæ despicere.

Ibid. Mors iis qui bene viuunt, translatio est ad meliora; à momentanea vita ad perpetuam.

Hom. 22. Præsentia despiciēda, futura sperāda.

Hom. 28. Mentis oculi supernis radiis illustrati, omnia quæ in hac vita sunt, quasi vmbram & somnium transeunt.

Ibid. Vt qui cursum magna contentione peragit, nullum occurrentium videt, etiamsi sæpius in illum incidat: ita qui in cursu virtutis festinat, & à terra in cœlum redire desiderat, omnia quæ videntur, deorsum relinquit, transilit aspera & dura omnia.

Hom. 35. ibid. Vita præsens figura est & deceptio, & à somniis nihil differt: Ergo mens ea est puerilis quæ ad vmbras spectat, de somniis superbit & rebus fluxis alligatur.

Hom. de Adam. tom. 1. Quis non miseretur eorum qui de angustiæ vitæ disputant, & non cogitant quòd in vsura vitam acceperint, vt futuras diuitias lucrifaciant?

Hom. de Abram. Nō sic manifesta est præsens hæc vita, vt futura illa. Hanc enim videmus nostris oculis, illam videmus oculis fidei: hanc videmus in manibus nostris positam: illam videmus in manibus Dei custoditam. Inquiramus, si placet, quænam sunt illa vitæ præsentis præclara? Diuitiæ, gloria, potentia, &c. Sicut nequit videri in rota quæ continuo versatur quæ sit ima & quæ summa pars: Ita nostrarum rerum impetus dum continuo vertuntur, summa facit infima. At illa Deus promisit & pollicitus est. Deus Abraham promiserat Palæstinam, sed ille spectabat cœlum. Nos diuersa facimus. Nobis promissum est cœlum & ad terram tendimus.

In Ps. hom. 7. Non datur nobis hîc laborū remuneratio, sed sunt hîc quidem fossæ transiliēdæ: postea erunt præmia & coronæ. In tempore ergo luctæ & certaminis ne quæras quietem, & animi remissionem, nec confundas tempora.

In Psalm. 48. Anima, inquit, quæ peccat, peribit: non substantiæ ablationem, sed pœnam significans.

In Ps. 114. Ne quæras vitam omni ex parte securam: Non enim id tibi conducibile. Non erat conducibile Prophetis, multò magis tibi.

In Psalm. 123. Deus non semper homines dimittit in calamitatibus, ne deficiant: nec in quiete & rerum prosperitate, ne fiant socordiores, sed mutationibus ac vicissitudinibus eorum salutem variat.

In Ps. 141. Afflictionis natura, solet efficere contraria: Attentionem, attritionem, intensam mentem: pietatis incrementum.

In Ps. 50. Tribulatio virtutum omniū. Dauid in adversis stetit: in prosperis rebus lapsus est.

In Psalm 48. Vt agricola quum videt granum quod seminauit, corrumpi, non abjicit animum. Ita fidelis quum mortem apprehendit, non despondet animum: sed se erigit ad spem futuræ vitæ.

In Ps. 5. Vita præsens, via est multa habens diuerticula, quare dextram Dei teneamus.

In Psalm. 119. Sumus in terra hospites, in cœlo ciues.

In Ps. 48. Homo vt procella extollitur, vt puluis terræ adæquatur, vt flamma excitatur, vt fumus dissipatur, vt miles conglobatur, vt gutta imminuitur, liquescit.

In Matth. hom. 29. tom. 2. Anima quum à corpore abscesserit, non potest hîc apud nos errare, nec iustorum nec peccatorum: ex Sacra Scriptura, &c.

Hom. 35. Corpora tabescunt, fœtore corrumpuntur: ne colantur honoribus, ne simus nimis carnales: vt sciamus ea terrena: vt futuram vitam desideremus: vt animæ vis cognoscatur: ne sepulchra mortuorum frequententur: ne Idololatriæ cultus excitetur.

Hom. 43. Secundarum rerum obliuio citò irrepit, aduersarum memoria iugis est.

Hom. 2. ibid. Scimus nos morituros, nec

tamen id perfectè credimus. *Hom.77.* Pro rebus præsentibus laborare, est flammam discerpere, aërem pugnis verberare, perforato dolio aquam haurire.

Ad Hebr. hom.4. tom.4. Vt medicus citra necessitatem gustat de iis quæ ægroto propria sunt: ita Dominus mortem gustauit, vt ad mortem fidenter accedamus. *Hom.9. ibid.* Quid sunt res humanæ? cinis, puluis, fumus, vmbra, folia cadentia, flos, somnium, fabula, ventus, aër, pennā, vnda.

De bono mortis & in Psal.114. Non est mors quæ dolorem affert: sed mala conscientia. Desine peccare, & tibi erit experenda mors.

Ad pop. Antioch. hom.5. Quid est mori? vestimentum exuere. Nam corpus vestimentum est. Mors est peregrinatio ad tempus: somnus consueto longior. *Ibid.* Vt vermis ex ligno natus, lignum corrodit: ita mors ex peccato nata peccatum absumit. *Hom.6. & 47. ibid.* Non ob aliam causam præsens vita bona est, quàm quòd futuræ vitæ nobis materia efficitur, & certamina & stadium habendarum illic coronarum.

Hom 15. Vt si in montium vertice ascenderimus, infima, parua nobis esse videntur: ita postquam supra excelsam philosophiæ cognitionē ascēderis, nihil te terrenorū percellere poterit.

In Ioan. hom.2. Non rerum naturâ, sed nostra imbecillitate perturbamur.

De patientia Iob tom.1. Nunquam abest martyrij tempus, &c. Nunquid ego sum melior Hieremia, Iob? &c.

De Lazaro tomo 2. Deus occlusit fores, nec permittit defunctos huc redire, ne dæmon hinc suas technas inuehat.

In Ioan. hom 84. tomo 3. Cessa ab insana funeris impensa. Dominus nudus resurrexit. Quid sibi vult hoc inutile dispendium? ipsis qui faciunt plurimum affert detrimenti, mortuis nullam vtilitatem. Sepultura optima, vita optima. Terra optimum operimentum.

De Resurr. Qui de resurrectione bene sentit, bene de afflictionibus iudicat.

Hom 24. in Ioan. Nunc serendi tempus est: tunc messis & prouentus. Nunc igitur non colligendum, sed dispergendum. Non nunc congregemus vt messem amittamus. Tu, Christiane, delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare.

Lib de Resurr. Communis est omnibus Resurrectio, & piis & impiis, ne putes iniustum iudiciū fieri. Corpora incorruptibilia & immortalia resurgūt. *Ib.* Nisi Deus voluisset Resurrectionis ianuas aperire, non passus esset Abelē quæ passus est, pati. Demonstrat aliud seculum iustis relictum esse. *Ib.* Sufficit ad argumentorū copiam de resurrectione, sola conditoris omnipotentia. Spiritus verò Sāctus est arrhabo & fides.

In ep. ad Rom. hom.15. Somnus est hæc vita, & ea quæ in ipsa geruntur nihil quàm insomniū, nisi nos induamus Christum. *Hom.31.* Qui sermonem de gehenna & iudicio tollit nihil aliud facit quàm quod hac deceptione in eā ipsam gehennam conjicit & impellit, nec illā sermonib. extinguit. Inquire Græcos, Iudæos hæreticos: Omnes veluti vno ore respondebunt, & iudiciū & retributionem fore. hoc Dæmones fatentur.

In 1. ad Cor hom.41. Eadem erit corporis substantia: vt spica, &c. & non eadem, quia melior & noua resurget.

In 1. cap ep ad Galat. Quid ais miser & infelix? Num hæc vita mala in qua Deum agnouimus: in qua de vita beata philosophamur? &c.

In ep ad Phil. hom.6. Permittit Deus afflictiones vt vel erudiat, vel pœnam sumat, vel illustriores nos faciat.

In ep. ad Coloss hom.1. Nidus est hæc vita, ex festucis & luto cōpactus. *hom.3.* Nihil sanctius ea lingua quæ Deo gratias in afflictionib. agit.

In 1. ad Thess hom.7. Quid facilius, an ex eo quod non est, producere aliquid vt sit? An ea quæ corrupta sunt denuò restituere? *Hom 8* Est Resurrectio virtutis diuinæ opus quum telluri mandabit vt depositum reddat.

In 2. ad Thess. hom.2. Imbecillam fidem & charitatem, afflictiones loco dimouent: robustam verò robustiorem faciunt.

In ep. ad Hebr. Non credit resurrectionem qui lamentatur, &c.

Ad pop. Ant hom 4. Non tentationum natura, sed tentationum segnities, ruinas efficere solet. Aurifex donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit: Sic & Deus non abducit hanc nubem, donec nos penitus emendauerit. *Hom 49.* Si non est iudicium, Deus non est iustus. *Hom 50.* Omnes gentiles & poëtæ & hæretici omnes, in hoc conueniunt de iudicio futuro, &c. *Hom 66.* Tribulatio fastum contrahit, ad patientiam vrgit, vilitatem rerum humanarum reuelat, multam introducit sapientiam. Quod est ignis auro, hoc animis est tribulatio. Ne curramus ad eam, nisi pietas vocet: tunc eam ne recusemus. *Hom ib.69.* Gentiles dicunt, fer generosè: infectum reddi non potest. Nos dicimus: fer generosè, quia resurget: quiescit, non periit. Quomodo gentilem de immortalitate alloquemur, si plus quàm ille formidemus mortem.

De prouid. lib.2. Ostensa pœnitentia, superflua est pœna.

De prouid lib.1. Illud dixerim: Indignum esse quærere, cur boni in pressuris: mali contrà, cœlesti

cœlesti iam reuelato regno,&c. Deus nostra omnia non vno modo disponit. Quod tu diuinæ derelictionis signum putas, id imprimis summi affectus & amoris certum argumentum est. *Lib* 2. Dæmon est qui mœrorem monet. Mœror potiùs, vires Dæmoni administrat. Bonum certamen certaui (inquit Apostolus) ostendens, vitam omnem in certaminibus & laboribus nobis esse agendam. Vide Abelem, Noachum, Dauidem, Abrahamum, &c. Mœroris tempus est, quum aliquid male operamur. Non in illarum rerum euentu perturbatio est: sed in nobis, atque in animis nostris. Qui sibi bene constituti sunt, quamuis sexcentæ oriantur tempestates, in tranquillo requiescimus.

Orat. de tolerantia in adversis. Propria imbecillitate succumbimus. Spectasti filium immaturè ereptum, dicito: Dominus dedit: Dominus abstulit. Vidisti rem tuam imminutam: illud in ore habeto: Nudus exiui, nudus decedam. Si improbis, videris rem bene succedere, dices: Bestia factus sum apud te, &c. *Psal.* 73. verùm ego semper tecum. Meretricem appello vitam hanc quæ in affluentia & delitiis transigitur. *De pœnit. hom.* 5. Permittit Deus nos tribulari, neque continuò ad liberationem accedit: Vtrunque de summo amore nobis facit, quò semper ei assistamus, semper ad eum refugiamus eum imploremus, &c. Ne cum seruis stultis murmuremus: in omnibus gratias agamus: & vnum solum malū putemus, in eum peccare.

Adv. Iud orat. 5 Famuli ferunt dominos filij parentes punientes. Tu verò Deum non sustines te corripientē, qui plus habet in te iuris, qui plus te diligit, qui omnia fecit in tuam vtilitatem.

Gregorius magnus in Moralibus lib. 14 *cap.* 30. Habemus ergo spem Resurrectionis nostræ considerata gloria capitis nostri. Sed nequis vel cogitatione tacita forsitan dicat, quòd idcircò ille resurrexit à mortuis, quia vnus idémque Deus & homo mortem quam ex humanitate pertulit, ex diuinitate superauit: nos verò qui puri homines sumus, à mortis damnatione surgere non possumus: rectè in resurrectionis eius tempore, etiam multorum sanctorum corpora resurrexerunt, vt & in se nobis exemplū ostenderet & de aliorum qui nobis per puram humanitatem similes fuerunt, nos resurrectione roboraret: quatenus cùm se homo desperaret percipere quod in se ostenderat Deus homo: hoc in se fieri posse præsumeret, quod in ipsis factum cognosceret, quos puros fuisse homines non dubitaret. Sunt verò nonnulli qui considerantes quòd spiritus à carne soluitur: quòd caro in putredinem vertitur, quòd putredo in puluerem redigitur, quòd pulvis ita in elementa soluitur, vt nequaquam ab humanis oculis videatur: resurrectionem fieri posse desperent: & dum arida ossa respiciunt, hæc vestiri carnibus, rursúmque ad vitam viridescere posse diffidant. Qui si resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certè hanc tenere ex hac ratione debuerant. Quod enim quotidie nisi Resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur? per quotidiana quippe momenta, lux ipsa temporalis quasi moriens dum superuenientibus noctis tenebris, ea quæ aspiciebatur, subtrahitur & quasi quotidie resurgit. Per momenta quoque temporum cernimus arbusta viriditatem foliorum amittere, à fructuum prolatione cessare: & ecce subitò quasi ex arescenti ligno velut quadam resurrectione veniente videmus folia erumpere, fructum grandescere & totam arborem rediuiuo decore vestiri. Indesinenter cernimus parua arborum semina terræ humoribus commendari, ex quibus non longè post aspicimus magna arbusta surgere, folia pomáque proferre, &c. Quid ergo mirum si tenuissimum puluerem vel à nostris oculis in elementis redactum, cùm vult Deus in hominem reformat, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbusta redintegrat? &c. Dicat igitur beatus Iob: Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.

Cap. 31. Sed ecce resurrectionem audio, effectum tamen eiusdem resurrectionis exquiro. Credo namque quia resurrecturus sum, sed volo vt audiam qualis. Scire quippe mihi est, vtrùm in quodā alio, subtili fortasse, vel aëreo, an in eo quo moriar corpore resurgam. Sed si in aëreo corpore insurrexero, iam ego non ero qui resurgo. Nam quomodo est vera resurrectio, si vera non poterit esse caro? Aperta ergo ratio suggerit: quia si vera caro non fuerit, procul dubio resurrectio vera non erit. Nec enim resurrectio rectè dici potest, vbi non resurgit quod cecidit. Sed has nobis, beatè Iob, dubietatis nebulas tolle: quia per acceptam Sancti Spiritus gratiam de spe nobis loqui nostræ resurrectionis cœpisti: aperiè indica, si caro nostra veraciter resurgat. Sequitur, & rursum circundabor pelle mea. Dum apertè pellis dicitur, omnis dubitatio veræ resurrectionis aufertur. Quia sicut Eutichius.

Eutyches, Constantinopolitanæ vrbis Episcopus scripsit, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, ventis aëréque subtilius. In illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritalis potentiæ: sed palpabile per veritatem naturæ. Vnde etiam Redemptor noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis,

ostendit manus & latus, palpanda ossa carnemque præbuit, dicens, Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere, &c. Mihi obiecit dicens, Cùm scriptum sit, Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, 1. Cor. 15. qua ratione credendum est resurgere veraciter carnem? Cui inquam, in sacro eloquio aliter caro dicitur iuxta naturam, atque aliter iuxta culpam. Carnem vult secundum culpam intelligi, non carnem secundùm naturam ostendit, subdens, Neque corruptio incorruptelam possidebit. In illa ergo cœlestis regni gloria, caro secundùm naturam erit, sed secundùm passionum desideria non erit, quia deuicto mortis aculeo, in æterna corruptione regnabit.

Cap. 33. Nos autem beati Iob fidem sequentes & Redemptoris nostri post resurrectionem corpus palpabile veraciter credentes, fatemur, carnem nostram post resurrectionem futuram, & eandem diuersam, eandem per naturam, diuersam per gloriam: eandem per veritatem, eandem per potentiam. Erit itaque spiritalis quia & incorruptibilis. Erit & palpabilis, quia non amittet essentiam veracis naturæ.

Ruffinus ad Macarium inter opera Hieronymi tomo 4. Nos sicut nobis traditum est à sanctis patribus retinemus, quòd sancta Trinitas coæterna sit & vnius naturæ vniusque virtutis & substantiæ, & quòd filius Dei in nouissimo tempore homo factus est & pro peccatis nostris passus est & in ea ipsa carne in qua passus est resurrexit à mortuis: propter quod & resurrectionis spem humano generi tribuit. Carnis verò resurrectionem non per aliquas præstigias, sicut nonnulli calumniantur, dicimus: sed hanc ipsam carnem in qua nunc viuimus, resurrecturam credimus, non aliam pro alia, nec corpus aliud quàm huius carnis dicimus. Siue ergo corpus resurrecturum dicimus, secundùm Apostolum dicimus, hoc enim nomine vsus est ille: siue carnem dicimus, secundùm traditionem Symboli confitemur. Stulta enim adinuentio calumniæ est, Corpus humanum aliud putare esse quàm Carnem. Siue ergo Caro secundùm communem fidem siue corpus secundùm Apostolum dicitur quod resurget.

Ruffinus ad Hieronym. Sic teneo quod Pater & Filius & Spiritus Sanctus vnius Deitatis sunt, vnius substantiæ, coæterna, inseparabilis, incorporea, inuisibilis, incomprehensibilis Trinitas & sibi soli vt est ad perfectum nota; quia nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius: & Spiritus Sanctus est qui scrutatur etiam alta Dei. Trinitas in personarum distinctione, vnitas in veritate substantiæ: & quòd vnigenitus Filius Dei per quem à principio omnia quæ sunt, facta sunt, siue visibilia, siue inuisibilia, in nouissimis diebus carne humana suscepta, homo factus est & passus est pro salute nostra: & tertio die suscitata illa ipsa carne quæ posita fuerat in sepulchro resurrexit à mortuis: & cum ipsa eadem carne glorificata ascendit ad cœlos, vnde & expectatur venturus ad iudicium viuorum & mortuorum. Sed & simili modo nobis quoque spem resurrectionis dedit: vt eodem ordine, eadem consequentia pari eademque forma, qua ipse Dominus resurrexit, nos quoque resurrecturos esse credamus, non nubes aut auras tenues, vt calumniantur: sed hæc ipsa in quibus nunc vel viuimus vel morimur nostra corpora recepturi. Nam quomodo verum erit quòd resurrectionem carnis credimus, nisi in ea verè & integrè carnis huius natura seruetur? Absque vllis ergo præstigiis veræ & integræ carnis huius nostræ in qua nunc sumus, resurrectionem fatemur.

Ibid. Cùm omnes Ecclesiæ ita sacramentum Symboli tradant, vt postquam dixerint peccatorum Remissionem, addant carnis resurrectionem, sancta Aquileiensis Ecclesia Dei Spiritu futuras aduersum nos calumnias prævidente, vbi tradit carnis resurrectionem, addit vnius pronominis syllabam & pro eo quod cæteri dicunt, carnis resurrectionem, nos dicimus, HVIVS carnis resurrectionem.

Irenæus l. 4. c. 37. Vita hominis, visio Dei.

Bernardus in Ps. 90. Dicit fides, Parata sunt magna bona fidelibus: dicit spes, mihi illa seruantur: dicit charitas, Curro ad ea.

FINIS.

ORTHODOXI CONSENSVS

Articulus primus.

De REGVLA ET MENSVRA FIDEI, *nempe* DE VERBO DEI SCRIPTO, *cui se* ECCLESIA *verè* CHRISTIANA *ita subjicit, vt non ex humanis Traditionibus, sed ex eo insolidum omnes fidei Articulos ad salutem necessarios depromat, & controuersias de Religione decîdat.*

CAPVT PRIMVM.

VERBI DEI DE SACRA SCRIPTVRA TESTIMONIA.

Matth.15. vers.3.

QVare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram. Et vers.6. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*

Et vers.9. *Sine causa me colunt, docentes doctrinas mandata hominum.*

Marc.7.7. *In vanum me colunt, docentes doctrinas pracepta hominum Relinquentes enim mandatum Dei, tenetu traditiones hominum. Irritum facitis praceptum Dei, vt traditionem vestram seruetis.*

Matth.22.29. *Erratis nescientes Scripturas.*

Ioan.5.34. *Ego ab homine testimonium non accipio*

1.Ioan.5.9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.*

Esaiæ 40. *Populus iste labiis suis glorificat me, cor autem eius longè est à me: & timuerunt me mandato & doctrinis hominum.*

Ieremiæ 23 *Voluerunt facere vt obliuiscatur populus meus nominis mei. Nunquid mea verba sunt vt ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?*

Matth.26.54. *Quomodo implerentur Scripturæ*

Luc.16. *Habent Mosen & Prophetas, audiant illos.*

Et vers.31. *Si Mosen & Prophetas non audiunt neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.*

Ioan.5.39. *Scrutamini Scripturas.* Act.17.11. Laudantur qui Scripturas quotidie scrutabantur.

Ioan.20.31. *Hæc scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum Filium Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.*

Ioan.10.3.27. *Oues meæ meam vocem audiunt: alienum autem non sequuntur.*

Ioan.8.31. *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem.*

Ioan.4.42. *Iam non credimus propter sermonem tuum. Ipsi enim audiuimus, & scimus hunc esse seruatorem mundi.*

Ioan.2.22. *Crediderunt Scripturæ.*

Act.24.14. *Credo omnibus quæ in lege & Prophetis scripta sunt.*

Rom.10.17. *Fides est ex auditu: auditus autem per verbum Dei.*

Rom.15.4 *Quæ antè scripta fuerunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem Scripturarum, spem habeamus.*

1.Cor.4.6. *In nobis discatis, suprà id quòd scriptum est, non sapere.* ἐν ἡμῖν μάθητε, τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν.

Ephes 6.17. *Gladium Spiritus accipite, quod est verbum Dei*

Coloss 2.8. *Videte ne quis vos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem, secundum Traditionem hominum.*

2 Tim 3. *Tota Scriptura est diuinitus inspirata, vt perfectus sit homo Dei. Sacræ literæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Iesu*

2.Pet.3.2. *Hasce literas scribo vobis, vt memores sitis doctrinæ Prophetarum & nostræ.*

Leuitic.18.4. *Facietis iudicia mea, & præcepta mea seruabitis, & ambulabitis in eis.*

Rom.1.2. *Deus promiserat Euangelium per Prophetas suos in Scripturis sanctis.*

1.Ioan.cap.1. v.4. *Hæc scribimus vobis vt gaudium vestrum sit plenum.* Et cap.2. *Hæc scribo vobis ne peccetis.*

Quoties aliquid in Nouo Testamento probatur; legimus, *scriptum est, vt scriptum est.*

Apoc.22.18. *Si quis apposuerit ad hæc apponet Deus super illum plagas scriptas in libro illo. Et si quis diminuerit auferet Deus partem eius de libro vitæ.*

Christus Dominus refellit Satanam ex S.Scriptura; Matth.4. Et Pharisæos, Ioan.5 46. &c. Apostoli ex S.Scriptura suam doctrinam confirmant, Act.24.14. & 10.43. & Act.13.47.& 17.12. & 26.6.22.

2 Pet.1.19. *Habemus firmissimum propheticum sermonem, cui rectè facitis quòd attendatis velut lucernæ lucenti in caliginoso loco.*

Exod.24. Deut.31. *Omnia verba huius Legis scripta sunt in hoc libro.*

Deut.6.& 12. *Id quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino Deo tuo: nec addas quicquam, nec minuas.*

Deut.4. & 12. *Nihil addatis verbo quod ego præcipio vobis, nihil detrahatis.*

Iosue 23. & 2.Reg.23. *Estote sollicitì, vt custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine Legis.*

Iosue 1.8. *Non recedat liber Legis iste ab ore tuo, sed meditetis in eo die ac nocte: vt obserues facere omnia quæ scripta sunt in eo. Tunc diriges viam tuam.*

Oseæ 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te.*

Hebr.4.12. *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrantior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus.*

Rom.1.16. *Euangelium virtus Dei est in salutem omni credenti. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem.*

Matth.15.3. *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* versu 6. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*

Psalm.12. & 19. *Eloquia Domini argentum excoctum. Lex Domini integra est conuertens animam, sapientiam præstans paruulis,* 2.Sam. 22.31.

Psal.119. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine.*

Prou.30 5. *Ne addas verbis eius, ne te redarguat, & mendacij conuincaris. Sermo Dei est ignitus, est clypeus sperantibus in se.*

Esa.8. *Ad legem & ad testimonium. Quòd si non dixerint iuxta verbum hoc, nihil habent lucis.*

Ierem.7.4. *Ne glorientur in verbis mendacibus, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini.*

Ezech.20.18. *Ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate. In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec iudicia eorum custodiatis, nec in idolis eorum polluamini.*

2.Tim.4.3. *Erit tempus quùm sanam doctrinam non sustinebunt. Et à veritate auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.*

Oseæ 8.12. *Scripsi ijs authentica legis meæ, sed illi tanquam aliena repudiarunt.*

1.Petr.3.15. *Estote semper parati ad respondendum cuilibet petenti rationem eius spei quæ in vobis est, cum lenitate & reuerentia, conscientiam habentes bonam.*

Exod. 13. *Lex Domini sit semper in ore tuo.*

Luc.10.26. *In lege quid scriptum est? quomodo legis?*

Ioan.10.35. *Non potest solui Scriptura.*

1.Petr.1.23. *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui & permanentis in æternum. Verbum Domini manet in æternum.*

2.Corinth.4.3. *Si obscurum est Euangelium nostrum, ijs qui pereunt obscurum est,* vel, *opertum.*

Matth.23.9. *Patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim pater vester qui in cœlis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus.*

CAPVT

CAPVT II.

Doctrina Veterum Christianæ Ecclesiæ Doctorum de S.Scriptura, & de eius genuina interpretatione, cui se vera Christi Ecclesia omnino subijcit. Ex quibus intelligitur quænam & penes quos sit vera Religio, & vera salutis doctrina: ac proinde penes quos sit Orthodoxa siue Catholica Ecclesia, & quænam sit regula doctrinæ.

IRENÆVS *Lib.3.c.1.adversus hæreses* Per Apostolos Euangelium peruenit ad nos, quod quidem tunc præconiauerunt, postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.

Ibid cap.11. Columna & firmamentum Ecclesiæ est Euangelium.

Ibid. Ex ipsis Scripturis ostenditur iam non esse id quod ab Apostolis traditum est veritatis Euangelium.

Lib.2 cap 46. Vniuersæ Scripturæ & Propheticæ & Euangelicæ in aperto & sine ambiguitate, & similiter ab omnibus audiri possunt.

Ibid. Ex manifestis Scripturæ locis, non ex parabolis argumentandum.

Ibid Demonstrauimus ex Scripturarum dictionibus.

Ibid. cap.47. Rectissimè scientes, quia Scripturæ perfectæ sint, quippe à verbo Dei & Spiritu eius dictæ

Lib.3.c.2. Quum hæretici arguuntur ex Scripturis, in accusationem conuertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non sint ex authoritate, & quia non possit ex his inueniri veritas ab his qui nesciunt traditionem.

Lib.3.c.12. Quoniam Pauli omnes epistolæ consonant, ex ipsis epistolis ostendimus apto in loco exponentes Apostolum: nobis autem conlaborantibus his ostensionibus quæ ex Scripturis sunt, & tu intende eis, hoc intelligens: quoniam Ostensiones quæ sunt in Scripturis, non possunt ostendi nisi ex ipsis Scripturis.

Lib.2.c.46. Omnis Scriptura à Deo nobis data inuenietur consonans: quæ manifestè dicta sunt consonabunt: & manifestè dicta absoluent parabolas, *c.67.* Scripturæ sacræ multò manifestiùs & clariùs hoc prædicant.

Lib 4 cap.63. Secundum Scripturas expositio legitima & sine periculo.

Ibid.c.43.44. Ab omnibus absistere oportet qui absistunt à principali successione. Adhærere verò his qui Apostolorum doctrinam custodiunt.

Lib.5. Apponenti vel auferenti de Scriptura, pœna non modica.

ATHANASIVS *contra idololatriam*, Sufficiunt per se sacræ & diuinitus inspiratæ Scripturæ ad omnem veritatis indicationem.

Epist. ad Iouin. Vera & pia in Christum fides ex Sacris literis liquet & cognoscitur.

Contra Ari.or.2. Ecce nos, ex Sacris literis iam fidenter loquimur de religiosa & pia fide, & quasi candelam super candelabrum collocantes hæc pronuntiamus

Ibid. Lapidandi sunt hæretici Sacrarum literarum argumentis.

De interp.Psal. Diuina Scriptura est magistra virtutis & veræ fidei.

Oratione 1. contra Arianos. Quomodo cognoscent Dominum qui non antè de eo Scripturas consuluerunt, & scrutati sunt? Quotquot sunt hæreses, nihil habent in suis figmentis constituendis quod commune sit cum S. Scriptura: imò longè dissentiunt à sacra Scriptura.

Ibid. Diuina Scriptura cæteris omnibus instructior est. Ideo iis consilium dederim, siqui velint plura cognoscere, vt sacra eloquia audiant.

Ad Serapionem. Solùm ex sacris literis condiscas. Sufficiunt enim quæ in illis reperias documenta.

De Incarn. Christi. Si discipuli estis Euangeliorum, per Scripturas incedite. Quòd si diuersa à Scripturis fabulari vultis, cur nobiscum concertatis, qui nec loqui nec audire sustinemus, quod extraneum sit ab illis, dicente Domino; Si manseritis in meo sermone, mei discipuli eritis? Quæ est igitur ista vestræ immodestiæ vecordia, vt loquamini quæ scripta non sunt?

Ad Epictetum epist. Ego arbitrabar, omnium hæreticorum garrulitatem Nicæno concilio sedatam esse. Nam fides quæ inibi à Patribus secundùm sacras Scripturas tradita, & Confessionibus confirmata est, satis mihi idonea efficaxque videbatur ad omnem impietatem euertendam, & pietatem eius quæ in Christo est fidei constituendam.

Epist de sent.Dionysij. Licet hanc vocem Homoousiou, consubstantialitatis, non inuenerim

in Sacris literis; rem tamen ipſam ibi deprehendi.

Ad Serapi. Ego ſecundùm Apoſtolicam à prioribus acceptam fidem iſta tradidi, nihil prorſus aliunde adjiciens: ſed ſicuti didiceram ea ſcripſi quæ cum ſacris Scripturis congruerent. Id enim conſonum eſt cum illis quæ ex Sanctis literis demonſtrata fuere ad confirmationem, neque forinſecus quippiam accerſitum eſt.

Epiſt. de Syn. Arimin. Fruſtra circumcurſantes prætexunt ſe ob fidem Synodos poſtulare: quum ſit diuina Scriptura omnibus potentior.

De Incarn. Aut negate diuinas Scripturas, aut eas agnoſcentes, ne diuerſa ab iis quæ ſcripta ſunt in animum inducatis loqui verba inſanabilis impoſturæ.

In Synopſi. Libri Canonici, fidei noſtræ anchora & ſuſtentacula.

NAZIANZENVS *Ad Nemeſium*, S. Scriptura externè purpurea eſt, internè eximio candore pellucida. Quis te cogit vt ad diuinitatis purum fontem pergens, cœno immoreris? Sic enim fiet, vt dum luto adhæteſcis, limpidiſſima aqua interim dilabatur.

De rebus ſuis carm. Sacrata volumina Spiritus S. ſculpſit, fulgorem diffundens: illius S. Scripturæ vtilitatem ſoli poſſunt cernere, quorum mentis oculi ſunt benè purgati.

BASILIVS *Hexaem. hom.* 8. Sacræ Scripturæ verba, ſi vtcunque legantur aut perfunctoriè, ſyllabæ tantùm quædam videntur eſſe, & eædem perexiguæ. Sed quum verborum ſententiæ perueſtigantur, tunc quantanam ſit ſapientia Creatoris perſpicitur.

De vera fide, Fidelis miniſtri hoc eſt proprium, vt quæ à benigno Domino in conſeruos ſuos diſtribuenda acceperit, hæc ipſis integra & nullius rei alterius admiſtione adulterata cuſtodiat. Quocirca ego quoque quæ ex diuinis literis accepi, hæc ad communem vtilitatem exponere vobis teneor neceſſariò.

Ibid. In nominibus & verbis vſurpandis parcus eſſem, quæ vt voce ipſa cum diuinis literis non conuenirent, eundem tamen qui in ea haberetur, ſenſum tenerent.

Ibid. Quòd ſi fidelis eſt Dominus, fideliáque ſunt eius mandata omnia, confirmata in ſeculum ſeculi, facta in veritate & æquitate: haud dubiè manifeſtiſſimum hoc infidelitatis argumentum fuerit, & ſignum ſuperbiæ certiſſimum, ſiquis eorum quæ ſcripta ſunt aliquid velit rejicere, aut eorum quæ non ſcripta introducere, quum Dominus noſter Ieſus Chriſtus dixerit: Oues meæ vocem meam audiunt: alienorum vocem non ſequentur. Apoſtolus ſumpto ex hominibus exemplo vehementiſſimè interdicit, ne quid eorum quæ in diuinis literis habentur, dematur, aut, quod abſit, addatur. Sic enim eſt apud illum: Tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit aut ſuperordinat. Quamobrem nos omnem à Dominica doctrina alienam & vocem & ſententiam fugiamus.

In regulis breuioribus 45. Excuſationem non habent de peccato ſuo: quum ſanctæ literæ omnibus vbique Dei voluntatem prædicare non ceſſent.

Ibidem regula 95. Quæ ad vſum pertinentia ſunt, ea vt vnuſquiſque ex diuinis literis ediſcat & rectum & neceſſarium eſt; tum ad maiorem expletionem animi in pietate, tum etiam vt, NE HVMANIS CONSTITVTIONIBVS aſſueſiat.

In moralibus regula 26 Quicquid dicimus vel facimus, id teſtimonio diuinarum literarum confirmari debet ad confirmationem fidei bonorum, & confuſionem malorum: τῇ μαρτυρίᾳ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς, εἰς πληροφορίαν τῶν ἀγαθῶν, ἐντροπὴν δὲ τῶν πονηρῶν.

Regula 80. *cap.* 21. Quid proprium fidelis? Vt cum eiuſmodi certa animi expletione credat quæ dicta ſunt in Scriptura, nihílque rejiciat, aut nouum ſtatuere audeat. Etenim ſi omne quod ex fide non eſt, peccatum eſt, vt ait Apoſtolus: fides autem ex auditu, auditus autem per verbum Dei, ſine dubio quum quicquid extra diuinam Scripturam eſt, ex fide non ſit, id peccatum eſt.

Epiſt 79. *Euſtathio Medico* 81. Stemus arbitratu inſpiratæ à Deo Scripturæ: & apud quos inueniuntur dogmata diuinis oraculis conſona, illis omnino adiudicetur veritatis ſententia, ὁ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφή· καὶ παρ' οἷς ἂν εὑρεθῇ τὰ δόγματα συνῳδὰ τοῖς θείοις λόγοις, ἐπὶ τούτοις ἥξει πάντως ἡ ἀληθείας ἡ ψῆφος. Non eſt æquum vt quæ apud ipſos obtinuit conſuetudo, pro lege ac canone habeatur rectæ doctrinæ.

In orat. Eth. Omnia Dei mandata ſcripta ſunt, & obſeruanda.

Hom. 19. Vetus & Nouum Teſtamentum theſaurus Eccleſiæ.

In Eſaiam cap. 2. Omnis operatio quæ efficitur præter rectitudinem Scripturæ, apud Deum execrabilis eſt abominatio.

In 2. *caput Eſaiæ*, Qui præter ſenſum diuinæ Scripturæ corraſit ſermones minime ſanos, eóſque approbauit & excepit, talis genuit filios Allophylos, id eſt, alienigenas.

In cap. 8. *Eſaiæ*, Fides diuinis nititur Scripturis.

Orat. adverſus Caluum. His quæ ſunt ſcripta crede: quæ non ſcripta ſunt ne quære.

Contra

Contra Eunomium. Non in sono aëris, sed in verborum significatione pietas est.

In Asceticis 267. τὰ ἀμφίβολα καὶ ἐπικεκαλυμμένως εἰρῆσθαι δοκοῦντα ἔν τισι τόποις τῆς θεοπνεύστου γραφῆς, ὑπὸ τῶν ἐν ἄλλοις τόποις ὁμολογουμένων σαφηνίζεται, id est, Quæ ambiguè & quæ obscurè videntur dici in quibusdam locis sacræ Scripturæ, ab iis quæ in aliis locis aperta ac perspicua sunt explicantur.

In Psal. 1. ἡ γραφὴ θεόπνευστος, sacra Scriptura diuinitus inspirata, propter hoc fuit à S. Spiritu conscripta, vt tanquam ἐν κοινῷ τῶν ψυχῶν ἰατρείῳ, in communi medendarum animarum officina, omnes homines remedium & medelam, ἴαμα, suis morbis desumant: Omni ex parte ἀπαξαπλῶς κοινὸν ταμιεῖον ἐστὶν ἀγαθῶν διδαγμάτων, est commune ærarium bonæ doctrinæ omnibus propositum.

CHRYSOSTOMVS *Hom. de Lazaro*, Scripturarum ignoratio, hæreses peperit, vitam corruptam inuexit, omnia sursum deorsum miscuit. Etiamsi mortuus reuiuiscat, etiamsi è cœlo Angelus descendat, maximè omnium credendum est Scripturis. Barathrum est Scripturarum ignoratio. Ne quæramus hæc audire à mortuis, quæ multò nos clariùs docent Sacræ literæ.

In Ioan. hom. 58. *tom.* 3. Meritò ostium Scripturas appellat, quoniam nos ad Deum ducunt & eius cognitionem, hæreticos arcent, nec nos aberrare sinunt. Per hoc ostium & oues & pastores ingrediuntur. Qui S. Scriptura non vtitur, sed aliunde ascendit, is fur est: non concessa via ascendit: est signum Antichristi.

Ibi. hom. 65. Si Scripturis attendissetis, & quotidie in his acutiores euasissetis, non sanè admonerem, vt bellum aduersus Marcionitas detrectetis. Quum verò Scripturis vti nesciatis, congressum vereor, ne ipsi occurrentes inermibus vos saucient.

Ad pop. Antioch. hom. 50. Quid igitur accipis Baptismum, si Scripturis fidem non habes? si Christo non credis?

In Matth. hom. 22. *tom.* 1. Mysteria sacræ Scripturæ non cognoscunt peruersa corda, in quibus non requiescit Spiritus veritatis.

Ibid. hom. 43. Sacra Scriptura dicitur regnum cœlorum quia in illis insertum est regnum cœlorum: ianua eorum, intellectus earum.

Hom 44. Non abscondita est veritas in Scriptura, sed obscura iis qui eam quærere nolunt.

Hom. 2. *in Genesin tom* 1. Sed quid si non credat Scripturæ? Tu ipsum auerseris, velut furibundum & mente captum.

Hom. 12. *ibid.* Dominus sciens ad labendum nostram procliuitatem, medicamina in sacrarum Scripturarum lectione reliquit.

Hom. 13. *ibid.* Sacra Scriputa seipsam exponit, & neminem errare sinit.

Oro igitur & obsecro vt ad amussim canonem sacræ Scripturæ sequamur.

In Ioan. Hom. 16. *tomo* 3. Hoc omnium malorum est causa, quod multi nesciant Scripturarum testimonia in opportunis rebus adducere. Absurdum est quod omnes generatim opifices quisque pro suæ artis professione pugnet: Christianus autem non possit suæ Religionis afferre rationem.

In Epist. ad Galat. hom. 1. *tom.* 4. Etiam Angelis præponit Scripturas. Nam Angeli sunt serui. Sed Scripturæ, non à seruis, sed à Domino Deo ipso venerunt ad nos.

Ibid. Christus declarat se velle vt plus fidei habeatur Scripturæ quàm si mortui reuiuiscant.

In Matthæum homilia 2. Hoc illud est quod omnia quasi vna peste corrumpit, quòd lectionem sacrarum Scripturarum ad solos Monachos putatis pertinere.

In 1. *ad The. hom* 7. Diuinis vsi Scripturis, nauis instar, vela fidei in sublime extendamus. Si in istis nauigauerimus, aderit etiam nobis gubernator filius Dei. Si verò cogitationibus humanis innatabimus, non item. Cui namque natantium quisquam affuerit gubernator? Per sacram anchoram liberemus nos, vbi est nauis & gubernator.

In 2. *ad Cor. ho.* 13. Quomodo pro rebus amplioribus aliorum sententiam simpliciter sequi non absurdum? Quum habeamus omnium exactissimam trutinam & gnomonem ac regulam, diuinarum, inquam, legum assertionem. Ideo obsecro & oro omnes vos, vt relinquatis quid huic vel illi videatur, & de his à Scripturis hæc omnia inquirite.

In Psal. 5. Heres tabulas Testamenti libenter habet præ manibus, & legit: sic nos sacram Scripturam.

In Psal. 95. Si quid dicitur absque Scriptura, claudicat auditorum cogitatio.

In Psalm. 142. Scripturæ sunt rudentes quibus extrahimur ex lacu peccati, illis voluntas nostra alliganda est.

In Psal 147. Arma & commeatus eius belli quod est inter nos & diabolum, sunt Scripturarum auditio.

In Psal. 48. Scriptura non tantum sapientem doctorem quærit, sed etiam intelligentem auditorem.

In Esa. cap. 2. Quod lumen est oculo, id est lex Dei menti nostræ.

In Acta hom 23. Scriptura etiam docet non quærere. Nullus enim quæstionum finis.

In procem. in epist. ad Rom. Exorta sunt mala

ab ipsarum Scripturarum ignoratione. hinc multa heresεon lues pullulauit : hinc vitæ in multis neglectus : hinc inutiles labores. Nam vt qui lucis huius vsura non fruuntur, rectà ingredi non possunt: ita qui ad Scripturarum diuinarum radios, oculos non intendunt, necessariò in multos errores incidunt, perinde ac si in tenebris periculosissimis ambularent.

De Sacerd. lib. 4. Scripta Pauli instar muri adamantini circumuallauit omnes Ecclesias.

In Ep. ad Hebr. hom. 5. Si aduerteremus ad Scripturas, non solum non incideremus in fallaciam, sed alios etiam liberaremus. Christus suscepit eas : Apostoli eas dissemínauerunt per omnes.

Hom. 1. in Matth. tomo 2. Quia progrediente tempore multi impegerunt, scripta sunt quæ Spiritus sanctus dictauit. Vide quanti sit criminis non per istud auxilium velle proficere. Euangelia omni facilitate nobis donata sunt. Deum non putamus offendi, quando ad alia conuertimur?

In 2. ad Tim. hom 9. Omnis Scriptura, sacra scilicet, ad docendum, siquid vel discere vel ignorare opus sit.

Homilia 9. in Epistolam ad Colossenses. Audite obsecro, seculares homines : Comparate vobis Biblia, animæ pharmaca. *Homilia 1. in Iohannem.* Syri, Ægyptij, Indi, Persæ, Æthiopes & aliæ innumeræ gentes habent sacram scripturam in suam linguam translatam.

In 1. ad Thess. c. 2. hom. 3. tomo 4. Omnia clara sunt & plana ex Scripturis diuinis, quæcunque necessaria sunt, manifesta sunt. Sed ignoro, inquis, quæ in diuinis Scripturis posita sunt. Nonne Hebraicè, nonne Græcè dicuntur, Latinè & alio idiomate? At obscurè, inquis. Quænam est illa obscuritas, dic quæso? Nosti quæ clara sunt, quæ de obscuris rogas?

In Acta hom. 29. Hæc omnia scripta sunt ad nostram admonitionem, inquit Apostolus *Rom. 15.* Si igitur ad nostram admonitionem, de omnibus disserit. Quid frustrà nos ipsos decipimus? Timeo & de vobis dicat quis, *Psal. 77.* Defecerunt in vanitate dies nostri.

Hom. 8. ad Hebr. Manichæi & omnes hæreses decipiunt simplices. Sed si habuerimus sensus animæ exercitatos, poterimus discernere. Quomodo autem fiunt sensus nostri exercitati? Ex vsu Scripturarum & ex frequenti auditione.

Hom. 23. in Matth. Clauis est verbum scientiæ Scripturarum per quam aperitur hominibus ianua veritatis.

Hom. 10. in Ioh. Curæ sit vobis legere domi Euangelicas lectiones. Inopia in his comparandis non impedit iis quæ ad aliquam artem requiruntur. Ἀνομοίων oratione I. ἐκ τῶν θείων γραφῶν θεολογοῦμεν, κἂν θέλωσιν οἱ ἐχθροί, κἂν μή. Ex diuinis Scripturis theologiam tractamus, siue velint, siue nolint hostes.

In Epistolam ad Coloss. homilia 9. Quicunque vxori præestis & liberis, vobis quoque maximè mandat legere Scripturas & non leuiter, sed magno studio.

Ibid. Nouum certè testamentum vobis parate. Hocque est omnium malorum causa, nescire Scripturas.

Hom. 49. in Matth. Ex quo hæresis impia, quæ est exercitus Antichristi, obtinebit Ecclesias, nulla probatio potest esse vera Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud volentium cognoscere veritatem fidei, nisi Scripturæ diuinæ. Antea multis modis ostendebatur quæ esset Ecclesia Christi, & quæ gentilitas : nunc autem nullo modo cognoscitur volentibus cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas. Volens quis cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscat in tantæ confusionis similitudine, nisi tantummodo per Scripturas? Nunc Signorum operatio omnino leuata est : magis autem apud eos inuenitur qui falsi sunt Christiani, fieri ficta. Qui ergo vult cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas? Sciens ergo Dominus tantam confusionem rerum nouissimis diebus esse futuram, ideo mandat, vt Christiani qui sunt in Christianitate, volentes accipere firmitatem fidei veræ, ad nullam rem fugiant, nisi ad Scripturas. Alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur, & peribunt, non intelligentes quæ sit vera Ecclesia. Et per hoc incident in abominationem desolationis quæ stat in sanctis Ecclesiæ locis.

In Acta hom. 33. tom. 3. Impossibile est aliquid bonum fieri, quin simul etiam pullulet malum. Si nullus foret deceptor, non esset feruidus veritatis amator. Deus per illorum malitiam benefacit nobis : sicut qui ad martyrium trahunt, vel nolentes martyribus prosunt. Gentilis dicit, Vellem fieri Christianus, sed nescio cui adhæream : multæ sunt inter vos pugnæ, nescio quod dogma eligam. Singuli dicunt, Ego verum dico : cui credam nescio, quum vtrinque Scripturas prætexant. Responde illi, Hoc multum pro nobis. Nam si diceremus nos rationibus credere, meritò turbareris : sed quum Scripturas accipimus, & illæ sint simplices ac veræ, facilè tibi fuerit iudicare. Siquis illis consentit, Christianus est : siquis contra illas pugnat, procul est ab hoc canone.

Lib. de Spiritu S. tom. 3. Siquis eorum qui dicuntur

dicuntur habere Spiritum sanctum, dicat aliquid à seipso & non ex Euangeliis, non credite. Si quis sequitur dicta Christi, Spiritum sanctum habet. Ex quo non legit hæc scripta, sed à seipso loquitur: manifestum est quòd non habet Spiritum sanctum. Spiritus S. impleuit Euangelica. Vel nega Christum, vel expunge Scripturas, vel seruus Scripturarum obedi Scripturis.

Ambrosivs *lib. de paradiso, cap. 12. tom. 4.* Nihil, vel cautionis gratia, adiungere nos debemus mandato. Nihil vel quod bonum videtur, addendum. Addendo de proprio, semiplenum Dei intellexit esse mandatum. Docet nos igitur præsentis series lectionis, neque detrahere aliquid debere divinis mandatis, neque addere.

In Psal. 118. serm. 2. Qui exercetur in verbis Apostolorum Iesu, Domini mandata cognoscit.

Exhort. ad virgines, tomo 1. Quærite Christum in Scripturis diuinis, ibi Christus inuenitur.

Libro 1. de Fide ad Gratianum Augustum, cap. 4. Nolo argumento credas, sancte Imperator, & nostræ disputationi. Scripturas interrogemus, Apostolos interrogemus, item Prophetas, interrogemus Christum. Quid multa? Patrem interrogemus, cuius honori studere se dicunt.

Serm 8. Ad illum doctorem Propheta contendit qui solus est magister verus. Quomodo enim potest homo quasi verum docere quod nesciat: quum ipse sit mendax?

De vocat. Gentium lib. 2. cap. 3. tom. 2. Sanctis Scripturis non loquentibus, quis loquetur?

De pœnit. lib. 1. cap 4 tom. 1. Deus non alienis assertionibus, sed suis æstimandus est vocibus.

Epist. 31 lib. 5. tom. 3. Erubescat senectus quæ emendare se non potest. Nullus pudor est ad meliora transire. Cœli mysterium doceat me Deus ipse, non homo qui seipsum ignorauit.

De Spiritu S lib 1. cap 2 tom. 2. Pietatis vnitas est bene credere: etiam vnitas impietatis est malè credere.

Lib. 2. de Spiritu S. cap 6. Quod si quis de Latinorum codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falsauerunt, Græcos inspiciat codices, & aduertat quia scriptum est ab Apostolo. *De Incarn. cap 8.* Ita inuenimus in Græcis codicibus, quorum potior est auctoritas.

In Psal 118 serm. 8. Multa obscuritas in Scripturis, sed si manu mentis tuæ Scripturarum ianuam pulses, paulatim incipies colligere rationem dictorum: & aperietur tibi non ab alio, sed à Dei verbo: quia solus Dominus Iesus in Euangelio suo mysteria legis reuelauit.

Ibid. serm. 14. Pascitur oculus noster interior lucernæ spiritalis lumine quæ nobis in hac mundi nocte prælucet, ne sicut in tenebris ambulantes, incertis titubemus vestigiis, & veram viam inuenire nequeamus. Intelligibilis enim pedum gressus, intelligibilis & lucerna, quia verbum Dei lucerna est.

In 1. Cor. cap. 12. Oportuit miracula fieri inter initia, vt fundamenta fidei acciperent firmitatem. Nunc autem non opus est, quia populus populum adducit ad fidem; cùm videntur eorum bona opera & Prædicatio simplex.

Hieronymvs *in Mich. lib. 1. capit. 1. tomo 6.* Ecclesia Christi quæ habitat bene, & in toto orbe Ecclesias possidens, spiritus vnitate coniucta est: & habet vrbes legis, Prophetarum, Euangelij & Apostolorum: non est egressa de finibus suis, id est, de Scripturis sanctis.

In Psal. 98. tom. 8. Omne quod loquimur, debemus affirmare de Scripturis sanctis.

In proœm. Esa. tom. 5. Qui nescit Scripturas, nescit Dei virtutem, eiúsque sapientiam. Ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est. Vnde & rationum tuarum, fultus auxilio, diebus ac noctibus in lege Dei meditaris, & templum es Spiritus sancti.

In Eccles. c. 3. tom. 7. Verus cibus & potus, qui ex verbo Dei sumitur, scientia Scripturarum est.

In Matth. cap. 21. tom. 9. Aliquoties dixi, regnum Dei Scripturas sanctas intelligi, quas Dominus abstulit à Iudæis, & nobis tradidit, vt faciamus fructus earum. Ista est vinea quæ traditur agricolis & vinitoribus, in qua qui operati non fuerint, nomen tantùm habentes Scripturarum, fructus vineæ perdituri sunt.

In Matth. c. 22. Propterea errant, quia Scripturas nesciunt: & quia Scripturas ignorant, consequenter nesciunt virtutem Dei, hoc est Christum, qui est Dei virtus & Dei sapientia.

Ad Lætam tom. 1. Discat primò Psalterium, his se Canticis auocet: & in Prouerbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In Ecclesiaste consuescat quæ mundi sunt calcare. In Iob virtutis & patientiæ exempla sectetur. Ad Euangelia transeat, nunquam ea depositura de manibus. Apostolorum Acta & epistolas tota cordis imbibat voluntate. Quumque pectoris sui cellarium his opibus locupletauerit, mandet memoriæ Prophetas, Pentateuchum & Regum & Paralipomenon libros, Esdræ quoque & Ester volumina. Ad vltimum sine periculo discat Canticum Canticorum. Caueat omnia Apocrypha. Et si quando ea, non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reuerentiam legere voluerit, sciat non eorum esse quorum titulis prænotantur, múltaque his admixta vitiosa, &

grandis esse prudentiæ aurum in luto quærere.

Aduersus Heluidium. Vt hæc quæ scripta sunt, non negamus: ita ea quæ non sunt scripta reiicimus.

De Alphabeto Hebraico tom.3. Quæ alia potest esse vita sine scientia Scripturarum per quam & ipse Christus agnoscitur.

Ibid. Omni luce manifestum est, ex Scripturis æterna subsidia ministrari.

In Genesin. Scripturæ sunt diuitiæ Christi.

Ad Demetriadem tomo 1. Ama Scripturas sanctas, & amabit te sapientia.

Ad Paulinum. Totum hoc quod legimus in diuinis libris, nitet quidem & fulget etiam in cortice; sed dulcius in medulla est.

Ad Theophilum. Aliter habeo Apostolos, aliter reliquos tractatores. Illos semper vera dicere; istos in quibusdam vt homines errare.

Aduersus Pelagianos tomo 2. Illud nobis sanctarum Scripturarum testimoniis asserendum est, in quibus quotidie credentibus loquitur Deus.

In Zachariam cap. 9. Nihil ita percutit vt exemplum de Scripturis sanctis.

In Psalm. 86. Scriptura omnibus populis legitur, vt omnes intelligant, sicut scripserunt Apostoli, sic & ipse Dominus per Euangelia sua locutus est, non vt pauci intelligerent, sed vt omnes.

In Oseam cap.7. lib.3. Omnes hæreticorum & gentilium quæstiones eædem sunt: non Scripturarum autoritatem, sed humanæ rationis sensum sequuntur.

In Zachariam cap.14. Vt faciat Dominus sibi flagellum de Scripturarum testimoniis, & eiiciat de templo vendentes & ementes.

In Aggeum cap.1.tom.6. Congrua de testimoniis Scripturarum ligna quærentes ædificemus domum sapientiæ in nobis.

Ibid. Quæ absque authoritate & testimoniis Scripturarum quasi APOSTOLICA TRADITIONE sponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei.

In Matth. c.23.24. tom.9. lib.4. Hoc quia de Scripturis sanctis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

In Symbolo tom.4. Non dixit *in sanctam Ecclesiam Catholicam*: non addidit præpositionem *In*: Sed dicit: *sanctam Ecclesiam credendam esse*, vt Ecclesiam Deo congregatam: hac præpositionis syllaba Creator à creaturis secernitur.

Ibid. Illa est Ecclesia sancta quæ fidem Christi integram seruat.

Ad Hebraicam linguam tanquam ad fontem reuertendum in veteri Testamento. *Epist. Ad Suniam, & ad Damasum tomo 3.* Et in nouo Testamento, ad Græcam originem reuertendum. *Præfat. in 4. Euangelia tomo 3. & in 8 cap. Zach.*

Ad Lucinium tomo 1. Vt veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est: Ita nouorum Græci sermonis formam desiderat.

In Psal.5. Ego cupio intrare in domum tuam, id est Ecclesiam, & volo intrare per viam tuam rectam. Quæ est ista via? Lectio Scripturarum. Dirige viam meam, ne in Scripturis tuis, per quas ingredi cupio in Ecclesiam tuam, corruam. Omnis qui malè intelligit Scripturas, in via Dei corruit.

In Micheam cap.7. tomo 6. Hæretici cùm antè crediderint in Scripturis, quæ à Spiritu sancto conscriptæ sunt & editæ, transferunt se ad mandata hominum & fermentum Pharisæorum: dumque sermonem Dei contemnunt, socrui suæ Spiritui S. faciunt iniuriam.

In Esaia cap.8. Si vultis nosse quæ dubia sunt, vos magis Legi & testimoniis Scripturarum tradite. Quòd si noluerit vestra congregatio verbum Domini quærere, non habebit lucem veritatis, sed versabitur in erroris tenebris. Hoc scire debetis, quod vnaquæque gens consulat Deos proprios, & de viuorum salute mortuos sciscitetur. Vobis autem legem dedit Deus. Respondete Pharisæis: Non mirum est, si vos vestras traditiones sequamini, quum vnaquæque gens sua consulat idola. Nobis Deus legem dedit & testimonia Scripturarum, quæ si sequi nolueritis, caligo vos opprimet, quæ transibit per vestram doctrinam, vt quum decepti à vobis se in errore perspexerint, vobis maledicant, quos quasi Deos suos & Reges putabant: & frustra ad cœlum terramque respiciant, quum semper in tenebris sint & non possint de vestris auolare insidiis.

In Ierem cap.22.23. Dominus abjectis principibus Ecclesiæ, qui non dignè regunt oues; & iis damnatis, saluetur populus aliis traditus qui digni extiterint.

Contra Iouin. Vbicunque Scripturas non interpretor, sed liberè de meo sensu loquor, arguat me quilibet.

In Epist. ad Ephesios lib.3. cap.4. Omni studio legendæ sunt nobis Scripturæ, vt probati trapezitæ sciamus, qui nummus probus sit, quis adulter.

Ad Heluidium tomo 2. Ne in aliquo cauilleris, & te quasi lubricus anguis euoluas, Testimoniorum es stringendus vinculis: ne dicas te magis argumentationibus tortuosis, quàm veritate Scripturarum, superatum.

Ad Damasum. In disputationibus imitor Scripturarum simplicitatem.

In Symb. Ruffini, Peruersi homines ad assertionem dogmatum suorum, sub virorum sanctorum nomine, interseruerunt ea quæ illi nunquam scripserunt. Nonnulli H.beras nænias libris authenticis præferunt.

In Psal.86. tomo 8. Dominus noster atque Saluator narrabit: & quomodo narrabit? Non verbo, sed Scriptura. In cuius Scriptura? In Scriptura principum. Et quorum principum? Qui fuerunt in ea: non dixit hoc, qui sunt in ea. Videte ergo quomodo Scriptura sancta sacramentis plena est. Legimus Apostolum Paulum, legimus Petrum, & legimus illum dicentem: An experimentum eius quæritis qui in me loquitur Christus? & quod Paulus loquitur, loquitur Christus: Qui enim vos recipit, me recipit. Dominus ergo noster narrat nobis, & loquitur in scripturis principum suorum. Dominus narrabit in scripturis populorum, in Scripturis sanctis. Quæ Scriptura populis omnibus legitur: vt omnes intelligant. Quod dicit hoc est: Sicut scripserunt Apostoli, sic & ipse Dominus: hoc est per sua Euangelia loquutus est, vt non pauci intelligerent, sed vt omnes. Isti verò principes Ecclesiæ & principes Christi, non scripserunt paucis, sed vniuerso populo: & Principum, hoc est, Apostolorum & Euangelistarum, horum qui fuerunt in ea. Videte quid dicat: Qui fuerunt, non qui sunt: vt, exceptis Apostolis, quodcunque aliud postea dicetur, abscindatur: non habent postea auctoritatem. Quamuis ergo sanctus sit aliquis post Apostolos, quamuis disertus sit, non habet auctoritatem. Quoniam Dominus narrat in Scriptura populorum, & principum horum qui fuerunt in ea. Propheta loquitur ad Ecclesiam. Ecclesia Christi non est alia, nisi anima credentium in Christum. Vos (inquit) estis templum Dei & spiritus Dei habitat in vobis. Fundamentum Ecclesiæ in montibus sanctis: hoc est, Dei fundamenta non sunt, nisi in dogmatibus animæ credentis. Ciuitas Dei non est vnum ædificium, sed in multis ædificiis consistit.

Ibid. Dominus per Euangelium suum loquutus est: non vt pauci intelligerent, sed vt omnes.

In Psal.98. Omne quod loquimur, debemus affirmare de Scripturis sanctis.

In Matthæum cap.23. tom.9. Væ vobis miseris ad quos Pharisæorum vitia transierunt. Pharisæorum traditio condemnatur. Opinio sanitatis captabat gloriam: & per occasionem gloriæ quærebat lucra: sic alia Traditionis inuenta stropha, impietatis arguit præceptores. Hæc contra præceptum Dei, quæ magna sunt deuoramus atque negligimus: & opinionem religionis in paruis, quæ lucrum habent, diligentiam demonstramus.

In epist. ad Gal. cap.1. In verbis Scripturarum non est Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis.

Præfat. in 4. Euangelia. Tot sunt exemplaria Latina sacræ Scripturæ quot codices. Si veritas est quærenda, cur non ad Græcam originem reuertentes ea quæ malè ab interpretibus reddita, vel addita, vel mutata, corrigimus?

Avgvstinvs *libro de Vnitate Ecclesiæ, cap.3.* Non audiamus, Hæc dico, hæc dicis: sed audiamus, Hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Dominici, quorum auctoritati vtrique consentimus, vtrique credimus, vtrique seruimus: ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. Auferantur illa de medio, quæ aduersus nos inuicem, non ex diuinis canonicis libris, sed aliunde recitamus. Quia nolo humanis documentis, sed diuinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari. In Scripturis sanctis canonicis eam requiramus.

Cap.4. Caput vnigenitus Dei filius, & corpus eius Ecclesia. Quicunque de ipso capite à Scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inueniantur, in quibus Ecclesia designata est non sunt in Ecclesia.

Cap.5. Hoc etiam prædico atque propono, vt quæque aperta & manifesta deligamus: Quæ si in Scripturis sanctis non inuenirentur, nullo modo esset vnde aperirentur clausa, & illustrarentur obscura.

Cap.6. Legite nobis hæc de Lege, de Prophetis, de Psalmis, de ipso Euangelio, de Apostolicis literis. Legite & credimus.

Cap.16. Vtrum ipsi Ecclesiam teneant, non nisi diuinarum Scripturarum Canonicis libris ostendant: quia nec nos propterea dicimus nobis credere oportere, quòd in Ecclesia Christi sumus: quia ipsam quam tenemus, commendauit Optatus, vel Ambrosius: aut quia nostrorum collegarum Conciliis ipsa prædicata est: aut quia tanta fiunt in ea mirabilia. Non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt. Ipse Dominus Iesus discipulos testimoniis Legis & Prophetarum confirmandos esse magis iudicauit. Hæc sunt causæ nostræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta.

Cap.10. Nec Catholicis Episcopis consentiendum est, sicubi forte falluntur, vt contra canonicas Dei scripturas aliquid sentiant.

Confess. lib.6. cap.5. Persuasisti mihi (ô Domine Deus) eos qui non crederent libris tuis, quos tanta in omnibus ferè gentibus auctoritate fundasti, esse culpandos: nec audiendos esse

si qui fortè mihi dicerent: Vnde scis illos libros vnius veracissimi Dei Spiritu esse humano generi ministratos? Idipsum enim maximè credendum erat.

De vera religione cap.50. tom.1. Ipsa locutio diuinarum Scripturarum secundùm cuiusque linguæ proprietatem accipienda est. Habet enim omnis lingua sua quædam propria genera locutionum quæ quum in aliam linguam transferuntur, videntur absurda.

De moribus Ecclesiæ Catholicæ, cap.7 tom 1. Nemo ex me quærat sententiam meam, sed potius audiamus oracula, nostrásque ratiunculas diuinis summittamus afflatibus.

Cap.29 Simulachrorum cultores, qui Christi etiam nomen oderunt, nunquam falsas esse illas Scripturas ausi sunt dicere.

Confess. lib.13. cap.15. Tu Deus noster fecisti nobis firmamentum authoritatis super nos in Scriptura tua diuina.

Epist.3. Non tanta in Scripturis difficultate peruenitur ad ea quæ necessaria sunt saluti. Modus ipse dicendi quo sancta Scriptura contexitur omnibus accessibilis. His salubriter & praua corriguntur, & parua nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse saluberrimam, vel odit ægrotando medicinam.

Ibid. Deus in Scripturis, quasi amicus familiaris loquitur ad cor doctorum & indoctorum.

Epist.7. Ratio contra diuinarum Scripturarum auctoritatem quæ redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, vera esse non potest.

Epist.19 Hieronymo, Ego solis eis Scripturarum libris qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honorémque deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrináque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel ratione probabili, persuadere potuerunt.

Epist.48. Quis non impudentissimè nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia quorum lumine illustrentur obscura?

Ibid Hoc genus literarum Cypriani, Hilarij, &c. ab auctoritate canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur vt contrà sentire non liceat; sicubi fortè aliter sapuerint, quàm veritas postulat.

Epistola 50. Isti mirabili cæcitate quum ipsum Christum præter Scripturas nesciant, eius tamen Ecclesiam non diuinarum literarum auctoritate cognoscunt, sed humanarum calumniarum vanitate confingunt.

Epistola 111. Neque enim quorumlibet disputationes, quamuis catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, salua honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si fortè inuenerimus quod aliter senserint quàm veritas habet. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.

Epist.112. Sententias Ambrosij, Hieronymi, &c. non ob hoc interponere volui, vt cuiusquam hominis sensum tanquam Scripturæ canonicæ auctoritatem sequendum arbitreris.

Ibid. Sed si diuinarum Scripturarum, earum scilicet quæ canonicæ in Ecclesia nominantur, perspicua firmatur auctoritate, sine vlla dubitatione credendum est.

Epist.116. In Scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus Ecclesiam. Has Scripturas communiter habemus. Quare non in eis & Christum & Ecclesiam communiter retinemus?

Ibidem, Ecce Scripturæ communes: ecce vbi nouimus Christum, ecce vbi nouimus Ecclesiam.

De doctrina Christiana, T.3. lib.1 cap 37. Titubauit fides si diuinarum Scripturarum vacillat auctoritas.

Lib.2. cap 9. In iis qui apertè in Scriptura posita sunt, inueniuntur illa Omnia quæ continent fidem, moréśque viuendi.

Ibid Ad obscuriores locutiones illustrandas, de manifestioribus sumantur exempla.

Cap.10. Ad exemplaria Hebræa & Græca à Latinis recurratur.

Cap.15 Latinis emendandis, Græci adhibeantur codices.

De vnitate Ecclesiæ. Increpat Dominus & obiurgat eos qui, Dei traditione contemptâ, alienas doctrinas appetunt, & magisteria humanæ institutionis inducunt: dicens, Rejicitis mandatum Dei, vt traditionē vestram statuatis.

De baptismo Christi In hoc mandato meditetur Christiana religio, & inueniet ex hac Scriptura omnium doctrinarum regulas emanasse. Et hinc nasci & huc reuerti quicquid Ecclesiastica continet disciplina.

Lib 3. de doct Christ cap 1. Homo timens Deum, voluntatem eius in Scripturis sanctis diligenter inquirit.

Cap.28 Per Scripturas diuinas multò tutiùs ambulatur. Controuersia ex eadem Scriptura terminetur.

Cap 25. Vbi apertiùs sententiæ ponuntur, ibi dis-

discendum est quomodo in locis intelligantur obscuris.

De Genesi ad lit.lib.7.cap.9. Nec ob aliud sunt hæretici nisi quòd Scripturas catholicas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem peruicaciter asserunt.

De Trin.lib.3.cap.11. Extat auctoritas S. Scripturæ, vnde mens nostra deuiare non debet.

De bono viduitatis, cap.1. t.4. Sancta Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plus quàm oportet. Non sit ergo aliud mihi te docere, nisi verba tibi doctoris exponere.

De Ciuit.Dei, lib.11.c.1. Ciuitatis Dei ea scriptura testis est, quæ planè summæ dispositione prouidentiæ super omnes omnium gentium literas, omnia sibi genera ingeniorum humanorum diuina excellens auctoritate subiecit.

Cap.3. Deus Scripturam condidit, quæ Canonica nominatur, eminentissimæ auctoritatis, cui fidem habemus de his rebus quas ignorare non expedit. Nec per nosmetipsos idonei sumus.

Ibid lib.19.c.18. Ciuitas Dei credit Scripturis sanctis quas Canonicas appellamus, vnde Fides ipsa concepta est, ex qua iustus viuet.

Contra Faustum Manichæum, lib.13 c.5. tom. 6. Scripturas tanta auctoritate firmatas commendatásque respuitis: Miracula non facitis: quæ si faceretis, etiam ipsa in vobis caueremus per instruentem nos Dominum: me & Ambrosium, aut scripta nostra Scripturis Canonicis non æquabis, si rectè sapis: longè nos infra vides ab illa auctoritate distare, vtramque excellentiæ nequaquam comparas.

Ibid. Diuinis Scripturis etiam nondum intellectis credendum esse non dubitabis.

Matth.24. Vsque adeò nihil credi voluit aduersus confirmatam Scripturarum auctoritatem, quæ fidem suam in rebus ipsis probat.

Contra Maximum Arrianorum Episcopum lib.3 cap.14.tom.6. Nec ergo Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus proferre Concilium. Nec ego huius auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus, vtriusque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.

Tract.2. in epist.Ioan. Contra insidiosos errores Deus voluit ponere firmamentum in Scripturis, contra quas nullus audet loqui, qui quoquomodo se vult videri Christianum. Non illis sufficit Dominus, nisi de Scripturis confirmaret cor credentium.

Tract.in Ioan.96. Quæ quum Dominus ipse tacuerit, quis nostrûm dicat, ista vel illa sunt? Quis est tam vanus aut temerarius qui sine vllo testimonio Diuino affirmet ea esse quæ tunc Dominus dicere noluerit?

Ibid. Omnia quæ post ascensionem Domini, Canonica veritate atque auctoritate conscripta sunt, quis fidelis vel etiam Catechumenus non æquo animo legit atque audit, etiamsi nondum, sicut oportet, intelligit? Non quòd ea non possint ferre: sed vt ab eis tantò ardentiùs concupiscantur.

Tract.97. Omnes insipientissimi hæretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum hac occasione Euangelicæ sententiæ colorare conantur: vbi Dominus ait, Adhuc multa habeo vobis dicere.

Ibid. Sed quænam sunt ista, quæ ipse non dixit, temerarium est velle præsumere & dicere.

Lib.1. de meritis & Remissione peccatorum cap.22. Sancta Scriptura nescit fallere, nec falli.

Epistola 1. ad Volusianum. Sancta Scriptura sincera & solida res est, nec fucatis eloquiis ambit ad animum, nec vllo linguæ tectorio inane aliquid ac pendulum crepitat.

Tract.49. in Ioan. Cùm multa fecisset Dominus Iesus, non omnia scripta sunt: electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur.

Lib.2. contra Donatistas, cap.3.tom.7. Quis autem nesciat sanctam Scripturam canonicam, tam veteris quàm noui Testamenti, omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari & disceptari non possit, vtrum verum vel rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit. Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cuiuslibet, & per Episcoporum grauiorem auctoritatem doctiorúmque prudentiam & per Concilia, licere reprehendi, siquid fortè in iis à veritate deuiatum est. Et ipsa Concilia, quæ per singulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere: Ipsáque plenaria sæpe priora posterioribus emendari: sine vllo typho sacrilegæ superbiæ.

Ibidem cap.6. Non afferamus stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio nostro: dicentes, hoc graue, hoc leue est. Sed afferamus diuinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus: imo non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.

In Psal.prolog. Omnis Scriptura diuinitus in-

spirata, vtilis est ad docendum. Hac ipsa de causa à Spiritu Sancto conscripta est: id est, vt veluti ex communi quodam sanitatis fonte, omnes nobis ex hac remedia propriis passionibus assumamus.

In Psalm.57. Ne sibi homines aliquid defuisse quærerentur, scriptum est & in tabulis, quod in cordibus non legebant.

Ibid. Auferantur de medio chartæ nostræ. Procedat in medium codex Dei: Audi Christum dicentem, audi Veritatem loquentem. Recitamus hæreticis, ecce Christus dixit.

Ibid. Inquiunt hæretici, quod nos dicimus audite: quod dicit Euangelium nolumus audire.

Confess.7.cap.7. In Christo filio tuo Domino nostro, atque in Scripturis sanctis credebam te posuisse vitam salutis humanæ.

Contra lit. Petil lib.3.c.6.tom.7. Proinde siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacunque alia re quæ pertinet ad fidem vitámque nostram, non dicam si nos, nequaquam comparandi ei qui dixit: licet si nos, sed omnino quod secutus adiecit: Si angelus de cœlo vobis annuntiauerit præterquam quod in SCRIPTVRIS Legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit. Sequere sanctarum Scripturarum fidem.

De peccatorum meritis c. vlt. lib.2. vbi de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus diuinarum Scripturarum certis clarísque documentis, cohibere se debet humana præsumptio.

Contra Faustum lib.11.c.5. Canonica Veteris Scriptura & Noui Testamenti est in sede quadam sublimiter constituta cuius auctoritati seruiat omnis fidelis & pius intellectus. In opusculis autem posteriorum, liberum habet lector auditóve iudicium, quo vel approbet vel improbet: non cum credendi necessitate, sed cum iudicandi libertate legenda. Ideo cuncta eiusmodi, nisi vel certa ratione, vel ex illa Canonica auctoritate defendantur, si cui displicuerint aut credere noluerit, non reprehenditur. In illa verò eminentia Sacrarum literarum, non licet dubitare: alioquin nulla est pagina qua humanę imperitiæ regatur infirmitas, si librorum salubertima auctoritas aut contempta confunditur.

Lib.3.de Trinit. Noli meis literis quasi Scripturis Canonicis inseruire. Noli meas literas ex tua opinione vel contentione, sed ex diuina lectione, vel inconcussa ratione corrigere.

De baptismo contra Donat. lib 5.c.17.tomo 7. Neque vllo modo meas literas ab omni errato liberas audeo vel putare vel dicere.

De bapt. contra Don. lib.2.c.14. Recurrens ad illam stateram Dominicam, vbi non ex humano sensu, sed ex auctoritate diuina rerum momenta pensantur, inuenio Domini sententiam. Ioan.13. & Ioan.3. &c.

Contra advers. leg. & Proph. lib.2.cap 4 Quum dicit Apostolus, *sicut scriptum est*, ea Scriptura intelligitur, in qua est auctoritas Dei: aut euidenter Deum dicere asserit, quum aliquod adhibet testimonium de lege vel Prophetis Dei: ostendens in eadem Scriptura Deum loqui.

De doct. Christ. l.2.c.2. Signa diuinitus data in Scripturis sanctis continentur.

Cap.6. Magnificè & salubriter Spiritus S. ita Scripturas sanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurret, obscurioribus fastidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur quod non planissime dictum alibi reperiatur.

Cap.8. Erit diuinarum Scripturarum solertissimus indagator qui primò totas legerit, notasque habuerit, etsi nondum intellectu, iam tamen lectione, duntaxat eas quæ appellantur Canonicæ. Nam cæteras securius leget fide veritatis instructus, ne præoccupent imbecillem animum, & periculosis mendaciis eludentes, præiudicent aliquid contra sanam intelligentiam.

Serm.237. de temp. Scriptura sancta sit tibi tanquam speculum. Speculum hoc habet, splendorem non mendacem, splendorem non adulantem.

Ibid. Ad lucernam Scripturarum ambulamus.

De verb. Dom. serm.49. Ille qui cor habet, quod præcisum est iungat Scripturæ & legat superiora & inferiora, & inueniet sensum quem prauus volebat malè interpretari.

Serm.1. de verbis Apostoli. Sancta & diuina eloquia, fratres, iugiter, imò quotidie nobis salubriter recitantur, vt animæ nostræ pascantur: in futuro autem seculo æternis epulis saginentur.

De verb. Dom. serm.31. Deus promissorum suorum nobis chirographum fecit. Promisit patribus nostris, sed cautionem fecit quam legeremus & nos. Si faciat nobiscum rationem qui dignatus est facere cautionem, & dicat: Legite debita mea, hoc est debita promissionum mearum, & computate.

Ibid. serm.11. In omni copia Scripturarum sanctarum, pascimur apertis, exercemur obscuris: illic fames pellitur, hîc fastidium.

De verbis Apostoli, serm.13. tom.10. Verbi Dei altitudo exercet studium, non denegat intellectum.

Ibid. Impia mens odit etiam ipsum intellectū: & homo aliquando nimium mente peruersa timet intelligere, ne cogatur quod intellexerit facere.

facere. De talibus ait Psalmista, Noluerunt intelligere, vt bene agerent.

*De verbis Dom serm.*16. Quid facimus? Controuersiam istam velut iudices audimus? Absit. Immò sub iudice constituti pulsemus, vti nobis aperiri impetremus, fugiamus sub alas Domini nostri.

Ibid. Cum corde nostro nos concordemus: & Scriptura sancta in nulla parte discordat.

*Confess lib.*13 *c.*15. Non oportet de tam sublimi auctoritate iudicare, neque de ipso libro tuo, etiamsi quid ibi non lucet: quoniam submittimus ei nostrum intellectum.

*Epist.*3. Deus in Scripturis quasi amicus familiaris loquitur ad cor Doctorum & Indoctorum.

*Epist.*112. Si diuinarum Scripturarum, earum videlicet quæ Canonicæ in Ecclesia nominantur, perspicuâ firmatur auctoritate sine vlla dubitatione credendum est. Aliis verò testibus vel testimoniis quibus aliquid credendum suadetur, tibi credere vel non credere liceat.

Ibid. Nunquid vos me, & Ambrosium aut scripta nostra Scripturis Canonicis æquabitis? Si rectè sapis, longè nos infrà vides ab illa auctoritate distare. Vtrumque illi excellentiæ nequaquam comparas.

*Serm.*112 *de Tempore.* Omnes planè Scripturæ sanctæ ad nostram salutem scriptæ sunt, vt proficiamus in eis veritatis agnitione.

Ibid. Geminum confert sanctarum Scripturarum lectio, siue quia intellectum mentis erudit: seu quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei inducit.

In Psalmorum prolegomena. Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum: hac ipsa de causa à Spiritu Sancto scripta est, vt veluti ex communi quodam sanitatis fonte, omnes nobis ex hac remedia propriis passionibus assumamus.

Ibid. Psalmus Dauidis tranquillitas animarum est, signifer pacis, perturbationes & fluctus cohibens, sobrietatem suggerens, amicitiam congregans, charitatem Psalmus instaurat, dæmones fugat, scutum in nocturnis terroribus, diurnorumque est requies laborum, tutela pueris, iuuenibus ornamentum, solamen senibus, mulieribus aptissimus doctor, incipientibus primum efficitur elementum, proficientibus incrementum, perfectis stabile firmamentum, totius Ecclesiæ vox vna. *De tempore sermone* 112. Lectio assidua Scripturarum purificat omnia. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare & legere. Nam cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur: quum verò legimus, Deus nobiscum loquitur.

*De Symb. tom.*9. Quæ per diuinas Scripturas sparsa sunt, ad vnum sunt redacta Symbolum, fidei regulam: ne tardorum hominum memoria laboraret: vt omnis homo possit tenere quod credit.

*De Ciu. Dei lib.*18. *c.*38. Non adhibetur fides illis libris in quibus contra fidem librorum canonicorum quædam leguntur.

*Lib.*15 *c.*23. In libris Apocryphis etsi inuenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa, nulla est canonica auctoritas.

*Contra Crescon gram. lib.*2 *c.*31. *&* 32. Literas Cypriani non vt Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero, & quod in eis diuinarum Scripturarum auctoritati congruit, cum laude eius accipio: quod autem non congruit, cum pace eius respuo.

*In Psalm.*69. Ne in Ecclesia errares, ne quis tibi diceret, Christus est qui non est Christus, aut Ecclesia est, quæ non est Ecclesia. Audi vocem istius pastoris. Ostendit se tibi, Palpate & videte: & ostendit & Ecclesiam, ne quis te fallat nomine Ecclesiæ. Habes vocem pastoris tui, noli sequi vocem alienorum, & furem non timebis, si fueris vocem pastoris secutus.

*Contra Cresconium lib.*2. *cap.*31. Nos nullam facimus Cypriano iniuriam, quum eius quaslibet literas à Canonica diuinarum Scripturarum auctoritate distinguimus. Neque enim sine causa, tam salubri vigilantia canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertinent, quos omnino iudicare non audemus, & secundùm quos de cæteris literis vel fidelium vel infidelium iudicamus.

*De bono viduatis cap.*1. Sancta Scriptura nostræ doctrinæ Regulam præfigit.

*In Psal.*118. Quòd ait: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis: verbum est quod Scripturis sanctis omnibus continetur.

In Psalm. 103. Inuenimus Deum extendisse cælum sicut pellem, vt intelligamus cœlum sanctam Scripturam. Hanc auctoritatem primò posuit Deus in Ecclesia sua, inde cœpit exequi cætera.

Ibid. Quare non legere poteras? lege.

Ibid. Scriptura tenditur sicut pellis & tenditur sermo mortuorum: post mortem plus innotuerunt Apostoli, &c.

Ibid. Mortuus est Moyses, mortuus est Hieremias & Apostolus, &c. viuunt cum Christo. Hos sub cœlo, tanquam sub pelle diuinarum Scripturarum, legimus modò quum tenditur. Prophetas viuos sola Iudæa habuit, mortuos omnes gentes. Quum enim viuerent, nondum

traria videatur. Habet rationem, & sufficit sibi.

Aduers. Hermogenem, Adoro Scripturæ plenitudinem.

Ibid. Veritatis regula prior futuras hæreses prænuntiauit; in tantum posteriores, quia antiquiore regula prænuntiabantur. Hermogenes in regula non perseuerauit.

Ibid. Inter Scripturas enim Dei, colores suos inuenire non potuerat.

Cyprianvs *de lapsis*, Mandent aliquid martyres fieri? Sed si scripta non sunt in Domini lege quæ mandant? Ante est vt sciamus: Illos de Deo impetrasse quod postulant, tunc facere quod mandant. Neque enim statim videri potest de diuina majestate concessum, quod fuerit humana pollicitatione promissum. Mandant aliquid martyres fieri? si iusta, si licita, si non contrà ipsum Dominum, facienda sunt.

Ibid. Hominibus contra Deum credunt, qui contra homines Deo non crediderunt.

Ibid. Ecclesiæ non iungitur, qui ab Euangelio separatur.

Epist.63. Cæcilio, Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid alius ante nos faciendum putauerit, sed quid qui ante omnes est, Christus, prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem: cum per Esaiam prophetam Deus loquatur, & dicat: Sine causa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes: & iterum Dominus in Euangelio hoc idem repetat.

Epist.74 ad Pompeium, Vnde est ista Traditio? Vtrúmne de Dominica & Euangelica auctoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque epistolis veniens? Ea enim facienda esse quæ scripta sunt, Deus testatur & proponit ad Iosue Naue dicens: Non recedet liber legis huius ex ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte, vt obserues facere omnia quæ scripta sunt in eo. Si ergo aut Euangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis, aut Actibus continetur, obseruetur diuina hæc & sancta Traditio.

Ibid Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est.

Ibid. In compendio est autem apud religiosas & simplices mentes, & errorem deponere, & inuenire atque eruere veritatem. Nam si ad diuinæ traditionis caput & originem reuertamur, cessat error humanus, & sacramentorum cœlestium, ratione perspecta, quicquid sub caligine ac nube tenebrarum latebat, in lucem veritatis aperitur. Si canalis aquam ducens, qui copiosè prius & largiter profluebat, subitò deficiat, nónne ad fontem pergitur, vt illic defectionis ratio noscatur, vtrumne arescentibus venis in capita vnda siccauerit, an verò integra, inde & plena procurrens, in medio itinere destiterit? Vt si vitio interrupti aut tubuli canalis effectum est quominus aqua perseueranter ac iugiter flueret, refecto ac confirmato canali ad vsum atque ad potum ciuitatis aqua collecta, eadem vbertate atque integritate repræsentetur, qua de fonte proficiscitur. Quod & nunc facere oportet Dei sacerdotes præcepta diuina seruantes, vt si in aliquo nutauerit & vacillauerit veritas, ad originem Dominicam & Euangelicam-Apostolicam traditionem reuertamur, & inde surgat actus nostri ratio, vnde & ordo & origo surrexit. Traditum est enim nobis quod sit vnus Deus, & Christus vnus, & vna spes, & fides vna, & vna Ecclesia, & baptisma vnum.

Epist.33. Presbyteris, Expectanda non sunt testimonia humana, cùm præcedunt diuina suffragia.

Epist.73. ad Iubaianum, Frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt: quasi consuetudo maior sit veritate.

Epist.71. ad Quintum, Non est autem de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum.

Tract.3. de simplicitate prel. Asserentes Antichristum sub vocabulo Christi: vt dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Hoc eò fit dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cœlestis doctrina seruatur.

Epist.74. Pompeio, Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est. Relicto errore sequamur veritatem.

Ibid. Quæ ista obstinatio est? queve præsumptio? Humanam traditionem Diuinæ dispositioni anteponere, nec animadvertere indignari & irasci Deum, quoties diuina præcepta soluit & præterit humana traditio? Dicit Dominus in Euangelio: Reiecistis mandatum Dei, vt Traditionem vestram statuatis. Cuius præcepti memor Paulus Apostolus monet & instruit 1.Tim.6.3.

Idem, Exspectanda non sunt testimonia humana quum diuina præcedant.

De Baptis. Christi, Dilecto filio tuo, tu Domine, nos præcipis obedire. Loquere igitur Domine, quia audit seruus tuus. Christiana religio inueniet ex hac Scriptura omnium doctrinarum regulas emanasse: hinc nasci & huc reuerti quicquid Ecclesiastica continet disciplina.

Constantinvs magnus Imperator in oratione habita in Concilio Niceno quæ extat

apud Theodoritum *lib.1.* Et Socr. *lib.1.* Εὐαγγελικαὶ βίβλοι, inquit, καὶ ἀποστολικαί, καὶ τῶν παλαιῶν προφητῶν τὰ θεσπίσματα σαφῶς ἡμᾶς ἃ χρὴ περὶ τοῦ θείου φρονεῖν ἐκπαιδεύουσι. τὴν πολεμοποιὸν οὖν ἀπελάσαντες ἔριν, ἐκ τῶν θεοπνεύστων λόγων λάβωμεν τῶν ζητουμένων τὴν λύσιν. *id est*, Libri, inquit Euangelici & Apostolici, veterumque Prophetarum oracula, apertè nos docent quid sit de rebus diuinis sentiendum. Amoto igitur contendendi studio; ex sermonibus diuinitus inspiratis sumamus controuersiarum solutionem.

SOCRATES *Lib.5. histor.* Non poterant Hæretici suarum traditionum præbere ἔγγραφον ἀπόδειξιν, Demonstrationem ex Scriptura.

Lib.5. c.22. Nemo poterat de his ostendere ἔγγραφον παράγγελμα, scriptum præceptum.

EVSEBIVS *lib.2. de vita Constant.* in edicto Constantini de dissidiis Christianorum. Nemo prudens perturbetur quòd dissidia videat: virtutis enim beneficium lateret, nisi haberet vitium oppositum. Ideo virtuti propositum est præmium.

Idem lib.5. hist. Eccles. cap. vltimo. Hæretici non quærebant quid diuinæ dicerent Scripturæ, sed quomodo sua constituerunt in figura Syllogismi, ac in eo magno labore se exercebant. Quòd si quis diserta verba Scripturæ diuinæ proposuisset, exquirebant an possent illa efficere formam Syllogismi copulati, an disiuncti.

Paulò pòst. Hæc fuit hæreticorum vafrities πανουργία, quòd cauponarentur simplicem diuinatum Scripturarum fidem: ipsi à fide alieni, manus tamen intrepidè in diuinas Scripturas injiciebant.

IVSTINVS Martyr in Tryphone οὐ ἀνθρωπείοις διδάγμασι κεκελεύσμεθα ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ πείθεσθαι. *id est*, Iussi sumus à Christo, non parère doctrinis humanis, sed iis quæ per Prophetas fuerunt annuntiata.

Ibid. Si hoc confirmarem humanis doctrinis, non oporteret ferre: quòd si Scripturam profero, voluntatem Dei necesse est vos cognoscere.

Ibid. Proprium est dementium, consuetudinem præferre veritati. Soli Deo & solis eius institutis fides est habenda, non humanis Traditionibus. Confugiendum ad Scripturas, vt in omnibus simus tuti. Dixi tibi, vt in omnibus sis tutus, sacris Scripturis adhæreas. Te differentem non sustineremus, nisi omnia referas ad Scripturas.

Ibid. Ridicula res est, non easdem Scripturas allegare: sed existimare seipsum posse aliquid melius quàm sanctas literas inuenire & dicere.

In exposit. fidei, Oportet erga Ecclesiæ alumnos, res diuinas proponere, non ratiocinationibus humanis: sed expositionem sermonum facere ex voluntate doctrinæ S. Spiritus. Dauid, Euangelistæ, Epistolæ Apostolorum nos doceant.

CYRILLVS *Alexandrinus in Iohannem lib. 11. cap. 21.* Deus ipse per Scripturam loquitur.

In cap. vlt. Ioan lib. 12. Non omnia quæ fecit Dominus scripta sunt, sed quæ scribentes putauerunt sufficere, tam ad mores, quam ad dogmata: vt recta fide, operibus & veritate rutilantes, ad Regnum cœlorum perueniamus in Iesu Christo.

Ibid. lib. 9. Sacrarum literarum autoritate muniti per Regiam viam ambulant.

Lib. 11. Thesauri cap. 2. & 14. Deo soli conuenit diuinas Leges ferre & sancire.

Ibid lib. 3. cap. 4. Pharisæi ad contradicendum solùm legebant Scripturam: non vt quærerent quæ ad vitam æternam conducunt.

Ibid. lib. 6. cap. 7. Audire verba Dei est, præceptis illius, quæ per Scripturas loquitur, obedire. Verbum Dei cibus est animæ.

Idem de recta fide ad Reginas. Necesse nobis est Diuinas sequi literas, & in nullo ab earum præscripto discedere.

Lib. 5. in Leuit. Sancta Scriptura credenda est ex visibilibus constare & inuisibilibus: veluti ex corpore quodam, literæ scilicet quæ videntur, & anima, sensus qui intra ipsam deprehenditur: & spiritus, secundùm id quod etiam in se cœlestia contineat: Dominus fecit Scripturæ animam, & corpus, & spiritum.

Præfat. in Ioan. Non enim illis, qui temeraria inuestigatione, humanisque potius rationibus, quàm auctoritate Scripturæ gaudent, gratia Spiritus veritatem infundit mentibus.

Lib. 5 in Leuiticum, In duobus Testamentis licet omne verbum quod ad Deum pertinet requiri & discuti, atque ex ipsis omnem rerum scientiam capi. Si quid autem superfuerit quod non diuina Scriptura decernat, nullam aliam debere tertiam Scripturam ad auctoritatem scientiæ suscipi.

ORIGENES *Hom. 25. in Matth.* Debemus ad testimonium omnium verborum, quæ proferimus in doctrina, proferre sensum Scripturæ, confirmantem quem exponimus sensum. Sicut enim omne aurum, quod fuerit extra templum, non est sanctificatum: Sic omnis sensus qui fuerit extra Diuinam Scripturam, quamuis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia non continetur à sensu Scripturæ, quæ solet eum sensum sanctificare.

Hom. 1. in Ierem. Necesse nobis est Scripturas sanctas

sanctas vocare in testimonium: sensus quippe nostri & enarrationes sine iis testibus non habent fidem.

In Esa. & in Psal 67. Testimoniis vtriusque Testamenti acquiescendum est, vt quando ex his aliquid probatur, omnis contentio, pacifica quiete finiatur.

Epiphanivs *contra Anomœos in hær.76.* Omnia clara sunt in diuina Scriptura iis qui pia ratiocinatione Diuinum sermonem adire volunt.

In hær.69. Omnia sunt clara & lucida in diuina Scriptura.

Hær.42. Ego secundùm Scripturas munio vos.

Hær.30. Valentiniani & Gnostici vtebantur ἀγράφοις, id est, Traditionibus non scriptis, quibus Scripturam accommodabant: ex arena funiculos nectentes.

In Ancorato. Vos & fratres nostri requiritis ea quæ spectant ad vestram salutem ex diuina ac sancta Scriptura, firmum fundamentum fidei.

In Hæresim 65. Vniuscuiusque quæstionis inuentiones non ex propriis ratiocinationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentia.

In Hæresim 69. In sacra Scriptura mirabiliter ad nostram salutem omnia scripta sunt ac perfecta.

Ibid. Omnia sunt clara & lucida in diuina Scriptura.

Ibid. Absit à nobis vt commentis humanis attendamus.

In Hæresim 55. Diuina Scriptura omnia cum bono ordine muniens veritatem per omnia firmauit.

In Panario lib.1. Ex non scriptis legentes, ex arena funiculos nectunt.

Damascenvs *De Orthod fide lib.1.* Cuncta, quæ tradita sunt per Legem, per Prophetas per Apostolos & Euangelistas suscipimus, veneramur, nihil vltra perquirentes.

Bernardvs *in conuers. S. Pauli serm.1.* Heu heu Domine Deus: Ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum gerere.

In cantica serm.76. Parum est nostris vigilibus, quòd non seruant nos, nisi & perdant.

Epist.77. Patiantur in Scripturarum sensibus nos abundare.

Ad fratres de Monte. Nunquam Pauli sensum ingredieris, nisi Pauli spiritum imbiberis.

Epist 91. Ad illud consilium toto desiderio feror in quo Traditiones obstinatiùs non defensantur, aut superstitiosiùs obseruantur: sed diligenter humiliterque inquiritur quæ sit voluntas Dei, bona & beneplacens & perfecta. Recedant à me & à vobis, qui dicunt, Nolumus esse meliores quàm patres nostri. Aut ascendas aut descendas necesse est. Minimè est bonus, qui melior esse non vult: & vbi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus.

Tract. de præcepto & dispens. Iustissimum esse liquet, vt quæ pro charitate inuenta fuerunt, pro charitate quoque, vbi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur. Sicut, è regione, iniquum proculdubio foret, si statuta pro sola charitate, contra charitatem tenerentur. Inuiolabile verò quod diuinitus promulgatum. Vbi necessitas non est, inconuertibilia maneant patrum decreta, vbi tamen Deo contraria non præcepit homo. Nam de quibus Scriptura authentica, nec præceptor expectandus, nec prohibitor auscultandus est.

Cyrillvs *Hierosolymitanus.* εἰ δὲ παράσχοι ὁ Κύριος μετὰ τῆς τῶν γραφῶν ἀποδείξεως, κατὰ δύναμιν ῥηθήσεται. Δεῖ γὰρ περὶ τῶν θείων καὶ ἁγίων τῆς πίστεως μυστηρίων, μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι γραφῶν, μηδὲ ἁπλῶς πιθανότησι τῶν λόγων κατασκευαῖς παραφέρεσθαι, μηδὲ ἐμοὶ τῷ ταῦτά σοι λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσῃς, ἐὰν τὴν ἀπόδειξιν τῶν καταγγελλομένων ἀπὸ τῶν θείων μὴ λάβῃς γραφῶν. ἡ σωτηρία γὰρ αὕτη τῆς πίστεως ἡμῶν οὐκ ἐξ εὑρεσιλογίας, ἀλλὰ ἐξ ἀποδείξεως τῶν θείων ἐστὶ γραφῶν. *hoc est*, Si præbuerit Dominus, dicetur de illis pro viribus, ex demonstratione Scripturarum. Oportet enim diuinis & sanctis fidei mysteriis, non quicquid contigerit tradere, absque diuinis Scripturis: neque oportet circumferri leuiter, verborum persuasionibus præparatis. Neque etiam mihi hæc dicenti simpliciter credideris, nisi demonstrationem acceperis eorum quæ annuntiantur, ex diuinis Scripturis petitam. Nam ipsa salus fidei nostræ, non est ex disertis dictis & commentis, sed ex demonstratione sacræ Scripturæ. *Paulò pòst.* Τὰς παλαιᾶς διαθήκης λαληθείσας θείας γραφὰς, τὰς εἰκοσιδύο βίβλους ἀναγίνωσκε. περὶ δὲ τὰ ἀπόκρυφα μηδὲν ἔχε κοινόν. ταύτας μόνας μελέτα σπουδαίως, ἃς καὶ ἐν Ἐκκλησίᾳ μετὰ παῤῥησίας ἀναγινώσκομεν. *hoc est*, Veteri Testamenti diuinas Scripturas, viginti duobus libris comprehensas, lege. Nihil verò habeas commune cum Apocryphis. Illas solas Scripturas meditare sedulò quas & in Ecclesia liberè legimus. Has Apostoli & veteres Episcopi tradiderunt. σὺ οὖν τέκνον τῆς ἐκκλησίας ὤν, μὴ παραχάραττε τοὺς θεσμούς. *id est*, Tu igitur qui es filius Ecclesiæ ne transgrediaris has leges. καὶ τῆς μὲν παλαιᾶς διαθήκης, ὡς εἴρηται, τὰς εἰκοσιδύο μελέτα βίβλους, ἃς εἰ φιλομαθὴς τυγχάνεις, ἐμοῦ λέγοντος ὀνομαστὶ μεμνῆσθαι σπούδασον. *id est*, Ac veteris quidem Testamenti, vt

iam à nobis dictum est, viginti duos libros meditare, quorum nomina si cupidus fueris dicendi, me ea proferente studeas memoriæ mandare. Legis enim primi libri Mosis sunt quinque &c. Deinde Iosue: postea Ruth. Reliqui libri historiarum sunt primus & secundus Regum, qui libri apud Hebræos vnicum constituunt: tertius porrò & quartus Paralipomenum vnicum librum consti.uunt. Primus quoque & secundus liber Esdræ, apud Hebræos vnicus est liber. Duodecimus verò est, liber Esther. Et illi quidem historiarum sunt libri. Hæc στιχηρὰ autem sunt quinque, Iob, liber Psalmorum, Prouerbia, Ecclesiastes, Canticum canticorum est decimus septimus liber, præter illos Prophetici libri quinque, duodecim Prophetarum liber vnus: Esaiæ vnus: Ieremiæ cum Baruch, & Lamentationum epistolá vnus: deinde Ezechiel, & Daniel qui vicesimus est secundus liber. Τῆς δὲ καινῆς διαθήκης. Noui autem Testamenti quatuor Euangelia tantùm. Nam Euangelium secundùm Thomam à Manichæis scriptū fuit ψευδεπίγραφον suppositium. Διχῶς. Excipe verò Acta Apostolorum: Præterea septem Epistolas, Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ Catholicas: & Pauli quatuordecim. Reliqua ἔξω κείσθω, extrà ponantur. Et illa quæ non leguntur in Ecclesia, nec tu priuatim legas. καθὼς μαθεῖς τῶν ταῦτα atque hæc de illis.

HILARIVS, *lib.1 de Trinitate*, Quum de rebus Dei erit sermo, concedamus cognitionem sui Deo, dictisque eius pia veneratione famulemur.

Ibid. Maximè ergo properamus ex Propheticis atque Euangelicis præconiis væsaniam ignorantiamque confundere.

Libro 2. Sufficiebat quidem credentibus Dei sermo, qui in aures nostras, Euangelistæ testimonio transfusus est. Quid enim in eodem salutis humanæ non continetur? aut quid est quod reliquum sit, aut obscurum? Plena sunt omnia & perfecta, vt à pleno & perfecto.

Ibid. De intelligentia hæresis, non de Scriptura est: & sensus non sermo, fit crimen.

Lib. 4. de Trinit. Nemini dubium esse oportet ad diuinarum rerum cognitionem Diuinis vtendum esse doctrinis.

Ibid. Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicentis: quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.

Lib.5. Ex verbis sensum sequamur, & ex sensu rationem intelligamus, & ex ratione veritatem apprehendamus.

Lib.9. Dictorum intelligentia aut ex præpositis, aut ex consequentibus expectetur.

Ad Constantium Augustum. Fidem Imperator quæris, audi eam non de nouis chartulis, sed de Dei libris.

Ibid. Audi ea quæ de Christo sunt scripta, ne sub eis quæ non scripta sunt prædicentur.

Contra Auxentium Arrianum, Misereri licet nostræ ætatis laborem & præsentium temporum stultas opiniones congemiscere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Christi Ecclesiam, ambitione seculari laboratur.

In Psal.118. Frequenter admonuimus, non posse satisfactionem intelligentiæ ex Latinitatis Translatione præstari.

CLEMENS *Alexandrinus oratione ad Gentes*, Sunt verè Sacræ literæ quæ sacros faciunt, & deificant.

Stomatum, lib 1. Propterea Græca voce expositæ sunt Scripturæ, vt nullum vnquam possint ignorantiæ prætextum afferre.

Lib.6. Stromatum, citat sententiam Petri Apostoli, οὐδὲν ἄτερ γραφῆς λέγομεν. Nihil absque sacra Scriptura dicimus.

Ibid. Ipse Dominus exponebat ipsis Scripturas. Credidimus Deo per ea quæ scripta sunt de eo.

Stromatum, lib.7. ἡμεῖς δ᾽ ἀπ᾽ αὐτῶν περὶ αὐτῶν τῶν γραφῶν τελείως ἀποδεικνύντες ἐκ πίστεως πειθόμεθα ἀποδεικτικῶς Nos de ipsis Scripturis perfectè demonstrantes, ex fide persuademus demonstratiuè.

Libr.4. Τὰς γραφὰς αἷς πεπιστεύκαμεν, κυρίας οὔσας ἐξ αὐθεντίας παντοκρατορικῆς, ἐπιδείξαντι. Ostendentes Scripturas, quibus credidimus, quæ sunt præcipuæ ex authoritate omnipotenti, Velint nolint redarguendi sunt ex Scripturis S.

Lib.5. Opponimus iis illud τὸ ἀναντίρρητον, cui contradici non potest, ὅ, ὁ Θεὸς εἶπεν ὁ λέγει, quod est, DEVS DIXIT, καὶ περὶ ἑκάστου τῶν ἐν ταῖς γραφαῖς: & de vnoquoque ex Scriptis producens. Quis adhuc tam ἄθεος, impius, qui Deo non credat? & qui demonstrationes quemadmodum sit inter homines à Deo requirat?

Ibid. Ἀσεβοῦσι διὰ τὸ ἀπιστεῖν ταῖς γραφαῖς. Impij sunt & impiè agunt propterea quòd fidem non habent Scripturis.

Libro 7. Illi soli sunt fideles qui Scripturas recipiunt.

LACTANTIVS, *lib.3. cap.26.* Doctrina cœlestis sola sapientia est. Dei præcepta & simplicia & vera sunt: valent in animis, hominem immutant, & nouum reddunt.

Cap.27. Nihil habent ponderis humana præcepta, quæ auctoritate maiori, id est, diuina carent.

Lib.5. cap.1. Scriptura sancta apud doctos huius seculi fide caret, quòd Prophetæ communi.

muni ac simplici sermone vt ad populum sunt locuti. Nihil verùm putant nisi quod auditu suaue est.

Ibid.c.4. Cyprianus quum ageret Scripturæ testimoniis contra Demetrianum, hominem veritatis ignarum, dilatis paulisper diuinis lectionibus, formare hunc à principio tanquam rudem debuit, & ratione fuit refellendus. Sed Cyprianus illud non fecit, raptus eximia eruditione diuinarum literarum, vt iis solis contentus esset, quibus fides constat.

Lib.7.c.14. Nos diuinæ literæ ad scientiam veritatis erudiunt.

Lib 4.c.30. Sed quoniam multæ hæreses extiterunt, & instinctibus dæmonum populus Dei scissus est, determinanda nobis est veritas, & in suo proprio domicilio collocanda: vt siquis aquam vitæ cupiat haurire, non ad detritos lacus deferatur, qui non habent venam: sed vberrimum Dei nouerit fontem, quo irrigatus perenni luce potiatur. Ante omnia scire nos conuenit, & ipsum & legatos eius prædixisse, quod plurimæ sectæ haberent existere. Tum dedisse certa mandata, quæ in perpetuum custodire deberemus: quorum plerique immemores deserto itinere cœlesti, vias sibi deuias per anfractus & præcipitia condiderunt. Quidam non satis cœlestibus literis eruditi, quum veritatis accusatoribus respondere non possent, nouam sibi doctrinam sine vlla radice composuerunt.

Salvianvs *lib.3. de Prouidentia.* Humana omnia dicta, argumentis & testibus egent: Dei autem sermo, ipse sibi testis est: quia necesse est quidquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis.

Cap. III.

Illa eadem Doctrina de verbo Dei, siue de sancta Scriptura in Reformatis Orthodoxis Ecclesiis obseruatur, adeò vt illud sit earum fundamentum, atque vnica & perpetua in fidei articulis Regula. Ex quo colligitur, illas tantùm esse veras Christi Ecclesias, quæ ipsius vocem audiunt, nec alienum sequuntur.

Perpetuus est autem omnium Confessionvm Consensus, de auctoritate, & perfectione S Scripturæ, vt sit eorum quæ credenda sunt ad salutem norma, atque de numero librorum Canonicorum vt discernantur ab Apocryphis, id manifestum in superiori earum Harmonia & concordantia. Itaque illarum Confessionum verba hîc non sunt reponenda.

De libris Canonicis S. Scripturæ. & de Apocryphis, & de eorum versione.

Libri Canonici Veteris & Noui Testamenti, recensentur in Confessionibus Ecclesiæ Reformatæ, siue Orthodoxæ, planè iidem qui recensentur

A Cypriano in symboli expositione.

Ab Athanasio in Synopsi, qui addit, Hi sunt libri Canoici & fidei nostræ veluti primitiæ quædam, vel certè anchoræ & sustentacula.

Ibid. Scriptura nostra est diuinitus inspirata, & libros habet non infinitos, sed finitos & certo canone comprehensos. Macchabæorum libros non recenset.

Ab Epiphanio libro de mensuris & ponderibus. & hær.8. contra Epicureos. Et in Panario. & lib. 1. contra hær. in Panario. Nec Macchabæorum libros recenset inter libros Veteris Testamenti. *Sic & Hilarius in prologo Psalmorum.*

In concilio Laodiceno Can.59. nisi quod ibi Baruch cum Ieremia copulatur. Apocalypsis non fit mentio. Addit: In Ecclesiis libri Canonici legantur tantùm.

A Cyrillo Hierosolymitano: Cathesi quarta. deinde ait: Apostoli & Episcopi susceperunt eos libros, nec nos alios debemus recipere: Has tantùm studiosè meditare Scripturas, quas In Ecclesi confidenter legimus: cum Apocryphis verò nihil habeas negotij.

A Lyrano in præfatione in Tobiam.

Iosephus lib.3. contra Appionem eosdem etiam libros Veteris Testamenti recenset. Iosephi catalogum Eusebius probat *lib.3. c.8.10. Eccl.*

hist. & lib.4. c.26. Et Origenes apud Eusebium *lib 6 cap.25.* Et Melito Sardensis apud eundem Eusebium *lib.4.c 26.*

Damascenus lib.4 c.18. postquam enumerauit libros Canonicos, vt in Confessionibus Orthodoxorum, addit: Libri autem omnium virtutum doctrina referti sunt Sapientia Salomonis & Sapientia Iesu:hi libri pulchri sunt & honesti, sed non numerantur in Propheticis libris. Inter illos nominat Tobiæ librum & Macchabæos.

Hieronym. in præfat. Prouerb. Ecclesia legit quidem libros Iudith, Tobiæ & Macchabæorum, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit. *In prologo Galeato ad Paulinum* Adiungit, Apocrypha nescit Ecclesia ad Hebræos igitur reuertendum, vnde & Dominus loquitur, & discipuli exempla præsumunt, in lib. Paral.

In Esaiam lib.13.cap.49. Post Aggæum & Zachariam & Malachiam nullos alios Prophetas, vsque ad Iohannem Baptistam viderant, *lib.2. contra Pelag* Macchabæorum historiæ scriptæ à Iosepho.

In Esaiam 16. Editio vulgata, quæ Græcè dicitur κοινὴ, in toto orbe diuersa est. *Et ad Pammachium.* Multos errores habet versio Septuaginta.

Aduersus Heluidium tomo 2. Multo purior manare credenda est fontis vnda quàm riui.

Augustinus contra Gaudentium lib.2.cap 23. tomo 7. Isti, exemplis sui sceleris destituti, de Macchabæorum libris Raziam tanquam imitandum se inuenisse gloriantur. Hanc Scripturam quæ appellatur Macchabæorum, non habent Iudæi sicut legem & Prophetas & Psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet, tanquam testibus suis: sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobriè legatur, vel audiatur, maximè propter illos Macchabæos, qui pro Dei lege, sicut veri martyres à persecutoribus tam horrenda perpessi sunt.

Caietanus Cardinalis in comment histor. vet. Test c.vlt. Libri Iudith, Tobiæ & Macchabæorum non sunt Canonici. De his Hieronymus est audiendus. Idem dixerat: *Hugo de S. Victore lib.4. de Sacramentis cap 7. Et lib.4. Didascalo cap.2. & 8.* & Nicolaus Lyranus præfatione in Tobiam, & Arias Montanus, in editione Bibliorum Antuerpiæ, anno 1584.

Gregorius Magnus in comment. in Iobum *lib.19.c.19.* scribit, Macchabæorum libros minimè Canonicos esse.

Nazianzenus *In carminibus suis de veris ac genuinis Scripturæ diuinitus inspiratæ libris.* In diuinis oraculis animo & lingua dies noctesq; versare. Lumen in ipsis cernimus, &c. Cæterùm ne te alieni ac peregrini libri fallant, verum & legitimum librorum numerum accipe: Genesis, &c. commemorantur sicuti in nostris Ecclesiis: adiungit; Si quis extra hos inuenitur, inter adulterinos libros numerandus est,

Augustinus lib. de ciuit Dei 15 c.13. Ei linguæ potiùs credatur, vnde est in aliam per interpretes facta translatio. *Ibid lib.18 c.38.* Illis libris non habeatur fides, maximè his in quibus contra fidem librorum Canonicorum quædam leguntur. *Lib.2. c.5. de Doctr. Christ.* Scriptura diuina ab vna lingua profecta per varias interpretum linguas diffusa, vt innotesceret gentibus ad salutem. *Ibid. c.12.* Plerumque interpres fallitur. Non intelligendos sed emendandos tales codices potiùs præcipiendum est.

Hieronymus ad Marcellam Epist tomo 2. Latinorum codicum vitiositatem ad Græcam originem volui reuocare.

In Zach. c 8 Cogemur ad Hebræos recurrere, & scientiæ veritatem de fonte magis quàm de riuulis quærere. Sic *in Pentateuchum*, & *epist. ad Vitalem.*

In Psal 86. Dominus narrauit in Scripturis sanctis, quæ Scriptura populis omnibus legitur, vt omnes intelligant.

Theodoretus, lib.5 de Græcorum affectionibus, Hebraici libri non modò in Græcum idioma conuersi sunt, sed in Romanam quoque linguam, Ægyptiam, Persicam, Indicam, Scyticam, atque vt vno verbo absolvam, in omnes linguas, quibus ad hunc diem nationes vtuntur. *Sic & Chrysost. hom.1. in Euang Ioannis, & in Epist. ad Col. hom 9.* Audite, obsecro seculares omnes: comparate vobis Biblia animæ pharmaca. Vel Nouum Testamentum acquirite, Apostolorum Acta. Euangelia continuos ac sedulos doctores Hoc demum malorum omnium causa est, quòd Scripturæ ignorantur.

Hom.3. de Lazaro. Semper hortor, & hortari non desinam, vt non tantùm hîc attendatis iis quæ dicuntur, verùm etiam quum domi fueritis assiduè diuinarum Scripturarū lectioni vacetis.

In 8 cap Esaiæ, Translationes variæ Scripturam explanant.

Hom.3. de Lazaro. Spiritus S. dispensauit illa quæ continentur libris sacræ Scripturæ: quò idiotæ & illiterati, & opifices per hos libros salvi fierent, nequis idiotarum ad hanc difficultatis confugere possit excusationem, vt omnium hominum indoctissimus exaudita lectione aliquid reportaret. Etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia. Apostoli & Prophetæ manifesta claráque prodiderunt, velut communes Orbis doctores, vt quisque possit discere ea quæ dicuntur ex ipsa lectione.

In 2. ad Thess. hom.3. At obscurè ista dicuntur,

inquis, Quæ est ista obscuritas? dic, quæso. Nonne Græce dicuntur? Omnia clara & plana sunt in Scripturis diuinis.

Basilius in Ps. initio. Ex Scriptura S. tanquam ex communi medendarum animarum officina, mortalis quisque potest sibi medelam diligere.

In principium Prouerb. Tres omnino à Salomone tractatus nouimus exiisse. Hunc in primis Prouerbiorum & Ecclesiasten & Cantica Canticorum.

In expositione in Symbolum Apostolorum: Rvffini *Aquileiensis inter opera Cypriani & Hieronymi art. 35. 36.* Is ergo Spiritus Sanctus est qui in Veteri Testamento Legem & Prophetas, in Nouo verò Euangelia & Apostolos inspirauit: vnde & Apostolus dicit, Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum. Et ideo quæ sunt Noui ac Veteris instrumenti volumina, quæ secundùm maiorum traditionem per ipsum Spiritum S. inspirata creduntur, & Ecclesiis Christi tradita competens videtur in hoc loco, euidenti numero, sicut ex patrum monimentis accipimus, designare. Itaque Veteris Testamenti primò omnium Moysi quinque libri sunt traditi, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: post hos Iesus Naue, Iudicum simul cum Ruth: quatuor post hæc Regum libri, quos Hebræi duos numerant, Paralipomenon qui dierum dicitur liber, & Esdræ libri duo qui apud illos singuli computantur, & Hesther: Prophetarum verò Esaias, Hieremias, Ezechiel, & Daniel: præterea duodecim prophetarum liber vnus: Iob quoque & Psalmi Dauid, singuli sunt libri: Salomonis verò tres Ecclesiis traditi, Prouerbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum. In his concluserunt librorum numerum Veteris Testamenti. Noui verò quatuor Euangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, Actus Apostolorum, quos descripsit Lucas: Pauli Apostoli Epistolæ quatuordecim. Petri Apostoli Epistolæ duæ: Iacobi fratris Domini & Apostoli vna: Iudæ vna: Ioannis tres: Apocalypsis Ioannis. Hæc sunt quæ patres intra Canonem concluserunt, ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quòd & alij libri sunt qui non Canonici, sed Ecclesiastici à maioribus appellati sunt: vt est Sapientia Salomonis, & alia Sapientia quæ dicitur filij Sirach, qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo Ecclesiasticus appellatur, quo vocabulo non auctor libelli, sed Scripturæ qualitas cognominata est. Eiusdem ordinis est libellus Tobiæ & Iudith & Macchabæorum libri. In Nouo verò Testamento libellus qui dicitur Pastoralis siue Hermetis, qui appellatur duæ viæ, vel iudicium Petri, quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad authoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras verò Scripturas Apocryphas nominarunt, quas in Ecclesiis legi noluerunt. Hæc nobis à patribus, vt dixi, tradita, opportunum visum est hoc in loco designare, ad instructionem eorum qui prima sibi Ecclesiæ ac fidei elementa suscipiunt, vt sciant ex quibus sibi fontibus verbi Dei haurienda sint pocula.

Capvt Qvartvm.

Ex ipsis Ecclesiæ Romanæ Decretis quando referunt veterum Patrum doctrinam.

In *decretis Distinct.* 8. *can. Quæ contra mores.* Quum Deus aliquid contra morem, vel contra pactum quorumlibet iubet fieri: etsi ibi nunquam factum est, tamen faciendum est: & si omissum est, restaurandum est: si statutum non erat, instituendùm est. Generale pactum est societatis humanæ, obtemperare regibus suis: quantò magis Deo regnatori vniuersæ Creaturæ suæ ad ea quæ iusserat sine dubitatione seruiendum est?

Ibid. Can. Veritate, Veritate manifestata, cedat consuetudo veritati.

Ibid can. Si consuetudinem, Si consuetudinem fortassis apponas, advertendum est quod Dominus dicit. Ego sum via, veritas & vita, non dixit, Ego sum consuetudo, sed veritas. Et certè vt beati Cypriani vtamur sententiâ: qualibet consuetudo quantumuis vetusta, quantumuis vulgata, veritati omnino est postponenda: & vsus qui veritati est contrarius, est abolendus.

Can. frustra dist. 8. Frustra qui ratione conuincuntur, consuetudinem nobis objiciunt: quasi consuetudo sit maior veritate, aut non sit in spiritualibus sequendum quod melius à Spiritu Sancto reuelatum est.

Ibid. Can. Si solus, Si solus Christus est audiendus, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putauerit: sed quid qui ante

omnes est Christus, prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem: quum per Esaiam Prophetam loquatur Deus & dicat, Sine causa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes.

Et Canone Qui contempta, Qui contempta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres timidus est & malignus, quibus veritas reuelatur, aut circa Deum ingratus. Consuetudinem veritas excludit.

Can. Noli dist.9. Noli meis literis quasi Canonicis Scripturis deseruire: sed in illis & quæ non credebas, quum inueneris, incunctanter crede.

Can. ego solis dist.dist.9. Augustinus Hieronymo. Ego solis eis Scripturarum libris qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque referre, vt nullum eorum scribendo errasse audeam credere. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, quantáve doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi per alios auctores vel canonicas vel probabiles rationes, quod à vero non aberret, persuadere potuerunt.

Can. vt veterum dist.9. Vt Veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est: ita Nouorum veritas Græci sermonis normam desiderat.

Can. Quis nesciat, Augustinus, Quis nesciat sacram Scripturam Canonicam tam Veteris quàm Noui Testamenti posterioribus omnibus Episcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari & disceptari non possit, vtrum verum vel vtrum rectum sit, quicquid in ea scriptum sit.

Can. Neque, Neque quorumlibet disputationes quamuis Catholicorum & laudatorum hominum, veluti Scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, salua honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scripturis improbare atque respuere, si fortè inuenerimus quod aliter senserint quàm veritas habet.

Can. sana dist.9. Patet quod quæcunque diuinæ voluntati seu canonicæ Scripturæ contraria probantur, eadem etiam naturali inueniuntur aduersa.

Can. non licet dist.9. Non licet Imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti, aliquid contra diuina mandata præsumere.

Dist.20. Can. de quibus. In libris Veteris & Noui Testamenti ad diuina recurritur scripta Græca.

Can. Siquis virorum, Dist.30. Ex Concilio Gangrensi, Eos condemnamus qui se extollunt aduersus Scripturas.

Can.64, qu 3. Quid autem iniquius? In insipientiam cadunt quicunque ad cognoscendam veritatem, non ad Propheticas voces, non Apostolicas literas, non Euangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt: Et ideo magistri erroris exsistunt: quia veritatis discipuli non fuerunt.

Can. Noli. dist.9. Noli frater, contra diuina tam multa, tam præclara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis, siue nostrorum sicut Hilarij, siue Cypriani &c. Primò quia hoc genus literarum ab auctoritate Canonum distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, vt contra sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerunt quàm veritas postulat. In eo quippe numero sumus, vt non dedignemur etiam nobis dictum ab Apostolo accipere, Et siquid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelauit.

Can. Canones dist.16. Canones qui dicuntur Apostolorum ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur: quamuis in eis vtilia inueniantur, tamen ab auctoritate canonica atque Apostolica, eorum gesta constant esse remota.

Can. Clementis dist.16. Clementis librum, id est Apostoli Petri itinerarium, & Apostolorum canones, numerant patres inter Apocrypha.

Can. Siquis vult. dist 36. Hæc duo sunt Pontificis opera, vt à Deo discat legendo Scripturas diuinas & sæpius meditando: aut populum doceat. Sed illa doceat quæ à Deo ipse didicerat, non ex proprio corde, vel humano sensu: sed quæ Spiritus Sanctus docet.

Can. vino dist.37. Hieronymus in Esa. Vino inebriantur qui sacras Scripturas male intelligunt atque peruertunt: siccera, qui abutuntur seculari sapientia & dialecticorum tendiculis. Secundùm tropologiam pseudoprophetas eos debemus accipere, qui aliter Scripturarum verba accipiunt, quàm Spiritus Sanctus sonat: & qui coniectura mentis suæ incerta futurorum quasi vera pronuntiant absque diuinorum auctoritate verborum.

Idem: Quicunque Scripturas non ita intelligunt, vt rei veritas habet, vuam acerbam comedunt.

Can. Relatum dist.37. Sunt multa verba in Scripturis diuinis quæ possunt trahi ad eum sensum quem sibi vnusquisque sponte præsumpserit: sed non oportet. Non enim sensum extrinsecus alienum & extraneum debetis quærere, vt quoquomodo ipsum ex Scripturarum auctoritate confirmetis: sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis oportet. Et ideo oportet

tet scientiam ab eo discere Scripturarum.

Can ideo dist. 37. Ideo prohibetur Christianis legere figmenta Poëtarum: quia per oblectamenta fabularum, mentem excitant ad incentiua libidinum Elaborandum est Sacerdotibus, vt ignorantiam à se, quasi quandam pestem abjiciant.

Can. ignorantia dist. 38. Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus Dei euitanda est, qui docendi officium in populo Dei susceperunt. Sacerdotes legere sanctas admonentur Scripturas, Paulo Apostolo dicente: Attende lectioni, & exhortationi, doctrinæ, & semper permane in his.

Can. omnes dist. 38. Omnis qui ad Episcopatus est prouehendus gradum, modis omnibus Psalterium nouerit. Inquiratur autem diligenter si in promptu habeat legem scrutabiliter & non transitoriè tam sacros canones & sanctum Euangelium quàm diuini Apostoli librum & omnem diuinam Scripturam, atque secundùm mandata conseruare & docere sibi populum commissum. Substantia enim summi Sacerdotij nostri sunt eloquia diuitus tradita, id est, vera diuinarum Scripturarum disciplina. Quòd si discrepauerit, & ita libenter & facere & docere minime spoponderit, nullatenus consecretur. Ait enim Prophetæ Deus, Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris. Ex VII. Synodo.

Can. Si iuxta dist 38. *Item Hieron. in Esa.* Si iuxta Apostolum Paulum, Christus Dei virtus est, & Dei sapientia: Scripturarum ignorantia, Christi est ignorantia.

Can Locutio dist. 38. *Augustinus de vera religione* Locutio diuinarum Scripturarum, secundùm cuiusque linguæ proprietatem accipienda est. Habet enim omnis lingua quædam propria locutionum genera, quæ quum in aliam transferuntur, videntur obscura.

Can. Quum multa dist. 86 Sacram scripturam, non Grammaticam debet exponere Episcopus.

C. 1 qu 1 Marcion. Nec putemus in verbis Scripturarum esse Euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Ex Hieronymo in epist ad Galatas.

GREGORIVS *magnus lib* 5. *cap* 1 *in* 1 *Iob.* Scriptura sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur: vt interna nostra facies in ea videatur.

LEO *primus Papa ep. ad Flauianum Episcopum Constantinop.* In insipientiam cadunt, qui quum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas literas, nec ad Euangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt. Sed ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuêre. Quam enim eruditionem de sacri Noui & Veteris Testamenti paginis acquisierit, qui nec ipsius quidem symboli initia comprehendit?

Ex constitut. Clementis lib 2 *c.* 5. Euangelium interpretetur Episcopus conuenienter legi & prophetis. Ait enim Dominus, Scrutamini Scripturas. Attende diligenter verba, ô Episcope, vt omnia ad verbum interpreteris: & in multa doctrina abundè nutrias & illumines populum illuminatione legis.

CONCILIVM *Laodicenum.* Non licet in Ecclesia canere Psalmos ab idiotis compositos, nihilque legere præter libros Canonicos.

In concilio Aquileiensi, Anathema ille qui diuinis Scripturis addit aliquid aut minuit. Omnes Episcopi dixerunt, Anathema.

LOMBARDVS, *qui magister sententiarum vulgò appellatur, lib.* 1. *sententiarum dist* 1. Theologorum speculatio studiosa atque modesta, diuinam Scripturam, formam præscriptam, in doctrina tenere aduertet.

Dist. 2. *Vt Augustinus lib.* 1 *de Trin docet:* Primò secundùm auctoritates sanctarum Scripturarum, vtrùm fides ita se habeat, demonstrandum est. Proponamus ergo in medium Veteris ac Noui Testamenti auctoritatem.

Dist. 13. Cur illud non dicitur? Quia Scriptura contradicit.

Lib. 1. *sent. dist.* 1. Nec in diuina Scriptura fas sit sentire aliquid esse contrarietatis.

Lib. 3 *sent. distinct* 5. Si illud dictum in sacra Scriptura reperiretur, ex eadem intelligentia acciperetur. Sed quia illud auctoritas subticuit, melius silere hoc quàm temerè asserere.

DVRANDVS *In præfat. lib. Sent.* De hoc ergo modo quo Deus nobis reuelat in libro Scripturæ seipsum, & alia ad salutem nos promouentia, intelliguntur verba proposita: est Deus in cœlo reuelans mysteria. Sacra scriptura excellit cæteras scientias in celsitudine dignitatis, in plenitudine bonitatis, in certitudine veritatis, & in voragine profunditatis. S. Scripturæ principium originale, Deus: intentio finalis, cœlum: ornamentum formale, reuelans contentum: materiale, mysteria. Ea de quibus agitur in Scriptura, excedunt limites naturalis rationis.

Ibid. Oportet loqui de mysterio Christi, & vniuersaliter de his quæ merè tangunt fidem, conformiter ad ea quæ tradidit S. Scriptura. Vnde Ioan. 5. Christus: Scrutamini Scripturas. Siquis autem hoc non seruat, non loquitur de mysterio Christi, ac de cæteris directè fidem

tangentibus, ficut oportet: fed incidit in illud Apoftoli, 1.Cor.8. Siquis exiftimat fe aliquid fcire, nondum cognouit quicquam quomodo oporteat eum fcire. Modus enim eft non excedere menfuram fidei. S.Scriptura MENSVRAM fidei exprimit. Et hunc modum, Deo adiuuante, tenere volumus, vt nihil fcribamus, vel doceamus, facræ Scripturæ diffonum. Quòd fi per ignorantiam vel inaduertentiam aliquid fcriberemus: ipfo facto pro non fcripto habeatur. Modus autem loquendi ac fcribendi in cæteris quæ fidem non tangunt, eft vt magis innitamur rationi, quàm auctoritati cuiufcunque doctoris, quantumcunque celebris, vel folennis: & paruipendatur omnis humana auctoritas, his quæ per rationem elucefcit contraria veritas. Inquando fidem tangunt, plus acquiefcere debemus auctoritati facræ Scripturæ, quàm cuicunque rationi humanæ: quia diuina notitia, quam exprimit facra Scriptura, plus excedit humanam notitiam, quam humana notitia beftiales: tamen omnis homo dimittens rationem propter auctoritatem humanam, incidit in infipientiam beftialem. Quis enim audeat dicere, quòd magis fit acquiefcendum auctoritati cuiufcunque doctoris, quàm auctoritati fanctorum doctorum Sacræ Scripturæ, Auguftini, Gregorij, Ambrofij & Hieronymi? Et tamen Auguftinus, inter doctores celeberrimus, dicit de feipfo 3. de Trinit. Noli meis literis, quafi Scripturis canonicis inferuire.

Petrus de Alliaco, præceptor Gerfonis, Nullum principis edictum, aut Ecclefiæ decretum eft iuftum, nifi fit diuinæ legi confonum. Nouum Teftamentum eft malleus qui vniuerfas hærefes interimit, eft velut lucerna lumen exhibens. Recurrendum eft ad folas Scripturas, vt æternam falutem adipifcamur.

GERSON *De vita fpirituali animæ* Non eft in poteftate Papæ aut Concilij, aut Ecclefiæ immutare traditiones datas ab Euangeliftis & à Paulo, ficut quidam delirant.

Idem parte 1. de exam. doctrinarum, Prima veritas ftatet, quum aliquis fimplex, non auctorifatus, excellenter effet in facris literis eruditus, quòd plus effet credendum, in cafu doctrinali, illius affertioni, quàm Papæ declarationi. Conftat enim plus effe credendum Euangelio quàm Papæ. Si igitur doceat talis eruditus veritatem aliquam in Euangelio contineri, vbi & Papa nefciret & vltrò erraret, patet cuius fit præferendum iudicium. Talis eruditus deberet in cafu, fi & dum celebraretur generale concilium, cui & ipfe præfens effet, & illi fe opponere, fi fentiret maiorem partem ad oppofitum Euangelij; Malitiâ vel Ignorantiâ declinare.

De comm fub vtraque fpecie, Scriptura facra eft Regula fidei, contra quam bene intellectam, non eft admittenda auctoritas hominum.

Confirmat in 1. ferm. facto in die circumcifionis. Quidam delirare non dubitant, quod per inuentiones humanas etiam meliùs quàm per legem diuinam & Euangelicam regeretur Ecclefia: hæc affertio blafphema eft, nedum falfa.

THOMAS *Opufc.1.* De Diuinis non debet homo aliter loqui quàm facra Scriptura loquitur.

Ibid. Quæ minùs cautè ab Ecclefiæ doctoribus dicta funt, ea extendere non oportet, fed exponere reuerenter.

In fumma Art 8. *qu.*1. Auctoritatibus Canonicæ Scripturæ, Theologia vtitur ex neceffitate: auctoritatibus aliorum doctorum vtitur, probabiliter arguendo. Innititur enim fides noftra reuelationi Apoftolis & Prophetis factæ, qui libros Canonicos fcripferunt, vt ait Auguftinus ad Hieronymum.

Art 10. Ex Allegorico fenfu non trahitur argumentum.

*Quæft.*147. *Art.*4. Statuta Ecclefiæ funt de his, quæ non funt per fe de neceffitate falutis.

In 2. ad Timotheum l.3. Scripturæ facræ effectus eft quadruplex: docet veritatem, arguit mendacium. Hæc quantum ad fpeculatiuam. Eripit à malo, ducit ad bonum: hæc quantum ad Practicam. Vltimus eius effectus, vt perficiat homines ad perfectum: non enim qualitercunque bonum facit, fed perficit.

*Art.*5.6.8. Theologia non fupponit fua principia ab aliqua fcientia humana: fed tantùm à fapientia diuina, à qua ficut à fumma fapientia, omnis noftra cognitio ordinari debet. Huius fcientiæ cognitio non eft per naturalem rationem, fed per reuelationem, & ideo de aliis iudicat omnibus.

P.qu.1.art 3. Ea quæ ex fola Dei voluntate proueniunt fupra omne debitum creaturæ, nobis innotefcere non poffunt, nifi quatenus in S. Scriptura traduntur: per quam diuina voluntas nobis innotefcit.

*In Epift. ad Rom. cap.9 lect.*1. Iudæi funt noftri capfarij, cuftodientes libros ex quibus noftræ fidei teftimonium perhibetur.

*Ibid. cap.*15. Non fuit vlla neceffitas hæc fcribere, nifi propter nos.

*In 1. ad Timoth. cap.6. lect.*1. Doctrina Apoftolorum & Prophetarum dicitur Canonica, quia eft regula intellectus noftri. Et ideo nullus aliter debet docere. Deuteronom.4. Non addetis ad verbum, neque auferetis ex eo, & Apoc. vltim.

SCOTVS *in* 1. *sent. qu.*2. sacra Scriptura tota vera, necessaria, sufficiens viatori ad consequendum finem suum: nec est dubia via salutis. Harum etiam explicatio, & quantum ad credenda, & quantum ad speranda, & quantum ad operanda, explicatur ex diuersis Scripturæ locis.

*Qu.*3. Theologia non est nisi de his quæ continentur in sacra Scriptura, & de iis quæ possunt ex his elici.

THEODORETVS, Vt adamas ferrum, sic sacra Scriptura piorum animos trahit.

Libro 5. *de corrigendis Græcorum affectibus.* Hebraici libri non tantùm in Græcum sermonem conuersi sunt: sed in Romanam quoque linguam, Ægyptiacam, Persicam, Indicam, Armenicam, Scythicam, atque adeò, Sauromaticam, & vt semel dicam in omnes linguas conuersi sunt, quibus nationes ad hunc vsque diem vtuntur.

THEOPHYLACTVS *in Ioan.*10. Scripturæ sacræ à Spiritu S. apertæ, nobis Christum ostendunt: ideóque Spiritu S. est Scripturarum ianitor.

De Lazaro. Illis qui scrutantur diuinas Scripturas, nihil potest illudere. Illæ enim sunt lucerna, qua fur deprehenditur.

ARTICVLVS II.

DE VNICO VERO DEO PATRE, FILIO, ET SPIRITV SANCTO, ET DE PERSONA FILII *Domini nostri* IESV CHRISTI, *qui est verè* Θεάνθρωπος, *verus Deus, & verus homo, duabus Naturis in vnitatem Personæ vnitis, in mysterio Incarnationis.*

CAPVT PRIMVM.

ROM.1.19.21.

ID quod de Deo cognosci potest, Deus ipsis manifestauit: sed vani facti sunt in cogitationibus suis. Adde vers.23.25.

Psalm.19. & 14. *Cæli narrant gloriam Dei.*

Psalm.29.2. *Dei laudes canuntur in eius sanctuario.*

Act.14.17. *Deus non seipsum sine testimonio reliquit, benefaciens è cælo.*

Ierem.9.24. *Qui gloriatur, in hoc glorietur, quòd me nouerit Dominum, qui facio misericordiam, iudicium & iustitiam in terra.*

Ioan.17.3.&.26. *Hæc est vita æterna, vt te solum cognoscant, & quem misisti Iesum Christum.*

Deut.4 & 6. *Edoctus es vnum esse Deum, nec esse alium præter eum. Audi Israel, Deus tuus, Deus vnus est.*

Esa.46. & 49. *Ego Dominus & non est alius, nec præter me, non est Deus.*

Adde Exod.3.14.15. & 6.3. & 33.20. & 34.6. 7. Deuter.32.39. Esa.40.28. & 44.6. & 45.5. & 46.9. & 47.4. & 48.11.12.13.

1.Corinth.8.4. *Nullus est Deus nisi vnus.*

Exod.20. *Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me.*

Ephes.4.5.6. *Vnus Dominus, vnus Deus.*

Matth.4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

Esa.42. *Ego sum Dominus, Gloriam meam alteri non dabo.*

Ierem.23. *Cælum & terram impleo, dicit Dominus.*

1.Tim.6. *Rex regum & Dominus dominantium, qui solus habeat immortalitatem.*

Ioan.5.23. *Qui non habet Filium, nec Patrem habet. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Omnes honorent Filium, prout honorant Patrem.*

1.Ioan.2.23. *Quisquis negat Filium, is nec Patrem habet.*

Psalm.2. *Filius meus es tu, hodie genui te.*

Ioan.1. *Verbum erat apud Deum. & Deus erat Verbum Verbum caro factum est. Omnia per ipsum facta sunt. Mundus per ipsum factus est. Hic est Filius Dei vnigenitus à Patre.*

Ioan.3.13. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.* Et cap.8.19. Act.14.13.23. *Huius Deus ex semine secundùm promissionem eduxit Israeli Saluatorem,* & vers.32.33.

1.Ioan.5.2. *Ipse est verus Deus & vita æterna.*

Matth.3. & 17. *Hic est Filius meus dilectus.*

1.Ioan.5.7. *Tres sunt qui testificantur in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres Vnum sunt.*

Esa.7. *Virgo pariet & concipiet filium & vocabitur nomen eius Emmanuel, id est, Deus nobiscum,* Matth.1.23.

Esa.25.9. *Ecce Deus noster iste, hic est Iehouah, expectabimus eum, & seruabit nos.*

Ierem.23. & 33. *Hoc est nomen quo germen Dauidis vocabitur, Iehouah Iustitia nostra.*

Hebr.1.& 6. *Tu in principio Domine fundasti cælum & terram,*

Phil.2.6. *Quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo: sed eximinauit semetipsum, formam serui accipiens.*

Matth.28. *Baptizate eos in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti.*

Adde Matth.1.1.16.20. & 2.6.23. & 3.17. & 12.18.21. & 16.16. & 17.5.

Ioan.15.27. *Spiritus veritatis à Patre procedit, quem ego mittam vobis.*

Gal.4.6. *Emisit Deus Spiritum Filij sui.*

Matth.16. & 26. *Tu es Christus Filius Dei viui.*

Psalm 110. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.*

Coloss.1.15. *Per eum condita sunt omnia quæ sunt in cælis & quæ in terra.*

Luc.1. *Maria mater Domini.*

Esaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?*

Phil.2.9. *In nomen Iesu omne genu flectatur.*

Rom.1.3 *Euangelium Dei de Filio suo facto ex semine Dauidis secundùm carnem.*

Rom.9.5. *Ex patribus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.*

Galat 4.4. *Deus misit Filium suum factum ex muliere.*

Hebr.2.16. *Non Angelos assumpsit, sed semen Abrahæ: quare debuit per omnia similis fratribus fieri.*

Hebr.4.15. *Non habemus Pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter absque peccato.*

1.Pet.4.1. *Christus in carne passus est.*

Hebr.2.14. *Christus particeps factus carne & sanguine, ijs communicauit: vt per mortem destrueret eum qui mortis habet imperium.*

Phil.3.21. *Transformabit corpus nostrum humile, vt conforme fiat corpori ipsius glorioso.*

Luc 24.39. *Contrectate me & videte. Nam spiritus carnem & ossa non habet sicut videtis me habere:* vers.51. *Recessit ab eis & ferebatur in cælum.*

Coloss.2.9. *Omnis plenitudo diuinitatis habitat in eo corporaliter.*

Genes.3.15. *Semen mulieris conteret caput serpentis.*

1.Ioan 4.2.3. *Qui confitetur Christum in carne venisse ex Deo est. Qui non confitetur Iesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est, sed est Antichristus.*

Apoc.19. & 17 *Christus est Rex regum, & Dominus dominantium.*

Actor.20. *Deus acquisiuit sibi Ecclesiam suam suo sanguine.*

Rom 5. *Reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius.*

Heb.6. *Filius Dei crucifixus.*

Luc. 9. *Filius hominis venit vt animas seruaret.*

Ioan.20.29 *Respondit Thomas & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus.*

Ioan.10.30. *Ego & Pater vnum sumus.*

Esaiæ 1. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Israel autem me non cognouit. & populus meus non intellexit.*

Ierem.6. *Si reuerteris, Israel, ad me reuertere, ait Dominus.*

Ioan.3. *Ita Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dederit, vt quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Rom.8.3. *Deus Filium suum misit in similitudine carnis peccati, vt peccatum condemnaret in carne.*

Ioan.14. *Proficiscor vt vobis parem locum: volo vt vbi ego sum, & illi sint me um,* & cap.15 16.

Act.3.21. *Quem oportet cælum recipere vsque in tempora restitutionis omnium.*

Act.1.9. *Iesus qui sursum est receptus à vobis in cælum: sic veniet quemadmodum vidistis eum proficiscentem in cælum.*

Psalm.139. *Quò ibo à Spiritu tuo aut quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero alas auroræ, & habitauero in extremis maris, etiam illic manus tua ducet me, & tenebit me dextera tua.*

Et alij loci complures eiusmodi.

CAPVT SECVNDVM.

FIDEI CONFESSIO EDITA IN CONCILIO NICÆNO.

CRedimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei vnigenitum, ex Patre genitum ante omnia ſecula. Deum de Deo, lumen de lumine. Deum verum de Deo vero, genitum non factum, ὁμοούσιον, Coëſſentialem Patri: per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine: & homo factus eſt, crucifixus pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt: & reſurrexit tertia die ſecundùm Scripturas, & aſcendit in cœlos, & ſedet à dextris Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis: & in Spiritum Sanctum qui loquutus eſt per Prophetas: Et vnam ſanctam vniuerſalem & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in Remiſſionem peccatorum. Expecto Reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſeculi.

CONFESSIO FIDEI IN CHALCEDONENSI CONCILIO edita, ſub Martiano Imperatore, qua Eutychianos damnauit.

VNum & eundem confitemur Filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Et concorditer docemus omnes; eundem perfectum in Deitate, & eundem perfectum in Humanitate, verè Deum & verè hominem, eundem ex rationali anima & corpore: Coëſſentialem Patri ſecundùm Deitatem & coëſſentialem nobis ſecundùm Humanitatem, per omnia nobis ſimilem, excepto peccato: ante ſecula genitum ex Patre, ſecundùm Diuinitatem: Poſtremis verò diebus propter nos & propter noſtram ſalutem, ex Maria Virgine & Deipara, ſecundùm humanitatem. Vnum & eundem Ieſum Chriſtum Filium Dei Dominum & vnigenitum, in duabus Naturis, ἀσυγχύτως inconfusè, ἀτρέπτως inconuertibiliter, ἀδιαιρέτως indiuulsè, ἀχωρίστως inſeparabiliter manifeſtatum: haudquaquam differentia Naturarum propter vnitatem ſublata, οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, ſed magis vtriuſq; Naturæ, in vnam Perſonam concurrentis, proprietate ſeruata, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως. Non vt in duas Perſonas bipartiatur, aut diuidatur: ſed vt ſit vnus & idem Filius vnigenitus, Deus Verbum & Dominus noſter Ieſus Chriſtus: ſicut de illo olim Prophetæ vaticinati ſunt, & ipſe nos Chriſtus inſtruxit, ac Patrum noſtrorum Symbolum tradidit.

CONFESSIO FIDEI CONCILII Conſtantinopolitani primi.

CRedo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium: & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt: crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die ſecundùm Scripturas: & aſcendit ad cœlos: ſedet ad dexteram Patris: & iterum venturus eſt in gloria iudicare viuos & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum & viuificatorem qui ex Patre Filióque procedit: qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & glorificatur, qui loquutus eſt per Prophetas. Et vnam ſanctam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum: & exſpecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſeculi. AMEN.

EX EPHESINI CONCILII DETERMINATIONIBVS sub Theodosio iuniore, quibus Nestoriani damnati.

1 SI quis non confitetur Christum esse veraciter Emmanuel, & propterea Dei genitricem sanctam Virginem (Peperit enim secundùm carnem, carnem factum Dei Verbum, secundùm quod scriptum est, Verbum caro factum est) anathema sit. 2. Si quis non confitetur, carnem secundùm substantiam vnitum Dei Patris Verbum, vnumque esse Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum simul & hominem, anathema sit. Pontificem confessionis nostræ factum esse Christum, diuina Scriptura commemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suauitatis Deo & Patri. Si quis ergo Pontificem nostrum dicit factum, non ipsum Dei Verbum, quando caro factum est, & homo iuxta nos homines: sed velut alterum præter ipsum specialiter hominem ex muliere: aut qui dicit quòd pro se obtulisset semetipsum oblationem, & non potiùs pro nobis solis (non enim eguit oblatione qui peccatum omnino nesciuit) anathema sit. Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem esse, & propriam ipsius Verbi Dei Patris, ac non potiùs viuificatricem esse, quia facta est propria Verbi viuificare valentis, anathema sit. Si quis non confitetur Dei Verbum passum carne, & crucifixum carne, & mortem carne gustasse, qui est viuificator vt Deus, anathema sit.

IRENÆI SYMBOLVM.

Lib.1. contra hæreses cap.2. Ecclesia per vniuersum Orbem vsque ad fines terræ seminata & ab Apostolis & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in vnum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: & in vnum Iesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostra salute: & in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas Dei prædicauit dispositiones & aduentum, & eam quæ est ex Virgine generationem & passionem & resurrectionem à mortuis: & in carne in cœlos ascensionem dilecti Iesu Christi Domini nostri: & de cœlis in gloria Patris aduentum eius, ad recapitulanda vniuersa, & ad resuscitandam omnem carnem humani generis: vt Christo Iesu Domino nostro, & Deo, & Saluatori & regi secundùm placitum Patris inuisibilis, omne genu curuetur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur ei, & iudicium iustum in omnibus faciat, & in ignem mittat spiritus nequitiæ & angelos transgressores, atque apostatas factos, & impios & iniustos & iniquos & blasphemos homines in æternum ignem mittat, iustis autem & æquis, & præcepta eius seruantibus, & in dilectione eius perseuerantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia, vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat & claritatem æternam circumdet.

Capite 3. Hanc prædicationem cùm acceperit & hanc fidem, quemadmodum diximus, Ecclesia quidem in vniuersum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans, & similiter credit iis, videlicet quasi vnam domum inhabitans conseruat: ac velut vnam animam habens, & vnum cor, & consonanter hæc prædicat & docet & tradit quasi vnum possidens os. Nam etsi in mundo dissimiles loquelæ sunt, sed tamen virtus traditionis vna & eadem est. Et neque hæ quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Hiberis sunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lybia, neque hæ quæ sunt in Mediterraneis regionibus sitæ. Sed sicut Sol creatura Dei, in vniuerso mundo vnus & idem est: sic & lumen, prædicatio veritatis vbique lucet & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire: & neque qui valde præualet in sermone ex iis qui præsunt Ecclesiis, alia quàm hæc sunt, dicet. Nemo enim super magistrum est.

SYMBOLVM ATHANASII.

QVicunque vult salvus esse ante omnia, opus est, vt teneat Catholicam fidem: quam nisi quisque integram inuiolatamque seruauerit, absque dubio in æternum peribit. Fides autem Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate veneremur: neque confundentes Hypostases, neque Essentiam separantes. Alia enim est hypostasis Patris, alia Filia Sancti Spiritus. Sed Patris, Filij, & Spiritus Sancti, vna est Deitas, æqualis gloria, coæterna maiestas. Non sunt tres Æterni, sed vnus Æternus: sicut non tres immensi, sed vnus Immensus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Sanctus Spiritus: & tamen non tres Omnipotentes, sed vnus Omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus: & tamen non tres Dij, sed vnus est Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Sanctus Spiritus: & tamen non tres Domini, sed vnus est Dominus. Quia sicut sigillatim vnamquamque Personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres Deos, aut tres Dominos dicere; Catholica religione prohibemur. Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus: Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus: sed tres hypostases coæternæ sunt sibi & æquales. Ita vt per omnia & Vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda sit.

Sed necessarium ad æternam salutem, vt Incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat qui vult saluus esse. Est ergo Fides recta, vt credamus & confiteamur, quòd Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus & Homo est. Deus est ex substantia Patris genitus, & homo ex substantia matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali & humana carne subsistens, ὑφιστάμενος. Æqualis Patri secundùm Deitatem κατὰ τὴν θεότητα, minor Patre κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, secundùm humanitatem. Qui etsi Deus est & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus autem non conuersione, οὐ τροπῇ, Deitatis in carnem: sed προσλήψει, Assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino, non confusione substantiæ, sed vnitate Personæ. εἷς πάντως οὐ συγχύσει τῆς οὐσίας, ἀλλ' ἑνότητι τῆς ὑποστάσεως. Nam sicut anima rationalis & caro, vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus, qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cœlos; sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, vnde venturus est iudicare viuos & mortuos. Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: & reddituri sunt de propriis factis rationem: & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala in ignem æternum.

Hæc est fides Catholica quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit saluus esse, non poterit.

Idem ATHANASIVS *Epist. de sentent. Dionysii.* Quum hoc vocabulum, DEVS, audimus, intelligimus incomprehensibilem substantiam. Non inueni in sacris literis hanc vocem Homoousion, consubstantialis, rem tamen ipsam inibi cognoui.

Epist. ad Episc. Afric. Hypostasis subsistentia, est hoc ipsum quod Hieremias ὕπαρξιν nominauit.

Contra Macedonianos. Vna est Patris & Filij & Spiritus Sancti Essentia.

Orat. 2. contra Arrianos. Vna Deitas in Trinitate.

Ibid. In Deitate vna, Pater propriè Pater est: & Filius propriè Filius est.

De Incarn. De Incatuatione respondemus. Ad exactum discutere res istas, paucorum: fidem autem retinere, omnium est Christianorum.

Contra Sabellij gregales Filius etiam mittit Spiritum Sanctum, Ioan. 16. In Patre & Filio vna Essentia.

In Symb. Fidei, Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus, non genitus, sed Procedens. Filius est æqualis Patri, secundùm Diuinitatem: Minor Patre, secundùm Humanitatem.

Contra Idola, Non erunt tibi alij Dij præter me. Non quòd sint alij Dij, ideo eos prohibet. Sed ne quis auersus à vero Deo, sibi ea quæ non sunt in numina constituat. πολυθεότης, ἀθεότης, multitudo numinum, nullitas numinum.

De sanctiss. Deipara, Hypostasis est id quod subsistit: Vnus Deus in tribus hypostasibus, in quibus vna essentia. Vnum Deum in Ternione personarum confitemur. Singulis personis proprietatem attribuimus. In Patre naturam Ingeniti: in Filio Geniti: in Spiritu Sancto Procedentis.

Orat. 4.

Orat.4.contra Arrian. Patris Filius ideo corpus quod mori posset sibi assumit, vt illud rationis particeps factum, pro omnibus morti ad plenam satisfactionem sufficeret.

Ibid. Verbum Patris non in corpore circumclusum erat, vt qui in corpore aderat, alibi deerat.

Ibid. Quum Filius verus Deus esset, proprium Corpus cepit, eóque vtens vt organo, homo factus est propter nos: ideóque quæ propria sunt Carnis, de illo referuntur: erat enim caro ipsius. Necesse est passiones quoque Carnis eius dici cuius est ista Caro: & rectè passiones Domini appellantur. Verbum ipsum impatibile est: sed tamen, ob carnem quam induit, illa de eo prædicantur. Quia & illa propria sunt Carnis, & caro illa proprium est corpus Dei Saluatoris.

De Incarn. Per quem rerum naturam condidit Pater, per eundem quoque eam præstat saluam. In ipso nomine Christi, vtraque Natura significatur, & Deitatis & humanitatis.

Ad Epictetum epist. Verum Corpus ex Maria genitum, idem cum corporibus nostris. Nec est quod quisquam de ea re dubitet. Nam postquam resurrexit à mortuis, ita locutus est: videte manus meas, &c.

Ibid. Dei corpus non erat Verbum, sed erat Corpus Verbi.

Ibid. Christus pro nobis factus est execratio. Non quòd in execrationem transmutatus sit. Sed quia pro nobis execrationem in se suscepit. Factus est quoque Filius Dei Caro: non quòd Filius Dei in carnem conuersus sit: sed quòd carnem pro nobis assumpserit. Non ante Mariam carnem habuit: nec est Corpus Christi eiusdem substantiæ cum Verbo. Nam ex Trinitate fieret quaternitas. Verum corpus ex Maria, secundùm Scripturas, genitum est: verum, inquam, quia idem est cum corporibus nostris. Multi hallucinantur qui creaturam Creatori exæquant. Trinitas, Verbo corpus assumente ex Maria, in suo ternario permansit: & in vna Deitate Trinitas agnoscitur.

Orat.2.contra Arrian. Vna Deitas in Trinitate.

Ibid. In sola Deitate Pater propriè Pater est, & Filius propriè Filius est.

Orat.5. Verbum, est substantialis sapientia, non fluxibiliter vox significatiua.

Ibid. Incarnatum Verbum Dei adoramus. Nam tametsi caro ipsa per se pars sit rerum creatarum: attamen Dei corpus effecta est. Neque corpus seorsum discriminatum à Verbo adoratione prosequimur: Neque Verbum adoraturi, Verbum à carne seponimus.

Ad Liberium. Vbi Verbum corpus assumpsit, Iesus vocatus est.

Ad Antioch. In tribus est Identitas naturæ (vel substantiæ) Trinitas in vna Deitate consistit. Ineptè illi, qui pro vna persona Domini nostri Iesu Christi, duas personas statuunt.

De Incarn. Commentum est imp[ie]tatis quòd audetis dicere carnem Christi esse eiusdem substantiæ cum ipsius Deitate.

De aduentu Christi, Stolidi adscribunt Deitati mortem: passus est in Carne.

De sanctiss. Deipara, Statuimus Christum, non Deiferum hominem, sed carniferum Deum.

BASILIVS, *hom.25.de Christi gen.* Homines nec eloqui nec intelligere possunt modum Generationis Filij Dei. Deus inter homines versatus est in Carne quam sibi vniuit.

Adu.Eunom.lib.2. Imago Patris non est aptitudo aut habitus, sed viua substantia. Ingenitum & Æternum differunt. Ingenitum est quod causam & originem sui non habet. Æternum autem, quod omni æuo est antiquius.

Ibid. Non eodêm modo nomina Patris & Filij de Deo dicuntur, vt inter homines Pater & Filius dicitur.

Ibid. Proprietates characteristicæ discernunt quod commune est diuinæ essentiæ, sed essentiæ identitatem non scindunt: τὸ ὁμοφυὲς τῆς οὐσίας ἰδιότητες καὶ χαρακτῆρες οὐ διακόπτει.

Ibid. lib.1. Filius character & imago Patris, non in figuræ similitudine, sed in ipsa substantia Identitatem retinens: sicut formam assumpsit in substantia humanitatis. Quum dicit Apostolus ἐν μορφῇ Dei, attestatur ipsi Diuinæ substantiæ proprietatem.

De vera fide, Pater Filium mittit, Filius Spiritum Sanctum.

In Ascet. Spiritus Sanctus mittitur à Filio. τριὰς ὁμοούσιος, Trinitas est eiusdem essentiæ.

Hom de Euchar. Christus defessus fuit de via, [fl]euit &c. non Deitate, sed corpore suo, eiusmodi res recipiente.

Homilia de Mimante Martyre. Hæreticus vult τὴν οὐσίαν Θεοῦ νοεῖν essentiam Dei intelligere. Illa vis dignoscere de Deitate, quæ tu tuæ [illegible] petulantia linguæ tuæ efferas. Quid de Deo dignoscimus? Oues meæ vocem meam audiunt. Ecce quomodo cognoscitur Deus ex eo quod audimus mandata eius. Hæc est Dei cognitio, Mandata eius seruare.

Ibid. ἀρκεῖ σοι Sufficit tibi scire, quòd ipse est Pastor bonus, quòd posuit animam suam pro ouibus suis. Hic est ὅρος terminus cognitionis Dei. Quantus autem sit Deus, & quæ sit mensura eius, & qualis sit essentia eius, talia sunt

sciscitanti periculosa, ei qui rogatur perplexa: silentium est talium medicina. Oues meæ audiunt vocem meam, inquit ille, οὐ συζητεῖ non disputant, hoc est obtemperant, non contendunt. Audiuisti, Filium: ne quæras à me τρόπους γεννήσεως modos Generationis.

Homilia 10. *Hexaemerôn.* μὴ σχίσῃς τὴν προσκύνησιν, ἀλλὰ ἕνωσον τὴν θεότητα: ne diuidas adorationem, sed vnias Deitatem μὴ μεριζόμενος εἰς πολυθεΐαν, ne partiatis ad pluralitatem deorum: dictum est, Deus fecit hominem. ἰδία ὑπόστασις πατρὸς, καὶ ἰδία υἱοῦ, καὶ ἰδία πνεύματος ἁγίου. Propria hypostasis siue subsistentia Patris & propria Filij & propria Spiritus Sancti. Et tamen μία θεότης vnica est Deitas: quam enim video in Patre Deitatem eam ταύτην in Filio: quam in Filio, eam ταύτην in Spiritu Sancto.

Paulò pòst ibidem. Dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Estne Deus nobis σύμμορφος, habétne similem formam nobis, oculos, aures, caput, manus, pedes? Estne talis Deus? reiicias ex animo tuo tales cogitationes: ἀσχημάτιστος ὁ Θεός Deus est sine figura, ἁπλοῦς simplex, ἀμεγέθης sine magnitudine, ἄποσος sine quantitate. Noli aliquam in illo formam imaginari: noli Iudaico more diminuere magnum, nec complecti Deum corporalibus cogitationibus: ne circumscribas eum mente tua: incomprehensibilis est magnitudine.

Aduersus Eunomium lib. 2. Filius cùm ante secula sit & semper sit, nunquam esse incœpit: sed ex quo Pater est, & Filius est.

NAZIANZENVS *Orat.* 1. *de pace*, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum adorantes, in Filio Patrem, in Spiritu Sancto, Filium cognoscentes, in quos Baptismi aquâ tincti sumus, in quos credimus. πρὶν συνάψαι διαιροῦντες, καὶ πρὶν διαιρεῖν συνάπτοντες, οὔτε τὰ τρία ὡς ἕνα, καὶ τὰ τρία ... οὐχ ὑποστάσει, ἀλλὰ θεότητι. μονὰς ἐν τριάδι προσκυνουμένη, καὶ τριὰς εἰς μονάδα ἀνακεφαλαιουμένη, πᾶσα προσκυνητὴ, ὁμόδοξος, ἀόρατος, ὑπερκόσμιος, ἀπερίληπτος; Priùs eos discernentes, quàm coniungamus, priúsque coniungentes quàm diuidamus. Nec tria tanquam vnum accipientes, & tria vnum esse credentes. Vnum enim sunt non Hypostasi seu persona, sed Deitate. Vnitas in Trinitate adoranda: & Trinitas in vnitatem collecta, tota adoranda.

In laude Heron. Si quis trium horum aliquid circumciderit, aut à reliquis distraxerit, in eadem est impietate, ac si totum euerteret.

Ibid. Nihil æquè germanos Dei cultores inter se conciliat, atque consentientes de Deo sententiæ.

Orat. de moderatione in disputationibus seruanda, Non est cuiusuis hominis, nec cuiusuis temporis de Deo disputare.

Orat ad 150. *Episc.* Credimus in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum eiusdem essentiæ, & gloriæ. Vnum quod ad Essentiam: tria autem quod ad hypostases, siue personas. Desinant enim qui de vocabulis Personæ & Hypostasis rixantur, ineptire. Quid enim nobis Hypostases volunt: aut vobis Personæ? Nempe tria esse, quæ diuidantur, non Essentiis, sed proprietatibus: quæ sunt Ingenitus, Genitus & Procedens. Idem illi sentiunt: tametsi syllabis discrepent. Fidei nostræ pietas, non in vocabulis, sed in rebus consistit.

In laudem Athanasij, vna Essentia, & tres Hypostases à nobis piè dicitur: illud φύσιν, naturam Deitatis designat: hoc verò, ἰδιότητας proprietates trium. Eodem modo apud Italos παρὰ τοῖς Ἰταλοῖς, intelligitur. Sed ipsi non possunt, propter illius linguæ angustiam & vocabulorum penuriam, hypostasin ab essentia distinguere. Ideò induxerunt PERSONARVM nomen τὰ πρόσωπα, ne tres οὐσίας, Essentias recipere viderentur. Quid factum est? Inde existimatum est, diuersitatem esse in fide: & fuit de hac re μικρολογία, de vocabulis minuta disputatio. Verùm Athanasius vtraque parte leniter & humanè audita posteaquam reperit, nihil, quantum ad Doctrinam, illos dissidere: ita negotium transegit, vt nominum vsum ipsis concedens, rebus eos constringeret. Fructuosus labor, res composita, contentio sublata.

In laudem Heronis, Patris proprietas est ἀγεννησία: Filij verò ἡ γέννησις. Spiritus verò S. ἡ ἐκπόρευσις. Ingenitus est Pater, Filius est genitus: Spiritus Sanctus procedens. Adorare oportet vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate: quæ miram habet distinctionem, & Vnitatem.

Orat. de dogmate, Adoramus Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum: τὰς μὲν ἰδιότητας χωρίζοντες, ἑνοῦντες δὲ τὴν θεότητα: proprietates distinguentes, Deitatem vnientes. Est ταυτότης οὐσίας Essentiæ identitas, nec est Hypostaseon confusio aut commixtio.

De Theol. orat. 2. *& ad Euagrium.* Vt inter mentem, cogitationem & animum nulla est sectio: aut inter Solem, lucem & radium: aut riui ab aquarum fonte scaturigo, riuus, &c.

Orat in S. Baptis. οὐ φθάνω τὸ ἓν νοῆσαι, καὶ τοῖς τρισὶ περιλάμπομαι. οὐ φθάνω τὰ τρία διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι: vix vnum animo concepi, quum statim trino lumine circumfulgeo: vix tria diuidere incipio, quum ad vnum statim referor.

In carmin. Virginit. ἓν δὲ θεὸς, θνητός τε, φύσεις δύο

θεὸς ἵνα ἀγιάσῃ. Venit Deus, vt mori posset, duas naturas in vnum colligitur.

Ad Cledon. epist. 1. Dominus Iesus Christus est Deus noster, neque humanitatem eius separemus ab ipsius Deitate, sed vnum & eundem prædicamus, vnigenitum & æternum Dei Filium, qui naturam humanam assumpsit: παθητὸν σαρκί, ἀπαθῆ θεότητι, passibilem carne, impassibilem Deitate: περιγραπτὸν σώματι, ἀπερίγραπτον θεότητι, Circumscriptum corpore, incircumscriptum Deitate. Si quis Virginem Mariam non credit θεοτόκον, Dei genetricem, extra Diuinitatem est. In eadem est impietate, qui dicit Christum per Virginem decurrisse tanquam per canalem. Item si quis dicat, duos esse Filios. Duæ sunt φύσεις naturæ, Deus & homo, non tamen duo Filij, aut duo Dij. Atque vt συντόμως dicam: ἄλλο καὶ ἄλλο, sed non est ἄλλος καὶ ἄλλος: est in Christo Aliud & Aliud: sed non est Alius & Alius. Aliter se res habet in Sancta Trinitate, in qua est ἄλλος καὶ ἄλλος, alius & alius, ne Hypostases confundamus: sed non in ea est ἄλλο καὶ ἄλλο, non est aliud & aliud. Vnum enim sunt illa tria & idem Deitate, ταὐτὸν τῇ θεότητι. Sit anathema qui dicit carnem Christi descendisse de cœlo, &c. existimandum est dici διὰ τὴν ἕνωσιν propter vnionem. Connexis nimirum, vt naturis, ita etiam κλήσεσι συγκιρναμένων τε ἀλλήλαις καὶ λόγῳ τῆς συμφυΐας: appellationibus connaturalitatis inter se commeantibus. Verbum caro factum dicitur: quia suscepit carnem. Quamquam Deus & homo duæ sunt naturæ, non tamen duo Filij, nec duo Dij. Sicut anima & corpus constituunt vnum Paulum: Nec sunt duo homines, qui ex anima & corpore, diuersis naturis, &c.

De statu Episcoporum, De Deo, vt ait Salomo, nihil ex meipso cogitem aut loquar. Vnus Deus. Tres personas distinguimus, Deitatem vnientes. Neque in vnum tria contrahimus: nec rursus in tria separamus: vt hinc Arij, inde Sabellij blasphemiam vitemus. Tres personas retinebimus, si nulla confusio, nulla commixtio nulla compositio excogitetur.

Ibid. Perfectissima rerum omnium est Dei cognitio. *Ibid.* Audis Generationem, modum ne curiosiùs inquiras.

Orat in sancta lumina. Vnum in Tribus, Diuinitas est: & Tria vnum, in quibus Diuinitas est, vel vt magis propriè dicam, quæ Diuinitas est.

Oratione de fide. Tunc Deus dignè æstimatur quum Inæstimabilis dicitur: quum dicitur, non potest dici: quum definitur, ipsa definitione crescit.

Orat. 4. de Theol. serm. 1. de Fil. Hoc est quod hæreticis præbet errandi occasionem, nempe ἡ τῶν ὀνομάτων ἀντίδοσις, mutua vocabulorum attributio, quæ de vno Christo prædicantur. Sed sicut naturæ in vnione, illa discernuntur: ita etiam nominum permutatio & attributio.

IRENÆVS *libro 2. cap. 39.* Magister noster Christus non aliud videbatur, & aliud erat: sed quod erat, hoc & videbatur.

Lib. 3. cap. 6. Neque Dominus neque Spiritus Sanctus, neque Apostoli eum qui non esset Deus definitiuè & absolutè, Deum nominassent, nisi esset verus Deus: neque Dominum appellassent aliquem, nisi qui dominator omnium, Deum Patrem & Filium eius: quemadmodum habet illud: dixit Dominus Domino meo. Patrem enim Filio collocutum ostendit.

Cap. 18. Christus est Emanuel, ne fortè tantum eum hominem putaremus, sed vnum & eundem sciremus Deum esse.

CHRYSOSTOMVS *in Psal. 43.* Ex magnitudine & pulchritudine Creaturarum cognoscitur opifex. Ipsa hominis constitutio beneficia, supplicia, &c. Posthæc venit ipse vnigenitus &c. Deum ergo ignoras? absit: scio eum esse clementem, misericordem, prouidentem, & omnium curam gerentem. Quid autem sit substantia Dei non noui.

Hom. 6. in Gen. Magnæ stultitiæ est pulchris creaturis assidere, & non sustollere mentis oculos ad eum qui eas produxit.

In ep ad Gal. hom. 1. Domini Iesu Christi nomen, si diligenter expendatur, totam illius erga nos beneficentiam declarat.

In ep. ad Phil. hom 6. Forma serui, non est opus vel energia, sed est natura. Formam serui accepit: est, homo factus est.

In 1. ad Tim. hom. 6. Vnus Deus, non plurimi, qui misit Mediatorem Filium suum, qui est Deus. Enimuero Mediator vtrisque debet eis societate coniungi quorum Mediator est, & vtrorumq; particeps fieri. Quòd si vnum societate contingat, ab altero fuerit separatus, Mediator iam dici non potest. Nisi igitur consors sit paternæ naturæ, Mediator profectò non est. Quemadmodum humanæ naturæ consortium accepit, quando ad homines venit: ita & à Dei substantia non abscessit. Quia duarum naturarum MEDIVS, fuit, ambarum oportuit esse participem. Medium enim vtramque partem contingat necesse est, & connectat.

In 2. ad Tim. hom. 8. Sicut qui omnes fluuij partes transire vult æquè, is maximè fluminum proprietates ignorat: & dum nimis præsumit secreta penetrare, omissis planioribus locis,

perit temeritate sua: Ita in Deo qui scire omnia vult, & improba temeritate cuncta rimari, hic qui sit Deus ignorat.

Aduersus Anomaeos or.5. Deus commune nomen Patris & Filij est. Nomina diuina partim communia, partim propria habentur. Communia, vt eadem atque indifferens substantia ostendatur. Propria vt personarum denotetur proprietas. Pater & Filius, nomen personae proprium est. Deus verè & Dominus communè. Deus pater & Dominus: Filius etiam Deus & Dominus.

In Ps.9. tom.1. Ne confundantur Hypostases: sed eadem est substantia. Alioqui quomodo aequalem honorem exegisset?

In Ps.47. Quid est, sedet ad dexteram? Regnat, imperiumque obtinet.

Hom. de Spiritu S. Spiritus Sanctus Personam in Deitate habens, procedit à Patre & est Filij.

Ibid. Impossibile est eos qui circa Spiritum S. aberrant recto pede ambulare circa Filium.

In Matth. hom 8. Si Christus à prima infantia mirabilia monstrasset, homo creditus non fuisset.

Hom 3. in Matt. tom.2. Tales progenitores Christus habere voluit, nihil ob nostra mala erubescens: venit, non vt nostra opprobria fugeret, sed vt ea extingueret. Euangelista ostendit ipsos quoque progenitores obnoxios peccatis.

Hom 12. in Matt. Sanctus Spiritus non assumpsit naturam columbae, sed speciem.

In Iohan. hom.10. Substantiae non fuit mutatio, sed verae carnis acceptio. Vnus est Christus, Deus Verbum & Caro: non confusione, aut interitu substantiarum. Quomodo hoc fit, noli disquirere. Carnem nostram induit, non vt rursum dimitteret.

In Iohan. hom 26. tom.3. Nemo ascendit in coelum, nisi qui de coelo descendit filius hominis qui est in coelo. Non enim in coelo tantùm est, sed vbique omnia implet. Filium autem hominis hoc in loco, non carnem sed à minori substantia totum seipsum intelligit. Hic namque ei mos est, vt nunc à Diuinitate, nunc ab humanitate totum nuncupet.

Hom.30. Quemadmodum credi voluit se Deum esse, ita & carnem suscepisse.

In Acta hom 2. Quod abiret in coelum, oculis ipsis didicerunt.

AMBROSIVS *de fide contra Arrianos cap.6. tom.2.* Deus est de quo & quum dicitur, non potest dici: quum aestimatur, non potest aestimari: quum comparatur, non potest comparari: quum definitur, ipsa sua definitione crescit. Quem totum omnia nesciunt, & metuendo sciunt.

Lib.6. Epist.37. tom.3. Impossibile est Deum mentiri. Impossibile istud, non vtique infirmitatis est, sed virtutis & majestatis. Quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus. Nec mutare se potest: quia natura eius non recipit infirmitatem. Quid ergo ei impossibile? Non quod virtuti arduum, sed quod naturae eius contrarium.

De fide lib.1. cap.2. tom.2. Nos Patrem & Filium & Spiritum Sanctum confitemur, ita vt in Trinitate sit Vnitas Diuinitatis. Inter Patrem & Filium, generationis est expressa distinctio.

Cap.5. Non sola admirabilis ex Patre generatio Christi: admirabilis etiam ipsa generatio ex matre.

Cap.8. Ex Patre natus, non factus: vnius substantiae cum Patre. Sic nempe nostri, secundùm Scripturas dixerunt patres, vt Arrij perfidia ipsa se proderet, non quasi fucis quibusdam & coloribus illa velaretur. Fucum enim faciunt, qui non audent explicare quod sentiunt.

Ibid lib.2. in prologo, Deum esse Dei Filium, Scripturarum lectionibus satis edoctum est. Tria illa: Generatio, Filius, Vnigenitus, propriè indicant ex Deo Filium.

Cap.3. Pater, si possibile est, transfer à me Calicem hunc. In qua forma loquatur aduerte. Hominis substantiam gessit hominis assumpsit affectum. Non ergo quasi Deus, sed quasi homo loquitur. Alia voluntas hominis, alia Dei, vt homo suscepit tristitiam meam, vt homo loquutus est. Mihi compatitur, mihi tristis est, mihi dolet. Sicut mors eius mortem abstulit: ita moerorem nostrum moeror eius abolet. Turbatur secundùm humanae fragilitatis assumptionem. Et ideo quia suscepit animam, suscepit & animae passiones. Eo quòd Deus erat, aut turbari, aut mori non potuisset. Denique, Deus, inquit, meus, quare me dereliquisti? Vt homo ergo loquitur, meos circumferens metus. Vt homo turbatur, vt homo flet, vt homo crucifigitur. Sic enim Apostolus, Galat.4. Carnem Christi crucifixerunt. Et Apostolus Petrus ait, 1. Petr. 4. Christo passo secundùm carnem. Caro igitur est passa: Diuinitas autem mortis libera. An verò mori Diuinitas potest, quum anima non possit?

Cap.4. Vnde illud quod lectum est, 1. Cor.2. Dominum maiestatis crucifixum esse, non quasi in maiestate sua crucifixum putemus. Sed quia idem Deus, idem homo. Per diuinitatem

tem

tem Deus: per susceptionem carnis, homo Iesus Christus. Dominus maiestatis dicitur crucifixus, quia consors vtriusque naturæ, id est, humanæ atque diuinæ, in natura hominis subiit passionem. Per naturam hominis, dicit etiam illud: Vado ad Patrem: Pater major me est. Neque enim Deus de loco ad locum transit. Non potest minor esse Deus, quum Deus perfectus & plenus sit. Sed minor in natura hominis. Per susceptionem carnis minoratus. Non amittens vtique quod erat, sed assumens quod non erat: quia formam serui accepit. Æqualis Patri, in Dei forma: minor in susceptione carnis, & hominis passione. Quomodo maiorem habet qui diuinitate cum Patre vnum est? Et vt agnoscas nullam maiestatis esse distantiam, etiam Filius Spiritum mittit.

Ibid. Seruemus distinctionem Diuinitatis & Carnis. Vnus in vtraque loquitur Dei Filius, quia in eodem vtraque natura est. Etsi idem loquitur, non vno semper loquitur modo. Quasi Deus loquitur, quæ sunt Diuina, quia Verbum est: quasi homo dicit quæ sunt humana: quia in mea sustantia loquebatur. Sanctificatur in carne pro nobis, & Diuinitate sanctificat. Propter me Christus suscepit meas infirmitates.

Ibid. Dicit Christus: Hoc ergo profeci, vt me impiè negaretis pro quibus ista sustinui &c.

Ibid. lib.3. cap.3. Sacrilegium detestabile, ad diuinitatem referre, quæ carnis sunt. Timuerunt in Deo carnem credere, & ideo redemptionis gratiam perdiderunt, quia causam salutis abiurant. Detestandi qui Diuinitatem Christi, cruci subditam crediderunt.

Cap.4. Aliud munus è terris, aliud munus è cœlo, & vtrunque vnus, in vtroque perfectus: & sine mutabilitate Diuinitatis, & sine humanæ imminutione naturæ. vnum adorauerunt, eidemque munera obtulerunt Magi: vt ostenderent ipsum esse cœli Dominum qui in præsepibus videtur.

Cap. 5. Scripturæ interdum à Diuinitate Christi incipiunt: interdum ab humilitate Incarnationis exordium sumunt, & ad gloriam Diuinitatis assurgunt. Non vt confundat humana atque diuina, sed vt distinguat. Verùm Arriani diuinam generationem humanamque confundunt, ad diuinitatem referentes, quod de carne dictum sit.

Lib.5 c.1. Quum Christus iustificet & sanctificet quos velit, non foris assumens, sed in se habens sanctificandi potestatem, quomodo non est verus Deus naturaliter? Euidenter est, quia quod vnius est substantiæ separari non potest, etiamsi non sit singularitatis, sed vnitatis. Singularitatem hanc dico quæ ad personam pertinet: Vnitas ad naturam. Pater autem & Filius, quia vnius substantiæ sunt, non duo dij, sed vnus Deus.

Cap.2. Secundùm carnem hominibus copulatur. Intelligere debemus quod non potest per eandem Naturam & adorare quasi seruus, & adorari quasi Dominus.

Cap. 3. Pia mens quæ leguntur secundùm Carnem, Diuinitatemque, distinguit, sacrilega confundit.

Cap.6. non vtique secundùm diuinitatem subiectus est Dei Filius.

De vocatione Gentium libro 2. cap.10. Non est in Deo accidens motus, aut noua voluntas, aut temporale consilium, nec cogitatio eius cum rerum mutabilium inæqualitate variatur.

Epistola 37. lib. 6. Impossibile est mentiri Deum. Impossibile quoque istud, nunquidnam infirmitatis est? Non vtique: Nam quomodo etiam potest, si aliquid efficere non potest? Quid ergo ei impossibile? Non quod virtuti arduum, sed quod naturæ eius contrarium. Impossibile, inquit, est ei, mentiri. Impossibile istud non infirmitatis est, sed virtutis & maiestatis: quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus leuitatis errorem. Ideoque fit Deus verax, omnis autem homo mendax. Nec mutare se potest, quia natura eius non recipit infirmitatem. Hoc igitur Impossibile, plenitudinis eius est: quia minuere se & augere non potest: non infirmitatis, quæ in eo quod se auget imbecilla est. Ex quo colligitur, Impossibile Dei potentissimum esse. Quid enim potentius quàm nescire quicquid infirmitatis est?

De Spiritu Sancto lib.1. cap.7. Quomodo quis audeat appellare creaturam Spiritum Sanctum, qui non habeat circumscriptam determinatamque virtutem? Quia & in omnibus & vbique semper est: quod vtique Diuinitatis est proprium.

Lib.2. c.10. Nobis vnus Deus Pater, ex quo omnia: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Non hoc ita dicit Apostolus, vt separabilem substantiam Patris Filiique signaret: sed vt inconfusibili distinctione, quòd alius sit Pater, alius Filius, edoceret.

Ibid. c.4. Viuificare quis abnuat esse maiestatis diuinæ? viuificationis quoque Vnitas, quando ipse per spiritum viuificat.

Lib.3. Spiritus Sanctus est Deus: quia adoratur, peccata condonat, qui Creator est & quia scrutatur corda, &c.

De fide contra Arrianos cap.5. Quomodo dicis in Scripturis diuinis Homoousion non inueniri? Quasi aliud sit homoousion, quàm quod dicit: Ego & Pater vnum sumus.

De Incarn.10. cap.2. Ostendebatur omnibus per corporis veritatem: quia non Caro erat Verbum: sed Caro erat Verbi. Caro gustauit mortem, sed impassibilis Dei virtus. Caro Verbi patiebatur, vel, Dei Verbum patiebatur Carne.

Ibi.cap 6. Dum Iudæos redarguimus, emergunt alij qui Carnem Domini dicant & diuinitatem, esse vnius naturæ. Quæ tantum sacrilegium inferna vomuerunt? Arriani Patrem & Filium & Spiritum S. vnius non esse substantiæ: Isti diuinitatem DOMINI & carnem, substantiæ vnius dicere tentauerunt.

Cap.7. Quomodo proficiebat sapientia DEI? DOceat te ordo verborum. Profectus est ætatis & sapientiæ humanæ. Ideo ætatem antè præmisit, vt secundùm homines crederes dictum. Ætas enim non diuinitatis sed corporis est. Caro ipsius & anima, eiusdem cuius anima nostra caróque substantiæ est Non Christum diuido, quum Carnis eius diuinitatisque distinguo substantiam: sed vnum Christum cum Patre & Spiritu DEI prædico, & illos qui carnem Christi vnius cum Diuinitate eius dicunt esse substantiæ Tetrada inducere demonstrabo. Non enim quod eiusdem substantiæ est, vnus, sed vnum est. Nam vtique, Filium eiusdem cum Patre substantiæ confitentes in tractatu concilij Nicæni, non vnam Personam, sed vnam Diuinitatem in Patre & Filio crediderunt. Ergo quum dicunt, Carnem, eiusdem cuius & Filius Dei erat, fuisse substantiæ, ipsi diuidunt Christum. Itaque quartum increatum quod adoremus inducunt.

Lib 7.Epist.47. Quid est in forma Dei? In natura Dei. Quid est formam serui accipiens? Sine dubio perfectionem naturæ & conditionis humanæ: vt esset perfectus in vtraque forma.

AVGVSTINVS, *Soliloquiorum lib.2. cap.1. tomo 1.* Deus semper idem: Nouerim me, nouerim te.

De Trinitate lib.1 tom 3. Trinitas vnus Deus solus & verus: Pater, Filius & Spiritus Sanctus, vnius eiusdemque substantiæ. Nec periculosiùs alicubi erratur, nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid inuenitur. Non sunt tres Dij, sed vnus Deus. Tantummodo Filius natus est ex Virgine, non Trinitas.

Ibid. Distinguendum quod in S. Scriptura sonat secundùm formam Dei, & quod secundùm formam serui. Scriptura dicit: Æqualem Patri Filium, & Patrem maiorem Filio. Illud propter formam Dei: hoc autem propter formam serui, sine vlla confusione intelligitur. Est hæc nobis regula seruanda. Alia regula est. Plerumque in Trinitate, ita nominatur vnaquæque persona, vt & aliæ illic intelligantur: vt quum dictum est, Ipse Pater amat vos. De singulis dicitur sæpe quod omnium est, propter inseparabilem operationem vnius eiusdemque substantiæ.

Lib 4. Missus à Patre Filius dicitur, quia ille Pater est, ille Filius: non quia ille maior, ille minor. Est enim Patri Filius æqualis consubstantialis & coæternus. Missus vt Verbum Caro fieret. Sed quemadmodum qui genuit & qui genitus est: ita & qui misit & qui missus est, vnum sunt, quia Pater & Filius vnum sunt: ita & Spiritus Sanctus vnum cum eis est: quia hæc tria vnum sunt.

Ibid. Non possumus dicere, quòd Spiritus Sanctus & à Filio non procedat: quia idem Spiritus & Patris & Filij esse dicitur, Ioan.15. & 20. Act.2. 1.Cor.12.

Lib.5. De Deo nostro semper cogitare debemus, de quo dignè cogitare non possumus: cui laudando reddenda est omni tempore benedictio, & cui nuntiando nulla competit dictio. Quo intellectu Deum capit homo, qui ipsum intellectum suum, quo eum vult capere, nondum capit? Sic intelligamus DEum quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia Creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco vbique totum, sine tempore sempiternum, sine sui vlla mutatione mutabilia facientem, & nihil patientem. Quisquis DEum cogitat, etsi nondum potest inuenire, quid sit, piè tamen cauet aliquid sentire de eo quod non sit. Est sine dubitatione Substantia, vel si meliùs hoc appellatur Essentia, quam Græci οὐσίαν vocant. Aliæ Essentiæ capiunt Accidentia. Deo autem aliquid accidere non potest. Quicquid de Deo dicitur, id secundùm substantiam dicitur. Quod dicitur Ad se de Deo, id substantialiter dicitur: quod dicitur Ad aliquid, id Relatiuè dicitur. Habitus loca & tempora non propriè, sed translatè ac per similitudines dicuntur in Deo. In rebus creatis quod non secundùm substantiam dicitur, restat vt secundùm Accidens dicatur. In Deo verò nihil secundùm Accidens dicitur, quia in eo nihil mutabile est. Nec tamen omne quod dicitur secundùm substantiam dicitur, sed secundùm Relatiuum: Quod tamen Relatiuum non est Accidens, quia non est mutabile: vt

Filium

Filius Relatiuè dicitur ad Patrem. Idem autem est dicere Filius & Genitus. Quicquid ad se porrò dicitur, secundùm substantiam dicitur. Ergo Filius secundùm substantiam est æqualis, & eadem est vtriusque substantia. Magnus Pater, magnus Filius, magnus Spiritus Sanctus: non tamen tres Magni, sed vnus Magnus. Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus S. nec tamen tres Omnipotentes, sed vnus Omnipotens, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria. Non aliud est Deo esse, & aliud Magnum esse, sed hoc illud idem illi est esse, quod magnum esse, &c. Sicut non dicimus tres Essentias, ita non dicimus tres magnitudines, neque tres magnos. Aliter Magnus dicitur in rebus quæ participatione Magnæ sunt, quibus aliud est esse, aliud magnum esse. Qui hæc tractant eloquio Græco, dicunt μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις. Latini ista tractantes, quum alium modum aptiorem non inuenirent quo enuntiarent verbis, dicunt: Vnam Essentiam, vel substantiam: Tres autem personas. Quum audimus, Ego & Pater vnum sumus. Arriani per VNVM refelluntur: Sabelliani per SVMVS.

Lib.7. de Trinit. Filius Dei exinaniuit: non mutando Diuinitatem suam, sed nostram mutabilem assumendo. Tres personas eiusdem Essentiæ, vel tres personas vnam Essentiam dicimus: Tres autem personas ex eadem Essentia non dicimus.

Lib.13 Omnia simul & Pater & Filius & amborum Spiritus operantur, tamen iustificati sumus in Christi sanguine, Rom.5.

Lib.15. Deus quæritur, vt inueniatur dulcius. Quicquid de Deo dicitur, est Deus ipse. In illa verò Trinitate, Trinitas est vnus Deus. Quòd sanè est mirabiliter ineffabile, vel ineffabiliter mirabile.

De Agone Christiano, tom.3. Filius Dei hominem assumpsit, & in illo humana perpessus est. Filius Dei passus est & mortuus in homine quem portabat, sine Diuinitatis aliqua commutatione, vel morte.

Cap.23. Nec eos audiamus qui negant tale corpus Domini resurrexisse, quale positum est in monumento. Si enim tale non fuisset, non dixisset post resurrectionem discipulis, Palpate & videte,

Cap.24 Nec eos audiamus qui negant ipsum corpus secum leuasse in cœlum, Dominum nostrum: & commemorant quod scriptum est, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit. Nec eos audiamus qui negant ad dextram Patris sedere Filium. Dextera Patris est Beatitudo perpetua quæ datur sanctis.

Serm.190. Certè hoc est Deus, quum dicitur, non potest dici: quum æstimatur, non potest æstimari: quum comparatur, non potest comparari: quum definitur, ipsa definitione crescit. Deus se credi voluit, non examinari.

Sermone 191. Illorum execramur blasphemiam qui asserere conantur omnia quæ erant Diuinitatis in hominem remigrasse, & rursum quæ humanitatis erant in Deum esse transfusa. Vtraque substantia exinanita est, amisso proprio statu.

In Ioan. tract.49. Deus Verbum, animam & carnem totius hominis suscepit, sibi cooptans in Vnitate Personæ Naturam. Animo & caro Christi cum Verbo vna est Persona, vnus est Christus.

Lib. de Spiritu & Anima, Deus in vna substantia Trinus, & in tribus personis substantialiter Vnus.

Cap.12. Ratio, memoria, voluntas, non differunt in substantia, sed proprietates diuersæ.

Quæst. de Trinit. Proprium Patris quòd non sit nisi à se, proprium Filij quòd à Patre genitus, proprium Spiritus Sancti quod à Patre & Filio procedens. Alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus S. hoc est in persona: non tamen aliud ille vel ille in natura, vel in Deitate, aut essentia.

De vera Relig. Ipsa natura suscipienda erat quæ liberanda.

Epist.3. Filius Dei assumpsit corpus ex Virgine. Quidam hæretici naturam in eo noluerunt agnoscere, vbi est omnis gratiæ commendatio. Ita inter Deum & homines Mediator apparuit, vt in Vnitate Personæ copularet vtramque naturam. Sicut in vnitate personæ anima vnitur corpori, vt homo sit: ita in vnitate personæ Deus vnitur homini, vt Christus sit. Non quidem vt duo liquores solent commisceri, vt neuter seruet integritatem suam.

Ibid. Quidam hæretici peruersè mirando laudandóque Christi virtutem, Naturam humanam in eo prorsus noluerunt agnoscere, vbi est omnis gratiæ commendatio, qua facit saluos, credentes in se. Inter Deum & homines apparuit Mediator in vnitate personæ copulans vtramque naturam.

Epist.57. ad Dardanum. Singulari susceptione illius hominis vna facta est Persona cum Deo Verbo. Christus est Deus & homo verus. Quum de illo Scriptura loquitur, intuendum secundùm quid dicatur. Vnus Christus est Verbum & homo. Quod ad Verbum attinet, Creator est Christus. Quod ad hominem, Creatura est Christus: secundùm animam tristis fuit: secundùm carnem passus est mortem. Nec tamen

quum Filium Dei Christum dicimus, hominem separamus: aut quum eundem Christum, Filium hominis dicimus, separamus Deum. Secundùm hominem namque in terra erat; non in cœlo, vbi nunc est, quando dicebat, Nemo ascendit in cœlum, &c. quamuis secundùm id quod Filius Dei erat, esset in cœlo. Noli dubitare ibi nunc esse hominem Christum Iesum vnde venturus est. Fideliter tene Christianam Confessionem quoniam Resurrexit à mortuis, Ascendit in cœlum, Venturus est in eadem carnis forma atque substantia: cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit: secundùm hanc formam, non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Vna persona Deus & homo, & vtrunque est vnus Christus Iesus: vbi per id quod Deus est. In cœlo autem, per id quod homo. Et in eo ipso quod dicitur: Deus vbique diffusus: carnali resistendum est cogitationi.

Ibid Vbique est Deus, per Diuinitatis præsentiam: sed non vbique per habitationis gratiam. Spiritus Sanct. in eis habitare dicitur, qui sunt templum eius: quia in eis occultè agit. Spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt.

Epist 49. Christus post resurrectionem cicatrices demonstrauit dubitantibus, propter quos etiam cibum & potum sumere voluit: ne illud, non corpus, sed spiritum esse arbitrarentur, & sibi imaginaliter apparere.

Epist. 66. Sicut flamma splendorem quem gignit tempore non præcedit: ita Pater sine Filio nunquam fuit.

Epist. 102. Multa separatim in Scripturis de singulis Personis dicuntur, qu muis inseparabilis Trinitas, quæ est vna natura.

Ibid. Ad hoc vtcunque intelligendum sumimus memoriam, intelligentiam, voluntatem. Nec ideo putanda sunt hæc tria Trinitati sic comparata, vt omni ex parte conueniant. Primò ergo inuenitur ista similitudo dissimilis, quòd tria hæc memoria, intelligentia, voluntas, animæ insunt, non eadem tria, est anima. Illa verò Trinitas, non inest, sed ipsa Deus est: quia ibi non est aliud esse, aliud quod de Dei natura dicitur: Anima verò aliud est esse, aliud est quod intelligit. Quæ de Filio dicuntur, videndum est secundùm quid dicantur. Rectè dicitur, Deus, Dominus gloriæ crucifixus, quum hoc eum secundùm carnem passum esse; non secundùm illud quod Deus non habeatur incertum.

Epistola 120. Audi vocem Carnis, audi medicinæ vocem, qua sanaris: vt videas Deum quem tibi videndum distulit, hominem videndum attulit, occidendum obtulit, mirandum contulit, credendum transtulit.

In Ioan. tract. 97. Aduersus impietatem Arrianorum nouum nomen Patres condiderunt: sed non rem nouam tali nomine signauerunt. Hoc enim vocatur Homoousion, quod est, Ego & Pater vnum sumus. Vnius videlicet eiusdémque substantiæ. Sic Epist. 174.

In Psalmum 68. Quæris quid sit Pater, respondetur, Deus: Quæris quid sit Filius, respondetur, Deus, Quæris quid sit Pater & Filius, respondetur Deus. De vtroque interrogatus non Deos, sed Deum responde, non sicut in hominibus, quæris quid sit Pater Abraham, respondetur homo, substantia eius respondetur. Quæris quid sit filius eius Isaac, respondetur homo. Quæris quid sit Abraham & Isaac non respondetur homo, sed homines, non sic in diuinis, tanta enim ibi est substantiæ societas vt æqualitatem admittat, pluralitatem non admittat.

Sermone 145. *de Tempore.* Vtor isto compendio, Deus & homo, & verus Deus, & verus homo. Sed de ipso homine si quæris à me, duo iterum dico, anima humana, caro humana. Tu homo es propter animam & carnem: ille Christus propter Deum & hominem.

Sermone 4 *de sanctis.* Vt sacerdos noster orat pro nobis: vt caput nostrum orat in nobis: vt Deus noster oratur à nobis.

Contra Maximinum libro 3. cap. 10. Quasi non qui mortuus est, ipse etiam resurrexerit: quasi non forma quæ occisa est, ipsa resurrexerit: quasi ipsa non in cœlum leuata sit, in ipsa Dei Filius sedeat ad dexteram Patris, in ipsa venturus sit ad viuos & mortuos iudicandos.

Ibidem capite 20. Nec moueat, quomodo Christus secundùm id quod homo est, descenderit de cœlo, cùm de matre quæ in terra erat factus sit homo. Hæc enim propter vnitatem personæ dictum: quoniam vna Persona est Christus Deus & homo. Si ergo attendas distinctionem substantiarum, Filius Dei de cœlo descendit, Filius hominis crucifixus est. Si vnitatem Personæ, & Filius hominis descendit de cœlo, & Filius Dei est crucifixus. Ipse est enim Dominus gloriæ.

Sermone 176. *de Tempore.* Omnimodis detestanda sunt venena Orientalis erroris, qui impia nouitate præsumit asserere, Filium Dei & Filium hominis vnius esse naturæ. Nos nouerimus in Christo duplicem geminámque substantiam in vno eodémque Redemptore, simplicem

plicem nouerimus esse Personam.

Sermone 177. Propter veram formam serui quam assumpsit, quam susceperat veram, dixit, Pater maior me est, Ioan. 14. Et propter veram formam Dei in qua permanet cum Patre, verum dixit, Ego & Pater vnum sumus. Ascendit ergo ad Patrem per id quod homo erat: sed mansit in Patre per id quod Deus erat: quia in carne ad nos processit, & à Patre non recessit.

De verbis Domini sermone 51. Ego & Pater vnum sumus. Quid est vnum sumus? vnius substantiæ.

Sermone 58. *de verbis Domini*, vt totum breuiter comprehendam, Christus Filius Dei Deus & homo secundùm diuinitatem ante tempora sine initio inenarrabiliter à Patre genitus est. Nouissimo autem tempore, secundùm humanitatem creatus est.

Ibidem. Ego dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quòd à diuinitate suscepta, atque Deitati vnita est, vt non alium atque alium, sed vnum eundemque Deum & hominem Dei Filium confitear. In Christo Domino humanitatem non solam aut nudam, sed diuinitati suæ vnitam, vnum Dei Filium Deum verum & Hominem verum, qui adorare contempserit, æternæ mortis pœnam patietur.

In Iohannem Tractatu 8. Secundùm quod Dominus cœli & terræ, Dominus vtique & Mariæ: secundùm autem quod dictum est factum ex muliere, Filius Mariæ, ipse Dominus Mariæ, ipse Creator Mariæ, ipse filius Mariæ, ipse creatus ex Maria. Noli mirari quia & Filius & Dominus. Sicut enim Mariæ, ita & Dauid dictus est filius: & ideo Dauid filius quia Mariæ filius: Filius Dauid secundùm carnem, Dominus Dauid secundùm Diuinitatem: sic Mariæ filius secundùm carnem, Dominus Mariæ secundùm Maiestatem, illa non erat mater Diuinitatis.

Contra secundinum capite 5. & 7. *tomo* 6. Vnigenitum & primogenitum eum diuina testantur eloquia. Vnigenitum quia sine fratribus. Primogenitum quia cum fratribus.

Epist. 146. Ego Domini corpus ita in cœlo esse credo, vt erat in terra quando ascendit in cœlum.

Serm. 24. Non ineffabile Diuinæ generationis contendimus aperire mysterium, sed nostræ Salutis magnum & mirabile gestimus gaudium nuntiare.

Epist. 174. Nomen Homoousion etsi in Scripturis sanctis non inueniatur, res tamen ipsa inuenitur.

Serm. 38. Vna est Patris & Filij & Spiritus S. essentia, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus S. Quamuis personaliter, alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus. Vna diuinitas, vna essentia, vna omnipotentia, & quicquid dici potest substantialiter de Deo. Inseparabilis naturæ vnitas, non potest habere Personas separabiles. Nomina quæ Dei substantiam significant, omnibus personis æqualiter conueniunt.

Ibid. Pater hoc habet proprium: Ab alio non est. Filius est genitus, hoc Personæ suæ proprietas. Spiritus Sanctus hoc habet proprium quòd ex Patre & Filio æqualiter procedit: & hæc tria vnum.

Serm. 119. Verbum Caro factum est: Non Verbum in Carnem versum est, sed Verbum manens, carne accepta, Dominus gloriæ crucifixus est, sed in carne, & sepultus est in sola carne.

Serm. 189. Dixit, Baptizate in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti: tria nomina audio, & vnum dicitur nomen. Non dixit, In Nominibus, sed, In nomine.

Serm. 195. Credite Christum in cœlis cum carne, quam de nostro assumsit, ascendisse.

Quæst. 83. q. 13. Christus est veritas, Non igitur fantasma fuit corpus eius.

Quæst. 65. *quæst.* 5. Assumsit carnem, non se conuertit in carnem. Carnem istam à parte totum intelligimus, id est, Carnem & Animam.

Ibid. qu. 5 *Tom.* 4. Quum dicimus Filium hominis & Filium Dei, non sunt duo Filij, sed vnus Filius est: quia ille qui erat Filius Dei, factus est Filius hominis in vnitate personæ.

De Essentia Diuin. tom. 4. Ascendere Deus dicitur, quum Filius carnem de nobis assumptam in cœlum duxit. Sedere dicitur Deus, non corporaliter, sed potentialiter super omnem creaturam præsidere. Semper manet incommutabilis veritas humanæ naturæ quam sibi vnitam Diuinitas gerit.

Serm. 58. *De verbis Domin.* Licet vnam personam in Christo credamus, duas tamen substantias, id est, Naturas fatemur, Diuinitatis & Humanitatis, assumptricis & assumptæ. Quæ tamen substantiæ non sunt confusæ, sed vnitæ in vna eadémque persona inseparabiles & in sua semper proprietate manentes. Quapropter vnicuique substantiæ propria vtique aptanda sunt.

Ibid. Christus est adorandus, quia est Deus.

Serm. 60. *De verb. Dom. tom.* 10. Semper Diuinitate nobiscum est. Sed nisi corporaliter abiret à nobis, semper eius corpus carnaliter videremus, & nunquam spiritualiter crederemus.

In Psalm 44. Christus ascendit, absentauit se corpore.

In Ioan tract. 102. Reliquit mundum corporali discessione.

In Psalm. 46. Tollitur corpus ab oculis vestris, sed non separatur Deus à cordibus vestris. Videte ascendentem, credite in absentem, sperate venientem, sed tamen per misericordiam occultam sentite præsentem.

In Psalm. 85. Dominus noster Iesus Christus Filius Dei orat pro nobis, orat in nobis, oratur à nobis. Orat pro nobis, vt Sacerdos noster: orat in nobis, vt Caput nostrum: oratur à nobis, vt Deus noster. Oratur in forma Dei, orat in forma serui.

De essentia Diuinit. tom. 4. Sicut eundem Dei Filium secundùm Diuinitatem inuisibilem, incorporeum non credere impium est: ita eundem Dei Filium in homine assumpto, visibilem, corporeum, atque localem post resurrectionem non credere & profiteri, prophanum est.

Ibidem. Eundem Dei Filium secundùm substantiam Diuinitatis suæ, inuisibilem & incorporeum, atque incircumscriptum (sicut & Pater & Spiritus Sanctus) nos credere & confiteri oportet. Iuxta Humanitatem verò, visibilem, corporeum, localem atque omnia membra humana veraciter habentem credere conuenit & confiteri.

De verbis Apost. Serm. 1. Tria in Sole, cursus, splendor & calor. Diuide Arriane Solem si potes, &c. Ignis tria habet & diuidi non potest, motum, lucem, feruorem. Vena, fons, fluuius tria, &c.

Serm. 181. *In Psal.* 90. Modò iam credo quia in cœlum ascendit caput nostrum, quò caput præcessit, & membra secutura sunt. Caput in cœlo est: corpus in terra. Ecclesia corpus eius, Sed ne putemus quia separatum est caput à corpore. Discretum est enim locis, sed iunctum est affectu. Ipsa affectus coniunctio clamauit de cœlo, quid me persequeris?

Lib. de Cantico nouo. cap 5. *tom* 9. Christus per S. Scripturas prædicatur non occultè. Manichæus dicit Christum non habuisse verum corpus, fuisse spiritum. Pessimè, hæretice Manichæe: si credere non vis veritatem dicentem discipulis suis: Palpate & videte, quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis habere. Ergóne, hæretice, veritas mentita est, & tu verum prædicas?

Cap 6. Alij hæretici Arriani ipsam viam Christum per quam itur ad Patrem, secundùm Diuinitatem, nolunt esse æqualem Patri. Argumentatio Arriani est humana, non auctoritas diuina. Christus inquantum hominem suscepit missus est, inquantum Deus est, æqualis Patri. Sed, inquis, dicit, Pater maior me est. Intellige secundùm susceptum hominem, & depones errorem.

De Ciuitate Dei lib. 5. *cap.* 10. Neque enim & vitam Dei & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus, necesse esse Deum semper viuere & cuncta præscire: sicut nec potestas eius minuitur, quum dicitur, Mori fallique non posse. Sic enim hoc non potest, vt potiùs si posset, minoris esset vtique potestatis. Rectè quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori & falli non potest, dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Quod si ei accideret nequaquam esset omnipotens. vnde propterea quædam non potest, quia Omnipotens est.

In Ioan tract. 31. Christus secundùm Corpus est in loco: Deus autem implet omnia.

Ibid tract. 40. Quando de forma serui cogitas in Christo, humanam effigiem cogita, si fidem habes. Sed quum cogitas, In principio erat Verbum, pellatur de cogitationibus nostris humana figuratio & quicquid fine corporeo terminatur. Nolite vobis, quasi duos homines ante oculos ponere, vnum Patrem, alterum Filium, & loquentem Patrem ad Filium, sicut facis quando verba aliqua dicis filio tuo. Carnalia sunt ista, &c.

Ibi tract 50. Secundùm Carnem quam assumsit, secundùm id quod de Virgine natus est, secundùm id quod ligno confixus, quod in resurrectione manifestatus, dictum est. Non semper habebit is me vobiscum. Quare? Quia ascendit in cœlum, secundùm corporis præsentiam, & non est hîc. Secundùm præsentiam Maiestatis semper habemus Christum: secundùm præsentiam Carnis rectè dictum est discipulis: Me autem non semper habebitis.

Ibid. tract 101. Reliquit mundum corporali discessione: perrexit ad Patrem hominis ascensione: nec mundum deseruit præsentiæ gubernatione.

In Ioan Epist. tract. 2. Quum Christus se palpandum præbuisset, non illis suffecit, nisi de Scripturis confirmaret cor credentium. Prospiciebat enim nos futuros. In quo palpemus nos non habemus: & quod legamus, habemus. Iam Christus ascendit in cœlum, non est venturus nisi in fine, vt iudicet de viuis & mortuis. Vnde credituri sumus, nisi vnde & ipsos palpantes voluit confirmare? Aperuit enim illis Scripturas.

Contra Maxim lib. 1 *tom.* 6. Caro in illo mortua est, non ipse mortuus est, quantum ad Deum pertinet, quantum ad Diuinitatem attinet,

net, qua æqualis est Patri. Habemus Scripturam, quæ dicit, Ipse est verus Deus. Quare verus Deus? quia verus Dei Filius. Si ergo eiusdem substantiæ est, non est minor Patre, sed est æqualis Patri. Non ex locutionibus nostris, sed ex diuinis eloquiis hæc sunt manifesta, &c. Aliud est Vnum sunt, aliud Vnus est. Vbi dicitur Vnum sunt, vna substantia significatur. Vnus verò dicitur de duabus diuersis substantiis. Verbi gratia: diuersa substantia est Anima & Corpus: tamen vnus homo: diuersa substantia est, spiritus hominis & spiritus Dei, tamen quum Domino adhæret, vnus spiritus: Addit, spiritus: non dixit, Vnum sunt.

Ex quæstiunculis de Trinit. Omne nomen quod substantiam vel Essentiam Dei significat semper singulari numero proferendum est. Sed tres personæ rectè dicuntur.

Quæst 83. qu. 69. tom. 4. Regula Catholicæ fidei sic habet: Quum aliqua in Scriptura dicuntur de Filio, quòd sit Minor Patre: secundùm susceptionem hominis intelligantur. Quum verò ea dicuntur quibus demonstratur æqualis: secundùm id quod Deus est accipiantur. Multa etiam secundùm proprietatem personæ dicuntur: vt Pater est ingenitus: Filius genitus: & cætera huiusmodi, quæ non ad æqualitatem substantiæ, sed ad proprietatem pertinent personarum. Semetipsum exinaniuit, non formam suam mutans, sed formam serui accipiens.

Contra Felicianum tomo 6. Idem & æternus in suo, & moriturus in nostro, dum vtrunque continet ex seipso, & neutrum perdit ex altero. Sicque ex Deo & homine non imperfectus, sed in diuersa proprietate plenissimus natus est Christus: sicut ex anima & corpore vnusquisque hominum docetur esse perfectus. Non Alius homo corpus, Alius animus quamuis Aliud animus, Aliud corpus: Vnus tamen atque idem homo Non perdunt propria: sed quia in vnum atque inseparabile conuenerunt, ex propriis videntur facta communia. Sic post partum Virginis, non Alius Dei, Alius hominis Filius, sed idem Christus Dei & hominis Filius fuit. In Mediatore Dei & hominum, Aliud Dei Filius, Aliud hominis fuit. Vnus tamen ex vtroque Christus Dominus fuit. Aliud, inquam, pro discretione substantiæ, non Aliud pro Vnitate personæ. Est vna persona, salua vtriusque proprietate substantiæ.

De ciuitate Dei libro 15 cap. 25. Ira Dei non perturbatio animi eius est, sed iudicium quo irrogatur pœna peccato.

De vera Religione capite vltimo, tomo 1. Deum colere & tenere nos conuenit, vnius substantiæ Trinitatem: vnum Deum à quo sumus, per quem sumus, in quo sumus, à quo discessimus, à quo perire non permissi sumus: principium ad quod recurrimus, gratiam qua reconciliamur, per quem reformamur, quo Creatore viuimus, per quem reformati sapienter viuimus, quem diligentes, & quo fruentes beati viuimus: vnum Deum ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

HILARIVS *Lib. 2. de Trinit.* Trinitatis mysterium est immensum & incomprehensibile, extra significantiam sermonis, extra sensus intentionem, imperspicabile, lumen obcæcat, intelligentiæ capacitatem excedit. Ego nescio: sed consolabor me tamen, Angeli nesciunt, secula non tenent, Apostolus non interrogauit, Filius ipse non edidit: cesset ergo dolor querelarum.

Ibi. In principio erat Verbum. Quid est istud, in principio erat? transeuntur tempora, transcenduntur secula, tolluntur ætates.

Ibid contra Sabellium, Audiet, Hic est Filius meus dilectus: Audiet, Clarifica me Pater: Audiet, Pater maior me est: & Tu es Filius Dei viui. Contra Hebionem: In principio erat Verbum: Mundus per ipsum factus est. Contra Arrium, Ego de Patre exiui: Ego & Pater vnum sumus: Ego in Patre, & Pater in me. Vnum est igitur hoc immobile fundamentum, vna hæc est felix fidei petra Petri ore confessa: Tu es Filius Dei viui: de Spiritu Sancto: nolite contristari Spiritum Sanctum in quo signati estis.

Lib. 7. Deum Dominum nostrum Iesum Christum nouimus, nomine, natiuitate, natura, potestate, professione.

Ibid. Non relictus est hominum eloquiis de Dei rebus, alius præterquàm Dei sermo.

Lib. 9. Nescit planè vitam suam, qui Iesum Christum vt verum Deum, ita & verum hominem, ignorat. Et eiusdem periculi res est, Christum Iesum vel Spiritum Deum, vel carnem corporis nostri denegare.

Ibid Hinc fallendi hæreticis occasio est, vt quæ ab eo secundùm hominem dicta sunt, dicta esse secundùm naturæ diuinæ infirmitatem mentiantur.

Lib. 11. Deus planæ ac perfectæ diuinitatis est nomen.

Lib. 12. Esse in forma Dei, est manere in Dei natura.

Lib. 1. De veritate carnis Christi, nullus ambigendi relictus est locus.

Libro ad Constantium Augustum. Intelliges à me in sacramento solius Dei veri & quem misit Iesum Christum prædicari vnum Deum Patrem, ex quo omnia: & vnum Dominum

F

Iesum Christum, per quem omnia, natum ex Deo: qui est ante tempora æterna, & erat in principio apud Deum Deus Verbum, qui est imago Dei inuisibilis, in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, qui cùm in forma Dei esset, humilians se salutis nostræ causa, formam serui ex conceptu Spiritus Sancti de Virgine accepit, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: & post resurrectionem mortis deinde in cœlestibus sedens, aderit iudex viuorum & mortuorum, & rex omnium æternorum seculorum.

Lib.3. de Trinitate Christus Dei Filius moritur, sed omnis caro viuificatur in Christo: Dei Filius in inferis est, sed homo refertur ad cœlum.

Lib.6. de Trinit. Non est secundùm humanarum natiuitatum prolationes, Dei natiuitas existimanda.

Adversus Constantium Augustum. Venit Iesus ianuis clausis & stetit in medio discipulorum suorum. An constructa parietum penetrans, solidam lignorum naturam impenetrabilem transcurrit? Stetit namque corporeus, non similatus aut fallax. Integra sunt omnia & obserata, sed ecce assistit medius, cuius per virtutem suam vniuersa sunt peruia. Inuisibilibus calumniaris: ego à te visibilium exposco rationem. Nihil cedit ex solido, neque per naturam suam aliquid tanquam lapsu insensibili, ligna & lapides admittunt. Corpus Domini à sese non deficit, vt sese resumat ex nihilo. Et vnde qui assistit in medio est? Cedit ad hæc & sensus & sermo, & extra rationem humanam est veritas facti.

IVSTINVS *Martyr. lib de Exposit fidei* Oportet fideles sanam doctrinam retinere, & veram confessionem de Trinitate ad salutis fruitionem. Vnum Deum colere debemus. Vnus est Deus omnium in Patre, & Filio & Sancto Spiritu, vnius Essentiæ & vnius Deitatis. Pater est ingenitus: Filius ab eo genitus: & Spiritus Sanctus procedens: τὸ μὲν ἀγέννητον καὶ γεννητὸν καὶ ἐκπορευτὸν, οὐκ οὐσίας δηλωτικὰ, ἀλλὰ ὑπάρξεως τρόπος, *hoc est*, Ingenitus, Genitus, Procedens, non sunt nomina Essentiam indicantia, sed sunt modi subsistentiæ. ὁ δὲ τρόπος ὑπάρξεως χαρακτηρίζεται, modus subsistentiæ illis vocabulis exprimitur. Essentia verò indicatur vocabulo, Deus. Inter Patrem verò, Filium & Spiritum Sanctum est differentia κατὰ τὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον subsistendi modo, τὸ δὲ ταυτὸν κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον sed eadem est Essentiæ ratio. Generatio non est essentiæ diuinæ sectio, aut fluxio aut diuulsio. Filius & Spiritus Sanctus differunt, τῷ τρόπῳ τῆς ὑπάρξεως subsistentiæ modo. Nam Filius lumen ex lumine genitus: Spiritus Sanctus lumen ex lumine procedens. Ita in Trinitate Vnitatem intelligimus, & in Vnitate Trinitatem agnoscimus. Hanc enim piam à Domino cognitionem accepimus. Filius autem Dei in Virgine sibi fecit perfectum hominem, partem accipiens ab illius natura: duas naturas vniens, κατ' ἄκραν ἕνωσιν, summa Vnione, Deus & homo. Quatenus homo est, mortem voluntariam subiit, vt tolleret peccatum. Quatenus Deus, excitauit illum hominem: vnus tamen Filius. Vt vnus homo habet duas naturas in se differentes: καὶ κατ' ἄλλο μὲν λογίζεται, κατ' ἄλλο δὲ τὸ λογισθὲν ὑπάρχει. Sic Filius Dei vnus est, & duæ sunt Naturæ, δύο φύσεις, κατ' ἄλλην μὲν, secundùm aliam operatur diuina: κατ' ἄλλην δὲ, secundùm aliam verò, humilia. Nec tamen sunt duo Filij: vt duæ naturæ in homine non constituunt duos homines, sed vnum. Sic vnus est Christus & Deus & homo: Ineffabilis est ἑνώσεως τρόπος, modus vnionis, quæ est καθ' αὐτὸ per se. Corpus manet verum corpus, nec mutauit Deitas suam naturam; neque mutatum est Corpus in Verbi οὐσίαν, substantiam: nulla est mutatio facta. Verbum assumpsit corpus: sed Hæretici dicunt, illud transmutauisse in Deitatem. Ergo duæ essent essentiæ diuinæ Filij: vna quam habet genitam à Patre: altera ipsius corpus, si illud conuertisset in diuinam substantiam: Et sic Deitas esset creata. Nihil enim est intermedium. Neque propter vnionem διὰ τὴν ἕνωσιν, Verbum mutauit corpus in suam naturam. Quum de Filio contrarias voces audieris: ea quæ dicuntur, inter se collocata distribue: Si quid diuinum, diuinæ naturæ adscribens: si quid humile & humanum, humanæ naturæ imputans. Sic vocum dissonantiam vitabis, vnaquaque Natura quod sibi proprium est, recipiente.

Quæst. 117. Quomodo corpus Christi solidum, clausis ostiis ingressum? Sicut ambulauit in mari: hoc est non conuersione corporis in spiritum ingressus est ad eos, sed in corpore solido: diuina ipsius virtute efficiente. Christus ingressus est ἐν σώματι ἀτρέπτῳ in corpore non conuerso.

TERTVLLIANVS *Lib. de Trinit.* Verbum caro factum est, quoniam Sermo carnem suscepit. Et sanguis idcirco de manibus ac pedibus, atque ipso latere dimanauit, vt nostri consors corporis probaretur. Qui dum in eadem substantia corporis in qua moritus resuscitatus, ipsius corporis vulneribus comprobatur, etiam resurrectionis nostræ leges in sua carne monstrauit, qui corpus quod ex nobis habuit, in sua resurrectione restituit. Lex enim resurrectio-

rectionis ponitur, dum Christus ad exemplum cæterorum in substantia corporis suscitatur. Dominum nostrum Iesum Christum, Dei Creatoris Filium in substantia veri corporis exhibitum adserimus. Tam enim Scriptura Deum annuntiat Christum, quàm ipsum Hominem annuntiat Deum: tam hominem descripsit Iesum Christum, quàm etiam Deum quoque descripsit Christum Dominum. Qui legunt ergo hominis Filium, hominem Iesum Christum, legant hunc eundem & Deum & Dei Filium nuncupatum. Nam quâ homo, ex Abraham: sic est etiam quâ Deus ante Abraham. Et quâ homo, Filius Dauid: ita Dominus Dauid, quâ Deus: vtrumque in Christo legitur, vtrumque credatur.

Ibid. Cur dubitemus dicere quod Scriptura non dubitat exprimere? Cur hæsitabit fidei veritas in quo Scripturæ nunquam hæsitauit auctoritas?

Ibid. Saluari non poterit à Deo Patre quisquam, nisi confessus fuerit Christum Deum. Quoniam alibi, nisi in Christo Deo vitam inuenire non poterit.

Ibid. Si homo tantummodo Christus, quomodo adest vbique inuocatus: quum hæc hominis natura non sit, sed Dei, vt adesse omni loco possit?

Ibid. Quoniam ad hominem veniebat, vt Mediator esset Dei & hominum, oportuit illum cum eo esse, & Verbum carnem fieri, vt in semetipso concordiam consibularet, dum vtriusque partis in se connectens pignora, & Deum homini, & hominem Deo copularet: vt meritò Filius Dei per assumptionem carnis, Filius hominis: & Filius hominis per receptionem Dei Verbi Filius Dei.

Ibidem, Errores Hæreticorum inde. Quia inter Filium Dei & Filium hominis nihil arbitrantur interesse: ne facta distinctione, & homo & Deus, Iesus Christus facilè comprobetur. Sed enim Scriptura diuina Hæreticorum & fraudes & furta facilè conuincit & deregit. Quum autem ipsa Scriptura abundans cœlesti plenitudine, sese Hæreticorum istorum calumniis exuat, facilè ipso quod scriptum est nitimur, & errores sine vlla dubitatione superamus. Ergo, inquiunt Hæretici, si Christus non est homo tantùm, sed & Deus: Christum autem refert Scriptura mortuum pro nobis & ressuscitatum, iam docet nos Scriptura credere Deum mortuum. Aut si Deus non moritur, Christus autem mortuus refertur, non erit Christus Deus, quoniam Deus non potest accipi mortuus. Si vnquam intelligerent aut intellexissent quod legunt, nunquam tam periculosè omnino loquerentur. Si enim Scriptura proponeret Christum tantummodo Deum, illorum hîc aliquid valuisset sermo contortus. Sed quum non tantummodo illum Deum, sed & hominem Scriptura constituat, consequens est, quod immortale est, incorruptum mansisse teneatur. Quis enim non intelligat, quòd impassibilis sit diuinitas, passibilis verò sit humana fragilitas? Quis non facilè cognoscat, non illud in Christo mortuum esse quòd Deus est, sed illud in illo mortuum esse quod homo est? Quòd si anima immortalis occidi aut interfici non potest in quouis alio, licet corpus & caro sola possit interfici: quantò magis vtique Verbum Dei, & Deus in Christo interfici omnino non potuit, quum sola & caro & corpus occisum sit? Vtique mors in Christo, aduersum solam materiam corporis potuit valere, adversus diuinitatem Sermonis non potuit se exercere. Frangitur enim potestas mortis, vbi intercedit auctoritas immortalitatis.

Ibid. Alij hæretici erumpentes nolunt illum secundam esse personam, sed ipsum Patrem quibus facilè respondetur ex Genes. 1. Psalm. 2. Esa. 45. Ioan. 6. & 17. Matth. 17. Hebr. 1. & Ioan. 10. Dixit, Ego & Pater vnum sumus. Si Christus esset Pater, oportuit dicere, Ego & Pater vnus sum: deinde adjicit sumus. Proprietatem personæ discernit.

Ibid. Qui Christum Dei Filium & hominis tantummodo præsumunt hominem & non Deum, contra Testamentum & Vetus & Nouum faciunt, dum & Veteris & Noui Testamenti auctoritatem veritatémque corrumpunt. Scriptura illum ponit & hominem & Deum. Nec duos deos Scriptura proponit. Ex Patre, Sermo Filius natus est, genitus à Patre. Nec illi tempus assignari potest, qui ante tempus est.

Aduersus Praxeam. Vbique teneo vnam substantiam in tribus cohærentibus. Vniuersa Scriptura manifestè distinctionem Trinitatis exponit. Sicut Sermo Dei non est ipse cuius est: ita nec Spiritus. Ideo Spiritus Deus & Sermo Deus, quia ex Deo: non tamen ipse ex quo est.

Ibid. Vndique obducti distinctione Patris & Filij, quam, manente coniunctione, disponimus vt Solis & radij, & fontis fluuij per indiuiduum tamen numerum, duorum & trium.

Ibid. Caro Deus non est: sed ille qui in Virgine natus est, Deus. Quomodo Sermo caro factus est, vtrúmne quasi transfiguratus in carne, an indutus in carnem? Imò indutus. Deum immutabilem credi necesse est, vt æternum.

Ibid. Iesus non est vna substantia ex duabus

mixtura quædam. Vt electrum ex auro & argento, incipit nec aurum esse, neque argentum, tertium quid efficitur. Sic enim neque Deus erit, Iesus.

Ibid. Sed enim inuenimus illum directò & Deum & hominem expositum, certè vsquequaque Filium Dei & filium hominis, cùm Deum & hominem, sine dubio secundùm vtramque substantiam in sua proprietate distantem. Quia neque Sermo aliud quàm Deus, neque caro aliud quàm homo. Sic & Apostolus de vtraque eius substantia docet: Qui factus est, inquit, ex semine Dauid. Videmus duplicem statum, non confusum, sed coniunctum in vna Persona Deum & hominem Iesum, & adeò salua est vtriusque proprietas substantiæ, vt & Spiritus res suas egerit in illo, & Caro passiones suas functa sit. Quia substantiæ ambæ in statu suo quæque distinctæ agebant, ideò illis & operæ exitus sui occurrerunt.

Ibid. Apostolus Dei & hominum appellans Sequestrem, vtriusque substantiæ confirmauit. Nouissimè qui Filium Dei Carnem interpretaris; exhibe qui sit Filius hominis.

Ibid. Exinde eo iure quo vtrumque nomen vnius est, id est, Dei Filius, etiam alterum sine altero eiusdem est. Et siue Iesus tantummodo positum est, intelligitur & Christus: quia Iesus vnctus est: siue solummodo Christus, idem est & Iesus, quia vnctus est Iesus.

Ibid. Hæc vox, Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? Carnis est & animæ, id est hominis, non Sermonis.

Ibid. Qui Filium non habet, nec vitam habet. Non habet autem Filium, qui eum alium quàm Filium credit.

Ibidem. In Trinitate vnitas disponitur: vnius substantiæ, vnius potestatis. Tres vnum sunt, non Vnus: Scriptura distinguit inter personas.

Ibid. Quum duæ substantiæ censeantur in Christo Iesu, diuina & humana, constet autem immortalem esse diuinam, mortalem quæ humana sit: apparet quatenus eum mortuum dicat Apostolus: id est, quâ carnem & hominem & Filium hominis, non quâ Spiritum & Sermonem & Dei Filium.

Aduer. hæret. Omne mendacium quod de Deo dicitur, est genus idololatriæ.

Libro de Carne Christi, Carnis Christi veritas & qualitas dabit legem nostræ resurrectioni. Marcion vt carnem Christi negaret, negauit etiam natiuitatem: aut vt natiuitatem negaret, negauit & carnem.

Aduersus Marcionem libro 1. Veritas Christiana districtè pronuntiauit, Deus si non vnus est, non est.

Ibidem. Nos definimus Deum, primò naturâ cognoscendum: deinde doctrinâ recognoscendum: naturâ, ex operibus: doctrinâ, ex prædicationibus.

Et libro 4. De corporis Christi veritate quid potest clariùs? Cùm hæsitantibus eis ne phantasma esset. Quid turbati estis? videte manus meas & pedes?

Ibidem. Non possit phantasma credi qui contactum admiserit, Tangere enim & tangi nisi corpus, nulla potest res: etiam secularis sapientiæ digna sententia est. Ad summum & ipse mox tetigit alios.

Aduersus Praxeam. Custodiatur œconomias sacramentum: quæ Vnitatem in Trinitatem disponit, Tres dirigens, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Tres non statu, sed gradu, nec substantiâ, sed forma, nec potestate, vnius autem substantiæ, & vnius potestatis, quia vnus Deus, ex quo gradus isti & formæ, & species, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti deputantur.

Ibidem. Protulit Deus sermonem sicut radix fruticem, & fons fluuium, & Sol radium.

De Carne Christi. Christus vtriusque substantiæ hominem & Deum exhibuit, &c.

Ibid. In Christo inueniemus animam & carnem. Homo perierat, hominem restitui oportuerat.

Ibidem. Ne opinemur Christi carnem euacuatam in ipso. Illam ad dexteram Patris in cœlis præsidere meminerimus, & venturam inde.

Ibid. Certè qui negat Christum in carne venisse, hic Antichristus est. Nudam & absolutam, & simplici nomine naturæ suæ pronuntians Carnem, omnes disceptatores eius ferit. Sed benè quod idem veniet de Cœlis, qui est passus.

Ibid lib 3. Totum Christiani nominis & pondus & fructus, mors Christi, negatur, si Caro eius negatur, quomodo mors eius asseueratur? Negata verò morte dum Caro negatur, nec de Resurrectione constabit. Proinde Resurrectione Christi infirmata etiam nostra euersa est, atque ita inanis est fides nostra & inanis prædicatio Apostolorum.

Aduersus Praxeam. Substantiam Filij dico Personam, & illi nomen Filij indico.

Ibid. Spiritus à Deo & Filio.

Ibid. Alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus: hæc diuersitas separationem non protendit.

Ibid. Te scandalizat numerus Trinitatis, quasi non connexæ in vnitate simplici. Ego & Pater vnum sumus, Vnum dicit neutrali verbo: quod non pertinet ad singularitatem sed ad vnitatem: ostendit duos esse, quos æquat.

Ibidem.

Ibid. De Christo dissero, vtriusque est salua proprietas substantiæ: vt Spiritus virtutes & opera & signa egerit in illo: & Caro passiones suas functa sit, esuriens, sitiens, &c. Tertium non est ex vtroq; confusum, vt electrum, &c.

RVFFINVS *in expositione Symboli.* Credimus in vnum Deum, Patrem omnipotentem & vnigenitum Filium eius Iesum Christum & Dominum Saluatorem, & in Spiritum Sanctum: non tres Deos, sed Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, vnum Deum Deum colimus & confitemur. Hanc Trinitatem vnum Deum credimus.

CYPRIANVS *in symb. Apost.* Sancta Ecclesia Deum Patrem omnipotentem & vnigenitum Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, & Spiritum Sanctum profitetur. Filiumque Dei natum ex Virgine, & passum pro salute humana, & resurrexisse à mortuis in eadem carne qua natus est, credit: eundemque venturum iudicem omnium sperat.

Ibid. Ascendit ad cœlos, non vbi Verbum Dei antè non fuerat, quippe erat semper in cælis, & manet in Patre: sed vbi Verbum caro factum, antè non sedebat.

De Idolorum vanitate. Deus nec videri potest, visu clarior est: nec comprehendi, tactu purior est: nec æstimari, sensu maior est: & ideò sic eum dignè æstimamus, dum inestimabilem dicimus. In nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore, nec nomen Dei quæras, Deus nomen est illi: illic vocabulis opus est, vbi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo qui solus est, Deus vocabulum totum est. Hæc est summa delicti, nolle agnoscere quem ignorare non possis.

ATHENAGORAS *ad Antonium Imperatorem.* DEum cum Verbo suo cognoscere optamus, vt quænam sit Filij ad Patrem vnio intelligamus quid Pater cum Filio communicet, sit Spiritus, quæ Vnitas Trium, quæ discretio vnitorum, Spiritus, nempe, Filij & Patris, actu & essentiâ vnum.

IGNATIVS *in Epist. 7. ad Smirnenses.* Si non vero corpore venturus est DOminus: quomodo videbunt eum, qui crucifixerunt ipsum? Rerum enim incorporearum neque species neque effigies, neque figura est, propter naturæ incorporeæ simplicitatem. Ego verò non modò in carnem venisse Christum cognosco ex natiuitate & crucifixione eius, sed & post resurrectionem scio eum in carne fuisse, & credo etiam nunc esse.

Ad Trallienses. Si quis Christum Iesum nudum hominem esse putet, non autem DEum vnigenitum, Sapientiam, & Verbum DEi, sed sola anima & corpore illum constare censet, huiusmodi serpens est, fraudem & errorem prædicans.

VIGILIVS *lib. 4.* Verus DEi Filius idemque hominis Filius per naturam Carnis suæ loco circumscribitur: per naturam Diuinitatis suæ loco non capitur.

Lib. 1. contra Eutychianos, Hoc erat ire ad Patrem & recedere à nobis, nimirum auferre de hoc mundo Naturam quam susceperat ex nobis, Dei Filius secundùm humanitatem suam recessit à nobis: secundùm deitatem ait nobis: Ecce vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. A quibus discessit humanitate sua, non deseruit Diuinitate sua. Per formam serui, quam abstulit à nobis in cœlum, absens est nobis: per formam Dei, præsens est nobis: & tamen præsens & absens vnus idemque est nobis.

Lib. 4. Quomodo quum Verbum vbique sit, non vbique inueniatur, & Caro? Nam quando in terra erat, non erat vtique in cœlo: & nunc quia in cœlo est, non est vtique in terra: & in tantùm non est, vt secundùm ipsam carnem Christum expectemus venturum de cœlo, quem secundùm Verbum nobiscum esse credimus in terra.

Lib. 2. contra Eutychian. Vnus est Christus, idem Deus idemque homo, habens in verbis & gestis vnum quod humanitatis, alterum quod Diuinitatis naturæ conuenit, licèt vtrumque ad vnam eius personam simul pertineat.

In Concilio Constantinopolitano. V. sub Iustiniano. In nullo differentia Naturarum Domini nostri Iesu Christi sublata est. Necesse est etiam vt in omnibus proprietatibus, eandem differentiam conseruemus. Quia etsi vnum Christum, vnamque eius Personam seu hypostasin, propter vnitionem Naturarum, quæ facta est secundùm hypostasin vel Personam, doceamus: differentiam tamen ipsarum quæ in eo ordinatæ sunt, Naturarum, post admirabilem & inseparabilem adunationem, nos oportet confiteri.

In Concilio Toletano. Quum tota sit cooperata Trinitas formationem suscepti hominis (quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis) solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate Personæ.

HIERONYMVS *De assumptione Mariæ Virginis ad Paulam & Eustochium, tomo 4.* In vtraque Natura vnus idemque Christus. Hanc vnionem Diuinitatis & Humanitatis inconfusam atque indiuisam fides Catholica seruat: vt neque conuersio in alterutram partem reci-

piatur, nec diuisio. Duas in Christo rectè confitemur natiuitates. Vnam de Patre sine initio & sine tempore, sempiternam & coæternam Deo Patri. Alteram de matre cum tempore. Maria est Theotocos & Christotocos. Non quòd Verbum carnem secum detulerit: sed quando copulatum est carni, diuinitatis atque humanitatis substantia in vtero ita inconfusè vnitur: vt vna persona sit Deus & homo Christus. Ex duabus siquidem naturis sine confusione alterius, non nisi vnus inuenitur Iesus Dominus: manens Deus in forma Dei: manens vnus idemque in forma serui quam suscepit. Nec nobis Deus recens: quia vnus idemque est qui & populum educebat ante Incarnationem: & per Passionem carnis suæ Redemptor. Nec nos seorsum hominem colimus neque adoramus: sed Deum magis incarnatum qui proprium sibi corpus animatum vniuit.

Ibid. Constat vnum eundémque Christum secundùm vtrasque formas operatum: Humanitatis scilicet ac Diuinitatis: ac per hoc duas exercuisse operationes. Operata est enim vtraque forma vel Natura cum alterius communione quod proprium habuit: Verbo siquidem operante quod Verbi est, vt Carne exequente quæ carnis erant: dum & idem Deus atque homo in vna persona, sine diuisione aut commixtione creditur, & præcognita vna identitas prædicatur. Veruntamen Deus Verbum est, & non caro, quanquam carnem rationabiliter animatam assumpserit: hancque vnione naturali & secundùm substantiam ecúniuit. Similiter & Caro est animata & non Verbum: licet Verbi Dei caro conspecta sit ac visa. Quæ initio tam mira est, vt discerni nequeat. Nihil aliud ex duabus Naturis quàm vnum iuxta subsistentiam vel personam. Vnus idémque manens Filius vnigenitus indisseparatus in vtriusque naturis conspicitur, & quæ sunt vtrisque substantiæ naturaliter operatur, secundùm vnicuique vel insitam essentialem qualitatem vel naturalem proprietatem, quæ si Naturam haberet singularem & inconiunctam non ageret vtique. Nunc autem Emanuel dum vnus est, & in eo ipso vtraque, id est, Deus & Homo, quæ vtriusque Naturæ sunt, veraciter gessit: secundùm Aliud & Aliud quæ gesta sunt operans. Secundùm quod Deus, ipse idem egit, quæ humana sunt: secundùm quod homo, ipse idem egit, quæ humana sunt: seipsum volens ostendere quòd Deus idem ipse & homo sit: & ideo idem ipse tam quæ diuina sunt, agit, quàm quæ humana, similiter. Et non Alius quidem miracula operatus, Alius perpetrauit humana passionesque sustinuit. Sed vnus idemque Filius Dei, atque hominis Filius qui & diuina & humana gessit. Siquidem inseparabiliter & indiuisè communes Christus habuit actiones. Sed intelligendæ sunt ipsorum qualitates: contemplandumque semper ad quæ inclinabatur altitudo diuinitatis: ita vt per omnem textum Euangelij videatur nihil Caro sine Verbo agere, neque Verbum sine Carne.

In Symbolo Ruffini, tomo 4. In Ecclesiæ Romanæ Symbolo non habetur additum: Descendit ad inferna: sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo. Vis tamen verbi eadem videtur esse in eo quòd sepultus dicitur.

In Symb. ad Damasum, tom. 4. Credimus in vnum Deum, & in Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei: & in Spiritum Sanctum. Non tres Deos, sed vnum Deum colimus & confitemur. In hac Trinitate vnum Deum colimus: quia ex vno Patre quod est, vnius cum Patre naturæ est, vnius substantiæ & vnius potestatis. Pater est qui genuit, Filius genitus est. Spiritus S. de Patre Filióque procedens. Filius ad nos saluandos perfectum suscepit hominem, non amisit quod erat. Ita tamen vt perfectus in suis sit: & verus in nostris. Filius Dei non factus aut adoptiuus, sed genitus & vnius cum Patre substantiæ, quod Græci dicunt Homoousion. Nec possumus æternum Patrem confiteri, nisi confiteamur etiam coæternum Filium. Vnam eandémque Trinitatis esse substantiam, & vnum in Tribus Personis fatemur Deum. Tres personas sub proprietate distinguimus. Sic autem confitemur in Christo vnam Filij esse personam, vt dicamus duas esse perfectas atque integras substantias: id est, Deitatis & Humanitatis, quæ ex anima continetur & corpore. Illorum execramur blasphemiam qui nouo sensu asserere conantur, à tempore susceptæ carnis omnia quæ erant Deitatis in hominem demigrasse, & rursum quæ erant humanitatis in Deum esse transfusa: vt quod nulla vnquam hæresis dicere ausa est videatur hac confusione, vtraque exinanita substantia, Deitatis scilicet & humanitatis, & à proprio statu in aliud esse mutata: vt nec Deum verum, nec hominem tenere credantur. Nos autem dicimus susceptum ita à Dei Filio passibile nostrum: vt Deitas impassibilis permaneret. Filius Dei verè passus est, secundùm illud quod pati poterat, id est, non secundùm illam substantiam quæ assumpsit, sed secundùm illam quæ assumpta est. Ipse enim Dei Filius secundùm suam Deitatem Impassibilis est vt Pater, incomprehensibilis vt

Pater

Pater, inuisibilis vt Pater, inconuertibilis vt Pater. Mortuus est ergo Dei Filius juxta illud quod mori poterat. Resurrexit tertia die. Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris: manente ea natura carnis in qua natus & passus est, in qua etiam resurrexit. Non enim exinanita est Humanitatis substantia, sed glorificata.

Aduersus Ioannem Hierosolymitanum. Apostolus in Epistola ad Colossenses volens Corpus Christi carneum & non spirituale, aëreum tenue demonstrari, significanter locutus est, dicens, Reconciliauit in corpore Carnis suæ per mortem.

Hedibiæ tomo 3. Dominus post Resurrectionem non mutauit formam vultúmque, vt diuersus ac varius videretur.

In Ieremiam cap 15. Vnus atque idem Filius, nunc iuxta Carnem, nunc iuxta Verbum loquitur Dei.

Ad Eustochium tomo 1. Si Dominus clausis ingressus est ianuis, & idcirco spirituale & aëreum corpus niteris approbare: Ergò, & antequam pateretur: quia contra naturam grauiorum corporum super mare ambulauit. Ostendit eis manus & pedes, ossa audis, & carnem & pedes & manus, & aërea deliramenta confingis.

Ad Pammachium tomo 2. Quid maius Deum transire per clausam portam, & creaturam cedere Creatori?

In Esaiam cap.7. Pater proficiebat, Luc.2. &c. hoc dicitur vt veritas humani corporis approbetur.

In Psal.118. Nos confitemur Christum habuisse verum Corpus & veram Animam. Sic enim non suscepit Dominus cuncta quæ hominis sunt, non saluauit hominem. Suscepit Christus & corpus animam vt vtrumque saluet, vt perfectum hominem saluet, sicut & eum condidit.

In Psal.109 Nobis qui Filius Dei est, ipse est & filius Dauid, non alius Filius Dei, & alius filius Dauid. Non facio duas personas in Deo & homine. Huic Domino cui præcipitur vt sedeat, homo est qui assumptus est. Deus non sedet, assumptio corporis sedet.

Ibid. Sine Patre dicitur secundùm carnem, sine matre dicitur secundùm Deum.

In Matth. cap. 1. tomo 9. Notandum in genealogia Salvatoris, vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnia peccata deleret.

GREGORIVS Nyssenus, *In Catechesi,* Qui homo fieri decreuerat, huic necessariò humanę naturæ proprietates suscipiendæ erant. Quis hoc dicet, quod circumscriptione carnis quasi quodam vase & receptaculo natura infinita contineatur?

Contra Eunom. Quum dicit, Vado, localem mutationem significat.

THEODORETVS *Dialogo 1.* Certa & vera fide amplectimur Dominum nostrum qui est ex genere Dauidis secundùm carnem, Filium Dei secundùm Deitatem & potentiam, verè natum ex Virgine, verè crucifixum pro nobis carne.

Ibid. Ego etiam post resurrectionem ipsum in carne existere scio & credo: vt quum discipulis dixit, Contrectate me & spectate, non sum incorporeus.

Ibid. Si non vero corpore venturus est Dominus, quomodo videbunt eum qui crucifixerunt ipsum? Rerum enim incorporearum neque species, neque effigies, neque figura, propter naturæ incorporeæ simplicitatem.

Dialogo 2. Corpus Dominicum surrexit quidem à corruptione & interitu alienum & impatibile & immortale, & diuina gloria glorificatum, & à cœlestibus adoratur potestatibus. Corpus tamen est & habet, quam priùs habuit, circumscriptionem.

Dialogo 3. Sic de Christo loqui conuenit & quum de naturis loquimur, tribuere vtrique conuenientia: & scire quædam diuinitatis, quædam humanitatis esse propria. Quando autem de persona loquimur, communia oportet facere Naturarum propria, & hæc illa & seruatori Christo tribuenda, & eundem nominare & Deum & hominem.

Ibid. Corpus Christi quod Diuina mysteria repræsentant, & cuius in hac mysteriorum institutione efficimur participes, priorem retinet formam, speciem, circumscriptionem, essentiam: etiamsi per resurrectionem immortale factum est, & ad dexteram Dei collocatum, ab omni creatura adoratur.

CYRILLVS Alexandrinus, *In Iohannem lib. 3. cap. 2.* Summa illa identitas substantiæ, Personas, id est, hypostases, non confundit. Ego, inquit, & Pater vnum sumus. Nisi enim vterque subsisteret, non Sumus, sed Sum vnum Ego & Pater dixisset: verùm quoniam plurali numero, Sumus vnum, dixit: commodissimè tam vnitatem naturæ, quàm pluralitatem personarum ostendit.

Ibid. cap.15. Verbum Caro factum est. Carnis vocabulo integrum & totum hominem significat.

Ibid. lib.2. cap.103. Exactam nominum pote-

ftatem Deitatis natura recusat : de qua quicquid dicimus, non vt se habet exquisitè ac absolutè dicimus : sed vt lingua humana proferre & aure percipere possumus. Necesse est enim qui in ænigmate videt, in ænigmate quoque loquatur : humano more de Deo loquimur. Intelligere autem omnia ita debemus, vt Deo congruant : & sic linguæ nostræ imbecillitas detrimento nobis non erit.

Lib.4 cap.15. Verbum Dei non est in naturam carnis mutatum, nec homo in naturam Verbi transformatus est. Manet enim inuiolata vtraque natura, & vnus ex vtrisque Christus est. Post Incarnationem in se diuidi filios minimè patitur.

Cap.18. Quum se missum Filius dicit, tunc incarnatum se esse, & nihil aliud denotat. Incarnatum autem Verbum Dei quum dicimus, totum se hominem assumpsisse intelligimus.

Lib.8.cap.7. Quum Dominus de se dixit: Me autem non semper habebitis; loquebatur de præsentia corporis sui. Nam secundùm Maiestatem suam, secundùm prouidentiam, secundùm ineffabilem & inuisibilem Diuinitatis gratiam, impletur quod ab eo dictum est: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.

Lib.9.cap.22. Secundùm carnem solummodo abiturus erat. Adest enim semper virtute Deitatis.

Ibid. Qui duos filios audet prædicare, is se sciat in creaturam, & in carnem credere. Nos autem à Scripturis docti, credimus in cruxifixum, mortuum & exsuscitatum à mortuis: non vt in alium à Dei Verbo: (atque id substantiæ identitate dico: Corpus enim corpus est, non Verbum, sed Corpus Verbi) sed vt in vnum verè Filium Dei.

Ibid.10.c.9. Minorem Patre Filium, inquantum factus est homo, credimus.

Cap.33. Quibus Spiritus Sanctus communis est, ij substantialiter disseparari non possunt. Spiritus sic propriùs Filij est, sicut sanè ipsius quoque Dei Patris.

Cap.22. Carne absens est.

Cap.25. Spiritus Dei Patris proprius est, sed non minus etiam Filij proprius est.

Cap.38. Nullus ambigit quum ad cœlos ascenderit, quamuis virtute Spiritus semper adfuerit, præsentia tamen carnis eum abfuisse.

Cap.41. Spiritus Sanctus ex substantia Filij procedit : natura omnino idem : in persona verò propria subsistens.

Lib.12.c.56. Spiritus S. qui Filio consubstantialis est, ex Patre per ipsum procedit.

Lib.16. Thesauri cap.3. Quoniam ita factus est verus homo, vt esse verus Deus non amiserit. Nec enim aliter nostrum genus saluari poterat : Ne quis audiens ipsum factum hominem, mutatum esse Verbum Dei in naturam nostram putaret, aut aliud factum quàm esset semper, vt tertium quid ex homine atque Deo compositum. Hac de causa necessariò, modò, more hominis, & loquitur & facit, modò vt verus Deus : vt vtrunque ipse intelligatur esse.

Ibid. Conuenienter, quoniam idem homo verus, & Deus verus est, hominis passiones sibi attribuit, propter personalem identitatem. Sic dicimus etiam Deum passum & crucifixum: quæ omnia vt homini sibi, non vt Verbo Dei attribuuntur.

Cap.4. Vnigenitus est, quia solus Dei Filius naturaliter est : quando ipse natura Deus homine assumpto factus est frater noster, tunc etiam Primogenitus factus est in multis fratribus, quia multos filios Dei per gratiam effecit.

Cap.7. Profecit sapientia : non vt Verbum, sed propter Incarnationem : secundùm naturam hominum paulatim crescente corpore. Proficiebat in ipso natura humana. Quando apud Scripturas aliquid dicitur quod non Deo sed homini conueniat, non ad Verbum Dei, sed ad hominem, qui Verbo hypostaticè vnitus est, referatis. Sic igitur quæ de Christo scribuntur, intelligenda sunt, vt nec quæ Deitati conueniunt, humanitati eius attribuantur: nec quæ humanitatis propria sunt, ad deitatem ipsius distorqueantur.

Lib.11. Accidens in Deo non est : ergo Genitum, est nomen substantiæ significatiuum.

Lib.12 Thesauri cap 10. Christus est Mediator Dei & hominum : non solùm quia reconciliauit homines Deo : sed etiam quia naturaliter est Deus & Homo: in vna hypostasi.

Lib.13. Thesauri cap.1. Spiritus Sanctus est eiusdem substantiæ cum Deo Patre. Disce rursum à Paulo rectas de Spiritu Sancto sententias. Hinc enim habes ex Saluatoris substantia Spiritum Sanctum esse, nec alienum ab vnius Deitatis essentia. Nam quum Spiritum Dei vocauerit, statim & Spiritum Christi appellauit, Rom.8. Natura igitur & essentialiter Spiritus Sanctus Deus est. Quemadmodum igitur si quis Filium susceperit, Patrem etiam habet : sic si quis Spiritum Sanctum susceperit, Filium quoque habet : & si quis Sanctum Spiritum acceperit, & Filium & Patrem similiter accepit.

Cap.2. Spiritus Sanctus ex ipso Filio : Ex Filio naturaliter ac essentialiter Spiritum Sanctum sicut ex Patre prouenire credimus, per quem

quem Filius omnia iungens sanctificat.

Dialogo 1. de Trinit. Deus in S. Scriptura dicitur ὁ ὤν, inde prisci nomen οὐσίας, hoc est, substantiæ vel essentiæ, deriuarunt. Adeóque, vt si quis Filium Patri dixerit esse ὁμοφυῆ connaturalem, ac consubstantialem, nihil insolitum in nominis impositione innouasse intelligatur: quandoquidem Primitiuum in diuina Scriptura inuenitur. Nam ab ὄντος est οὐσία & ὁμοούσιος. Nomen igitur Homoousion consubstantialis, significanter identitatem naturalem manifestat. οὐσία autem & ὑπόστασις, substantia & subsistentia, siue essentia & persona differunt.

Lib. 3 de Trinit. Quòd proprius Filij sit Spiritus Sanctus quemadmodum & Patris didicerit quis absque magno labore ex Luc. 12. Matt. 10. Rom. 8. &c.

De recta fide ad Reginas. Qui stultè dicunt sanctam Virginem non esse Deiparam, θεοτόκον, incidunt necessariò in hoc, vt duos dicant Filios Dei: opponit se illis Paulus dicens, vnus Dominus, &c. vt rectè docuit Athanasius. Si quis autem de cœlo dicat corpus habere Christum, vel consubstantialem Deo carnem, anathema sit. Si quis non confitetur carnem Domini ex sancta Virgine, & hominibus consubstantialem, anathema sit. Quando Verbum Caro factum est, tum & nominatum esse dicimus Christum Iesum. Vnctio est secundùm humanitatem. Illa omnia probantur ex Scriptura sacra, &c.

In Epistol. ad Ioann. Antioch. Omnia quæ de Christo dicuntur, tam diuina quàm humana, in Persona coniungi totique personæ tribui, verùm in ipsis naturis vicissim separati, & cuique sua conuenientia assignari oportet.

Epist. ad Nestorium. Neque Caro in Diuinitatis mutata est naturam: nec Verbi Dei natura in naturam Carnis translata est. Quum Verbum Carni secundùm hypóstasin (vel in Persona) vnitum esse confitemur, vnum adoramus Filium, ac Dominum Iesum Christum. Iesus Filius vnigenitus vna adoratione propria cum carne adoratur. Carne passus pro nobis secundùm Scripturas.

Ibid. Coniunctionis nomen recusamus, vt quòd sufficientem vnionis significationem nòn habet.

Ibid. Corpus manet corpus. Non enim Corpus est Deus.

Lib. de Incarnatione, Sunt quædam voces Deitati, aliæ verò congruentes Humanitati: aliæ autem medium quendam ordinem retinent, declarantes Filium Dei eundem ipsum Deum & hominem: vt Iesus Christus heri & hodie: vnus Dominus Iesus Christus. Ex quibus Christus est secundùm carnem, qui est Deus benedictus. Deitati verò conueniunt hæ voces: ego in Patre & Pater in me: Qui me videt, videt & Patrem. Ego & Pater vnum sumus. Iuxta mensuram humanitatis dicit: Quæritis me occidere hominem.

Ioan, 8. Non diuidas voces quæ de Domino proferuntur. Habent enim simul & quod Deum deceat, & quod eius humanitati conueniat: sed eas magis tanquam vni Filio competenter assigna: ne diuidas in duos filios, vnum Dominum Iesum Christum.

Lib. 10. in Ioann. Nemo dubitat quin ad cœlos ascenderit Christus, quamuis semper virtute Spiritus adfuerit, præsentia tamen carnis abfuisse,

Lib. 2. de Trin. Etiam Diuinitas si esset corpus, esset omnino in loco & magnitudine & quantitate.

Epiphanivs *contra hær. lib. 3. tom. 2. in hær. 78.* Fideles Orthodoxi colunt coëssentialem Trinitatem, Patrem, & Filium ac Sanctum Spiritum, tres subsistentias, vnam essentiam & vnam deitatem, & vnam glorificationem: credunt perfectè Christi incarnationem, perfectum Deum, perfectum hominem, citra peccatum: non duos esse, sed vnum Dominum, vnum Deum, vnum Regem, vnum Pontificem, Deum & hominem, hominem & Deum: non duos, sed vnum coünitum, non in confusionem neque in interitum ac obliterationem, sed ad magnam gratiæ dispensationem.

In hær. 76. Pater, Filius & Spiritus Sanctus in vna Deitate.

In hær. 60. Sensus illius vocis Homoousion est in Scriptis Apostolicis & Propheticis.

Contra Anomœos, Tria existentia perfectæ vna Deitas. Trinitas est in vna vnitate: Vna deitas in Trinitate. In vna essentia perfecta Trinitas numeratur.

In Ancorato, Nouerunt eandem Deitatem esse in Trinitate: & eandem Trinitatem esse in vna Deitate.

Contra Collyr. Mediator Christus, quia in medio vtrorumque est: ad Patrem quidem suum, Deus: ad homines, homo,

Bernardvs. *Serm. 3. in vigil. natal. Dom.* Trinitas est in personis, Vnitas in Substantia. Sed in persona Christi Trinitas est substantiæ: nempe Deitas, Corpus & Anima Christi: sed in persona est vnitas. Et sicut in S. Trinitate, Personæ non scindunt vnitatem: Vnitas non minuit Trinitatem: ita & in Christo, Persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ, personæ dissipant vnitatem. Verbum,

Anima & Caro in vnam conuenere personam. Et hæc tria vnum, & hoc vnum tria, non confusione substantiæ, sed vnitate personæ.

Serm 80 *super Cantica*. In Diuina substantia nihil esse potest, quod non sit ipsa Deus.

FVLGENTIVS *Lib* 1. *ad Trasimundum Regem cap*. 17. Carnis Christi nomine significatum totum a parte, suscepta carne Christus etiam rationalem animam suscepit.

Cap. 18 Liquidò cognoscitur Verbum Deum totum hominem suscepisse. Propter hanc in Christo vnitatem Personæ, & inconfusam veritatem diuinæ humanæque substantiæ, vnus idemque Christus: & puer ab Esaia dicitur, & Filius ac Deus pariter prædicatur. In vno Christo, non sunt duæ personæ: vt alius puer & alius Deus fuerit nuncupatus, sed in vna persona est Deus plenus, & homo perfectus, quia substantialiter aliud puer, & aliud Deus, quum tamen personaliter, non sit alius puer, & alius Deus. Vnus enim Filius, & puer, & Deus, quia puer qui natus est nobis, & idem Filius qui datus est nobis, vocabitur Deus. Hic tamen puer sicut veram carnem, sic & veram habuit animam vt illa vera diuinitas totam hominis & renouandam susciperet, & susceptam posset renouare naturam.

Lib. 2. Matrem non habuit Christus Dei Filius in Dei substantia, quam semper habet ex Patre. *Rursus*: Idem Patrem in hominis natura non habuit, quam ex sola matre suscepit. Vna tamen in Christi Persona vtriusque naturæ indiuisa veritas. Quum in homine Christo videtur veritas hominis, in eodem Deo Christo cognoscatur paternæ veritas Deitatis. Christi vera humanitas localis est, vt vera Diuinitas immensa semper. Christi verò hominis corpus localiter continetur 1. Thess. 1. Phil. 3. Apoc. 1 Actor. 1. Quum caro Christi localis absque dubitatione monstraretur, diuinitas tamen eius vbique semper esse, Paulo testante, cognoscitur, 2. Cor. 13. Quomodo corporaliter ascendit in cœlum, nisi quia localis & verus homo est, aut quomodo in suis fidelibus esse prædicatur in terra, nisi quia idem immensus & verus Deus, Ephes. 3. Est itaque Filius in cœlo, & habitat in nobis in terra: scilicet illa suæ immensitatis præsentia, qua in nobis Pater Spiritusque Sanctus habitat, 2. Cor. 6. Ierem. 3. 1. Cor. 3. 2. Tim. 1.

Lib. 3. *cap*. 2. Nos fidem retinentes Euangelicæ veritatis, sic in Mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu, propria vniuscuiusque naturæ cognoscimus: vt vnitatem Personæ nullatenus diuidamus. Scientes quòd sic vtriusque in Christo substantiæ manserit vnita proprietas, vt in carne patiens impassibilis Deus, & veram passionem (quia voluit) in vera carne sentiret, & in Diuinitate prorsus impassibiliter permaneret. Nec alius in carne passus fuerit, nisi ille qui in vera Carnis passione impassibilis omnino permansit. Nec alius semetipsum morti dignatus sit tradere, quàm ille qui sic potuit moriendo mortem vincere, vt mortem non posset in morte sentire.

Cap. 5. Quæ est illa Vnigeniti exinanitio, nisi accepta passibilis & mortalis humanitas Christi? Quæ autem est Vnigeniti plenitudo, nisi permanens impassibilis atque immortalis diuinitas Christi? Quæ autem sit quæ in Christo inhabitat plenitudo diuinitatis, Col. 2. Iohannes ostendit: Verbum, inquit, caro factum est.

Cap 11. Per hanc vnitatem Personæ, Dominus gloriæ asseritur crucifixus, 1. Cor. 2. Propter hanc vnitatem personæ, Auctor vitæ dicitur interemptus, Act. 3. Vnctio ad hominem referenda.

Cap. 16. Licet in Christi morte carnem morientem fuisset anima desertura: Diuinitas tamen Christi nec ab anima, nec à carne posset separari suscepta.

Cap. 18. In puero crescente, non crescebat diuina Majestas.

Cap. 34. Secundùm solam carnem mortuus & de sepulchro surrexit: secundùm totum hominem quem accepit terram localiter deserens ad cœlum ascendit.

Lib ad Donatum, Nestorius cognouit duas in Christo esse naturas, conatus est duas prædicare Personas. Eutyches credens vnam in Christo personam, peruersè prædicauit vnam in eo Naturam: refellitur vterque, Rom. 9.

Respons. 4. *ad Ferrand*. Ipse Vnigenitus qui verus naturaliter Deus est, vt verus sacerdos fieret: Non Personam accepit, sed Naturam humanitatis. Sed in ipsam Personam suam quam propriam semper habuit, veritatem naturæ seruilis accepit.

Lib de Incarn. & grat. 5. Secundùm Prophetæ Esaiæ sententiam: Deus, factus est Christus, non autem Christus, factus est Deus, sicut dicunt hæretici. In Deifica illa vnione, vera Christi humanitas naturalem prorsus retinet nostri generis veritatem.

Lib. 2. *ad Trasimundum*, Filius ergo Dei tam auctoritate Diuina, quàm sanctorum Patrum fideli veracique sententia, secundùm diuinam naturam infinitus immensusque probatur, vbique præsens, omnia replens. Quia verò idem Filius Dei, verus Deus natus de Deo Patre, verus homo factus est pro nobis ex homine

(factus

factus est enim ex semine Dauid secundùm carnem) diuinæ humanæque naturæ in se continens veritatem, quæ fuerunt veræ diuinitatis non amisit, & quæ sunt veræ humanitatis accepit. Vnus idemque homo Localis ex homine, qui est immensus ex Patre. Vnus idemque secundùm humanam substantiam, ABSENS cœlo, quum esset in terra: & derelinquens terram, quum in cœlum ASCENDISSET. Secundùm diuinam verò immensamque substantiam, nec cœlum dimittens, quum de cœlo descendit nec terram deserens, quum ad cœlum ascendit. Quod ipsius Domini certissimo potest cognosci sermone, qui vt localem ostenderet humanitatem suam, dicit discipulis suis: Ascendo ad Patrem meum & ad Patrem vestrum. De Lazaro quoque quum dixisset, Lazarus mortuus est, adiunxit dicens. Et gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi. Immensam verò suæ Diuinitatis ostendens discipulis dicit, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Quomodo autem ascendit ad cœlum, nisi quia localis & verus est homo? aut quomodo adest fidelibus suis, nisi quia idem immensus est & verus Deus? Ipse Filius, vt immensitatem divinitatis suæ, in terra positus demonstraret, & secundùm hominem quem susceperat in terra positus, secundùm Deum quod semper erat, præsentem se etiam cœlo doceret, ait, Nemo ascendit in cœlum nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo. Non quia humana Christi substantia fuisset vbique diffusa, sed quoniam vnus idemque Dei Filius atque hominis Filius, verus Deus ex Patre, sicut homo verus ex homine, licet secundùm veram humanitatem suam localiter tunc esset in terra, secundùm diuinitatem tamen, quæ loco nullatenus continetur, cœlum totus impleret & terram.

CLEMENS Alexandrinus *lib. 3. pædagogi.* Gratias agendo laudare vnum Patrem & Filium, Doctorem & Magistrum cum Spiritu S. in quo omnia, per quem omnia.

DAMASCENVS *Lib. 1. de Orthodoxa fide.* Θεὸς μία οὐσία ἐν τρισὶ ὑποστάσεσι: Deus vna essentia in tribus personis. Διαφέρουσι, ἀλλήλων, ἐν ταῖς ὑποστατικαῖς ἰδιότησι, differunt inter se sanctæ hypostases, sed οὐ οὐσίᾳ; personæ non differunt essentia.

Lib. 3. Orthod. fid. Christus est Patri ὁμοούσιος, & Matri ὁμοούσιος eiusdem substantiæ post ἕνωσιν, vnionem. Christi vocabulum Personam indicat duarum naturarum. Vnio autem est ἀμεταβλήτως, τελείως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀδιασπάστως, ἀδιαστάτως. Vt concilium Chalcedonense, definimus essentialem naturarum differentiam seruari. Et duas naturas post vnionem verè naturales proprietates seruare. Natura quæ est circumscripta, mansit circumscripta, ἀπερίγραπτος: Et natura incircumscripta, mansit incircumscripta. Natura visibilis, mansit visibilis, & inuisibilis mansit inuisibilis. *Ibidem* Dominus gloriæ dicitur crucifixus, quamuis eius Deitas non sit passa. Quamuis κατ' ἄλλο secundùm aliud, miracula ederet: & κατ' ἄλλο, secundùm aliud pateretur: idem tamen Christus remanebat. Alia vocabula & enuntiata indicant personam Christi, alia naturam. Propter personæ identitatem possumus dicere: Hic Deus noster in terra visus est. Christus totus est Deus: sed totum Christi non est Deus: Totus est homo: sed non totum Christi est homo. Deitatis & humanitatis nomina, naturas duas in Christo repræsentant. Christum vna adoratione adoramus vnà cum Patre & Spiritu S. Quum de Deitate loquimur, ea quæ humanitati propria sunt, non assignamus. Non enim passibilem aut creatam Deitatem dicimus, nec rursus carni siue humanitati ea tribuimus quæ Deitati propriè conueniunt. Non enim carnem increatam esse dicimus. At quum de persona Christi loquimur, siue ab vtraque parte simul, siue ab altera tantùm eam appellemus, vtriusque naturæ proprietates ipsi imponimus τὰ ἰδιώματα αὐτῇ ὅτι εἰσί [illegible]. Etenim Christus, Deus & homo est. Dominus gloriæ dicitur cruci affixus: non quatenus est Deus, sed quatenus idem est homo: οὐ καθὸ Θεός, ἀλλ' ᾗ καθὸ καὶ ἄνθρωπος ὁ αὐτός. Atque hic est τρόπος ἀντιδόσεως, modus communicationis idiomatum siue attributionis modus proprietatum. Dicimus Deum carne passum: sed non Dicendum deitatem carne passam.

Ibid. Sustantialem dicimus vnionem, id est veram: naturalem autem, dicimus, non quòd ex duabus naturis vna perficiatur natura: sed quòd vnitæ sint adinuicem secundùm veritatem in vnam Filij Dei hypostasin.

Ibid. Christi vnam θεανδρικὴν ἐνέργειαν dicentes, duas naturarum eius actiones intelligimus, diuinitatis quidem eius diuinam, & humanitatis eius actionem humanam.

Ibid. Patienti carni coniuncta erat diuinitas manens impassibilis, & efficiens vt passiones essent salutares.

Lib. 3. Totus igitur Christus est Deus perfectus, sed non Totum Deus: nam non solùm Deus, sed & Homo & totus homo perfectus: non totum autem homo, non solùm enim Homo sed & Deus. Nam Totum designat Naturam: sed Totus designat Hypostasin: quemad-

modum Aliud, Naturæ est: ALIVS verò Hypostaseos.

Apud Euagrium Lib. 2. histor. Ex decretis Concilij Chalcedonensis. Damnant eos qui dicunt Filij deitatem passibilem: & qui duarum naturarum Christi κρᾶσιν ἢ σύγχυσιν ἐπινοοῦσι, qui excogitant naturas commixtas aut confusas. Damnant etiam eos qui vnam naturam post vnionem asserunt. Dominus Christus est homoousios Patri, secundùm diuinitatem suam: est homoousios siue consubstantialis nobis, secundùm humanitatem: Naturarum differentia non est sublata propter vnionem, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης: sed potiùs seruata vtriusque naturæ proprietate, in vnam hypostasin vel personam vnitis. Nec in duas personas diuiditur aut secatur, sed vnus est idemque Filius vnicus. Ἀποτελοῦσαι ἡμῖν τὸν ἕνα κύριον καὶ χριστόν. Ita connectuntur naturæ, vt, propria differentia seruata, nec διὰ τὴν ἕνωσιν propter vnionem sublata, nobis vnicum Dominum constituant.

Ex Symboli Apostolorum expositione, RVFFINI *Aquileiensis presbyteri*, inter opera Cypriani & Hieronymi. Quomodo Deus Pater genuerit Filium, nolo discutias, nec te curiosiùs ingeras in profundi huius arcanum.

Art.6. Neque fas est seruo de natalibus Domini disputare.

Ibid. Est Deus Pater verus veritatis Pater, non extrinsecus creans, sed ex eo quod ipse est Filium generans.

Ibid. Vnum Deum, vnum Dominum, intelligendum est, vnum non numero sed vniuersitate: id est, qui propterea vnus dicatur quod alius non sit.

Art.7. Vt excluderetur Sabellij impietas de Patre, videntur hæc addidisse maiores, & Inuisibilem Patrem atque Impassibilem dixisse. Constat enim Filium, non Patrem, in carne & ex carne natum, & ex Natiuitate carnis, Filium visibilem & passibilem factum.

Art.9. Filium sanè cùm audis, nolo cogitationem carnalis natiuitatis assumas, sed memento hæc de incorporeæ dici substantiæ natura simplici. Si enim vel in eo quod cor generat verbum, vel mens sensum, vel lux parit ex se splendorem, nihil horum requiritur, nec vlla in tali generatione fragilitas cogitatur: quantò purius & sacratiùs de horum omnium Creatore censendum est?

Art.10.11. Constat exempla non in omnibus esse similia: alioqui si eadem essent omnia, iam non exempla dicerentur: sed ipsæ potiùs res de quibus agitur, viderentur. Deinde etiam illud dicendum est, quòd nulla creatura talis esse potest, qualis Creator eius. Et ideo sicut sine exemplo est diuina substantia: ita & sine exemplo est Diuina maiestas. Si ergo insubstantiua scintilla quæ ignis est, ex se creaturam quæ ex nihilo facta est, gignit, & conditionem in hoc seruat originis suæ, cur illius æternæ lucis substantia quæ semper fuit, quia insubstantiuum in se nihil habuit, insubstantiuum ex se splendorem proferre non potuit? Et ideò rectè Vnicus dicitur Filius: vnicus enim eo solus est, quia natus sit: nec comparationem aliquam habere potest, quod vnicum est: nec similitudinem substantiæ cum facturis suis habere potest ille, qui factor est omnium. Hic ergo Iesus Christus Filius vnicus Dei, qui est & Dominus noster vnicus, & ad Filium referri & ad Dominum potest. vnus est Filius verè Filius, & vnus verè Dominus Iesus Christus. Cæteri quippe licet dicantur Filij, Adoptionis, tantùm gloria dicuntur, non veritate naturæ. Et si dicuntur alij Domini, concessa non ingenita potestate dicuntur: hic verò solus est vnicus Filius, & solus vnicus Dominus, sicut & Apostolus dicit. Ephes.4.5.

Art 20. Sciendum sanè est quòd in Ecclesiæ Romanæ symbolo non habetur additum, Descendit ad inferos: sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo. Vis tamen verbi videtur eadem esse in eo quòd sepultus dicitur, *& articul. 27. vt probet, profert, Psalm. 16. 1.Petr.3.*

Art 30. Ascendit ergo ad cœlos, non vbi Verbum Deus, antè non fuerat, quippe qui erat semper in cœlis, & manebat in Patre: sed vbi Verbum caro factum non sederat.

Art.34. Vt autem vna eademque in Trinitate Diuinitas doceatur, sicut dictum est, In Deum Patrem credo, adiecta Præpositione IN: ita & in Spiritum Sanctum memoratur.

Art.36. Sequitur post hunc sermonem, sanctam Ecclesiam Catholicam: non dixit, In Sanctam Ecclesiam, nec in remissionem peccatorum, nec in carnis resurrectionem. Si enim addidisset IN, Præpositionem, vna eademque vis fuisset cum superioribus. Nunc autem in illis quidem vocabulis vbi de Diuinitate fides ordinatur, In Deum Patrem dicitur, & In Iesum Christum Filium eius, & In Spiritum Sanctum. In cæteris verò vbi non de Diuinitate, sed de creaturis ac mysteriis sermo est, IN, Præpositio non additur, vt dicatur, In sanctam Ecclesiam, sed sanctam Ecclesiam credendam esse: non vt in Deum, sed vt Ecclesiam Deo congregatam: & remissionem peccatorum credendam esse, non in remissionem peccatorum

peccatorum : & resurrectionem carnis, non in resurrectionem carnis. Hac itaque Præpositionis syllabâ, Creator à creaturis secernitur, & diuina separantur ab humanis. Is ergo Spiritus Sanctus est, qui in Veteri Testamento Legem & Prophetas, in Nouo verò Euangelia & Apostolos inspirauit. vnde & Apostolus dicit: *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum.*

Lombardus *siue magister sententiarum, lib 1. sent dist 2.* Omnes Catholici tractatores, vt lib. 1 de Trin. August. ait, qui de Trinitate, quæ Deus est, scripserunt, hoc intenderunt secundùm Scripturas docere, quòd Pater & Filius & Spiritus Sanctus vnius sint substantiæ, & inseparabili æqualitate, vnus sint Deus. Vt sit vnitas in Essentia, & pluralitas in Persona: ideóque non sunt tres Dij, sed vnus Deus, vna est Patris & Filij & Spiritus Sancti essentia: in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus: quamuis sit personaliter alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus. Deus nomen est naturæ, vt ait Ambros. lib 1. de Trin. Dominus verò nomen est potestatis.

Dist 3. Deus vna & simplex essentia, quæ ex nulla diuersitate partium vel accidentium consistit.

Dist.4. Fides Catholica tenet ac prædicat, & tres personas esse vnum Deum, & vnam substantiam siue essentiam siue naturam diuinam: & vnum Deum siue essentiam diuinam esse tres personas. Etsi alius sit Pater quàm Filius, non est tamen aliud quàm Filius, sed vnum.

Dist 5. Non est dicendum, quòd Pater genuit diuinam essentiam. Nec dicendum est quòd diuina essentia genuit Filium : quia Filius est diuina essentia. Ita etiam dicimus, quòd diuina essentia non genuit essentiam: quia vna & summa res est diuina essentia. Sed Pater solus genuit Filium & à Patre & Filio procedit Spiritus Sanctus. Filius est de substantia Patris, ita quòd est eiusdem substantiæ cum eo.

Dist.13. Inter generationem verò Filij & processionem Spiritus Sancti, dum hîc viuimus, distinguere non sufficimus..

Dist 16. Quod ipse Dominus ait, Pater maior me est, propter formam servi, veritas dicit. Non sic accepit formam servi, vt amitteret formam Dei, in qua erat æqualis Patri.

Ibid. Quum dicimus tres personam vnam substantiam vel essentiam, neque vt genus de speciebus, neque vt speciem de indiuidus prædicamus. Tres personas vnam fatemur esse essentiam, non tres esse essentias. Diuina essentia non est genus, nec personæ species: nec est essentia diuina species, & tres personæ indiuidua, vt docet August. contra Maxim. tom.6. Notandum etiam quòd Essentia Diuina non est materia trium personarum: sicut ex eodem auro, si fierent tres statuæ, diceremus tres statuas vnum aurum. Non autem sic Trinitatem, id est, tres personas, dicimus vnam essentiam & Deum vnum. His quoque addendum est, quòd tres personas non ita dicimus esse vnam essentiam vel vnius essentiæ, sicut dicimus tres aliquos homines esse eiusdem sexus, eiusdem temperationis, eiusdémque animi.

Ibid. Tres illæ personæ proprietatibus conuenientibus distinguuntur.

Ibid. Quum Deus dicatur Trinus, non tamen dici debet Triplex. Ibi enim non est triplicitas, vbi summa est vnitas & indifferens æqualitas.

Dist.22. Quædam nomina distinctè ad singulas personas pertinent, vt ait August. lib. 9. de Trin. quæ de singulis tantùm dicuntur personis : Quædam verò vnitatem essentiæ significantia sunt, quæ & de singulis sigillatim, & de omnibus (personis) communiter dicuntur. Alia verò sunt quæ translatiuè ac per similitudinem de Deo dicuntur. His adjiciendum est: Quædam esse nomina quæ ex tempore Deo conueniunt, & Relatiuè ad creaturam dicuntur, vt Dominus, Creator.

Dist.23. Est tamen vnum nomen, scilicet persona, quòd secundùm substantiam dicitur de singulis Personis: quum hoc nomen, ad se dicatur & secundùm substantiam, pluraliter tamen accipitur : Nec enim dicitur Pater & Filius & Spiritus Sanctus sunt vna persona, sed sed tres personæ.

Dist.24. Quum dicimus tres personas, nomine ternarij non quantitatem Numeri in Deo ponimus. Quum dicimus Pater & Filius sunt duæ Personæ, non dualitatem quantitatis ibi ponimus: sed significamus, quòd non tantùm Pater est Persona, nec tantùm Filius est persona: sed Pater est Persona, & Filius est persona, & hæc non est illa. Quum autem dicimus Distinctæ personæ, vel distinctio est in personis, confusionem atque permixtionem excludimus, & hanc non esse illam significamus. Et quum dicimus aliam & aliam, non diuersitatem vel alienationem ibi ponimus, sed confusionem Sabellianam excludimus. Quum verò dicitur, *Trinitas* id significari videtur quod significatur quum dicitur *Tres personæ*.

Dist.25. Quum pluraliter dicitur *tres personæ*, non significat essentiam, id est, naturam diuinam quæ communis est tribus personis, sed subsistentias vel hypostases, Personæ nomine & hypostasis, siue subsistentia, & proprietas significatur.

Ibid. Loquendi necessitate inuentum est hoc nomen *persona*, ad respondendum ad illud Ioannis 1.Iohan.5. Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo: & dictum est, Tres Personæ.

*Distinct.*20. Ingenitus dicitur Pater, secundùm proprietatem innascibilitatis: Quum ingenitus dicitur, non quid sit, sed quid non sit ostenditur.

*Distinct.*30. Sunt quædam quæ ex tempore, de Deo dicuntur, eique temporaliter conueniunt, sine sui mutatione: & relatiuè dicuntur secundùm accidens: Non quod accidit Deo, sed quod accidit creaturis: vt Creator, Dominus, & huiusmodi. Sic & Pater noster fieri incipit, quum per gratiam eius regeneramur. Ita accidens est in creatura, non in Creatore.

*Dist.*37. Diuina sola essentia omnino illocalis & incircumscriptibilis est. Corporalis creatura ita est localis vel circunscriptibilis, quòd determinatur definitione loci, & quod dimensionem recipiens distantiam facit. Spiritualis verò (creatura) tantum definitione loci concluditur, quum ita sit alicubi, quòd non alibi: sed nec dimensionem recipit, nec distantiam in loco facit. Quomodo Deus sit vbique, intellectu non capimus.

Dist 42. Ait August. in lib. quæst. 97. Omnia quidem potest Deus, sed non facit, nisi quod conuenit veritati eius & iustitiæ. Deus non potest peccare quia non esset hoc potentiæ sed infirmitatis. Si enim hoc posset omnipotens non esset. August. de Trin. lib. 15. Sic non potest mori, non potest falli, nec potest vinci, quia omnipotens non esset. In lib. de symb. tom. 9.

Lib.3. sentent. Per Christi aduentum exhibetur atque perficitur humanæ Redemptionis sponsio facta ab antiquo. Filij ergo Missio est ipsa Incarnatio. Solus namque Filius hominem assumpsit. Deus in Sapientia sua mundum condiderat, restaurat in eadem.

*Lib.3. sent. dist.*2. Quia in homine tota humana natura vitio corrupta erat, totam assumpsit, id est, animam & carnem, vt totam curaret & sanctificaret. Quòd autem humanæ naturæ, siue humanitatis vocabulo, anima & caro intelligi debeant, apertè docet Hieronymus in expos. fidei symb. Totam ergo hominis naturam, id est, animam & carnem & horum proprietates siue accidentia cum sensibus assumpsit Deus. Totum assumpsit me, inquit Damascenus, vt toti salutem mihi gratificaret.

*Dist.*5. Filius Dei carnem & animam simul assumpsit in vnitatem personæ. Non Natura personam, nec persona personam, sed Persona Filij naturam humanam assumpsit. Diuina natura sibi Humanam naturam vniuit. Formam serui, id est, naturam serui in suam accepit ille Deus, Personam.

Ex August. de fide ad Petrum, Item Deus Verbum non accepit Personam hominis, sed naturam. Solus Filius accepit formam serui, vel hominem in singularitatem personæ.

*Dist.*9. Ex Damasceno, Adoro Christi Dei mei simul vtramque naturam propter carnem vnitam deitati. Non enim quartam appono personam in Trinitate: sed vnam personam confiteor Verbi & carnis eius.

*Dist.*15. Non turbabatur eius diuinitas, sed turbabatur eius anima: secundùm humanam assumptionem Ecclesiæ gerebat personam.

*Dist.*19. Propriè Filius dicitur Redemptor. Ipse solus est Mediator, non Pater vel Spiritus Sanctus quia est Medius inter Deum & homines.

*Dist.*21. Propter carnem vnitam Verbo dicitur Deus mortuus, quum diuinitas omnis doloris exors existeret. August. in Psalm. 130. Et Ambros. lib. de Incarn.

Lib.3. sentent. dist 22. Christus totus vbique, sed non Totum: sicut Christus totus est homo, sed non totum: quia non solùm est Deus vel homo, sed Deus & homo. Totum enim ad naturam refertur: Totus autem ad hypostasin: sicut Aliud & Aliquid, ad Naturam, Alius verò & Aliquis ad personam referuntur. Damascenus lib.3. de fide cap.7.

Ibid. Si ad vnitatem personæ referatur intelligentia, sanè dici potest Filius hominis, vel ille homo, descendit de cœlo, vel est vbique. Si verò ad distinctionem Naturarum, nullatenus concedendum est. August. ad Dard. & lib.3. contra Maxim. & lib.1. de Trinit.

GREGORIVS *magnus*, *in Euangelia, tom.*2. Iesus per humanitatem habuit nasci, crescere, mori, resurgere, de loco ad locum venire. In Diuinitate mutabilitas non est:

Ibid. Non est hîc: per præsentiam Carnis dicitur, qui tamen nusquam deerat per præsentiam maiestatis.

Ibid. Redemptor noster post resurrectionem suam corpus suum incorruptibile, & tamen palpabile demonstrauit. Incorruptibilem se & palpabilem demonstrauit: vt profectò esse ostenderet post Resurrectionem corpus suum & eiusdem naturæ & alterius gloriæ.

LEO Primus, *in Natiuit. Domini serm* 1. Verbum Dei Deus, Filius Dei, propter liberandum hominem ab æterna morte factus est homo: ita se ad susceptionem humilitatis nostræ sine diminutione suæ Maiestatis inclinans, vt manens quod erat, adsuménsque quod non erat, veram

serui

serui formam ei formæ, in qua Deo Patri est æqualis, veniret. Salua igitur Proprietate vtriusque substantiæ, & in vnam coëunte personam, suscipitur à maiestate humilitas, ad rependendum nostræ conditionis debitum, natura inuiolabilis, naturæ est vnita passibili, Deúsque verus & homo verus in vnitatem Domini, Vnus atque idem Dei & hominum Mediator.

Epist. 70. Corpus Christi nulla ratione est extra corporis nostri veritatem.

Ibid Serm. 7. Quod Verbum caro factum est, non hoc significat, quòd in carnem sit Dei natura mutata: sed quòd à Verbo in Vnitatem Personæ sit caro suscepta.

Ibid. Serm 8. Eutyches recentioris sacrilegij prophanus assertor, Vnitionem quidem in Christo duarum confessus est Naturarum, sed ipsa Vnitione id dixit effectum, vt ex duabus vna remaneret, nullatenus alterius existente substantia: quæ vtique fieri, nisi aut consumptione aut separatione, non possent. Hæc verò tam inimica sunt sanæ fidei, vt nequeant recipi sine excidio nominis Christiani. Si enim Verbi Incarnatio non est Vnitio diuinæ humanæque naturæ, sed hoc ipso concursu, quod erat geminum, factum est singulare: sola diuinitas vtero Virginis nata est, sola diuinitas crucifixa, mortua, sepulta, &c. Secundùm illam Naturam, qua Christus æqualis est Patri: nunquam inferior fuit vnigenitus sublimitate genitoris.

Epist. ad Flauianum Episcopum Constantinop. Et serm 3. de pass. Domini. Salua proprietate vtriusque naturæ, & in vnam coëunte personam, suscepta est à Maiestate humilitas, & ad resoluendum conditionis nostræ debitum, natura inuiolabilis, naturæ est vnita passibili. Vnus atque idem Mediator Dei & hominum Christus Iesus. Tenet sine defectu proprietatem suam vtraque natura. Et sicut formam serui, Dei forma non adimit: ita formam Dei, servi forma non minuit.

Ibidem. Agit vtraque forma cum alterius communione quod proprium est: Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est. Propter hanc vnitatem Personæ in vtraque Natura, & Filius hominis legitur descendisse de cœlo, quum Filius Dei carnem assumpserit. Et rursus, Filius Dei dicitur crucifixus: quum hæc non in diuinitate ipsa, sed in humanæ naturæ infirmitate sit perpessus, Resurrectio veri corporis fuit. Dicebat, Videte, palpate, &c. vt agnosceretur in eo proprietas diuinæ humanæque naturæ permanere indiuidua. Caligans circa Naturam Corporis Christi, necesse est, vt etiam in Passionem eius eadem obcæcatione desipiat.

Ex THOMA *In* 1. *cap. epist. ad Romanos.* Nihil aliud est Persona quam Hypostasis & Suppositum. Quum dicitur, factus est, non intelligitur secundùm conuersionem, sed secundùm vnionem, absque diuina mutatione. Quum dicitur, secundùm Carnem, Caro ponitur pro toto Homine.

In 1. *sentent. distinct.* 3. *artic.* 1. Personæ in diuinis differunt Realiter, non tantum Ratione.

Distinct. 4. *Articulo* 2. Hoc nomen *Deus* aliquando supponitur pro Essentia, aliquandò pro Persona. Dicitur ergo Deus genuit Deum, hoc est Persona Patris Personam Filij. Sed non vera hæc est, Essentia genuit Essentiam. Nam pro persona non est supponendum essentia. Falsa est hæc, Deus genuit alium Deum.

In Summa quæst. 29. Quamuis autem nomen personæ in Scriptura non inueniatur, tamen id quod significat inuenitur assertum de Deo in Scriptura. Hypostasis hic non significat aliquid quod substinet accidentibus, sed significat rem per se subsistentem.

Art. 2. *qu.* 31. *Adversus Arrium*, Vitandum ne tollatur essentiæ vnitas: vitandum nomen separationis & diuisionis, ne tollatur simplicitas diuinæ essentiæ: & ne tollatur eius æqualitas, vitandum nomen disparitatis, alieni, discrepantis. Ad vitandum errorem Sabellij, qui ponit vnitatem personæ, vitandum nomen singularitatis. Vitamus etiam nomen confusi, ne tollatur ordo naturæ à personis: item solitarij. Hoc autem nomen, Alius mascul. importat distinctionem suppositi: nec idem est quod Diuersus, quo nomine diuersitas essentiæ significatur. Aliud in neutro genere, significat naturam communem. Itaque Pater est alius à Filio, non aliud: sunt vnum, non vnus.

Quæst. 39. *artic.* 2. Nomen Homoousion idem est quòd tres personas esse vnius essentiæ.

In 3. *sent. dist.* 5. Humanam naturam assumpsit persona diuina. Natura diuina dicitur vnita, non assumpta.

P. 3. *quæst.* 2. Vnio non facta est in natura, sed in persona. Non enim ex duabus naturis vna est constituta natura: sed natura Verbi sibi vniuit Carnem in persona. Natura diuina dicitur incarnata à Damasceno: quia est vnita Carni personaliter, non quòd sit in naturam carnis conuersa. Similiter caro dicitur deificata à Damasceno, non per conuersionem, sed per vnionem ad Verbum, saluis suis Proprietatibus naturalibus, vt intelligatur, Caro deificata, quia facta est Verbi Dei Caro: non quia facta sit Deus.

In 3. *sent. dist* 6. Quia facta est illa vnio in supposito siue in persona, ideo de illo supposito

poſſunt prædicari ea quæ conſequuntur vtramque naturam : ſed differenter. Quia ea quæ conſequuntur naturam diuinam, prædicantur de ſuppoſito, & in Concreto & in Abracto : ſicut & ipſa natura,quæ prædicatur vtroque modo de ipſo ſuppoſito. Ea verò quæ conſequuntur naturam humanam,& ipſa natura humana, prædicantur tantùm in Concreto de ſuppoſito. Ita non rectè dicitur Chriſtus eſt creatura.Deus eſt paſſus,verum eſt: non tamen per ſe.

*Art.2 qu.16.*Vt illa propoſitio vera eſt:Deus eſt Homo : ſic vera eſt hæc, Homo eſt Deus: ſuppoſita veritate vtriuſque naturæ, diuinæ & humanæ, & vnione in Perſona & ſuppoſito. Quæ prædicantur de Chriſto,diſtinguuntur ſecundùm id quod vtrumque prædicatur.Nam ea quæ ſunt diuinæ naturæ,prædicantur ſecundùm naturam humanam.Vnde Auguſt. in 1.de Trin. cap.11. Diſtinguamus quid in Scripturis ſonet, ſecundùm formam Dei, & quid,ſecundùm formam ſerui.

Art.5. Nomina concreta ſupponunt Hypoſtaſin ſeu Perſonam. Ideo poſſunt indifferenter prædicari ea quæ ad vtramque naturam pertinent,de nominibus Concretis.

Qu.17. Natura ſecundùm ſe conſiderata, prout in abſtracto ſignificatur, non poteſt verè prædicari de ſuppoſito ſeu perſona. Quum dicitur Chriſtus eſt aliud & aliud, locutio eſt exponenda, vt ſit ſenſus, habens aliam & aliam naturam.

Adv. Gentil.lib.4. cap.49. Verbum non eſt in carnem conuerſum, nec vnitum corpori, vt forma.Verbum non habet ſubſiſtentiam ex natura humana : ſed naturam humanam ad ſuam ſubſiſtentiam vel perſonalitatem trahit. Vnde nihil prohibet, Verbum eſſe vbique,quum natura humana non ſit vbique.

Cap.41. Eutyches poſuit vnionem Dei & hominis factam eſſe in natura. Neſtorius nec in natura nec in perſona.Catholica fides in perſona, non in natura.

CONFESSIONVM fidei Conſenſus in hoc articulo manifeſtus in Syntagmate & Harmonia ſuperiori, non eſt hîc reponendus, ſed inde petendus.

ORTHO-

ORTHODOXI CONSENSVS

Articulus tertius.

De Providentia Dei, *quâ Deus mundum à se creatum regit & gubernat.*

Capvt Primvm.

Psalm.33.

Oculi Domini super timentes eum, vt liberet à morte animas eorum, & alat eos in fame.

Psal.34. *Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum. Vultus Domini contra eos qui malum faciunt, vt perdat eos de terra.*

Psalm 80. *Qui Regis Israel intende.*

Psalm 73. *Quàm bonus est Deus iis qui rectò sunt corde.*

Psalm.8. *Quid est homo, quòd eius memor es?*

Psalm.91. *Ipse liberabit te de laqueo, in pennis eius fiduciam habebis, sub ala sua proteget te.*

Psalm.5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.*

Psalm.115. *Deus noster in cœlo & in terra: omnia quæcunque voluit fecit.*

Psalm.104. *Omnia ad te respiciunt, vt des illis escam tempore suo.*

Psalm.56. *Non timebo, Dominus mihi adiutor.*

1.Reg 22. *Dixit Dominus spiritui immundo: Egredere & fac ita.*

Prou.5.21. *Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus eius considerat.*

Prou.16.33. *Sortes mittuntur in sinum, sed omne iudicium sortis pendet à Domino.*

Prou.15. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Infernus coram Domino, quantò magis corda filiorum hominum?*

Prou.21. *Cor regis in Dei manu.*

Ioan 19.11. *Non haberes potestatem, nisi tibi datum esset desuper.*

Iob.34.21. *Oculi Domini super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat*

Iob.1 *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, factum est: sit nomen Domini benedictum.*

Matth.6.26. *Respicite volucres cœli: Pater vester cœlestis alit illas. Nonne vos multò præstatis eis?* vide vers.15.30.32.33.34.

Matth.7.11. *Si ergo vos quum sites mali, nostis bona dare filiis vestris: quanto magis Pater vester qui est in cœlis, dabit bona petentibus se?*

Matth.10.29. Luc.12. *Vnus ex passeribus non cadet super terram, sine Patre vestro. Vestri & capilli capitis omnes, numerati sunt. Nolite ergo timere. Multis passeribus meliores estis.*

Matth.8.26. Luc.12.28. *Quid timidi estis* ὀλιγόπιστοι, *exigua fide præditi?*

Luc.12.29. μὴ μετεωρίζεσθε. *Ne suspenso animo estote.*

Ierem.10.23. *Spero Domine: quia non est homini via eius, neque viri vt dirigat gressus suos.*

Ierem.10.2. *Hæc dicit Dominus, Vias Gentium ne discatis, & à signis cœli nolite metuere,* & vers.23.24 25.

Genes.20.6. & 31.7. *Non permisit ei Deus, vt noceret mihi.*

Ephes.1.11. *Omnia efficit ex consilio voluntatis suæ.*

Actor.4.27. *Conuenerunt Herodes & Pilatus cum gentibus & populis Israel, vt facerent ea quæ manus tua & consilium tuum decreuerat fieri, &* vers.24.

Actor.4.16. *Deus siuit gentes suis ipsarum viis incedere.*

Act.17.26. *Ipse dat vitam omnibus & halitum & omnia. In ipso mouemur & viuimus & sumus.*

Matth.21. *Ecce ego vobiscum.*

1.Petr.5.7. *Omnem curam in Deum conjicite. Nam ille de vobis cura est.*

Iac.4.15. *Dicere debuistis: Si Dominus voluerit, faciemus hoc aut illud.*

Iac.1. *Deus tentari malis non potest, nec quenquam tentat.*

Deut.32.4. *Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicium. Deus est fidelis & absque vlla iniquitate iustus & rectus.*

Adde Gen.18.25.& 22.14 & 45.5. & 50.20.
Exod.4.11. & 21.13.& 31.3.
Numer.23.19.
Deut.8.3.
Iosue 11.20.
1.Sam.2.v.6.7.8.9.25.30.& 15.29.
Es.10.6.7.15.& 26.9.10.11.12.13. & 27.2.3.4.5. & 28.16.& 29.15.16. & 30.1.7.18.& 31.1.2.& 45.7
Ierem.14.7.8.9.10. & 17.7.8. & 18.11.12. & 27.4.5.
Lament.1.20. & 2.17. & 3.22.23.24.25.26.27 31.32.33.37.38.39.50 57.58 59. & 5.19.
Ezech 18.25.29.
Matth.3.9.22.& 4.4.7.& 19.26.
Luc.1.37. & 13.2.4.
Ioan.9.3.& 19.11.

Huc referantur & alij loci complures eiusmodi.

CAPVT SECVNDVM.

CHRYSOSTOMVS *Lib. de Prouid.* Deo cura est de omnibus, & de his maximè, qui sibi fide iuncti sunt.

Ad pop. Antioch. Nauigium sine gubernatore non persistit. Nauigium est mundus, Gubernatorem habere necesse est, &c.

Aduersus Anomæos Apostolus non dicit *Iudicia Dei esse Incomprehensibilia* sed esse *Inscrutabilia*; longè minùs igitur comprehendi possunt.

Lib 1 de Prouidentia. Plurima & magna quotidie Deus pro nostra salute disponit, quæ ipsi soli sunt cognita: plurima nos latere permittit hæc reuelat aliquando, vt in omnibus gratias semper illi referamus. Medico facienti ea quæ nobis contraria saluti videntur, cedimus Deum punienda curiositate perscrutabimur? Hoc solùm nobis persuadere debemus: omnia nobis à Deo vtiliter inferri. Pia cogitatione illud voluamus: *Iudicia tua abyssus multa.* Scio omnia à te fieri iustè, modum verò ignoro, quo fiunt.

In Matth. hom.28. Deus noluit te esse iudicem operum suorum, sed seruum præceptorum.

Ib. hom.13. Non ab omnibus Deus hîc exigit vltionem, ne resurrectionem & iudicium desperes futurum. Nec tamen omnes sinit impunè transire, ne cuncta prorsus absque vlla prouidentia suspiceris. Sic *homil. 46. ad pop. Antioch.*

Ib. hom.29. Non communiter omnibus solùm Deus prouidet, verumetiam vnicuique separatim.

Ad pop. Antioch hom.7. & 47. Non ob aliam causam præsens vita bona est, quàm quòd futuræ vitæ nobis materia efficitur.

Hom.15.ibid. Vt si in montium vertice ascenderimus, infima nobis videntur esse parua. Ita postquam supra excelsam Philosophiæ cognitionem ascenderis, nihil te terrenum percellere potest.

Hom de Resurr. Nisi Deus voluisset Resurrectionis nobis ianuam aperire, non permisisset Abelem quæ passus est, pati. Demonstrat aliud seculum iustis relictum esse, &c.

In Ep ad Rom. hom.31. Qui sermonem de gehenna & iudicio tollit, nihil aliud facit quàm quòd hac deceptione in eam ipsam gehennam se conjicit & magis impellit, nec illam sermonibus extinguit.

In 1 cap. ep. ad Gal. Quid ais miser & infelix? Num hæc vita mala, in qua Deum agnouimus? &c.

In epist. ad Philem. Permittit Deus afflictiones, vt, vel erudiat, vel pœnam sumat, vel illustriores faciat.

In 2. ad Thess hom.2. Afflictiones loco dimouent imbecillam fidem & charitatem: robustam verò robustiorem faciunt.

Ad pop. Antioch hom.1. Afflictionis causæ: 1. Ne in arrogantiam tollamur. 2. Ne habeant homines maiorem de se opinionem quàm natura humana fert. 3. Vt Dei virtus appa-

appareat. 4. Vt ipsorum patientia manifesta fit. 5. Vt de Resurrectione cogitemus. 6. Vt alios in miseriis subleuemus. 7. Ad piorum imitationem excitemur. 8. Vt discamus qui fiant beati.

Lib.2. de Prouid.tom.5. Dæmon est qui mœrorem mouet: mœror potiùs Dæmoni vires administrat. Recedas à multitudinis opinione. Bonum certamen certaui, inquit Apostolus, ostendens vitam omnem in certaminibus & laboribus nobis esse agendam.

Orat. de tolerantia in adversis, tom.5. Spectasti filium immaturè ereptum, dicito: Dominus dedit, Dominus abstulit. Vidisti rem tuam imminutam, illud in ore habeto: nudus exiui, nudus decedam. Si improbis videas rem bene succedere, dices: Verùm ego semper tecum. *Ps. 73. &c.*

De pœnit: hom.5. Permittit Deus nos tribulari, neque continuò ad liberationem accedit. Vtrumque de summo amore nobis facit, quò semper ei assistamus, semper ad eum refugiamus, eum imploremus. Ne cum seruis stultis murmuremus, in omnibus gratias agamus, & vnum solum malum putemus, in eum peccare.

In 1. ad Cor. hom.15. Non hoc dicit Apostolus: Quòd non sint boues curæ Deo. Nihil enim omnino est, quod sit à prouidentia Dei destitutum: sed quòd non præcipuè propter boues legem posuerit.

Hom. de adversa valetudine. Cùm videris iustum premi, & adversa valetudine vexari, & aliis innumeris adversitatibus præsentem vitam finire: dic, Nisi esset Resurrectio & iudicium, nequaquam Deus eum ex hac vita sineret sic demigrare.

In Psalm 142. Deus nihil æquè requirit quàm vt eum semper intueamur, & ab eo perpetuò pendeamus.

AVGVSTINVS *lib.11. de Ciuit. Dei cap.4.* Mundum esse cònspicimus, Deum esse credimus. Quòd autem Deus mundum fecerit, nulli tutiùs credimus, quàm ipsi Deo.

Cap.17. Deus sicut naturarum bonarum optimus Creator est: ita malarum voluntatum iustissimus Ordinator.

Lib.14. cap.26. Cur non crearet Deus quos præsciuit esse peccaturos, quandoquidem in eis & ex eis, & quid eorum culpa mereretur, & quid suâ gratiâ donaretur, possit ostendere?

De Agone Christ. Omnes seruiunt diuinæ Prouidentiæ: sed alij obediunt tanquam Filij, & faciunt quod bonum est: alij verò ligantur tanquam servi, & fit de illis quod iustum est. Sic omnia Deus ordinauit, vt & de bonis & de malis beneficiat.

Epist.49. Diuina potentia etiam factis loquitur.

Epist.54. Deus pauca in hoc seculo punit, vt futurum iudicium commendetur.

Serm. 220. de tempore. Quando vult Deus respicit & iudicat: aliquando non differt: quando verò vult differt. Et vnde hoc? Quia si nunquam in præsenti iudicaret, non esse crederetur. Si omnia in præsenti iudicaret, nihil iudicio reseruaret. Ad hoc enim multa seruantur iudicio. Et quædam in præsentia iudicantur, vt illi qui differuntur, conuertantur.

Retract. lib.1. Pœnitet me in libris meis Academicis quos scripsi nondum baptizatus, nominasse *Fortunam*, quamuis non aliquam Deam voluerim hoc nomine intelligi, sed fortuitum rerum euentum, quum videam homines habere in pessima consuetudine, vt vbi dici debet, Hoc Deus voluit, dicere, hoc voluit fortuna.

Ibid. Nollem eo verbo Ominis vti.

Cap.26. Malorum pœna quæ à Domino Deo est, malum est quidem malis, sed in bonis Dei operibus est: quoniam iustum est vt mali puniantur.

Epist.87. Res prospera donum est consolantis, res adversa donum est admonentis. A Deo tribulatio est beneficium, vt fugiamus ab ira ventura, & in hac vita concordemus cum sermone Dei.

Epist 156. Si fallacis prosperitatis semper hîc tranquillitas arrideret, nunquam anima portum veræ securitatis appeteret.

De Gen. ad lit. imperf.c.5. Deus iustos facit & ordinat. peccatores autem, inquantum peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantum. ita & ipso faciente, pulchra sunt singula: & ipso ordinante, pulchra sunt omnia.

Lib. quæst.83. qu. tom.4. Deus non est causa deficiendi. Boni tantummodo causa est: ipse summum bonum est. Quocirca mali author non est, qui omnium quæ sunt author est: quia inquantum sunt, in tantum bona sunt.

Qu.27. & 28. Deo cuncta bene administrante quæ fecit, nihil inordinatum in vniuerso, nihilque iniustum est, siue scientibus, siue nescientibus nobis. Nihil maius voluntate Dei. Non ergo causa eius quærenda est.

Ench. ad Laur. cap.96. Nec dubitandum est Deum facere bene, etiam sinendo fieri quæcunque fiunt malè. Non enim hoc nisi iusto iudicio sinit. Et profectò, bonum est omne quod iustum est. Quamuis ergo ea quæ mala sunt, inquantum mala sunt, non sint bona:

tamen non solùm bona, sed etiam sint & mala, bonum est. Nam nisi hoc esset bonum, vt essent & mala: nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono.

*Cap.*101. Aliquando autem bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult. Tanquam si bonus filius patrem velit viuere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus fieri potest, vt hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona. Velut si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus. Nempe ille vult, quod non vult Deus: iste verò id vult, quod vult & Deus. Et tamen illius bonæ voluntati Dei, pietas potius consonat, quamuis aliud volentis, quam huius, idem volentis impietas. Tantum interest quid velle homini, quid Deo congruat: & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, vt aut approbetur aut improbetur. Nam Deus quasdam voluntates suas, vtiq; bonas implet per malorum hominum voluntates malas. Sicut per Iudæos maleuolos, bona voluntate Patris Christus pro nobis occisus est.

*In Psalm.*148. Multi stulti non valentes contemplari & discernere creaturam locis suis & ordine suo sub nutu & iussu Dei agentem motus suos: visum est illis, quia omnia superiora Deus gubernat, inferiora verò despicit, abjicit, nec regat, sed casibus regantur. Quando ista dicunt, blasphemia sunt & exectabilia Deo.

Ibidem Non tibi videantur casibus moueri, quæ verbo Dei in omni motu suo deseruiunt. Nouit Deus quid agat. Quicquid hîc accidit contra voluntatem nostram, nouerit non accidere nisi de voluntate Dei, de prouidentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius. Etsi nos non intelligimus quid quare fiat, demus hoc Prouidentiæ ipsius, quia non fit sine causa, & non blasphemabimus. Quum enim cœperimus disputare de operibus Dei, quare hoc, quare illud: & non debuit sic facere, malè fecit hoc, vbi est laus Dei? Perdidisti halleluia. Omnia sic considera, quomodo placeas Deo, & laudes artificem. Quia si intrares in officinam fortè fabri ferrarij, non auderes reprehendere folles, incubes, malleos. Da imperitum hominem nescientem quid, quare fit: & omnia reprehendit. Sed si non habeat peritiam artificis, & habeat saltem considerationem hominis, quid sibi dicit? Non sine causa hoc loco folles positi sunt. Artifex nouit quare, etsi ego non noui. In officina non audet vituperare Fabrum, & audet reprehendere in hoc mundo Deum? Ergo quemadmodum ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum eius: sic omnia quæ vanis videantur in rerum natura temerè fieri, non faciunt nisi verbum eius, quia non fiunt, nisi iussu eius.

Ibidem Sed dicis mihi, Ecce cædit innocentiorem & dimittit sceleratiorem. Noli mirari, vndecunque mors, pio bona est. Vnde scis si illi sceleratiori, si se mutare noluerit, quid pœnarum in occulto seruetur? Vndique Deus reducet corpora sanctorum suorum, cui capilli capitis nostri numerati sunt. Vndecunque voluerit vt exas hinc, paratum te inueniat. Inquilinus enim es, non possessor domus. Inquilinus es in terra, eris possessor in cœlo.

*Lib conf.*3 *c.*11. Deus sic curat vnumquemque nostrum, tanquam solum curet, & sic omnes tanquam singulos.

De corrept. & gratia cap. 14. Deus de iis quæ faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult.

*Ench ad Laur cap.*100. Deus bene vtens & malis, tanquam summè bonus: Quantum ad illos attinet, quod Deus noluit, fecerunt. Hoc ipso, quòd contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas eius. Propterea namque magna opera Dei, exquisita in omnes voluntates eius: vt miro & ineffabili modo, non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem. Quia non fieret, si non sineret: neque vtique *Nolens* sinit, sed *Volens*. Nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo posset facere benè.

De Trinitate lib. 15 *cap.* 13. *tomo* 3. Per seipsum scit, aliunde non didicit. Ad omnia quippe scienda quæ scit, sufficit sibi illa perfectio. Vniuersas autem suas creaturas & spirituales & corporales, non quia sunt ideò nouit, sed ideò sunt, quia nouit. Quia ergo sciuit, creauit: non quia creauit, sciuit.

*Cap.*14. Falsum habere aliquid nunquam Deus potest. Potenter hoc non potest, nec est infirmitas ista, sed firmitas: quia falsa non potest esse veritas.

*Epist.*59. Deus malis bene vtitur ad profectum bonorum, sicut illorum nequitiæ est, malè vti bonis operibus eius: sic illius Sapientiæ est bene vti malis operibus eorum.

*Cap.*13. Quis deserat & destituat quod ipse condendum putauit?

*De Genesi contra Manichæos lib.*1. *c.*2. Causas voluntatis Dei scire quærunt, quum Voluntas Dei omnium quæ sunt, ipsa sit causa. Si enim habet causam Voluntas Dei, est aliquid quod antecedat Voluntatem Dei, quod nefas est credere.

De

De Genesi ad literam, lib.3. cap.24. tomo 3. Deus naturarum optimus conditor, peccantium verò iustissimus ordinator est, vt etiam si qua sigillatim fiunt delinquendo deformia, semper tamen cum eis vniuersitas pulchra sit.

De Ciuitate Dei, lib.1.cap.8. Placuit Diuinæ prouidentiæ præparare in posterum bona iustis quibus non fruerentur iniusti: & mala impiis quibus non excrutiabuntur boni. Ista verò temporalia bona & mala, voluit vtrisque esse communia: vt nec bona cupidiùs appetantur quæ mali quoque habere cernuntur: nec mala turpiter euitentur quibus & boni plerumque afficiuntur.

Ibid. Si nunc omne peccatum manifesta plecteretur pœna; nihil vltimo iudicio reseruari putaretur. Rursus, si nullum peccatum nunc puniret apertè Diuinitas, nulla esse prouidentia Diuina crederetur. Similiter in secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus euidentissima largitate contingeret, non ad eum istud pertinere diceremus. Itemque si omnibus eas petentibus daret, non nisi propter talia præmia seruiendum illi arbitraremur: nec pios faceret talis seruitus, sed potiùs cupidos & auaros. Quicunque boni malique pariter afflicti sunt, non ideo ipsi distincti non sunt: manet enim dissimilitudo passionum etiam in similitudine passionum. Vno igne aurum rutilat, palea fumat, sub eâdem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur. Nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur: ita vna eademque vis irruens, bonos probat, purificat, eliquat: malos damnat, vastat, exterminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant: boni autem precantur & laudant. Tantùm interest non QVALIA, sed QVALIS quisque patiatur.

Ibid. cap.9. Quid igitur in illa rerum vastitate Christiani passi sunt quod eis non magis fideliter ista considerantibus, ad profectum valeret? Primò, quòd ipsa peccata quibus Deus indignatus impleuit tantis calamitatibus mundum, humiliter cogitantes, quamuis longè absint à facinorosis, flagitiosis, atque impiis, tamen non vsque adeò se à delictis deputant alienos, vt nec temporalia pro eis mala perpeti se iudicent indignos. Flagellantur simul, non quòd simul agunt malam vitam, sed quia simul amant temporalem vitam.

Cap.10. Amiserunt omnia quæ habebant, nunquid fidem? Nunquid pietatem? Nunquid interioris hominis bona? Qui est ante Deum diues? hæ sunt opes Christianorum.

Lib.5.de Ciu Dei, c.9. Ipsæ nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo: quoniam & humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt.

Contra Faustum lib.22.cap.8. Pertu bati homines non intelligunt in vno eodemque opere malo, aliud venire de astutia suadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de iustitia punientis, cùm diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit.

In Psalmum 100. Hominem Deus fecit præuaricatorem ipse homo se fecit. Ama in illo quod Deus fecit, persequere in illo quod ipse sibi fecit.

In Psalmum 104. Peccati nullius auctor est Deus: sed mirabilis eius bonitas, qua bene vtitur etiam malis vel angelis vel hominibus. Bene vtitur malis operibus hominum, sicut illi malè vtuntur bonis operibus Dei, cùm ipsi suo vitio mali sint, ille de malo eorum benefacit.

In Ioannem tract.55. Iudas tradendo malefaciebat: vt de illo tradito bonum fieret, quod Iudas nesciebat. Deus cogitauit salutem nostram. Iudas pretium, &c.

AMBROSIVS *lib.2.de vocat. gentium cap 8. tomo 2.* Iusta & omnipotens prouidentia Dei incessabiliter vniuersa diiudicat, nemo in hunc mundum venit, neque ab hoc mundo exit, nisi eo ortu atque decessu quem rerum arbiter, secundùm altissimam scientiam suam sapientiamque decernit, sicut scriptum est in libro Iob. *Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit.*

Cap.10. Sicut de iis quæ intra Ecclesiam multiformiter Spiritus Sanctus operatur, impium est vllam querelam corde concipere: ita etiam de illa Prouidentia quæ in fidelibus præsidet, nullatenus murmurandum est. Quoniam & iustus & bonus arbiter, nec voluntatis iniquæ est, nec discretionis incertæ: vt nisi immensa omnipotentis Dei misericordia atque iustitia putemus quòd quisquam pereat qui perire non debeat.

Offic lib.1.c.14. Quid tam stolidum quàm putare quòd Deum quicquam prætereat, quum Sol qui minister luminis est, abdita penetret?

Cap.13. Quis deserat & destituat quod ipse condendum putauit?

NAZIANZENVS *Orat.de paup amore.* Qui omnia sursum deorsum verti putant, sunt vt qui vertigine affli ctantur, omnia verti putant, quum ipsi vertantur.

In laudem Cypri. Diuina prouidentia, contraria contrariis procurat.

TERTVLLIANVS *adu. Marci.lib.2.* Deus vniuersa vtique disponendo præsciuit & præsciendo dispoſuit.

Ibid. Nos adhibita diſtinctione vtriuſque formæ, ſeparatis malis Delicti, & malis Supplicij, malis Culpæ & malis Pœnæ: ſuum cuique parti definimus authorem: malorum quidem peccati & culpæ, diabolum: malorum verò Supplicij & pœnæ Creatorem: vt illa pars malitiæ deputetur, iſta Iuſtitiæ, mala condenti iudicia aduerſus mala delicta. Nolite reprehendere Iudicem, ſed reuincite malum iudicem.

Ibid. Condo mala, non peccatoria, ſed vltoria.

Lib.4. Deus nihil non ratione prouidit, diſpoſuit, ordinauit.

Lib.2. aduerſus Marcionem. Nos qui credimus Deum humani habitus humilitatem ſuſcepiſſe, ex cauſa humanæ ſalutis, longè ſumus à ſententia eorum qui nolunt Deum curare quicquam.

De fuga in perſecutione. Propter probationem fidei, neceſſaria iniquitas: non patrocinium præſtans, ſed miniſterium. Præcedit enim Dei voluntas circa fidei probationem: ſequitur diaboli iniquitas ad inſtrumentum perſecutionis. Sic Iuſtitia in iniquitate perficitur.

HIERON. *in Habac cap 1.* Propheta clamauerat: Quare auſi ſint Dei maieſtatem contemnere, & quantum in ſe eſt. Dei prouidentiam calumniari, & declinare à Domino, coarguentes cum iniquitatis. Erit contemptoris iudicium atque ſupplicium. Noui, Domine Deus meus, Sanctè meus, quia te prouidente & defendente non morimur: & ſcio quia propterea poſuiſti aduerſarium, vt in ipſo corriperes & non occideres: noui quia nihil tibi placeat iniuſtum, & oculi tui ab omni iniquitate ſunt puri. Dicam quicquam ſine te fieri, & te nolente tantum poſſe impium? hoc ſentire blaſphemum eſt. Quum itaque tu ſis vniuerſitatis Rector & Dominus, tu neceſſe eſt facias, quòd ſine te fieri non poteſt.

In Ezechielem, ca.10. Cauſa tantorum ſcelerum eſt, quòd putauerunt prouidentiam non eſſe ſuper terram, nec Deum curare mortalia.

In Ieremiam cap. 12. Quicquid in mundo vel bonorum accidit vel malorum, non abſque prouidentia & fortuito caſu accidit, ſed iudicio Dei.

In Ezechielem cap.18. Si reddit peccata Patrum ſuper filios in tertiam & quartam generationem, iniuſtum videtur vt alius peccet, & alius puniatur. Sed ex eo quod ſequitur. His qui oderunt me, comminationis ſcandalum ſoluitur. Non enim puniuntur quia Patres eorum deliquerunt, ſed quia Patrum extiterunt æmulatores, hæreditario malo & impietate in ramos quoque de radice creſcente. Signum miſericordiæ pœnam differre peccati.

BERNARDVS, *Serm.5. de verbis Eſaia*, Fit voluntas Dei de omnibus, fit per omnes, non in omnibus tamen. In electis fit voluntas Dei.

Serm.3. in feſto Sanct. Bona Deo placent in ſeipſis, & delectatur nihilominus bona ordinatione malorum.

THOMAS, *Lib.6. in Metaphy.* Si omnia reducantur ad cauſam altiſſimam, nihil inueniri poterit quod ab ordine eius exeat. Ideò ſecundùm fidem Catholicam dicitur: quòd nihil temerè fit, ſiue fortuitò in mundo: & omnia ſubdi diuinæ prouidentiæ. Ens in quantum ens, habet cauſam ipſum Deum. Vnde ſicut diuinæ prouidentiæ ſubditur ipſum ens: ita etiam omnia accidentia eius, in quantum eſt ens: inter quæ eſt neceſſarium & contingens. Itaque Diuina prouidentia dat enti contingentiam & neceſſitatem: vt voluit, præparauit ei cauſas Medias, ex quibus de neceſſitate, vel contingenter ſequatur. Ergo hæc conditionalis vera eſt, Si aliquid eſt à Deo prouiſum, hoc erit. Secundùm autem quod effectus aliquis conſideratur ſub ordinem cauſæ proximæ, ſic non omnis effectus eſt neceſſarius: ſed quidam contingens, quidam neceſſarius: ſecundùm analogiam ſuæ cauſæ. Effectus enim in ſuis naturis ſimilantur cauſis proximis non autem remotis, ad quarum conditionem pertingere non poſſunt. Cauſæ neceſſitatis vel contingentiæ in rebus, conſtituitur à ſuprema cauſa.

In ſumma, quæſt.19. art.7. Voluntas Dei eſt immutabilis. Sed circa hoc conſiderandum: aliud eſſe, mutare voluntatem; & aliud, velle aliquarum rerum mutationem. Dicitur Deus pœnituiſſe, Metaphoricè ſecundùm ſimilitudinem operationis noſtræ. Porrò voluntas Dei quum ſit prima cauſa, non excludit cauſas Medias. Vnde aliquis reſpiciens ad cauſas inferiores, dicere poterat: Lazarus non reſurget: reſpiciens verò ad cauſam primam, poterat dicere: Lazarus reſurget. Et vtrumque horum vult Deus: ſcilicet alipuid futurum ſecundùm cauſam inferiorem, quod tamen futurum non ſit ſecundùm cauſam ſuperiorem. Hinc Gregorius dicit: Deum mutare ſententiam, non conſilium voluntatis ſuæ.

Art.8. Quum voluntas Dei ſit efficaciſſima, non ſolùm ſequitur, quòd fiant ea quæ Deus vult fieri: ſed quòd eo modo fiant quo Deus ea fieri vult. Vult autem Deus quædam fieri Contingenter, quædam Neceſſariò. Et ideo quibuſdam

busdam effectibus aptauit causas necessarias, quibusdam causas Contingentes.

Art.9. qu 19. Deus non vult malum culpæ, sed vult malum pœnæ : volendo aliquod bonum cui coniungitur tale malum.

Ibid. Malum non ordinatur ad bonum per se, sed per accidens: sic bonum potest esse, mala esse & fieri. Nihil autem iudicatur secundùm illud quod competit ei per accidens, sed secundùm illud quod competit ei per se. Sic præter intentionem peccantis est, quòd ex hoc sequatur aliquod bonum : sicut præter intentionem tyrannorum fuit, quòd ex eorum persecutionibus clarescceret patientia Martyrum.

Ibid. Mala fieri, & non fieri mala, opponuntur contradictoriè. Sed Deum velle mala fieri, & Deum velle mala non fieri, non opponuntur Contradictoriè, quum vtrumque sit affirmatum.

Art.11.qu.19. Voluntas Dei est vna, quum ipsa sit Dei Essentia. Sed distinguitur in Deo voluntas Signi, à voluntate simpliciter & Beneplaciti.

Art.12. Voluntas Signi dicitur quæ cognoscitur quinque signis quæ sunt, Prohibitio, permissio, præceptum, operatio, exequutio.

In 1.sent.dist 45 & 46. Voluntas Dei Beneplaciti propriè dicitur de Deo. Voluntas Signi dicitur metaphoricè ex effectis. Nec est Signum falsum quamuis non monstret voluntatem Beneplaciti. Voluntatis Signi operatio est temporalis : Beneplaciti æterna. Deus vult aliquid antecedenter, ex parte volentis & facientis: vult aliquid consequenter, ex parte facti & conditione rei factæ. Deus dicitur velle antecedenter, & consequenter : Non propter actum voluntatis suæ: sed propter ordinem volitorum.

In sum qu.22. In prouidentia Dei duo spectanda. 1 Ratio ordinis rerum in finem. Dicitur prouidentia : quod est æternum. 2. Dispositio & executio ordinis, quæ dicitur Gubernatio, quæ est temporalis. Quum Deus sit omnium prima causa, omnia etiam in particulari cognoscens, omnia sunt subiecta Diuinæ prouidentiæ, non solùm in Vniuersali, sed etiam in singulari, tum corruptibilium tum incorruptibilium : aliqui non ordinarentur ad finem, &c. Deus etiam permittit defectus in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum vniuersi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent vniuerso &c.

Qu.23. Ad diuinam prouidentiam pertinet res in finem ordinare.

In 1.sent.dist.47. Voluntate Dei non solùm res producuntur, sed etiam illa modum quo producuntur determinauit.

Qu.22. Art.3. Deus autem omnibus prouidet immediatè, quoad ordinis rationem. Quoad executionem verò ordinis, per aliqua Media.

Qu 103. Nihil autem euenire potest præter illius ordinem.

Qu.25. art 3. Ea quæ contradictionem implicant, sub diuina omnipotentia non continentur : quia non possunt possibilium habere rationem. Vnde conuenientiùs dicitur : Quod ea non possunt fieri : quàm quod Deus non possit facere. Neque hoc est contra verbum Angeli dicentis : Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Id enim quod contradictionem implicat, verum esse non potest. Faceret enim Deus vt ea quæ vera sunt eo ipso quòd vera sunt, falsa sint : sicut Augustin. docet lib.26.c.5.contra Faustum.

In 1. sent. dist.41. 43. Tribus modis dicitur Deus aliquid non posse. 1. Quia sonat defectum (vt posse peccare. mentiri, &c.) 2. Quia implicat contradictionem. 3. Quia repugnat ordinationi Diuinæ.

Hoc idem fusius explicat adu. Gentiles, lib.2. cap.25.& lib.1.cap.84. Adu.Gentiles, lib.3.cap. 96. Orationes non frustra adhibentur, quia est prouidentia Dei immutabilis. Nam illa causas alias non excludit. Orationes non mutant ordinem æternæ dispositionis, sed sub tali ordine ipsæ existunt.

Lib.3 adu Gentiles cap.71. Diuina prouidentia non impedit quo minus defectus, corruptio & malum in rebus non inueniatur. Nam defectus est causa secunda. Dei autem gubernatio non excludit operationem causarum secundarum. Vt homini contingit claudicare, non propter defectum virtutis motiuæ quæ est robusta : sed propter tibiæ curuitatē, &c. Actiones igitur malæ, secundùm quod sunt deficientes, non sunt à Deo, sed à causis proximis deficientibus. Quantum ad id quod de actione aut entitate habent, oportet quòd sint à Deo: sicut claudicatio est à virtute motiua, quantùm ad id quod habet de motu : quantùm verò ad id quod habet de defectu, est ex curuitate cruris.

Cap.72. Diuina prouidentia non excludit Contingentiam in rebus, nec eis imponit necessitatem : quia non excludit causas secundas. Ex causis autem proximis effectus dicuntur Necessarij vel Contingentes, non ex Remotis causis. Ens autem per se diuiditur in Contingens & Necessarium. Si omnia essent necessaria, pulchritudo ordinis non appareret. Nihil

esset corruptibile, &c.

Cap. 75. Dei Prouidentia peruenit vsque ad Singularia. Alioqui Deus ea non cognosceret, nec eius esset potentia infinita, &c.

Cap. 89. Contra eos qui dicunt Prouidentiam Dei non esse de iis quæ subsunt libero Arbitrio, scilicet de electionibus, quibus resistit Esaias, capit. 26. Et Solomon: Cor Regis est in manu Dei. Nulla res potest propria virtute agere, nisi agat in virtute Dei.

LOMBARDVS *siue Magister sententiarum Lib.* 1. *sent. dist.* 38. Dicimus res futuras nullatenus causam esse præscientiæ vel scientiæ Dei. Si nomine scientiæ includitur etiam beneplacitum atque dispositio, tunc scientia vel præscientia rectè dici potest causa eorum quæ Deus facit. Duobus enim modis accipitur scientia vel cognitio Dei: pro notitia sola, vel pro notitia simul & beneplacito. Deus omnia nouit, non solùm scientia, sed etiam beneplacito ac dispositione. Sed præscientia Dei non est causa malorum.

Dist. 40. Præparauit Deus quod diuina æquitas redderet, non quod humana iniquitas admitteret.

Dist. 45. Dei summè bona voluntas est causa omnium: ipsius causa quærenda non est. Qui enim eius causam quærit, aliquid ea maius quærit, quum nihil ea maius sit. August. in lib. 83. quæstion. quæst. 28. tom. 4. Aliquando secundùm quandam figuram dicendi, voluntas Dei vocatur, præceptio, prohibitio, operatio, consilium, quia ista sunt signa voluntatis diuinæ: quemadmodum & signa iræ dicuntur ira.

Ibid. Permissio quoque Dei & Operatio, Voluntas Dei appellatur.

SALVIANVS *Episcopus Massiliensis. de Prouidentia Dei, lib.* 1. Nos ita iudicantium humanum genus dicimus, vt tamen etiam nunc omnia Deum, prout rationabile putat, regere ac dispensare credamus: & ita in futurum iudicaturum affirmemus, vt tamen semper etiam in hoc seculo iudicasse doceamus. Quot modis hoc vis probemus? Ratione, an exemplis an testimoniis? Si ratione, quis tam expers humanæ intelligentiæ est, qui non agnoscat pulcherrimum mundi opus? &c. Si negligit Deus in hoc seculo genus hominum: cur ad cœlum quotidie manus tendimus? cur orationibus crebris misericordiam Dei quærimus? &c. Cauendum ne ipsum quod pro honore Dei dicitur, iniuria Dei esse videatur. Igitur si stultè atque impiè creditur, quòd curam rerum humanarum pietas diuina despiciat, ergo non despicit. Si autem non despicit, regit: si regit, iudicat. Hæc ratio declarat, probetur exemplis. Videamus qualiter mundum à principio Deus rexerit, &c. In hoc quòd videre omnia Deus dicitur, cura eius ostenditur. In hoc quód dolet, terror irati. In hoc quod punit, seueritas iudicantis. Pœnituit ergo, inquit Scriptura, Deum: Non quòd Deus sit obnoxius huic motui, aut illi subiaceat passioni, sed sermo diuinus ad insinuandum plenius nobis veram Scripturarum intelligentiam, quasi humano affectu nobiscum loquens, sub nomine pœnitentis Dei, vim demonstrat irati. Ira est autem Diuinitatis pœna peccantis.

Ibid. Aliena nobis, nostra plus aliis placent, vt ait ille. Accedit quoque illud quod generale fermè est omni homini, vt Deo semper ingratus sit, insitóque hoc & quasi natiuo malo se cuncti inuicem vincunt, vt beneficiis Dei detrahant, ne debitores se esse cognoscant.

Ibid. Nec peractum prius penè est facinus peccantium Israelitarum, quàm vlcisceretur pœna peccatum. Ex hoc consulere Deus voluit nostræ correctioni per censuram salubris exempli.

Lib. 3. Quæritur cur melior sit Barbarorum conditio quam nostra: cur iniquis potestatibus vniuersa succumbant. Quare alter miser, alter beatus: cur sors bonorum durior quàm malorum? &c. Sufficit mihi ad causæ huius probationem dicti cœlestis oraculum: Deus à se omnia dicit aspici, omnia regi, omnia iudicari. Non intelligo secreta Dei, inuestigare non audeo, & ideò etiam attentare formido. Sufficit tibi quòd tibi Deus à se agi ac dispensari cuncta testatur. Ad plenissimam rationem abundè sufficit quòd à Deo agi ista demonstro. Sicut enim plus est Deus, quàm omnis humana ratio: sic plus mihi videri debet quàm ratio, quòd à Deo agi cuncta cognosco. Quicquid à Deo agi vides atque conuinceris, necesse est plus quàm esse iustum fatearis. Satis est probari à Christiano quod dico, &c. Quid mirum si mala cuncta perferimus, qui ad tolleranda vniuersa militamus? 1. Petr. 4. Rom. 1. 5. Plus est in carne dignitatis quàm in passione supplicij.

Ibid. Quum à nobis nil penitus dominicæ iussionis fiat, quid est quòd nos queramur de Deo, quum queri magis Deus de omnibus possit. Quæ ratio est vt doleamus nos, non audiri à Deo, quum ipsi Deum non audiamus: & susurremus, non respici à Deo terras, quum ipsi non respiciamus ad cœlum: & molestum sit, à Domino despici preces nostras, quum præcepta eius despiciantur à nobis. Non solùm iussa eius non facimus, sed contrà, &c.

Quid

Quid est aliud penè omnis cœtus Christianorum, quàm sententia vitiorum? &c.

Lib 4. Quid querimur quòd durè agat nobiscum Deus? multò nos duriùs cum Deo agimus.

CLEMENS *Alexandrinus Stromatum*, *lib*. 1. Diuinæ sapientiæ, virtutis & potentiæ est, non solùm bona facere, quæ est Dei natura, vt est ignis calefacere, & lucis illustrare: sed etiam illud maximè, vt id quod per malos excogitatum est, ad bonum aliquem finem & vtilem deducat: & vtiliter iis quæ videntur mala vtatur.

CYPRIANVS, *Epist*. 55. Cùm Dominus nec minima fieri sine voluntate Dei dicat, existimat aliquis, summa aut magna non sciente aut non permittente Deo, in Ecclesia Dei fieri. Scimus eius nutu & arbitrio regi & gubernari: scimus & credimus.

Ibidem Nec Christiani vltra aut durare aut esse iam possumus, si ad hoc ventum est, vt perditorum minas atque insidias pertimescamus. Manere apud nos debet fidei robur immobile.

ORTHODOXI CONSENSVS

Articulus quartus.

De vnico CAPITE ECCLESIÆ DEI, *nempe* IESV CHRISTO *Domino nostro: Et de Ministris Ecclesiæ.*

CAPVT PRIMVM.

Ephes.1.22.

Christus est caput Ecclesiæ quæ est corpus eius.*

1.Corinth.3.11. *Nemo potest ponere aliud fundamentum, præter id quod positum est, nempe Iesum Christum.*

Ephes.4.4. *Vnum est corpus, & vnus Spiritus, vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma. Adolescamus in eum qui est caput, nempe Christus.*

1.Petr.5. *Pascite gregem qui penes vos est: neque vt dominantes cleris: sed vt qui sitis exemplaria gregis.*

2.Thess.2. *Non veniet dies Christi quin reuelatus fuerit filius perditionis, qui extollitur supra omne quod dicitur Deus, ita vt in Templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Mysterium iam operatur iniquitatis: tantùm qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet Spiritu oris sui.*

Matth.20.25. *Scitis Principes Gentium in eas dominari; verùm non ita erit inter vos: sed qui voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister.*

Coloss.1.18. *Ipse Christus est Caput Corporis Ecclesiæ.*

Ephes.5. v.23. & 4.15. *Christus est Caput Ecclesiæ & complementum ipsius.*

Tit.1.7.9. *Oportet Episcopum inculpatum esse, tenacem fidelis sermonis qui ad doctrinam facit, sine crimine, vnius vxoris vir, &c.*

2.Cor.5.20. *Nonne Christi legatione fungimur, velut Deo hortante per nos?*

Act.20.20. *Docui vos publicè & per singulas domos.*

Deuteronom.17.11. *Docebunt te iuxta legem Dei.*

Ioan.10.1.7. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Ego sum ostium ouium: per me si quis introierit saluabitur. Ego sum pastor bonus, &c.*

Matth.4.19. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* & cap.5.13.14.& 21.13. & 23.8.10.12.13.14.

Matth.28.19. *Profecti docete omnes gentes*, &c.

Ioan.20.21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.*

Ephes.2.20 *Superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum* & vers.21.22.

1.Petr.2.4. *Ad eum accedentes qui est lapis viuus*, &c.

Rom.12.4.5 *Vt in vno corpore multa membra habemus: membra verò omnia eandem non habent actionem: Ita multi vnum corpus sumus in Christo.*

1.Cor.4.1. *Ita vos æstimet homo vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.*

2.Cor.11. *Incumbit mihi quotidiana cura omnium Ecclesiarum.*

CAPVT

Capvt II.

Avgvstinvs *Retract.lib.*1. *cap.*21. Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in eo, tanquam in Petra fundata sit Ecclesia, qui sensus cantatur etiam in ore multorum in versibus beatissimi Ambrosij. Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: vt super hanc intelligeretur quem confessus est Petrus, dicens, Tu es Christus Filius Dei viui. Non enim dictum est illi: Tu es Petra, sed tu es Petrus: petra autem erat Christus, quem confessus Simon dictus est Petrus.

*De Ciuit. Dei lib.*18. *cap.*54. Nos qui sumus, vocamúrque Christiani, non in Petrum credimus, sed in quem credidit Petrus.

*Lib.*20. *c.*19. Nulli dubium est, Apostolum ad Thessal. de Antichristo dixisse, &c. Sed in quo templo Dei sessurus est, an verò in Ecclesia? Non enim templum alicuius idoli aut dæmonis, templum Dei Apostolus diceret. Rectiùs etiam nonnulli putant etiam Latinè dici sicut in Græco est: non in templo, sed in templum Dei sedeat, tanquam ipse sit templum Dei, quod est Ecclesia: sicut dicimus, sedet in amicum, id est, velut amicus. Quid est? Iam mysterium iniquitatis operatur: Tantùm qui modò tenet teneat, donec de medio fiat. Quidam putant hoc dictum fuisse de Imperio Romano; & propterea Paulum Apostolum, non id apertè scribere voluisse, ne in calumniam incurreret, quòd Romano Imperio malè optauerit. Non absurdè de Romano Imperio creditur dictum: tantùm qui modò imperat, imperet: donec de medio fiat, id est, de medio tollatur. Satan per illum Antichristum mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur.

*De agone Christ.tom.*3. Quum Petro dicitur, ad omnes dicitur: pasce oues meas. Ecclesiæ caput est homo ille cuius susceptione Verbum caro factum est, membra sunt omnes sancti quibus completur Ecclesia.

*Cap.*20. Vniuerso populo sanctorum, tanquam vni corpori caput est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.

*In Psal.*9. Quum dicitur, Constitue Legislatorem super eos: videtur mihi Antichristum significare, de quo Apostolus dicit, Vt qui nolunt liberari à Filio Dei, seruiant homini. Et quia ille ad tantum culmen inanis gloriæ venturus creditur, tanta ei licebit facere, & in omnes homines, & in sanctos Dei, vt tunc verè nonnulli infirmi arbitrentur Deum res humanas negligere.

Ibid. Ita traditur, quòd reges omnes superaturus sit, & solus regnum obtenturus. In templo Dei sedebit, extollens se super omne quod colitur. Per nefarias artes ad illud vanum & inane culmen, dominationémque venturus est.

*De fide & operibus cap.*16. *tomo* 4. Apertè dictum est, Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.

Epistola 57. Congregantur fideles in vnum corpus, cuius vnum caput est Christus. Talis congregatio ædificatio est Templi Dei: talem congregationem non generatio carnalis, sed regeneratio spiritualis facit.

In Psalmum 62. Non solùm fideles qui modò sunt, sed & qui fuerunt ante nos, & qui futuri sunt, omnes ad eius corpus pertinent, cuius corporis ipse caput est qui ascendit in cœlum.

*In Ioannem tract.*21. Quid est caput & membra, Christus & Ecclesia.

*Tract.*29. Credimus Paulo, sed non credimus in Paulum: Credimus Petro, sed non credimus in Petrum. Alius veniet in nomine suo & hunc suscipietis. Significauit eos Antichristum suscepturos qui gloriam nominis sui quæsiturus est.

In Ioannem tractatu 124. Super hanc petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentum ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe nemo potest aliud ponere, præter quod positum est, quod est Christus Iesus. Ecclesia igitur quæ fundatur in Christo accepit ab eo claues cœlorum.

Ibid. Ecclesia non cadit, quoniam fundata est super petram, vnde & Petrus nomen accepit: Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra, sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur.

*In Ioan.tract.*108. Per hoc quod Mediator Dei & hominum Christus Iesus factus est caput Ecclesiæ: illi membra sunt eius.

*In Epistolam Ioan. tract.*10. Quid est, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? Super hanc fidem, super id quod dictum est, Tu es Christus Filius Dei viui. Super hanc petram, fundabo Ecclesiam meam.

In Psalmum 44. Sumus Christiani, non Petriani.

Ibidem, Caput sursum est: membra eius hic sunt.

Ibid. Apostoli genuerunt Ecclesias, non sibi sed illi.

In Psalm 60. Recolamus Euangelium, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Vt autem ædificaretur Ecclesia super petram, quis factus est petra? Paulum audi dicentem, Petra autem erat Christus. In illo ergo ædificati sumus. Christus est turris & petra, super quam ædificata est Ecclesia.

De baptismo contra Donatistas lib 2. cap. 2. tom 7. Neque quisquam nostrum se Episcopum Episcoporum esse constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit: quando habet omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ, arbitrium proprium tanquam ab alio iudicari non possit, quomodo nec potest ipse alterum iudicare. Iesus Christus vnus est solus habens potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi.

De verb. Dom. serm. 13. in Matth. tomo 10. Tu es Petrus & super hanc petram, quam confessus es, super hanc petram quam cognouisti, dicens, Tu es Christus Filius Dei, ædificabo Ecclesiam meam: id est, super me ipsum Filium Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super te. Nam volentes homines ædificare super homines, dicebant, Ego quidem sum Pauli, ego verò Cephæ, ipse est Petrus: Et alij qui nolebant ædificare super Petrum, sed super Petram, Ego autem sum Christi. Quomodo nec in Pauli, sic nec in Petri, sed in nomine Christi, vt Petrus ædificaretur super petram, & non petra super Petrum.

Quæst. ex vtroque mixtim tom 4 c. 100. Quid est Episcopus nisi primus Presbyter.

Ibid. Sed quia Romanæ Ecclesiæ ministri sunt, idcirco honorabiliores putantur quàm apud cæteras Ecclesias, propter magnificentiam vrbis Romanæ, quæ caput videtur esse omnium ciuitatum.

Serm 45 de verb. Dom. tomo 10. Antichristus veniet in nomine suo, hunc suscipietis. Quid dicet? Ego iustifico, ego sanctifico, quod ego dedero sanctum est. Iustificare me vis? sufficit tibi vt mecum iustificeris. Quid autem expauescimus in Antichristo, nisi quia nomen suum honoraturus est, & nomen Domini contempturus? Quid aliud facit qui dicit, Ego iustifico? Respondetur ei. Ego ad Christum veni, non pedibus, sed corde veni: vbi Euangelium audiui, ibi credidi, in Deum credidi. Et ille, Non es mundus: Quare? quia non ibi fui. Dic quare non sum mundatus, homo qui baptizatus sum in Hierusalem, homo qui baptizatus sum, verbi gratia, apud Ephesios. Quid ergo? Quid dicis mihi, mundus non sum? Etiam non es? Quare? Quia ego ibi non fui. Sed qui vbique est, ibi fuit, in cuius nomen credidi. Tu nescio vnde veniens, imò non veniens, sed volens vt ego ad te veniam, hîc positus dicis mihi, Non es rectè baptizatus, quia ego ibi non fui. Vide qui ibi fuit. Quid dictum est Ioanni? &c. Ecce alius qui veniet in nomine suo: Ergo vita mea ex te pendebit, & salus mea ex te religabitur? Pláne oblitus sum fundamentum meum? Nónne petra erat Christus? Nónne qui ædificat supra petram, ipsum non deiicit ventus, pluuia, flumina? Veni ergo mecum si vis super Petram, & noli mihi esse velle pro petra.

Ibid. Oportebat Christum pati: credo hoc inquit hæreticus. Credis? Hoc dictum est de capite, crede quod sequitur de Ecclesia: Prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes. Quare credis de capite, & non credis de corpore? Quid tibi fecit Ecclesia, vt eam velis quodammodo decollare? Tollere vis Ecclesiæ caput, & capiti credere, corpus relinquere quasi exanime corpus. Sine causa capiti quasi deuotus famulus blandiris. Qui decollare vult, & caput & corpus conatur occidere. Erubescunt negare Christum, non erubescunt negare verba Christi. Christum nec nos vidimus oculis, nec vos. Nos non vidimus & credimus, verba ipsius nobiscum sunt. Iudæi contempserunt pendentem in ligno, vos contemnitis sedentem in cœlo.

De vnitate Ecclesiæ, cap. 2 tom. 7. Ecclesia Catholica corpus Christi est: Caput est ipse vnigenitus Iesus Christus Filius Dei viui, ipse saluator corporis.

Cap. 4. Caput vnigenitus Dei Filius, & corpus eius Ecclesia, sponsus & sponsa, duo in carne vna. Quicunque de ipso capite ab Scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inueniantur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus quicunque de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, & vnitate Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia: quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt. Vtique non sunt in Ecclesia, qui ipsum caput Ecclesiæ non tenent, quòd est Christus Iesus: etiamsi per omnes terras inueniantur, per quas est Ecclesia.

Cyprianvs *De vnit. Eccles.* Hoc erant vtique cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio prædi:ti, & honoris & potestatis. Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.

Epiphanivs, *Epistola ad Episcop. Hierosolym.* Singuli Ecclesiarum Episcopi habent sub se Ecclesias, & nemo super alienam mensuram extenditur.

In Panario lib 1 tomo 3. Non nos ipso prædicamus sed Christum Iesum. Non prædicant seipsos Apostoli, sed Iesum Dominum. Quapropter non est Ecclesia nomine Apostolorum prædicata Nunquam enim audiuimus Petrinos, aut Paulinos, aut Bartholomæanos, aut Thaddæanos. Sed ab initio vna prædicatio omnium Apostolorum, non seipsos prædicantium; sed Christum Iesum Dominum. Ideò nomen quoque Ecclesiæ, omnes vnum indiderunt, non de seipsis, sed Domini ipsorum Iesu Christi Ecclesia vna Catholica, non aliud quid habens, sed Christi, Christianorum Ecclesia existens, non Christorum sed Christianorum: illo quidem vno existente, his verò ab vno Christianis appellatis.

Hilarivs *lib 2. de Trinitate.* Vnum est hoc immobile fundamentum, vna hæc felix fidei Petra, Petri ore confessa. Tu es Filius Dei viui.

Lib 6 de Trinitate. Pater Petro reuelauit vt diceret, Tu es Filius Dei. Super hanc igitur confessionis Petram, Ecclesiæ ædificatio est. Hæc fides Ecclesiæ est fundamentum, per hanc fidem, infirmæ aduersus eam sunt portæ inferorum. Hæc fides regni cœlestis habet claues. Hæc fides quæ in terris soluerit aut ligauerit, & ligata sunt in cœlis & soluta. Hæc fides paternæ reuelationis est munus, Christum Dei Filium confiteri.

Gregorivs Nycenvs *De aduentu Domini.* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: super confessionem videlicet: quia dixerat, Tu es Filius Dei. Petra Christus est.

Hieronymvs *Ad Euagrium tom 2.* Apostolus perspicuè docet eosdem esse presbyteros quos Episcopos. Quòd autem postea vnus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est: ne vnusquisque ad se trahens, Christi Ecclesiam rumperet.

Ibid Si auctoritas quæritur maior, Orbis maior est Vrbe. Vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Tanis: eiusdem est meriti: eiusdem sacerdotij. Potentia diuitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterùm omnes Apostoli successores sunt.

Ibid Sed dicis quomodo Romæ ad testimonium Diaconi presbyter ordinatur? Quid mihi profers vnius Vrbis consuetudinem? Quid paucitatem, de qua ortum est supercilium in leges Ecclesiæ vindicas?

Oceano tom. 2. Apud veteres iidem Episcopi & Presbyteri fuerunt. Præcipit Apostolus ne licentiam Ecclesiæ sibi vindiceent sacerdotes: ne bina pariter & trina coniugia sortiantur (quod lege Mosis concessum fuerat) sed vt singulas vno tempore vxores habeant.

In Epist ad Titum cap. 1. tom 9. Apostolicæ dignitatis est Ecclesiæ iacere fundamentum, quod nemo potest ponere, nisi architectus. Fundamentum autem non est aliud præter Christum Iesum. Qui inferiores artifices sunt, hi possunt ædes super fundamenta construere. Paulus itaque vt sapiens architectus reliquit Titum discipulum Cretæ, vt rudimenta nascentis Ecclesiæ confirmaret: Ipse pergens ad alias nationes, vt rursum in eis Christi iaceret fundamentum.

Ibidem. Idem est presbyter qui Episcopus, & antequam, Diaboli instinctu, studia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò vnusquisque eos quos baptizauerat, suos putabat esse, non Christi: in toto Orbe decretum est, vt vnus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Putat aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, Episcopum & Presbyterum vnum esse, & aliud ætatis, aliud esse nomen officij, relegat Apostoli verba ad Philippenses. Quia eosdem Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant: propterea indifferenter de Episcopis quasi de presbyteris est locutus. Sic & Act 20.

In Epistolam ad Hebræos c 13. Æqualiter inter plures, Ecclesiæ cura diuiditur. *Et 1. Pet. 5.* Hæc propterea, vt ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros quos & Episcopos: paulatim verò vt dissensionum plantaria euellerentur, ad vnum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos: ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere.

Ibid. Multi superstitiosiùs magis quàm veriùs etiam eos qui quum gentiles fuerint, & vnam vxorem habuerint, qua amissa post baptismum Christi alteram duxerint, putant in sacerdotio non legendos: quum vtique illi magis ab Episcopatu arceri debeant, qui vagam per meretrices exercent libidinem: & multo detestabilius sit fornicatum esse cum pluribus, quàm digamum reperiri.

In Matthæum cap. 7. *lib.*1. fundamentum quod Apostolus architectus posuit, vnus est, Dominus noster Iesus Christus, super hoc fundamentum ædificatur Ecclesia Christi.

*In Epist. ad Galatas lib.*1. *c.*2. *tom.*9. His & cæteris instruimur tam Apostolos omnésque credentes, quàm ipsam quoque Ecclesiam, columnam in Scripturis appellari: & nihil interesse de corpore quid dicatur, an de membris, quum & corpus diuidatur in membra, & membra sint corporis.

*In Ieremiam, c.*25. *tom.*5. Antichristus Romanum Imperium tenebit.

*Algasia tom.*3. Antichristus in Ecclesia sedebit. Apostolus non vult dicere apertè Romanum imperium destruendum antequam veniat Antichristus: ne iusta causa persecutionis in Ecclesiam consurgere videretur. Secundùm Apocalypsin Ioannis in fronte purpuratæ meretricis, scriptum est nomen blasphemiæ, id est ROMÆ æternæ.

Ad Marcellam tom. 1. Apocalypsis indicat Romam mulierem purpuratam, vbi sunt trophæa Apostolorum & Martyrum.

AMBROSIVS, *lib.*1. *de pœn. c.*6. Non habent Petri hæreditatem qui Petri fidem non habent.

De Incarn. Petrus Primatum egit confessionis, non honoris: Primatum fidei, non ordinis.

In Lucam 1. *c.*9. *tom* 5. Petra tua Christus est, fundamentum Ecclesiæ fides est. Enitere vt & tu petra sis: itaque non extra te, sed intra te petram require. Petra tua mens est. Supra hanc petram ædificetur domus tua, vt nullis possit nequitiæ spiritalis euerberari procellis.

In 2. *ad Thes. c.*2. Non priùs veniet Dominus quàm regni Romani defectio fiat, & appareat Antichristus, qui interficiet sanctos, reddita Romanis libertate, sub suo tamen nomine. Sciens enim venturum Dominum ad se comprimendum, nomen eius sibi vsurpabit: & vt Regnum eius verum esse videatur, attrahet secum qui simul cum eo pereant: ita vt in domo Domini, in sede sedeat Christi, & ipsum Deum se asserat, non Filium Dei.

Ibidem Paulò post. Sicut dictum est in Apocalypsi Ioannis Apostoli: subornabit sibi in quo & per quem signa quædam virtutis, permissu iusti Dei faciens: se commendet vt adoretur quasi sit Deus. Quod sanctis ideo prædictum est, vt caueant. *Contra Iudæos tomo* 5. Vides quòd & Petrus vxorem habuit, ne Nuptias incuses.

*Lib.*5. *ep.*32. Populus iudicat in cuius corde lex diuina est, non humana. Petra tua Christus est. Si petra fueris, in Ecclesia eris, quia Ecclesia supra petram est.

CHRYSOSTOMVS, *Homil.*83. *in Matth.* Christus super confessionem Petri Ecclesiam fundauit.

*Hom.*20. Ecclesiam ædificat super Petram, id est, super fortitudinem fidei.

In 2. *ad Thess. Hom.*3. Antichristus iubebit se pro Deo coli, & in Ecclesia collocari.

*Hom.*4. De Romano imperio loquitur quum ait, Qui tenet nunc, vacantem imperij principatum inuadet, & tentabit ad se rapere Dei & hominum imperium.

*In symb. Apost. Hom.*2. Super fabricam Ecclesiæ nihil aliud in fundamento ponunt sapientes architecti, qui sunt verbi prædicatores, nisi Iesum Christum.

ATHANASIVS, *epistola ad solitariam vitam agentes.* Verè refert imaginem Antichristi, qui in locum Ecclesiæ, Palatium suum succedere voluerit.

IRENÆVS *Lib.*5. *cap.*21. Antichristus existens apostata & latro, quasi Deus vult adorari, & quum sit seruus regem vult præconiari. Diabolicam apostasiam in se recapitulans: & idola quidem seponens ad suadendum quòd ipse sit Deus, se autem extollens vnum idolum, habens in semetipsum reliquorum idolorum varium errorem, de quo Apostolus in epistola quæ est ad Thessal.2. Manifestè Apostolus ostendit aduentum eius. Ipse se tyrannico more conabitur ostendere Deum. Sic & Daniel. &c.

*Cap.*22. Pro eo quòd dilectionem Dei non receperunt vt salvi fierent: & ideo mittet eis Deus operationem erroris vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Illo autem (Antichristo) veniente & sua sententia Apostasiam recapitulante in semetipsum, & sua voluntate & arbitrio operante quæcunque operabitur: & in templo Dei sedente, vt sicut Christum adorent illum qui seducuntur ab illo: quapropter & iustè in stagnum projicientur ignis. Cuius aduentum Ioannes in Apocalysi, cap.13. significauit, &c.

CYRILLVS *Hierosol. catech* 5. Antichristus sibi vsurpabit potestatem Romani imperij.

SYNODVS *Arelat. ad Syluest. Rom. Episc. dom. & sanct. fratri Episc.* Quæ decreuimus com-

communi consilio, charitati tuæ significamus, vt omnes sciant quid in futurum obseruare debeant.

Concilium Carthag.6. Non extat in exemplari Græco Decretum Concilij Niceni, vt Rom. Episcopus omnium causas, tanquam iudex supremus cognoscat. Responsum hoc legatis Rom. Episcopi.

Concilium Chalcedonense, Antiquæ Romæ throno, quòd vrbs illa imperaret, priuilegia fuerunt tributa à Patribus. Eadem consideratione hoc Concilium sanctissimo nouæ Romæ, siue Constantinopolis, throno, æqualia priuilegia tribuit, etiam in rebus Ecclesiasticis.

Eadem in Concilio VI. Constantinopolitano.

Concilium Ephesinum. Cyrillum Alexandrinum vocat caput congregatorum Episcoporum. In Epist. Concilij Impp. Theodosius & Valentianus conuocant Concilium Ephesinum, nulla facta mentione Episcopi Romani.

ROMANORVM DECRETA VETEREM Doctrinam interdum referunt.

Can. primæ sedis, distinct.99. Primæ sedis Episcopus non appelletur princeps Sacerdotum, vel summus Sacerdos, aut aliquid eiusmodi: sed tantùm primæ sedis Episcopus. Vniuersalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur.

Can. Ecce. Gregorius Eulogio Patriarchæ Alexandrino: Ecce in præfatione Epistolæ quam ad me ipsum, qui prohibui, direxisti superbæ appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicens: quod peto dulcissima vestra sanctitas vltra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plus quàm ratio exegit præbetur.

Can non est. dist.40. Non sanctorum filij sunt qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.

c. Beati 2. qu.7. Beati Petrus & Paulus eminent inter vniuersos Apostolos, & speciali quadam prærogatiua præcellunt: verùm inter ipsos quis cui præponatur incertum est.

Can. olim. dist.95. Hieronymus in Ep ad Titum, Olim erat idem Presbyter qui & Episcopus: & antequam diaboli instinctu studia vel schismata in Religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum concilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam autem vnusquisque eos quos baptizauerat suos esse putabat non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris supponeretur, & schismatum semina tollerentur. Ita Episcopi nouerint, se magis consuetudine, quam dispensationis Dominicæ veritate Presbyteris esse maiores, & in communi debere Ecclesiam regere.

Sic Can. legimus dist.93. causa 25. canone contra. qu.1. Contra statuta Patrùm condere aliquid vel mutare, nec huius quidem sedis potest auctoritas.

Can. Decretis dist.21. Summi Pontifices & minores sacerdotes à Deo sunt instituti per Moysen. Postea Dauid ianitores & cantores instituit. Porrò, Solomo quendam modum Exorcisandi inuenit: hinc Exorcistæ. Hæc omnia in Nouo Testamento, Ecclesia imitata habet. Inter eos, quædam discretio seruata est, vt alij simpliciter appellentur Sacerdotes: alij archipresbyteri: alij corepiscopi: alij archiepiscopi: alij primates: alij patriarchæ: alij summi pontifices. Horum discretio A GENTILIBVS maximè introducta est, qui suos Flamines, alios simpliciter flamines, alios Archiflamines, alios Protoflamines appellabant.

Can. Adrianus, dist.63. Adrianus Papa cum vniuersa synodo tradiderunt Carolo ius & potestatem eligendi Pontificem & ordinandi Apostolicam sedem.

Can. In Synodo, dist 63. Electio Romani Pontificis ad ius pertinet Imperatoris.

Can. Quum longè, dist 63. In Electione Episcoporum, Principis desideratur assensus. Liquidò colligitur, Laicos non excludendos ab electione: neque Principes esse rejiciendos ab ordinatione Ecclesiarum. Sed quod populus iubetur electioni interesse, non præcipitur aduocari ad electionem faciendam: sed ad consensum electioni adhibendum.

Ibid. Vota ciuium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum, in ordinationibus sacerdotum constituantur.

Can. Ego Ludouic. Imp. dist.63. Electio Romanorum Pontificum, à Ludouico conceditur Romanis.

Can. Sacrorum. Episcopi per electionem cleri & populi, secundùm statuta canonum, remota personarum, munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur: vt verbo & exemplo prosint.

Causa 1. qu.1. Eos. Simoniacorum hæresis cæteris est damnabilior.

Ibid. Anathema sit danti & accipienti pecu-

nias in ordinationibus Ecclesiasticis.

Causa 1. *qu*.1. *dictum est*, Anastasius Papa illicitè & non canonicè, imò contra decreta suorum prædecessorum fecit.

Causa 1. *qu* 1. Quicquid inuisibilis gratia consolatione tribuitur, nunquam quæstibus vel quibuslibet præmiis venundari penitus debet. Simoniacè ordinati vel ordinatores, secundùm Ecclesiasticos canones à proprio gradu decidunt. Erga simoniacos nullam misericordiam in dignitate seruanda habendam esse decreuimus: sed iuxta canonum sanctionem, & sanctorum patrum decreta, eos omninò damnamus: ac de ponendos auctoritate Apostolica sancimus. Simoniaci sunt qui sacros ordines pro humana gratia, vel laude largiuntur. Qui ergo sacros ordines tribuit: tunc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus, non solùm pecuniam nullam, sed nec etiam humanam gratiam requirit. Nullus per ambitum ad Episcopalem honorem permittatur accedere. Pueri ad sacros ordines nullatenus admittantur. Nulla sit in ordinatione venalitas, potentia.

Causa 1. *qu*.3. *Si quis*. Nullus emat præbendam, vel Ecclesiam, vel aliquid Ecclesiasticum. Qui Ecclesiastica beneficia emerit, Ecclesiam quoque emit. Vendentes & ementes de templo eliminauit Christus.

Causa 2 *qu*. 7. Quanquam secundùm vocabula quæ vsus obtinuit: Episcopatus sit presbyterio maior, Augustinus tamen Hieronymo minor est. August. ad Hieron.

Causa 3. *qu*.5. Quod suspecti & inimici, iudices esse non debeant: vt ipsa ratio dictat & plurimis probatur exemplis. Quod si iudicio, vbi iidem sunt inimici qui iudices, nec humana committi debent iudicia: quantò minus Diuina, id est Ecclesiastica, qui sapiens est, intelligat?

Ibid. qu.6. *Irritam*. Damnatio Episcoporum iniusta, irrita est: & in Synodo retractanda.

Causa 7. *qu*.1. Non licet Episcopo Ecclesiam suam relinquere, & ad aliam transire. Ex Concilio Antiocheno. Ex Concilio Meldensi: Vtraque careat Ecclesia, qui contemptu minoris ad maiorem adspirat. Qui verò pretio Ecclesiam vacantem ingressus fuerit, ab officio suo deponendus est.

Causa 16. *qu* 1. Alia causa est monachi, alia clerici. Clerici, oues pascunt, ego pascor. Illi de altari viuunt: mihi securis quasi ad radicem infructuosæ arboris ponitur.

Ibid Si cupis esse Monachus, quid facis in vrbibus? Institorem potiùs habeto, quàm monachum. Sit claustro suo contentus. Sedeat solitarius & taceat. Agnoscat nomen suum.

GREGORIVS *magnus*, *Episcopus Romanus in Psalmos pœnit*. Christus cum tota sua Ecclesia quæ adhuc versatur in terris, siue quæ cum eo iam regnat in cœlis, vna persona est: & Ecclesiam vnus Spiritus Sanctus vegetat. Christus est caput Ecclesiæ, sancta Ecclesia quæ corpus eius est, eodem Spiritu Sancto repletur vt viuat, eius virtute firmatur, vt in vnius fidei & charitatis compage subsistat.

Epist. ex Registro Gregorij lib.4. *cap*.82. *epist*. 30. Ioanni Episcopo Constantinopolitano. Paulus Apostolus quum audiret quosdam dicere, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, hanc dilacerationem corporis Dominici, per quam membra eius aliis quodammodo se capitibus sociabant, vehementissimè exclamauit, dicens, Nunquid in nomine Pauli baptizati estis? & Tu, quid Christo, vniuersalis Ecclesiæ capiti dicturus es, qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuersalis appellatione subjicere? Quis, rogo, in hoc tam peruerso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis Angel. legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere: vt & nulli subesse, & solus omnibus præesse videretur? Qui etiam dixit: In cœlum conscendam: super astra cœli exaltabo solium meum. Quid enim fratres tui omnes, vniuersalis Ecclesiæ Episcopi, nisi astra cœli sunt? Certè potiùs Apostolus, primum membrum Ecclesiæ est: Paulus, Andreas, Ioannes sunt singularium plebeium capita. Atque vt cuncta, breui cingulo locutionis astringam: omnes sancti perficientes corpus Domini, in membris Ecclesiæ sunt constituti, & nemo se vnquam Vniuersalem vocare voluit. Nulli huius sedis Apostolicæ Antistites, cui Deo volente deseruio, Vniuersales vocati sunt: nullus sibi temerarium hoc nomen arripuit. Ne si sibi in pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.

Ibid. Quid nos Episcopi dicimus, qui honoris locum ex redemptoris nostri humilitate suscepimus, & tamen superbiam ipsius hostis imitamur? Quid ergo, frater charissime, in illo terribili examine iudicis dicturus es, qui non solùm pater, sed etiam generalis Pater in mundo vocari appetis? Ex hoc nefando elationis vocabulo, Ecclesia scinditur. Tu honorem omnibus conaris tollere, quem tibi illicitè desideras singulariter vsurpare.

Ibid.

Ibid. Et nos quidem seruamus quod veritas præcipit, dicens: Si peccauerit in te frater tuus vade & corripe eum, &c. Ego itaque per responsales meos semel & bis, verbis humilibus, hoc quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui, nunc per me scribo. Sed quia in mea correptione despicior, restat vt Ecclesiam debeam adhibere.

Epist. sequenti ad Anianum c 83. Ioannes se οἰκουμενικὸν Patriarcham nominat. Sed spero quia hypocrisin illius superna maiestas soluet. Tua dilectio in nullo trepidet. Omnia quæ in hoc seculo videt alta esse contra veritatem, pro veritate despiciat. In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud quàm fidem perdere.

Lib. 6. *Epist. ex Registro, cap Cyriaco Episcopo,* Quia hostis omnipotens Antichristus iuxta est, studiosè cupio ne proprium quid inueniat, non solùm in moribus, sed etiam nec in vocabulo Sacerdotum.

*Ibid c.*188. *Anastasio Episcopo Antiocheno* De eo vocabulo eum admonere studui, dicens quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret: quam primus apostata inuenit. Et vt de honoris vestri iniuria taceam: Si vnus episcopus vocatur vniversalis, vniversa ecclesia corrvit, si vnus vniversvs, cadit.

Ibid cap. 193. Loca vel ordines, Creatori nostro non faciunt nos proximos.

Ibid. lib 6. *Epist. c* 194. *Mauricio Augusto.* Ego fidenter dico, quia quisquis se vniuersalem sacerdotem vocat, vel vocare desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit: quia superbiendo, se cæteris præponit, nec dispari superbia ad errorem ducitur: quia sicut peruersus ille, Deus videri vult super omnes homines: ita quisquis iste est, qui solus Sacerdos appellari appetit, super cæteros Sacerdotes se extollit. Si quantitatem sermonis attendimus, duæ sunt syllabæ. Si verò pondus iniquitatis, vniuersa pernicies.

Libro 7. *Epistolarum ex Registro, cap* 30. Eulogio Episcopo Alexandrino. Indicare quoque vestra beatitudo statuit, iam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt: Sanctitas vestra mihi sic loquitur, dicens: Sicut Iussistis: quod verbum Iussionis, peto à meo auditu remouete: quia scio quis sum, & qui estis. Loco enim fratres estis, moribus patres.

Ibid. Dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere: & ecce, in præfatione epistolæ, quam ad meipsum qui prohibui direxistis, superbæ appellationis verbum, Vniversalem me papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra, vltra non faciat: quia vobis subtrahitur quod alteri plusquam ratio exigit, præbetur. Ergo enim non verbis quæro prosperari, sed moribus. Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est, honor vniuersalis Ecclesiæ. Meus honor est, fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego verè honoratus sum, quum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim vniuersalem me Papam vestra sanctitas dicit: negat se hoc esse quod me fatetur vniuersum. Sed absit hoc. Recedant verba quæ vanitatem inflant, charitatem vulnerant. Et quidem in sancta Chalcedonensi Synodo atque pòst à subsequentibus patribus hoc decessoribus meis oblatum vestra sanctitas nouit. Sed tamen nullus eorum vti hoc vnquam vocabulo voluit.

Libr. 7. *Epistolarum ex Registro, capit.* 47. Anastasio Episcopo Antiocheno, Fundamentum nemo potest aliud ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Quisquis ergo cum dilectione Dei & proximi, fidei quæ in Christo est, firmitatem tenet, eundem Iesum Christum Dei & hominis Filium apud se posuit fundamentum.

*Ibid. cap.*68. Eusebio Thessalonicensi Episcopo, Ioannes quondam Constantinopolitanæ ciuitatis antistes illicitè in synodo, superbum ac pestiferum Oecumenicum, hoc est, Vniuersalis sibi vocabulum vsurpauit.

Ibid. Inimicus generis humani per hoc superbiæ vocabulum præcursores habet sacerdotes.

Ibid. Si vnus vniuersalis est, restat vt vos Episcopi non sitis.

*Ibid lib.*8. *ca. vel epist.*37. Beati Augustini opuscula legite: & ad comparationem siliginis illius, nostrum furfurem ne quæratis.

Bernardvs *in nat. Ioan. Bapt serm.*3. Semen Apostolorum sumus per prædicationem: sed per adoptionem & hæreditatem semen Christi. Apostoli per Euangelij prædicationem nos genuerunt, non sibi, sed Christo.

*In conuers. Pauli ser.*1. Annon persequebatur Christum, qui Christi membra in terris persequebatur? Nunquam deest persecutio Christiano, sed neque Christo. Et nunc, quod grauius est, ipsi Christum persequuntur qui ab eo vtique Christiani dicuntur. Coniurasse videtur

contra te vniuersitas populi Christiani, à minimo vsque ad maximum, à planta pedis vsque ad verticem non est sanitas. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus, vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum, &c. Heu heu, Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua Primatum diligere, gerere principatum: quæstum æstimant pietatem. Impedire salutem, est persequi Saluatorem.

Serm.66. sup.Cant. Tolle de Ecclesia honorabile connubium, & torum immaculatum, nónne reples eam concubinariis, incestuosis, masculorum concubitoribus, & omni genere immundorũ? Elige ergo vtrumlibet: aut seruari vniuersa monstra hæc hominum: aut numerum saluandorum ad continentiam redigi paucitatem. Rara in terris continentia.

Serm.76. in Cant. Peccata populi mei comedunt, Oseæ 4. Peccatorum pretia exigunt. Sunt venditores sponsæ. Parum est nostris vigilibus quòd non seruant nos, nisi & perdant. Sed mihi indignabuntur, &c.

Epist 7. Opponi & anteponi posset Pontificis Romani tanquam grauior auctoritas, &c. Talis potiùs proferatur, cuius auctoritati omnino fas nón sit contradicere. Certè summus ille Pontifex, qui per sanguinem proprium solus & semel introiuit in sancta æterna, &c. Nunquid ideo malum esse desiit aut minoratum est, quia Papa concessit?

Ibid. Nec dico à subdito mandata præpositorum esse diiudicanda, vbi nihil iuberi deprehenditur diuinis contrarium institutis: sed necessariam assero & prudentiam, qua aduertatur siquid aduersatur, & libertatem qua ingenuè contemnatur.

Epist. 42. Dicite Pontifices, non quidem in sancto, sed in fræno quid facit aurum? &c Non valde curant Romani, quo fine res terminetur: sed valde diligunt munera, &c.

*Epist.*113. Filiæ Babylonis induuntur purpura & bysso, & conscientia pannosa iacet: fulgent monilibus, sordent moribus.

*De considerat ad Eugenium Papam lib.*1. Stetisse lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego. Nunquid seruus, ad quem occurrunt de toto Orbe Simoniaci, sacrilegi, concubinarij, incestuosi & istiusmodi monstra hominum, vt obtineant honores Ecclesiasticos vel retineant? Verùm, quando docemus populos, meditamur in lege? Perstrepunt in palatio leges, sed Iustiniani, non Domini. Qua mente, obsecro, sustines coram te semper silere illam, garrire istas? &c. In criminibus saltem, non in possessionibus sit potestas vestra. Qui falcem vestram in messem alienam mittitis? Habet hæc terrena iudices suos.

*Ibid. lib.*2. Non sceptro tibi opus est, sed sarculo, exemplo Prophetico. Episcopi nomen, non dominium, sed officium sonat. Esto, vt alia quacunque ratione hæc tibi vendices, sed non Apostolico iure. Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. I, ergo tu, & tibi vsurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus, dominatum, &c. Forma Apostolica hæc est: Dominatio interdicitur, indicitur ministratio. Ouibus non dominaberis. Et nunc audi canticum meum, & quidem minus suaue, sed salutare.

Ibid. ad Eugen. Papam lib 3. Facitis hoc quia potestis, sed vtrùm & debeatis quæstio est. Oues quid capiunt? dæmonum magis pascua hæc, &c. Euangelizare, pascere est. In sericis, successisti Constantino, non Petro. Considera te non dominum Episcoporum, sed vnum ex ipsis. Mutilantur Ecclesiæ, quòd Romanus Episcopus omnem potestatem trahat. Sciant Ecclesiæ præfecti, se medicos esse non dominos.

NAZIANZENVS *in laudem Basilij.* Claues discipulis committuntur à Domino.

In laudem Athanasij. Pietatis propriè Successio existimanda est. Nam qui eandem fidei doctrinam profitetur, eiusdem quoque throni particeps est. Qui autem contrariam fidem amplectitur, aduersarius quoque in throno censeri debet. Atque hæc quidem nomen, illa verò rem ipsam & veritatem habet Successionis. Neque enim qui per vim irrupit, successor habendus est: sed qui vim perpessus est: nec qui contrariam sententiam tuetur, sed qui eadem fide præditus est. διάδοχος ὁ τῆς αὐτῆς πίστεως, ὁ ταὐτὰ δοξάζων. Nisi quis fortasse ita Successorem dicat, quemadmodum morbum sanitati, & tenebras luci, & tempestatem tranquillitati, & dementiam prudentiæ succedere dicimus. Qui non sunt discipuli veritatis, non possunt esse eius magistri. Adulterini præsules ipsam pietatem tyrannide premunt. εὐσεβείας διαδοχὴ Successio existimanda est: τὸ ἀντίδοξον καὶ ἀντίθετον ὁμώνυμον καὶ ὁμόθρονον.

In Maximum: Vtinam nulla esset throni prærogatiua προεδρία, neque loci prælatio μηδέ τις τόπου προτίμησις, neque præeminantia tyrannica τυραννικὴ προνομία, vt ex sola virtute cognosceremur. Nunc autem, dextrum hoc latus, & sinistrum & medium, sublimior item & inferior sedes, nos in multas partes confregerunt, multósque in foueam impulerunt, atque

que

que ad hircorum locum abduxerunt: etiam Pastores, qui quum magistri in Israel essent, hæc ignorauerunt. De pecuniis iam in Ecclesia bellum geritur, &c.

Tertullianus. *In Apologet.* Præsident quique probati Seniores, honorem istum non pretio sed testimonio adepti. Neque enim pretio res vlla Dei constat.

De Resur. carn. Arcanum iniquitatis agatur, tantùm qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat. Quis? nisi Romanus status, cujus abscessio in decem Reges dispersa, Antichristum superducet.

Adv. Marc. lib. 3. Babylon apud Ioannem in Apocalypsi, Romanæ vrbis figura est, proinde magnæ & regno superbæ, & sanctorum Dei debellatricis.

Cyrillus *Alexan. de Trinit. lib.* 4. Ego dico quod tu es Petrus, &c. Petram nihil aliud, quàm inconcussam & firmissimam discipuli fidem vocauit, in qua Ecclesia Christi fundata & firmata est.

ORTHODOXI CONSENSVS

Articulus quintus.

De IVSTIFICATIONE *per* FIDEM *in vnico Mediatore Dei & hominum* IESV CHRISTO Θεανθρώπῳ: *Siue de Redemptione & Remissione peccatorum, & de salutis æternæ causa, posita in Iesu Christi* IVSTITIA.

CAPVT PRIMVM.

Genes.3. *Semen mulieris conteret caput Serpentis*

Adde Gen.12.13.& 15.6.& 18.18.& 21.12. & 26.4. & 28.14. & 49.10.18. Leuit.6.7.& 18 5.

Esa.33.22. *Diminus Iudex noster, Dominus Legislator noster, Dominus rex noster, ipse seruabit nos.*

Esa.53. *Correctio pacis nostræ super eum vulneratus est propter peccata nostra, liuore eius sanati sumus. Cognitione sui iustificabit seruus meus Iustus multos.*

Esa.43. *Ego, ego ipse sum qui deleo peccata tua idque propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Præter me non est Seruator.*

Deuter.9.4.5.6. *Ne dicas in corde tuo: propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem. Neque enim propter Iustitiam tuam & propter rectitudinem cordis tui ingredieris vt possideas terram. Scito ergo, quòd non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem,* & cap.11.26.

Psl.130. *Si iniquitates obseruaueris, Domine, quis sustinebit?*

Psl.143. *Ne intres in iudiciũ cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuens.*

Deuter.27. *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in Lege Dei.*

Ierem.33. *Iehouah Iustitia nostra.*

Isa.11.5. *Erit iustitia cingulum lumborum eius: & fides cinctorium renum eius.*

Esa.45. *In Iehouah iustificabuntur, & gloriabuntur totum semen Israel* Vide Ierem.31. Ezech.36. Dan.9.24.

Matth.1.21. *Vocabis nomen eius* IESVM. *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Ioan.3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Marc.5.36. *Noli timere, tantummodo crede,* μόνον πίστευε.

Luc.17.5. *Adauge nobis fidem.*

Luc.18.14. *Propitius esto, Domine, mihi peccatori.*

Luc.16.15. *Vos estis qui vos iustificatis coram hominibus.*

Luc.17.10. *Quum fecerimus quæcunque præcipiuntur nobis, dicamus nos esse seruos inutiles.*

Ioan.1.29. *Agnus Dei venit ad tollendum peccata mundi.*

Ioan.17.19. *Propter eos sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.*

Ioan.1.2. *Quotquot eum acceperunt dedit eis hanc dignitatem, vt filij Dei fierent: nempe iis qui credunt in nomen eius.*

Ioan.

Ioan.6.29. *Hoc est opus Dei vt credatis in illum quem ille misit.*

Ioan.17.3. *Hæc est vita æterna, vt te solùm cognoscant esse verum Deum & quem misisti Iesum Christum.*

Ioan.6.40 *Hæc est voluntas Patris mei, vt quicunq; credit in Filium habeat vitam æternam.*

Apocal.13.8 *Agnus mactatus à iactis mundi fundamentis.*

Act.4.12. *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri.*

Actor.26.18. *Accipiant remissionem peccatorum & sortem inter sanctos per fidem, quæ est in Christo.*

Act.15. *Fide purgans corda eorum.*

Act.13.38. *Per hunc annuntiatur vobis remissio peccatorum, & ab omnibus iis à quibus non potuistis iustificari in Lege Mosis, omnis qui credit in eum, iustificabitur.*

Act.10.43 *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.*

Actor.20.28. *Deus sibi acquisiuit Ecclesiam suo sanguine.*

Rom.1.16. *Non me pudet Euangelij Christi: nam potentia Dei est ad salutem omni credenti. Iustitia enim Dei per illud reuelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, Iustus ex fide viuet.*

Rom.3. *Non est iustus, ne vnus quidem. Propterea ex operibus Legis, nulla caro iustificabitur in conspectu Dei. Per legem enim agnitio peccati*

vers.23. *Omnes peccauerunt, ac deficiuntur, priuantur gloria Dei Iustificantur autem gratis ipsius gratiâ per redemptionem factam in Iesu Christo. Quem proposuit Deus ἱλαστήριον placamentum, per fidem in sanguine ipsius, vt Deus sit iustus, & iustificans eum qui ex fide Iesu ad declarandum iustitiam suam per remissionem peccatorum. Colligimus igitur fide iustificari hominem absque operibus Legis.*

Cap.4.3 *Quid dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam atqui ei qui operatur, merces non imputatur ex gratiâ, sed ex debito. Ei verò qui credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua pro iustitia.*

vers. 6. *Sicut etiam Dauid pronuntiat beatum eum hominem, cui Deus imputat iustitiam absque operibus. Beati, inquit quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputarit Dominus peccatum. Lex iram efficit. Propterea ex fide est hæreditas, vt sit per gratiam: vt firma sit promissio toti semini Abrahami. Non scriptum est autem propter Abrahamum solùm, quòd hoc imputatum fuerit ei: sed etiam propter nos quibus futurum est, vt imputetur, credentibus in eum qui excitauit Iesum Dominum nostrum à mortuis, traditum propter offensas nostras, & excitatum propter iustificationem nostri.*

Cap.5. *Iustificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.*

vers. 8 *Christus suo tempore pro impiis mortuus est Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quòd quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Iustificati igitur eius sanguine, seruabimur nunc multo magis per eum ab ira.*

vers.15.16. *Sicut per inobeditiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi Non sicut delictum, ita & donum.*

Cap 6. *Ne regnet igitur peccatum in mortali vestro corpore, vt seruiatis peccato. Nunc liberati estis peccato. Nam stipendia peccati mors. Donum autem Dei est vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.*

Cap.7. *Peccatum non cognoui, nisi per Legem.*

Cap.8 *Nulla est condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem incedunt, sed secundùm spiritum Si spiritus eius qui excitauit Iesum à mortuis habitat in vobis, is qui excitauit Christum ex mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem eius spiritum in vobis*

vers 14. *Quotquot Dei spiritu ducuntur, ij sunt filij Dei. Accepistis spiritum adoptionis per quem clamamus Abba Pater. Quòd si filij, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Cap.9.30. *Quid igitur dicemus? Gentes quæ non sectabantur iustitiam. apprehendisse iustitiam; iustitiam autem quæ est ex fide.*

Cap.10.4. *Finis legis est Christus ad iustitiam cuiuis credenti. Moses enim describit iustitiam quæ est ex Lege. Quòd homo qui fecerit ea, viuet per ea.*

vers.9 *Si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum & credideris in corde tuo quòd Deus eum excitauit à mortuis, seruaberis Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura, Quisquis credit in eum non pudefiet.*

Cap.11.6. *Quòd si per gratiam, non iam ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Si verò ex operibus, iam non est gratia: alioquin opus iam non est opus.*

Galat.1. *Dominus noster Iesus Christus dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt eximeret nos ex præsenti seculo malo.*

Gal.2 16. *Scientes non iustificari hominem ex operibus Legis, sed per fidem Iesu Christi,*

etiam nos qui in Christum Iesum credidimus vt iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus Legis: propterea quòd non iustificabitur ex operibus Legis vlla caro. Viuo autem non amplius ego: sed viuit in me Christus, & vitam quam nunc viuo in carne, viuo per fidem Filij Dei qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

Cap.3 *Sicut Abraham credidit Deo, & imputatum est ei ad Iustitiam, qui sunt ex fide, sunt filij Abrahæ, & benedicuntur cum fideli illo Abraham. Quotquot ex operibus legis sunt, sub execratione sunt. Scriptum est enim. Execrabilis quisquis non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis, vt faciat ea. Qui fecerit ea homo, viuet in ipsis: sed iustus ex fide viuet. Christus nos redemit ab execratione Legis, dum pro nobis factus Execratio, κατάρα. Conclusit Scriptura omnia sub peccatum, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Lex Pædagogus noster fuit ad Christum, vt ex fide iustificaremur. Filij Dei estis per fidem in Christo Iesu. Nam quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Cap 4. *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum Legi obnoxium, vt eos qui legi erant obnoxij redimeret, vt adoptionem, υἱοθεσίαν, acciperemus.*

Cap 5.4 *Facti estis inanes Christi, quicunque per legem iustificamini, & à gratia excidistis Qui sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis.*

1.Cor 1 30. *Christus factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio.*

1.Cor.2.2. *Nihil pretiosum duxi scire præter Iesum Christum & hunc crucifixum.*

1.Cor.1.18. *Sermo ille de cruce iis qui pereunt stultitia est, nobis autem qui seruamur, Potentia Dei est.*

1 Cor 6.& 7. *Empti estis pretio magno.*

1.Cor.4.4. *Nullius rei mihi conscius sum: sed per hoc iustificatus non sum.*

2.Cor 1.20. *Quotquot promissiones Dei, in Filio Dei Iesu Christo sunt etiam, & in ipso Amen.*

2.Cor.5. *Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians, non imputando eis peccata ipsorum. Fecit vt qui non nouit peccatum pro nobis peccatum esset: vt nos efficeremur Iustitia Dei in illo.*

Ephes 1.7 *In Christo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, Remissionem peccatorum ex diuitiis ipsius gratiæ*

Ephes.2 *Gratia enim estis seruati per fidem: idque non ex vobis, Dei donum est. Non ex operibus ne quis glorietur: nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in iis versaremur. Per ipsum habemus aditum per vnum Spiritum ad Patrem.*

Ephes.3.17. *Inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris.*

Ephes.5. *Membra sumus corporis eius.*

Ephes.3.12. *In Christo habemus aditum cum fiducia per fidem ipsius.*

Tit 3.5. *Non ex operibus iustitiæ quæ fecerimus nos: sed secundùm misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum Regenerationis & Renouationis Spiritus Sancti.*

Philipp.3. *Si quo modo perueniam ad Resurrectionem mortuorum: non quòd iam apprehenderim, aut iam perfectus sim. Quæ mihi erant lucra, ea duxi propter Christum damnum esse: quinetiam duco omnia damnum esse, propter eminentiam cognitionis Christi Iesu Domini mihi, propter quem omnibus istis me ipsum mulctaui, eáque duco pro stercoribus, vt Christum lucrifaciam. Et comperiar in eo non habens meam iustitiam quæ est ex Lege: sed eam quæ per fidem est Christi iustitiam ex Deo per fidem.*

Coloss.1. *Vos quondam abalienatos & hostes reconciliauit in corpore carnis suæ per mortem: vt sisteret vos sanctos, sine labe & irreprehensos coram se: siquidem permanetis in fide fundati & firmi In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius remissionem peccatorum*

Cap 2. *In Christo sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ & intelligentiæ. Vos viuificauit mortuos in peccatis, condonatis vobis omnibus peccatis: ac deleto quod aduersum nos erat Chirographo, cruci affixum è medio sustulit.*

Thessal.4.14. *Si credimus Iesum mortuum esse & resurrexisse, ita etiam Deus eos qui obdormiuerint in Iesu adducet cum eo.*

1.Tim.1.15. *Fidus est hic sermo, & dignus qui modis omnibus recipiatur, Christum Iesum venisse in mundum vt peccatores seruaret, quorum primus sum ego.*

1.Timot 3.16. *Sine controuersia magnum est pietatis mysterium: Deus conspicuus factus est in carne, conspectus est ab Angelis, prædicatus est Gentibus, fides illi habita est in mundo, sursum receptus est in gloriam.*

Hebr.10 22. *Habemus sacerdotem magnum, accedamus cum verò corde & certa persuasione fidei ἐν πληροφορίᾳ πίστεως.*

Hebr.11.1. *Fides est hypostasis eorum quæ sperantur. Impossibile est vt quisquam Deo placeat sine fide.*

1.Petr 1 *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos per spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem quæ perire*

rire non potest, nobis in cœlis seruatam, qui virtute Dei custodimur per fidem.

1.Pet.3. *Reportantes mercedem fidei vestræ, salutem animarum. Scientes vos non rebus caducis argento vel auro fuisse redemptos ex vana vestra conuersatione, sed pretioso sanguine agni immaculati & incontaminati Christi, qui per eum credituri Deo,*

Cap.2 24. *Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitia viueremus: cuius vibicibus sanati estis. Nam eratis velut oues errantes: sed conuersi nunc estis ad Pastorem & Curatorem animarum vestrarum.*

1.Ioan.1.3. *Communio nostra sit cum Patre & cum Filio eius Iesu Christo. Sanguis Iesu Christi Filij Dei purgat nos ab omni peccato. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Cap.2. *Aduocatum apud Patrem habemus Iesum Christum iustum. Et ipse propitiatio pro peccatis nostris. Hæc est eius doctrina, vt credamus nomini Filij eius Iesu Christi. Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio eius est.*

Cap.5. *Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet.*

Rom.8. *Nulla est condemnatio iis qui sunt in Iesu Christo.*

Hebr.10.14. *Vna oblatione Christus consummauit in perpetuum.*

Hebr.1.3. *Purgationem peccatorum nostrorum per seipsum fecit.*

Ioan.19.30. *Consummatum est.*

Apoc.7. *Qui stolas suas dealbarunt in sanguine Agni, sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die & nocte in templo eius, & qui insidet throno, habitat cum eis.*

Apoc.14.13. *Beati mortui qui in Domino moriuntur à modo: quoniam requiescunt à laboribus suis.*

Esa.16. *Viuent mortui tui & resurgent. Expergiscimini & laudate qui habitatis in puluere quia ros lucis, ros tuus.*

2.Thessal.4.13. *Nolo vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contristemini sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo.*

Adde Esa.1.27.& 59.15.16.& 62.11.12.& 64.6.

Ier.Lament.3.22.

Ezech.20.11.

Matth.1.21.& 3.15.& 5.17.20. & 8.13.17.& 9.13.22.29.& 11.28. & 14.31. & 18.11. & 22.21. & 24.26.

Luc.1.69.73.77.78.79.& 2.11.34.& 7.48.50.& 17.10.& 18.13.14. & 17.19.

Ioan.1.29.33.42.& 3.14.15.17.18.36.& 5.24. & 6.28.29.40 47.68.69.& 7.39.& 10.9.11.& 11.25.26.50 51.52.& 14 6.9.10.11. & 15.5.

Act.3.25.& 5.31.& 8.32.33.37. & 10.36.& 11.18. & 13.47.& 16.31.

CAPVT II.

AMBROSIVS *De Virgin. lib.3. tomo 1.* Non aurum & argentum nos liberauit, sed probatio fidei. Non diuitiis istis te Christus redemit, Paratum habeto pretium. Non semper exigeris, sed semper debes: sanguinem soluit, sanguinem debes. Ille pro te soluit. Eramus oppignerati malo creditori. Peccatis contraximus chirographum culpæ, pœnam sanguinis debebamus: venit Dominus Iesus, suum pro nobis sanguinem obtulit.

De pœnit. lib.2. c.8. Veniam tanquam ex fide speremus, non tanquam ex debito. Tanquam ex Syngrapha fides impetrat. Præsumptio autem arroganti est proprior quàm roganti.

Lib.3. cap.1 de fide tomo 2. Redemptio nostra per Christi sanguinem, Remissio per potestatem, Vita per gratiam. Aliud Creatoris, aliud Redemptoris est: distincta licet, vnius tamen auctoris beneficia sunt.

Lib. de fuga seculi, cap.7. Maledicitur terra, sed in operibus peccatoris: & maledicitur donec resoluatur in terram. Ideo ergo Deus suscepit carnem, vt maledictum carnis peccatricis aboleret: & factus est pro nobis maledictum, vt benedictio absorberet maledictionem, integritas peccatum, indulgentia sententiam, vita mortem. Suscepit enim & mortem, vt impleretur sententia: satisfieret iudicato per maledictum carnis peccatricis vsque ad mortem. Nihil ergo factum est contra sententiam Dei, cùm sit diuinæ conditio impleta sententiæ. Maledictum autem vsque ad mortem, post mortem autem gratia.

In Luc. lib.5. cap.5. Etsi est in lege Iustitia, non est tamen per legem Iustitia. Si enim per legem Iustitiæ, ergo Christus gratis mortuus est. Mortuus est enim Christus vt impleret Iustitiam.

In Luc. libr. 10. capite 21. Quid mihi prodest diem scire Iudicij? Quid mihi prodest

tantorum concio peccatorum, si Dominus veniat, nisi veniat in animum meum, nisi veniat in me Christus, in me loquatur?

In epist.ad Rom.cap.8. Quomodo impletur in nobis Iustificatio, nisi cùm datur Remissio omnium peccatorum? Vt sublatis peccatis, iustificatus appareat mente seruiens legi Dei.

Ibid. cap.9. Nullum opus dicit legis, sed solam Fidem esse dandam in causa Christi.

In epist.ad Hebra. cap.7. tomo 5. In æternum Diuinitate & Humanitate Mediator inter Deum & homines. Ex ea natura qua Pontifex est, interpellat pro eis.

In 4. cap. ep. ad Rom. Quomodo Iudæi per opera legis iustificari se putant iustificatione Abrahæ, cùm videant Abraham non ex operibus legis, sed sola fide iustificatum?

Ibid. Beati sola fide iustificarentur apud Deum.

Epist.71. Subditus autem mundus eò per Legem factus est, quia ex præscripto Legis & ex operibus Legis nemo iustificatur: id est, quia per Legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur.

De fide lib.4. cap.1. Si non credis, non descendit tibi Christus, non tibi passus est.

Ibidem lib.2. cap.3. Christus suscepit tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino, quia crucem prædico.

Ibidem. Non eò quòd Deus erat aut turbari aut mori posset. Denique Deus, Deus, inquit, meus, quare me dereliquisti? Vt homo ergo loquitur, meos circumferens metus.

In Ep.ad Rom.c.3. tom 5. Iustificati sunt gratis: quia nihil sunt operantes, neque vicem reddentes SOLA fide, iustificati sunt, dono Dei. Christus nos redimit, offerens se pro nobis. Ideo in sanguine ipsius: quia morte eius liberati sumus.

Ib. Quia vnus omnium est Deus, vna ratio ne omnes iustificauit.

In c 4. Impius per solam fidem iustificatur apud Deum.

Ib. Cessante lege, SOLAM fidem gratia Dei posceret ad salutem.

Ibid. Sola fide iustificantur apud ipsum.

In c 5. Sicut per vnius delictum omnes condemnationem meruerunt, similiter peccantes: ita & in Iustitia vnius omnes iustificabuntur credentes.

In cap.8. Fides data est quæ iustificat confugientes ad Christum, vt remittat eis quod lex tenet reos, vt agentes sub fide liberi fiant à peccato.

Ibid. Quomodo implebitur in nobis Iustificatio, nisi quum datur remissio omnium peccatorum? vt sublatis peccatis iustificatus appareat mente seruiens legi Dei, nouo consentiens desiderio peccati.

Ibi. SOLA fides posita est ad salutem.

De bono mortis, to.4. cap.2. Qui hîc non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit. Non erit autem, quia ad vitam æternam non poterit peruenire, Quia vita æterna remissio peccatorum est. *Sic & Epist 72.73.74.*

De Iacob & vita beata libr.1. cap.5. tomo 4. Venit Dominus Iesus, qui nostras passiones cruci suæ affigeret, peccata donaret. In cuius morte iustificati sumus. Si igitur in ipsius morte dimittuntur nobis peccata, etiam peccatorum nobis passiones in illius morte moriantur, illius crucis clauis affixæ teneantur. Cum Christo igitur versentur, cum Christo superiora quæ sunt quæramus. Renouati sumus Spiritu, Spiritu ambulemus. Sic chirographum peccati quod deletum est in cruce Christi, non rescribemus, si veteris hominis amictum quem exuimus, non induamus.

Ibid cap.6. Illud mihi prodest, quòd non iustificamur ex operibus legis. Non habeo igitur vnde gloriari in operibus meis possim: non habeo vnde me iactem, & ideo gloriabor in Christo. Non gloriabor quia iustus sum, sed gloriabor, quia redemptus sum. Gloriabor, non quia vacuus peccati sum, sed quia mihi remissa sunt peccata. Non gloriabor quia profui, neque quia profuit mihi quisquam, sed quia pro me aduocatus apud Patrem Christus est, sed quia pro me Christi sanguis effusus est. Propter me Christus mortem gustauit. Qui pro te mortuus est, aduocatus est tibi, & sanguinis sui merces te seruat. Habes quibus profuit latio legis.

De fuga seculi, tom 4. ca 3. Sed quia lex os omnium potuit obstruere, non potuit mentem conuertere, ideo vltimum remedium postremæ illius ciuitatis debebatur, in quo esset refugium salutare, vt mors principis sacerdotum ab omni nos mortis liberaret formidine, atque exueret metu. Quis ille est? Ecce agnus qui tollit peccata mundi, quem proposuit Deus.

In 1. Epist.ad Cor.c.12. Ille solus peccata dimittit, qui solus pro peccatis nostris mortuus est.

In Psalm 118. Iustitia autem quæ est crucis: nisi quod ascendens illud patibulum Dominus Iesus Christus, peccatorum nostrorum chirographum crucifixit, & totius Orbis peccatum suo cruore mundauit? Qua ratione scripsit Propheta, Miserere mei si iustitia fretus erat? quia misericordia à peccato liberat. Ergo qui eget misericordia, peccator est. Quicquid boni nobis

nobis accidit, Christi iustitiæ deputemus. Misericordia Domini: quia data est remissio peccatorum. Nemo glorietur se habere castum cor.

In Psal.61. tomo 4. Suscepit peccata nostra, vt portaret: suscepit etiam, vt purgaret. Quòd portat igitur, ad remissionem pertinet: quòd purgat ad correctionem.

Lib.3. de Sacr.cap.2. tomo 4. Baptizari petit, vt iustificetur: hoc est, vt à culpa ad gratiam transeat.

Lib.2.offic.cap.2.tom.1. Habet vitam æternam fides, quia fundamentum est bonum: habent & benefacta, quia vir iustus & rebus & dictis probatur.

In Psalm.38 tom.4. Hic petenda est venia. Nisi peccatum remissum fuerit, non habebimus requiem.

In Lucam lib.8.tom 5. Ex fide charitas: ex charitate spes. Et rursus in se sancto quando circuitu refunduntur. Sequitur vt nemo operibus glorietur: quia iure Domino debemus obsequium.

Lib.10.c.22. Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego. Sed quod defendi non potest, ablui potest. *Ibid.lib.10.* Minus contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, qui nihil pro se habuit quod doleret. Suscepi tristitiam meam, vt mihi suam lætitiam largiretur. In carne sua nostra peccata perimebat, vt mœrorem quoque animæ nostræ suæ animæ mœrore aboleret.

De pœnit lib.1.cap.17 In vtroque redemptus est homo: is vtroque manifestum est saluari. Neque anima sine carne: neque caro sine anima: quum sibi sint gestorum operum consortiis copulatæ, sine consortio esse possunt, vel pœnæ, vel præmij.

De vocat.gentium lib 1.cap.5. Sicut nulla sunt tam detestanda facinora, quæ possint gratiæ arcere donum. Ita nulla possunt tam præclara opera exire, quibus hoc quod gratis tribuitur, per retributionis iudicium debeatur. Vilesceret enim redemptio sanguinis Christi, nec misericordiæ Dei humanorum operum prærogatiua succumberet: si iustificatio quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur: vt non munus largientis, sed merces esset operantis.

Ibid Nec præterita possunt, merita humana, nec futura censeri.

Lib.2. de voc. gent.cap.8. Qui gratiam Dei secundùm merita hominum dari, audet prædicare, contra fidem Catholicam prædicat.

De fide, lib.3.c.3. Sapientia mea crux Domini est: redemptio mea, mors Domini est.

De fide resur. orat.2. tom.3. Lapsus sum in Adam, de paradiso eiectus sum in Adam, mortuus in Adam: vt in Adam culpæ obnoxium, morti debitum me inuenerit, ita in Christo iustificatum.

Epist.71. lib.9. tom.3. Lex iram operatur. Adam traxit offensam per inobedientiam, & in culpam incidit ex insolentia. Simul quia causa dilectionis eius superbia fuit: superbia autem orta est ex prærogatiua innocentiæ, debuit ea Lex ferri quæ subditum Deo & subiectum redderet. Nam sine lege, peccatum nesciebatur. Nunc autem excusationem non habent de peccato. Lata est ergo Lex. Primùm vt excusationem tolleret: Deinde, vt omnes faceret subditos Deo agnitione peccati. Superabundauit peccatum per legem, quia per legem agnitio peccati, & cœpit mihi obesse scire id, quod per infirmitatem vitare non possem. Ad cauendum enim prodest præsciscere: sed si cauere non queam, obfuit nosse. Versa ergo lex in contrarium: tamen ipso peccati incremento facta mihi est vtilis, quia humiliatus sum. Vnde & Dominus quasi obediens venit, vt inobedientiæ & præuaricationis humanæ laqueus solueretur. Itaque sicut per inobedientiam peccatum intrauit, ita per Obedientiam peccatum solutum est. Quia sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt plurimi: ita & per obedientiam vnius hominis iusti constituentur multi. Creuit quidem culpa per legem, sed & culpæ author superbia, soluta est: idque mihi profuit. Superbia enim culpam inuenit, culpa autem gratiam fecit.

Naturalem legem excluserat præuaricatio, ac propemodum aboleuerat. Ideò successit Lex ita, vt nos scripto conueniret, & omne os obstrueret, vt totum mundum faceret subditum. Subditus autem mundus eò per Legem factus est, quia ex præscripto Legis omnes conuincuntur: & ex operibus Legis nemo iustificatur, id est, quia per Legem peccatum cognoscitur: sed culpa non relaxatur. Videbatur Lex nocuisse, quæ omnes fecerat peccatores. Sed veniens Dominus Iesus, peccatum, quod nemo poterat euitare domauit: & chirographum nostrum sui sanguinis effusione deleuit. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Et ideò nemo glorietur in operibus: quia nemo factis suis iustificabitur. Sed qui iustus est, donatum habet: quia per lauacrum iustificatus est. Fides ergo est quæ liberat per sanguinem Christi.

Quia beatus ille cui peccatum remittitur,& venia donatur.

*Epist.*73. Lex pædagogus est qui ad magistrum ducit. Magister noster solus Christus.

De fuga seculi,cap.7.tomo 4. Deus ideo suscepit carnem, vt maledictum carnis peccatricis aboleret: & factus est pro nobis maledictum, vt benedictio absorberet maledictionem, integritas peccatum, indulgentia sententiam, vita mortem. Suscepit enim & mortem, vt impleretur sententia, satisfieret iudicato per maledictum carnis peccatricis vsque ad mortem. Nihil ergo factum est contra sententiam Dei, quum sit diuinæ conditio impleta sententiæ. Maledictum enim vsque ad mortem, post mortem autem gratia. Mortui ergo seculo sumus, quid adhuc seculo deseruimus? Non ergo iam nostram illam vitam, sed Christi vitam viuimus, vitam innocentiæ, vitam castimoniæ, omniumque virtutum. Cùm Christo resurreximus, cum ipso viuamus, in ipso ascendamus, vt serpens calcaneum nostrum quod vulneret, in terrenis reperire non possit.

AVGVSTINVS *lib* 3 *de Libero Arbitr.* Quid tam opus habens misericordia quàm miser: & quid tam indignum misericordia quàm superbus miser?

Vide *cap.*8 *de Libero Arbitr.*

*In Psalm.*26. Ausus est petere Legem? Quid si tibi dicat Lex, Implebis Legem? Si dedero Legem implebis eam? Non auderet petere, nisi primò diceret; Dominus autem suscepit me. Non auderet petere, nisi primò diceret, Adiutor meus esto. Ergo si tu adiuuas, si tu suscipis, da Legem. Ergo legem constitue mihi in Christo tuo. Lex in Christo, Lex cum misericordia est. Et si offenderis aliquid in Lege, illi qui pro te fudit sanguinem suum, confitenti tibi ignoscit tibi: tu tantùm viam noli deserere. Ioan 14.&c. Dic illi, susceptor meus esto.

In Psalm 29. Quare interpellat pro nobis? Quia Mediator esse dignatus est.

Ibid. Qui homo factus est propter te, non incongruè orat pro te.

*In Psal.*30. Quid est quòd de Lege & de Iustitia præsumis? Non vides quid intus confligat in te, de te, aduersus te? In te, Domine, speraui, non in me.

*In Psal.*34. Maria ex Adam mortua propter peccatum Adæ. Adam mortuus est propter peccatum: & caro Domini ex Maria mortua propter delenda peccata.

*In Psalm.*48. Imago Dei intus est non est in corpore, non est in auribus istis quas videtis & oculis, & manibus, & pedibus: sed est facta tamen vbi est intellectus, vbi est mens, vbi ratio, vbi est fides; vbi est spes; omnia vbi charitas vestra: ibi habet Deus imaginem suam.

In Psalm 94. Si vellet pro meritis agere, non inueniret nisi quos damnaret. Venit ergo docens, vt recedamus iam à peccatis nostris,& non nobiscum deducat rationem de præteritis; sed tanquam tabulæ nouæ fiant, incensis omnibus chirographis debitorum nostrorum. Quanta ergo illius laus, quanta misericordia.

*In Psalm.*100. Venit Dominus vt donaret Paulo, vt non redderet. Nam si reddere vellet, quid inueniret quod redderet peccatori, nisi pœnam & supplicium? Noluit reddere pœnam, sed donauit gratiam.

*Epist.*85. Habet fides oculos suos, quibus quodammodo videt verum esse quod nondum videt. Fides sine Spe & sine Charitate esse non vult.

*Serm.*68.*de Tempore.* Ecce sine opere iustificamur ex fide; & quicquid Abrahamo, legali obseruatione posset conferri, totum sola credulitas donat.

*Serm.*96.*de Temp.* Nemo bene operatur, nisi fides præcesserit.

*Serm.*101.*de Temp.* Quid dulcius, quid suauius vel cogitari vel dici potest quàm sanctæ crucis mysterium, per quam non solùm ab inferis renouari, sed etiam in cœlos eleuari meruimus? Quia sine vlla dubitatione, vbi caput nostrum ascendisse credimus, membra illius secutura esse confidimus.

Ibidem, Crucis tantus ac talis decerpitur fructus: fructus autem crucis gloriæ est resurrectio.

*Serm.*122. Magna est iniquitas mea, sed maior est redemptio tua.

Serm. 143. *&* 162.*de Temp.* Propria fides est Christianorum resurrectio mortuorum.

*Serm.*60.*de verbis Domini.* Medicina animæ, omnium vulnerum, & vna propitiatio pro delictis omnium est, credere in Christo.

*Serm.*61. Cùm complebitur spes nostra, tum complebitur etiam iustificatio nostra.

*In Ioann tractat.*3. Omnes homines sub Lege constitutos reos facit Lex: & ad hoc illi super caput est, vt ostendat peccata, non tollat. Lex ergo tantùm iubet, dator Legis miseretur.

*De Spiritu & litera, tom.*3. Humana iustitia operationi Dei est tribuenda. Legis litera, quæ docet non esse peccandum, si Spiritus viuificans desit, occidit: sciri enim facit peccatum, potius

potiùs quàm caveri. Omni ex parte opus est prorsus absoluta iustitia: At nullus homo sine peccato, præter illum qui non tantùm homo, sed naturâ etiam Deus est.

Ibid. cap. 8. Ac ne quispiam putaret Apostolum dixisse: Ea Lege neminem iustificari quæ in sacramentis veteribus multa continet figurata præcepta, vnde etiam ipsa est Circumcisio carnis, continuò subiunxit, quam Legem dixerit: & ait, per Legem enim cognitio peccati. Illa igitur Lex est, de qua postea dicit, Peccatum non cognoui nisi per Legem. At dicet aliquis: Homo iustificatur, non per Legis imperium, sed per Liberum Arbitrium: O homo! attende quod sequitur. Iustitia: inquit, Dei manifestata est: Non dixit: Iustitia hominis, vel iustitia propriæ voluntatis: sed Iustitia Dei, non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem quum iustificat impium. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi, hoc est per fidem quâ creditur in Christum.

Ibid. Iustitia Dei non sine Lege est manifestata, quandoquidem per Legem ostendit homini infirmitatem suam, vt ad eius misericordiam per fidem confugiens sanetur.

Ibidem, Iniustus legitimè Lege vtitur tanquam pædagogo. Imposita est enim terrendis iniustis. Sic & iustus bene Lege vtitur, & tamen non ex ea iustificatus est, sed ex Lege fidei. Lex operum est in Iudaismo. Lex autem fidei in Christianismo. Quod operum Lex minando imperat, hoc fidei Lex credendo impetrat. Lege operum dicit Deus: Fac quod iubeo: Lege fidei dicitur Deo, Da quod iubes. Ideo enim iubet Lex, vt admoneat quid faciat fides.

Ibid. Legem ex qua Apostolus constantissimus gratiæ prædicator, dicit neminem iustificari, non tantùm in circumcisione, & in illis Sacramentis quæ habuerunt promissiuas figuras, verumetiam in illis operibus vult intelligi, quisquis fecerit, iustè viuit, nempe de Lege decem præceptorum.

Ibid cap 26. Sic intelligendum est: factores Legis non iustificabuntur, vt sciamus eos aliter non esse factores legis, nisi iustificentur: vt non iustificatio factoribus accedat, sed factores Legis iustificatio præcedat. Quid enim est aliud iustificari, quàm iusti facti per eum qui iustificat impium, vt ex impio fiat iustus: Aut certè ita dictum est: Iustificabuntur, ac si diceretur, Iusti habebuntur, iusti Deputabuntur.

Ibid. Opus non fit nisi à iustificato. Iustificatio autem ex fide impetratur. In tantum iustus, in quantum saluus: fide autem impetramus salutem.

Ibid. Lex dicit, Non concupisces. Fides dicit, Sana animam meam: Gratia dicit, Ecce sanus factus es.

Epist. 144. Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere: Ille peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit.

Epist. 52. Maledictus qui spem suam ponit in homine. Ergo nec in seipso quisquam debet, quia & ipse homo est.

Epist. 106. Iustitia est ex fide quâ credimus nos iustificari, hoc est, iustos fieri gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: vt inueniamur in illo, non habentes nostram iustitiam, quæ ex Lege est, sed eam quæ per fidem Christi.

Serm 49. *de Tempore*, Dauid dicit, Exaudi me in iustitia tua, hoc est non in mea. Si diceret: Exaudi me in iustitia mea, tanquam Meritum vocaret. Vocat quidem nonnullis in locis, Iustitiam suam, sed quum suam dicit: vt quum dicimus, Panem nostrum da nobis. Ergo distinctiùs loquens ait: Exaudi me in iustitia tua. Non frustrà addit in conspectu tuo aliquis potest esse iustificatus in conspectu hominum. Clamemus igitur, Ne intres in iudicium cum seruo tuo.

Epistola 112. Nonnulli putant ipsum quod dicimus Credere, hoc solùm esse mente contueri.

Ibid. Scire dicimur illud quod certissimè credimus. Fides ipsa vtique mente videtur.

1. *Petri* 1. In quem modò non videntes creditis: quæ credit, absunt à sensibus & animi & corporis.

Paulò pòst. Menti nostræ fides nostra conspicua est: sed tamen quod eadem fide creditur, abest & ab aspectu corporis nostri, sicut abest corpus Christi in quo resurrexit.

Sermone 29. *de verbis Apostoli.* Nisi quod loquor intelligant, credere non possunt. Ergo ex aliqua parte verum est: Intelligam, vt credam: & illud quod Propheta dicit, Crede vt intelligas: verum dicimus, concordemus. Ergo, intellige vt credas: crede vt intelligas. Intellige vt credas verbum meum: crede vt intelligas Verbum Dei.

In Ioann. tract. 98. Non solùm credatur verùm etiam intelligatur.

De Ciuit. Dei, lib 7 *cap*.31. Deus misit nobis Verbum suum, qui est eius vnicus Filius pro nobis in assumpta carne nato atque passo, atque illo sacrificio singulari à peccatis omnibus mundaremur, eiusque Spiritu in cordibus nostris dilectione diffusa, in æternam requiem veneriмus.

De Ciuit. Dei, lib. 11. *cap.* 2. Deus, Dei Filius

homine assumpto, non tamen Deo consumpto, eandem constituit atque fundauit fidem: vt ad Deum esset iter homini per hominem Deum. Si inter eum qui tendit, & illud quò tendit via media est, spes est perueniendi. Si autem desit aut ignoretur quà eundum sit, quid prodest nosse quò eundum sit? Sola est autem aduersus omnes errores via munitissima, vt idem ipse sit Deus & homo, quò itur Deus, quà itur Homo.

Lib.21.cap.27. Amici facti sunt, misericordia liberati ab eo qui iustificat impium, imputans mercedem secundùm gratiam, non secundùm debitum.

De Gratia & Libero Arbitrio, cap.6. Si Dei dona sunt merita tua bona, non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua.

83 *Quæst.76. tom.4.* Qui iustificatus per fidem, quomodo potest nisi iustè deinceps operari?

Contra Celestium, tom.7. Iam olim contra superbos clamatum est, Beatus cui non imputat Dominus peccatum. Non enim imputat his qui fideliter dicunt, Dimitte nobis debita nostra.

In eodem libro. Lex præuaricationis causa posita est, vt homo factus præuaricator, liberatorem, saluatoremque requireret: atque ita eum, timore legis humilem factum, tanquam pædagogus ad fidem gratiámque perduceret.

Contra epist.Parm.lib 2 cap.8 Christiani in omnibus orationibus suis de vno Mediatore securi sunt: pro quo nullus interpellat, sed ipse pro omnibus.

De verbis Apostol Sermone 2. In ipsa vel sub ipsa corona iustitiæ non sit caput turgidum vt recipiat coronam. Audi Psalmum qui dixit, Qui redimet de corruptione vitam tuam, Qui coronat te, inquit, Iam hîc dicturus eras, Coronat te, merita mea fatentur: virtus mea fecit hoc: debitum redditur, non donatur. Audi potiùs Psalmum: Omnis homo mendax. Audi Deus quid dicat: Qui coronat in miseratione & misericordia. De misericordia te coronat, de miseratione te coronat. Non enim dignus fuisti quem vocaret & vocatum iustificaret: & iustificatum glorificaret. Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, non ex operibus: alioqui gratia iam non est gratia. Nàm ei qui operatur, merces non imputabitur secundùm gratiam, sed secundùm debitum: Apostolus loquitur, Non secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Te autem coronat in miseratione & misericordia. Et si tua merita præcesserunt, dicit tibi Deus: Discute bona merita tua, & videbis quia dona sunt mea.

Sermone 94. de Tempore. Si beati qui confidunt in eo, miseri qui confidunt in se. Maledictus qui spem suam ponit in homine. Ergo nec in te, quia tu homo es. Si spem tuam posueris in te, periculosè superbis: si spem tuam posueris in alio homine, inordinatè humilis eris. Quid autem interest? vtrumque perniciosum.

Sermone 101. Mors nisi à morte superari non poterat, ideo mortem Christus sustinuit, vt iniusta mors iustam vinceret mortem: & liberaret Reos iustè, dum pro eis occidebatur iniustè.

Serm.117. de temp. Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego.

Sermone 135. In ista vita hîc possunt dimitti peccata, vbi possunt haberi peccata: & hoc in ista vita petimus vt dimittantur. In illa autem vita non dimittuntur, quia nec habentur.

Serm 141. Dominus noster Iesus Christus communicando nobiscum sine culpa pœnam, & culpam soluit & pœnam.

Serm 151. Non habes quid retribuas, quando ab illo totum expectas, quid habes retribuere? Dauid quærens vndique quid retribuat, quid inuenit? Calicem salutaris accipiam. Retribuere cogitabas, adhuc accipere quærebas. Si adhuc accipere quæris, adhuc debitor eris, quando retributor.

Serm 181. Resurrectio eius duas Mortes nostras soluit, & duas Resurrectiones nostras formauit.

Ibid. Aliud est credere illi, aliud credere illum, aliud credere in illum. Credere illi est Credere vera esse quæ loquitur. Credere in illum, est credere quia ipse est Deus. Credere in illum est, diligere illum. Illa & mali & dæmones possunt. At credere in Deum soli nouerunt qui diligunt illum, qui verè sunt Christiani, quia sine dilectione fides inanis est.

Serm.237. Si iustitia est opus Dei vt credimus in Christum, impone huic operi nomen, FIDES vocatur, credere in Christum. Ex hac Iustus viuit. Difficile est vt malè viuat qui bene credit.

Lib.de fide & operibus, tom.4. Quum Apostolus ait, hominem iustificari per fidem sine operibus Legis, non hoc agit vt operæ Iustitiæ contemnantur. Sequuntur enim Iustificatum, non præcedunt Iustificandum. Paulus non quamlibet Fidem quâ in Deum creditur, sed salubrem

ſalubrem planéque Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt. De Fide ea quæ hoc non facit, & Petrus & Iacobus loquuntur. Gratiam Chriſti nos liberare tota epiſtola ad Romanos euidenter oſtendit. Quod Petrus ait fontes ſiccos: hoc epiſtola Iudæ, ſine aqua, hoc Iacobus, fides mortua.

De Continentia lib. 1. Maledictus qui ſpem ponit in homine. Non poteſt veraciter dicere, non ſe ſpem ponere in homine, qui eam ponit in ſe.

De Ciuit. Dei lib. 19. *c* 27. Iuſtitia noſtra quamuis vera ſit, tamen tanta eſt in hac vita, vt potiùs peccatorum Remiſſione conſtet, quàm perfectione virtutum.

*Lib.*2.*c.*29. Aſylum noſtrum Remiſſio peccatorum.

Contra adv. rſ Legis tom 6. Apoſtolus legem diſtinguit à Gratia, eò quòd ſub illa elidantur elati, ſub iſta erigantur eliſi: & quòd illa in tantum bona ſit, vt bona iubeat, hæc in tantum vt bona conferat.

*Serm.*36. *de verb. Domini.* Si Fides eſſet plena, non dicerent, Auge Fidem.

Ibid. Impiè oppugnat gratiam qui ſuperbè agit Deo gratias: vt Phariſeus &c.

De ſerm. Dom. in Lucam ſerm 37. Dominus noſter deſcendit ad nos, vt fieret nobis mortalibus & peccatoribus proximus. Ille duo bona habebat, Iuſtitiam & Immortalitatem: nos duo mala, Iniquitatem & Mortalitatem: vnum eſt culpa, alterum pœna. Culpa eſt quòd iniuſtus es, pœna quia es mortalis. Ille vt eſſet proximus, ſuſcepit pœnam tuam, non ſuſcepit culpam tuam, niſi delendam. Suſcipiendo pœnam, & non ſuſcipiendo culpam, & culpam deleuit & pœnam. Dominus ergo in proximo eſt, nihil ſoliciti ſitis.

*De verbis Dom. ſerm.*45. *T.*10. Quid eſt aliud ignorare Dei iuſtitiam, & ſuam velle conſtituere, niſi dicere: Ego ſanctifico, ego Iuſtifico quod ego dedero ſanctum eſt. De Antichriſto dictum eſt, Non ſuſcepiſtis me, ſi alius venerit in nomine ſuo, hunc ſuſcipietis. Quid aliud facit qui dicit, Ego Iuſtifico? Illi contempſerunt pendentem in ligno, vos contemnitis ſedentem in cœlo.

*Serm.*60. De Iuſtitia, quia vado ad Patrem, &c. tanquam diceret, Hæc erit Iuſtitia veſtra, vt credatis in me Mediatorem, quem reſſuſcitatum ad Patrem iſſe, certiſſimè habebitis: quamuis eum Carnaliter non videatis, vt per ipſum Reconciliati, Deum ſpiritualiter videre poſſitis.

*Serm.*61. Ille credit in Chriſtum qui & ſperat in Chriſtum & Chriſtum diligit. Nam ſi fidem habet ſine ſpe ac ſine dilectione, Chriſtum eſſe credit, non in Chriſtum credit. Si in Chriſto ipſo noſtra non ſit Iuſtitia, nullo modo Iuſtitia: Iuſtitia noſtra is eſt qui vadit ad Patrem, nec ab eo ſeparamur: cum corpore ſuo, id eſt, Eccleſia, vnus eſt Chriſtus nobiſcum.

*Serm.*2. *de verb Apoſt.* Beati omnes qui confidunt in eum: non in ſe, ſed in eum. Audi Pſalmum, Qui coronat te in Miſeratione & Miſericordia.

Ibid Nonnullos video Chriſtianos, vt Iudæi, qui ignorant Iuſtitiam Dei, qui contra apertam gratiam contendunt. Quid Chriſtiani? Quare inimici Gratiæ Chriſti? quare præſumentes? quare ingrati?

*Serm.*6. *de verb. Apoſt. tom.*10. Videte duo: Iuſtitia Dei, non noſtra: In ipſo, non in nobis. Non implebatur Lex per ſe, impleta eſt per Chriſtum.

*Serm.*13. Quid eſt legitimè vti Lege? Per Legem agnoſcere morbum ſuum. Eſt Pædagogus. Pædagogus non ducit puerum ad ſeipſum, ſed ad magiſtrum.

*Serm.*15 *de verb. Apoſt.* Non adhibuiſti aliquem conſenſum, vt te faceret Deus. Qui ergo fecit te ſine te, non te iuſtificat ſine te. Tamen ipſe iuſtificat, ne ſit iuſtitia tua, ne redeas ad ſtercora.

*De peccatorum meritis, tom.*7. Nemo Iuſtificatus Imitatione. Ideo nemo Iuſtificatus in Petro aut Paulo. Quiſquis auſus fuerit dicere, Iuſtifico te, conſequens eſt etiam vt dicat, Crede in me.

*De Trinit. lib.*13. Quid eſt Iuſtificari in ſanguine ipſius? Quum nobis iraſceretur Deus Pater, vidit mortem Filij ſui pro nobis, & placatus eſt nobis. Salui erimus, nec in nobis ſed in Deo: nec per nos, ſed per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Ibi. Iuſtum eſt vt Deus propter hunc vnum dimittat omnes Regeneratos, per ipſius immaculatam gratiam ſpiritualem.

De nat. & gratia. Etiam iuſtificati peccant, & iis opus eſt gratia.

De gratia Chriſti lib 1. *cap.*48. *tom.*7. Zacharias & Helizabeth dicuntur inculpati ſecundùm quandam inter homines conuerſationem probabilem atque laudabilem, quam nullus hominum iuſtè poſſet in accuſationis & criminationis querelam vocare. Non autem dictum eſt hoc ſecundùm illam perfectionem iuſtitiæ, in qua verè atque omninò immaculati perfectíque viuemus. Nam & Apoſtolus Paulus dixit, ſecundùm iuſtitiam quæ ex Lege eſt, ſe fuiſſe ſine querela: in qua Lege etiam Zacharias ſine querela conuerſabatur. Sed hanc

Apostolus iustitiam in stercoribus & detrimentis deputauit, in comparatione iustitiæ quam speramus, & quam nunc esurire & sitire debemus.

Ibid. Si minutiùs excutias, immaculatus esse nemo potest, quia nemo sine peccato.

De pec.orig. l.2 c.32. Ex Ambrosio, de paradyso eiectus sum in Adam, mortuus sum in Adam: ita in Christo iustificatus sum.

Contra duas epist. Pel. l 3.c.4. tom.7. Veteres pij Patres eodem spiritu quo nos agebantur, &c. Moyses & reliqui ex fide qua nos viuimus, vna eadémque vixerunt.

Cap 5. Sancti viri in comparatione iniquorum iusti sunt dicendi, qui tamen non carent infirmitate per piam fidem ab iniquis damnandis sunt remoti. Apostolus ostendit secundùm istius vitæ modum esse quandam perfectionem, eique perfectioni hoc quoque deputari, si se quisque nouerit nondum esse perfectum.

Cap.7. Quando esurimus sitimúsque iustitiam, si fides Christi vigilat in nobis, quid nos nisi Christum esurire ac sitire credendum est? qui factus est nobis à Deo, iustitia, & sanctificatio & redemptio.

Ibid. Apostolus & perfectum & imperfectum se dicit: Imperfectum scilicet cogitando quantum ad iustitiam desit. perfectum, quòd & suam imperfectionem confiteri non erubescit, & vt perueniat, bene procedit, sicut viator, &c.

Ibid. Qui sunt in iustitia Legis, aut remanent apertè iniqui, aut fallaciter iusti.

83 *Quæst. quæst.76. tom.4 p 1* Quoniam Paulus Apostolus prædicans iustificari hominem per fidem sine operibus, non bene acceptum ab eis qui putant, quum semel in Christum credidissent, etiamsi malè operarentur, saluos esse posse per fidem: locus Epistolæ Iacobi sensum Pauli exponit. Satis ostendit Paulum Apostolum, non ita per Abrahamum docere iustificari hominem per fidem sine operibus, vt si quis crediderit, non ad eum pertineat bene operari: sed ad hoc potiùs, vt nemo meritis priorum operum arbitretur se peruenisse ad donum iustificationis. Nec consequentibus: quia in hac vita non finitur. Nam iustificatus per fidem quomodo potest nisi iustè deinceps operari? Exemplo Abrahæ Paulus vtitur, quia per fidem iustificatus est: & Iacobus, quia fidem ipsius Abrahæ, opera bona consequuta esse demonstrat. Nam qui putant istam Iacobi Apostoli sententiam contrariam esse illi Pauli Apostoli sententiæ, possunt etiam arbitrari ipsum Paulum sibi esse contrarium, qui dicit alio loco: non Legis auditores iusti sunt apud Deum, sed factores Legis iustificabuntur, &c. Quod & Iacobus dicit, & Apostolus Paulus satis apertéque prædicat, Rectè viuendum omnibus qui in Christo crediderunt, ne ad pœnas perueniant: quod & ipse Dominus commemorat dicens: Non omnis qui mihi dicit Domine, Domine, intrabit in regno cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.

In Psalm.30. Domine si sine te nihil, totum in te. Si attendas ad iustitiam meam, damnas me. In tua iustitia erue me. Est enim iustitia Dei, quæ & nostra fit, quum donatur nobis. Omnes enim peccauerunt. In te ergo Domine speraui, non in me. Illud me eruat quod me iustificat.

Ibid. Si speras in Domino, coram hominibus spera, ne fortè abscondas spem tuam in corde tuo & timeas confiteri. Quomodo Christus viuit in corde tuo, sic habitet in ore tuo. Nec ore, nec factis Christum negaueris. Esto domus eius, & erit domus tua, habitet in te, & tu habitabis in eo. Si illum exceperis in hoc seculo in corde tuo, ille te excipiet post hoc seculum vultu suo.

In Psalm 31. Dicunt Pagani, iam bene viuo, quid mihi est ne cessarius Christus? &c. Iam qui audit Abrahamum iustificatum ex fide non ex operibus, obscuret gloriam suam ad Dominum, &c. Faciam ergo quicquid volo, quia etsi bona opera nòn habuero, & tantùm credidero in Deum, deputabitur mihi ad iustitiam. Lapsus is diuersus est, sed Scriptura demersum à profundo eleuat. Iacobus in epistola sua vult corrigere eos qui malè Apostolum intellexerant, qui nolebant benè operari, de sola fide præsumentes: Abrahæ opera commendauit, & Paulus eius fidem: & non sunt sibi aduersi Apostoli. Magnum opus Abrahami, sed ex fide: video fidei fundamentum, laudo fructum boni operis: sed in fide agnosco radicem. Radix illa non est sterilis, nec arida. Opera quæcunque ante fidem, quamuis hominibus videantur laudabilia, inania sunt. Currit extra viam Fidem opera secuta sunt, sterilis non est. Tene ergo fidem operaturus. Adde illi spem & dilectionem. Amor Dei, amor proximi charitas dicitur, finis est præcepti.

Ibid. Quomodo dicit Apostolus iustificari hominem sine operibus ex fide, quum alio loco dicat, fides per dilectionem operatur? Non ergo Iacobum Apostolum Paulo, sed ipsum Paulum ipsi Paulo opponamus, & dicamus ei: at nos quodammodo permittis impunè peccare, quum dicis, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, iustificatus per fidem sine operibus. Sed adhuc dicis: fides per dilectionem

ctionem operatur. Quomodo hac securus fio, si operatus non fuero per dilectionem? Te ipsum audio, ô Apostole. Certè fidem mihi hîc sine operibus vis commendare: opus autem fidei dilectio est. Quomodo ergo iustificabitur homo per fidem sine operibus? Respondet ipse Apostolus: Propterea hoc tibi dixi, ô homo, ne quasi de operibus tuis præsumere videreris. Quid ergo? Qui sunt beati? Non in quibus Deus non inuenerit peccatum. Nam in omnibus inuenit. Si ergo in omnibus peccata inueniuntur, remanet vt non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Merces nostra, gratia vocatur. Si gratia est, gratis datur. Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inueniuntur omnia mala. Si quod debetur illis operibus Deus redderet, vtique damnaret. Stipendium enim peccati mors. Malis operibus quid debetur nisi damnatio? Bonis quid debetur? Regnum cœlorum. Tu autem in malis operibus inuentus es: si reddatur tibi quod debetur, puniendus es. Quid ergo fit? Non tibi Deus reddit debitam pœnam, sed donat indebitam gratiam. Debebat vindictam, dat indulgentiam. Incipis ergo esse in fide per indulgentiam. Iam fides illa assumpta spe & dilectione incipit bene operari. Sed nec tunc glorieris, &c. Si vis esse alienus à gratia, iacta merita tua. Fidei iustitiam bona opera non præcesserunt, quam bona opera consequuntur. Intendite ergo vos, alioqui malè intelligendo projicitis vos in illam voraginem impunè peccandi. Libenter malè intelligentes, malè intellexerunt, ne bona opera sequerentur. Nemo iactet bona opera sua ante fidem: nemo sit piger in operibus accepta fide.

In eundem Psal. Totum gratiæ Christi imputatur, non meritis nostris: beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: non in quibus non sunt inuenta peccata, sed quorum sunt tecta peccata. Cooperta sunt peccata, & tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit aduertere: si noluit aduertere, noluit animaduertere: si noluit animaduertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Quid enim erat, videre peccata, nisi punire peccata?

Ibidem, Deus tegat vulnera, non tu. Nam si tu tegere volueris, medicus non curabit.

In Psalm.32. Nondum quæro quid viuas sed quid credas: quia vtique si credis, caues, conaris, conatum tuum nouit Deus.

De Trinit. lib.14. cap.8. Fides non est quod creditur, sed qua creditur: & illud quod creditur, illa conspicitur.

De Catech. rud. c.25. Nec tamen etiam in ipsis bonis qui te vel præcedunt vel comitantur ad Dominum, spem tuam collocare debes: quia nec in teipso debes: quantumcunque profeceris, sed in illo qui te iustificando & eos tales fecit. Securus es enim de Deo quòd non mutetur, de homine autem nemo prudenter securus est.

De perfect. iustitia. Cur præciperetur quòd omnino fieri non posset? Respondetur, consultissimè homini præcipi, vt rectis passibus ambulet, vt quum se non posse perspexerit, medicinam requirat.

Ibid. Iam olim contra superbos clamatum est. Beatus cui non imputauit Dominus peccatum. Non enim imputat his qui fideliter dicunt, dimitte nobis debita nostra.

Epist.106. Inueniamur in illo habentes nostram iustitiam, non eam quæ est ex lege, sed eam quæ est per fidem Christi.

Tract.3. in Ioan. Quod meruit? Interroget iustitiam: inueniet pœnam. Interroget misericordiam, inueniet gratiam.

Ibid. Coronat Deus in nobis dona misericordiæ suæ.

Ibid. Omnes qui per Christum iustificati, iusti: non in se, sed in illo. Si fides gratia est, & vita æterna quasi merces est fidei, videtur Deus quidem vitam æternam tanquam debitam reddere. Cui debitam? fideli: quia ipsa fides gratia est, & vita æterna gratia est pro gratia.

Confess. lib.12. Quantum interest inter lumen quod illuminat & quod illuminatur, tantùm inter sapientiam quæ creat & istam quæ creata est. Sicut inter iustitiam iustificantem, & iustitiam quæ iustificatione facta est. Nam & nos dicti sumus iustitia tua, vt nos simus iustitia Dei in ipso.

Lib.1. retract. cap.19. A quo vsque ad vnum apicem lex perfici potest, nisi à quo fiunt vniuersa diuina mandata? Sed in eisdem mandatis est etiam quod iubemur orare: dimitte nobis debita nostra. Quam orationem vsque ad finem seculi tota dicit Ecclesia. Omnia ergo mandata facta deputantur, quando quicquid non fit ignoscitur.

In Psal.91. Nemo sibi dat quod non habet. Ergo quum sis iniustus: non potes esse iustus, nisi conuertendo te ad quandam iustitiam manentem, à qua si recedis iniustus es, ad quam si accedis, iustus es. Te recedente non deficit, te accedente non crescit. Vbi est ergo iustitia? Quæres in terra? Absit. Respice ergo, transcende, vade illuc vbi semel loquutus est Deus, & ibi inuenies fontem iustitiæ, vbi est fons vitæ, quoniam apud te est fons vitæ.

Ibid. Eia, fratres, opus erat sanguine iusti ad

delendum chirographum peccatorum. Quanta bona egit passio Domini?

In Psal.70. Nullam meam iustitiam agnosco, solius tuæ iustitiæ memorabor. In tua iustitia erue me, & exime me. Non in mea, sed in tua. Si enim in mea, ero ex illis de quibus ille ait: Ignorantes Dei iustitiam, &c. Ergo in tua iustitia, non in mea.

In Psal.96 Impius eras & mortuus est pro te. Iustificatus es, & deseret te?

In Psalm.102. Gaudeamus quia nos vicimus: qui in nobis victi sumus, in illo vicimus. Ergo coronat te, quia dona sua coronat non merita tua.

Ibid. Quod coronaris, illius misericordiâ coronaris.

83. quæst. qu.76. Iustificatus per fidem quomodo potest nisi iustâ deinceps operari?

In Psal.109. Deus se debitorem nostrum fecit, non aliquid à nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo.

In Psal.118. In via fidei, pro non peccatoribus habentur, quibus peccata non imputantur.

In Psal.123. Quò imus? ad veritatem. Quâ imus? Per fidem. Quò imus? Ad Christum. Quâ imus? Per Christum.

In Psal.129. Resurrexit Dominus, ideò resurges, quia in hoc resurrexit, quod à te accepit. Quid accepit à te? Carnem. Accepit abs te quod offerret pro te, in ipsa carne factus est victima & sacrificium. Qui non commisit, ipse redemit Israel, ab omnibus iniquitatibus suis.

In Psal.137. Non dico Domine: ne despicias opera manuum mearum, non me iacto de operibus meis, non commendo opera manuum mearum. Exquisiui quidem Dominum meum manibus meis, & non sum deceptus. Hoc solùm rogo, hoc dico, hoc impetrare desidero: opera manuum tuarum ne despicias: opus tuum in me vide, non meum. Nam si meum videris, damnas: tuum si videris, coronas: quia & quæcunque bona sunt opera mea abs te mihi sunt, & ideo tua magis quàm mea sunt: audio ab Apostolo tuo, Gratia salui facti estis per fidem.

In Psal.138. Iustificatum corpus Christi, non in se, sed in illius gratia.

In Psal 142. Domine viuificabis me in tua iustitia, non in mea: non quia ego merui, sed quia tu misereris.

In Ioannem tract.3. ca.1. Lex per Moysen data est, quæ reos tenebat &c. Cecidit primus homo, & omnes qui de illo nati sunt, de illo traxerunt concupiscentiam carnis, oportebat vt nasceretur alius homo ad vitam &c. Quoniam per hominem mors, & per hominem Resurrectio mortuorum. Omnes qui per Christum iustificati, iusti: Non in se, sed in illo. Nam in se, si interroges, Adam sunt: In illo, si interroges, Christi sunt.

In Ioan.tract.22. Non est quò eas nisi ad me: non est quà eas nisi per me. Paulus habet vitam, non in semetipso, sed in Christo.

Ibid. Tu fidelis vbi habes? Non in temetipso, sed in Christo.

Tract. 41. Non reconciliamur nisi ablato peccato, quod est medium separans: sed Mediator est reconcilians. Vt ergo tollatur materia separans, factus est sacrificium sacerdos ipse.

Tract.50. Quem tenebo? absentem? Quomodo in cœlum manum mittam, vt ibi sedentem teneam? Fidem mitte & tenuisti.

Tract.53. Fides Christi est credere in eum qui iustificat impium, credere in Mediatorem, credere in saluatorem. Qui suam iustitiam stabiliunt, non possunt credere.

Confess.lib.1. cap.13. Quisquis enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua?

De verb. Apost. serm.31. Non hîc sumus sine peccato, sed hinc exibimus sine peccato. Ruga nostra extenditur in cruce Christi. In ipsa cruce pro nobis sanguinem fudit. Ecce quomodo fit Ecclesia sine macula & sine ruga.

Serm.23. de temp. Nemo se decipiat, fratres, duo enim loca sunt, & tertius non est vllus. Qui cum Christo regnare non meruit, cum Diabolo ab que dubitatione vlla peribit.

Contra Pelag.hypogn.l.5 to.7. Primum locum fides Catholicorum, diuina authoritate, regnum credit esse cœlorum. Secundum, Gehennam. Tertium penitus ignoramus, imò nec in Scripturis sanctis inueniemus.

Hom 5. tom 10. Quum de hoc seculo transierimus, nulla satisfactio remanebit.

Lib.14. de Trin. cap 17. Tenentem Mediatoris fidem, quum huius vitæ vltimus dies compererit, perducendus ad Deum quem coluit & ab eo perficiendus, excipietur ab Angelis sanctis non ad pœnam, sed ad gloriam recepturus.

HIERONYMVS *in Psal.31.* Quod tegitur, non videtur: quod non videtur, non imputatur: quod non imputatur, nec punietur.

In Epist.ad Galatas lib 1 cap.2 tom.9. Ad syllogismi particulam quæ hîc proponitur: Si per Legem iustitia, ergo Christus mortuus est gratis: debemus illud assumere quod consequenter infertur, & negari non potest: Christus autem non est gratis mortuus: & concludere. Non igitur per Legem iustitia.

Ibid. cap.6. Vtamur hoc Domini testimonio aduersus hæreticos qui diuersarum fingentes fabulas naturarum, aiunt: spiritualem esse bo-

nam

tuam arborem & nunquam malos afferre fructus. Apostolus dicit eos qui spirituales sunt, posse peccare.

In Ecclesiasten cap 7. tom.7. Opera nostra quia per corpus administrantur, aliquo semper errore commixta sunt.

In Prou. cap.20. Munditia & rectitudo qualis in hac vita iustorum esse potest?

In 4. cap. ad Rom Omnes qui credunt, sunt filij Abrahæ, dum illis Sola Fides ad iustitiam imputatur.

In Psalm.24. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo. Non propter mea merita, sed propter tuam misericordiam.

In 5. cap. ad Rom. Tractauit Paulus causam quare nemo ex operibus iustificatus sit: sed omnes ex fide, idque exemplo Abrahami probat.

Ad Demetriadem. Vbi gratia, non operum retributio, sed donantis est largitas.

Adversus Pelagianos lib.1. Hæc est hominis vera sapientia, imperfectum esse se nosse. Cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est.

Ibidem. Maria mater Domini Beatam se esse dicit, non proprio merito atque virtute, sed Dei in se habitantis clementia.

In epist. ad Gal. cap 2. Scientes quòd non possumus ex Legis opere, sed ex Christi faluari fide: credimus in Christum, vt quod Lex nobis non dederat, fides tribueret, quam habemus in Christo.

Ibid. Aiunt quidam: Si verum est hoc quod Apostolus affirmat, ex operibus legis neminem iustificari, sed ex fide Iesu Christi, Patriarchas & Prophetas & sanctos qui ante aduentum Christi fuerunt, imperfectos fuisse. Quos admonere debemus eos hic dici iustitiam non consecutos qui tantùm ex operibus iustificari posse se credunt: sanctos autem qui antiquitus fuerunt, ex fide Christi iustificatos: siquidem Abraham vidit diem Christi: Et Moyses maiores diuitias æstimauit, improperium Christi.

Lib.2. adversus Pelag. Apostolus manifestè ostendit, non in hominis merito, sed in Dei gratia esse Iustitiam, qui sine legis operibus, credentium suscipit fidem. A nullo lex est completa.

Ibid. Non dixit, Dedi eis Liberi Arbitrij potestatem, vt ipsi se suo labore saluarent. Sed ego custodiui eos, ego seruaui.

Dardano tom.3. Sanguis Christi clauis Paradisi.

In Esaiam 40. tomo 5. Cui dimittuntur peccata, solutione non indiget.

In Nahum. cap.1. Non vindicabit Dominus. Ergo qui puniti sunt, postea non punientur. Si autem illi postea punientur, Scriptura mentitur, quod dicere nefas est.

In Cantic. Abacuc. Ego autem in Domino, id est, non in mea Iustitia, sed in fide diuinæ protectionis gloriabor, & exultabo in Salutari meo: quia in illo, salutare meum pono.

In Psalm. 105. tomo 8. In inferno quis confitebitur Domino. Nemo est enim qui possit in inferno agere pœnitentiam. Dum estis in hoc seculo, hortor vos agere pœnitentiam. Confitemini ergo Domino, quoniam in isto tantùm seculo misericors est. Ibi iudex est, non est misericors. Hîc misericors est, ibi iudex est. Hîc porrigit manum cadenti, ibi sedet iudex.

In Psalm.106. Sanguinem suum fudit Dominus, quasi oleum misericordiæ, & per ipsum nos liberauit.

Adversus Pelagianos lib.2. Si non quod volumus facimus, sed quod nolumus illud operamur, quòmodo dicitis, posse hominem sine peccato esse, si velit? Ecce Apostolus, omnésque credentes, quod volunt implere non possunt.

In Psal.67. Infirmata est lex: quoniam nemo potuit implere eam, nisi Dominus qui dixit, Non veni soluere Legem, sed adimplere.

In Esaiam cap.53. Despectus erat & ignobilis quando pendebat in cruce, & factus pro nobis maledictum, peccata nostra portabat & loquebatur Patri, Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?

Paulò pòst. Perspicuum est, sicut corpus eius flagellatum atque laceratum, signa iniuriæ in vibicibus ac liuore portabat: ita & animam verè doluisse pro nobis, ne ex parte veritas, & ex parte mendacium credatur in Christo.

IVSTINVS Martyr in Tryphone alloquens Iudæos: Sabbatum azymis non vescentes, existimatis vos implere Legem Dei. In his non est quod Deo placet, &c. Ad abluenda peccata Esaias nō mittit ad balneum. Ipsius maris aqua non satis est ad abluenda delicta: neque sanguine ouium, &c. purgantur peccata: ἀλλὰ πίστει διὰ τοῦ αἵματος τοῦ χριστοῦ καὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ὃς διὰ τοῦτο ἀπέθανεν: *hoc est*, sed fide per sanguinem Christi & per mortem eius, qui propterea mortuus est, vt ipse Esaias dixit, &c.

BASILIVS *In Psalm.7.* Mos est Scripturæ, vt ἀνταπόδοσιν ponat pro δόσιν, retributionem pro dono. Sic & *Retribue* ponitur in Scriptura pro *Da*.

Homil. de humil. Homo agnoscat se vera

destitui iustitia: verùm sola in Christum fide iustificatum esse, πιστεῦσαι τῷ εἰς χριστὸν δικαιοῦσθαι.

Hom.29. Quid est nostra iustitia? audi: Beati quorum sunt remissæ iniquitates.

In Moral reg.1. cap.2. & 5. & reg. breu. interr. 10.13. Tempus huius vitæ, pœnitentiæ tempus est: vbi de hac vita migrauerimus, nobis benefaciendi facultas præcisa est.

CYRILLVS *in Ioan lib.12. cap.36.* Credere debemus, quum animæ à corporibus piorum abierint non in terris conuersari, nec vt peccatorum animas ad inferos deferri: sed in manus Patris euolare, itinere nobis hoc à Christo præparato: firmiter credentes in manibus Dei nos post mortem futuros.

Lib.4. in Ioan. cap.51. Ne putemus nos iustificari opere, ne gratiam Dei meritis nostris, sed fide affuturam nobis speremus: idcirco priusquam leges & disciplinam viuendi poneret, statim cum fide futurorum bonorum gratiam posuit.

Lib.11. cap.25. Pro nobis Christus se sanctificauit: obtulit enim seipsum Deo Patri, vt sanctam hostiam, mundum ei reconcilians. Spiritus Sanctus est qui nos Deo coniungit. Propter nos seipsum sanctificat, vt ab eo ad nos sanctificatione redundante, ipso sanctificeemur in veritate, id est in S. Spiritu.

Lib.12. c.17. Quemadmodum mors Christi, qui morti non subiiciebatur, ad destruendam omnium mortem suffecit: sic intelligere ac credere oportet flagella ac dedecora Dominum pertulisse, vt à talibus nos eriperet.

In Leuit. lib. 4. Hic mors pro vindicta datur. Apud iustum iudicem Deum, non bis in idipsum vindicatur. Vbi autem non est soluta vindicta, peccatum manet illis æternis ignibus puniendum.

In Iulianum lib 9. cap.78 Iustificati gratis in eius gratia, sicut scriptum est, & gratiam, ne amplius esset memoria peccatorum, misericordiâ Dei assecuti sumus.

In Ioan. lib 3. cap 1. Fides Salutem affert, & gratia iustificat: mandata verò legis condemnant magis.

CHRYSOST. *in Matth hom.33 tom.2.* Ille qui dicebat Matth.19. Ista omnia seruaui: non interrogat, quid credat, aut quomodo, sed quid faciendo vitam æternam possideat. Quia omnis spes salutis apud Iudæos in operibus erat, non in fide.

Homil. de anima, tomo 3. Nullus sine fide vitam habuit: & latronem sola fides saluum fecit. Opera per se nullum vnquam iustificarunt. Vt lucerna non quidem ex oleo accenditur, sed per oleum nutritur: ita fides non quidem ex operibus nascitur, sed per opera enutritur. Fides per seipsam plena est bonis operibus. Ante opera fides primùm inducenda est. Fidelem absque operibus possum monstrare, nempe latronem. Nullus sine fide vitam habuit. Non poterant opera saluare. Oportet & ante opera lucere fidem, & fidei pedissequas esse opera. Quamprimum credideris, simul & operibus ornatus eris.

In Ep ad Gal. hom 3. In fide viuo: hoc est per fidem, quam habeo in ipso viuo. Si mortuus est Christus, clarum est, legem non posse iustificare.

In Epist ad Rom. hom.2. Non sudoribus & laboribus illam comparabis, sed ex diuinæ gratiæ dono gratis vt accipias oportet, vnum hoc solùm de tuo afferens, vt credas.

Cap. 4. Quòd aliquis destitutus operibus iustificatur per Fidem, fortasse videri potest bene se habere: quòd autem ornatus aliquis virtutibus & bonis operibus, non tamen illis iustificetur, sed SOLA fide, hoc certè est admirabile.

In Epist. ad Rom. hom.5. & hom. 17. Quòd si Lex iustificat, superuacanea est Christi mors.

Ibid. Paulus demonstrat, eum qui sola fide nititur, benedictum esse.

Ibid. Quid enim Lex vult? Hominem iustum facere. Sed non potest: nemo siquidem illam impleuit.

Paulò pòst. Moses ostendit nobis eam, quæ ex Lege est, iustitiam, qualis illa sit & vnde constet: nimirum vt quæ mandata sunt adimpleantur. Qui fecerit ea, inquit, viuet in illis. Neque enim aliàs licet in iure iustificari, nisi eum qui cuncta adimpleuerit. Id verò nemini dum possibile, factum est.

In Epist. ad Gal. Pseudoapostoli dicebant: Qui sola Fide nititur, execrabilis est. Paulus demonstrat, qui SOLA fide nititur benedictum esse.

In Epist ad Rom. hom.5. & hom.17. Quodnam erat Legis opus? vt iustificaret hominem. Verùm hoc præstare non potuit: omnes enim peccauerunt. Ac simulac quis credidit, iustificatus est. Lex vult hominem iustificare, sed non potest. Nemo siquidem illam impleuit. Sed hunc finem Christus est assecutus: si illi credideris. Non licet in Lege iustificari, nisi qui cuncta adimpleuerit. Id verò nemini possibile est. Sic Homil.2. & hom.12. ad Roman.

In Genesin hom.5. tom.1. Neque enim qui in præsenti vita peccata non abluerit, postea aliquam consolationem ille inuenturus est. Hoc enim

enim eſt tempus conflictionum & certaminum: illud verò coronarum, retributionum & præmiorum.

Homil. de Lazaro. Qui in præſenti vita peccata non abluerit, poſtea conſolationem aliquam inuenturus non eſt.

In Matth. homil.11. Si abſque vlla ambiguitate credideris, nec videbis illud incendium.

Hom.4. Nullus illuc vadens, eorum valebit peccatorum effugere tormenta, à quibus non fuit hîc abſolutus. Hîc & ignis & dolor eſt, ibi verò requies.

Hom.27. in Ioan. Duas nobis vias Deus conſtituit: præſentem in certamen poſuit: futuram in certaminis præmium.

In Pſal 84. Hîc vita tenetur aut amittitur.

In Epiſt. ad Heb. hom.11. Non dico tibi, vt te apud alios accuſes: ſed ante Deum confitere peccata tua.

In 1. ad Cor. hom.41. Ne lex peccatum confirmaret, Chriſtus illam vniuerſam impleuit.

In 2. ad Cor hom.11. Dei eſt iſta iuſtitia: quando non ex operibus, quando neceſſarium eſt etiam nullam maculam inueniri: ſed à gratia iuſtificatio fit, Deo totum præſtante.

In Eph. ad Eph. hom 4. Nemo ex operibus iuſtificatus eſt, vt hoc pacto gratia & benignitas Dei conſpicua fieret.

In 1. ad Tim. hom.5. Fides abſque operibus mortua eſt: multò magis abſque fide, nihil proderunt opera.

De confeſſ. & pœnit. Solus Deus videat te confitentem. Non dico vt confitearis conſeruo tuo, vt exprobret: dicito Deo, qui curat.

In Pſalm.12. Licet Dauid innumerabilia à ſe benefacta poſſet dicere, ad ſolam Dei miſericordiam confugit.

In Matth. hom.13. Qui dicebat omnia iſta ſeruaui, Matth.19 non interrogabat quid credat, aut quomodo: ſed quid faciendo vitam poſſideat, quia ſpes ſalutis apud Iudæos in operibus erat, non in fide.

Ibid. hom 75. Quum illuc abierimus, nihil ad ſatisfaciendum nobis relinquitur.

Hom. de fide. Nullus ſine fide vitam habuit, & latronem Sola Fides ſaluum fecit.

In Epiſt. ad Col cap.1. Διὰ τί κλῆρον καλεῖ; δηλῶν ὅτι οὐδεὶς ἀπὸ κατορθωμάτων οἰκείων βασιλείας τυγχάνει, ἀλλ' ὥσπερ ὁ κλῆρος. ἐπιτυχίας μόνον ἐστί.

In 1 ad Tim. hom.2. Quum legis deſtinatio ſit, iuſtificare hominem: neque id poſſit, ad eum tranſmittere ſtudet, qui poteſt. Alio item modo vtimur Lege legitimè: quum ſcilicet eam magna intentione ſeruamus.

In Pſalm.7. Qui fit vt Dauid alibi dicat, Ne ingrediaris in iudicium cum ſeruo tuo: hîc verò, Iudica me ſecundùm iuſtitiam meam? Quia hoc aliud, & illud aliud? Illic ſignificat ne meam vitam cum tuis beneficiis examines: hîc verò non vult cum Deo in iudicio contendere, ſed ſe cùm Iuſtitiam hîc dicit, non affeciſſe aliquem iniuria: idem ſignificat quod ſecundùm innocentiam meam.

In Pſal.50. Ad miſericordiam, inquit, confugio, ad communem peccantium portum. Vides & iuſtum miſericordia ſaluatum. Vbi miſericordia pœnę locus non eſt. Quid contulit Deus ſaluti latronis? Remiſſionem peccatorum. Quid verò intulit latro? Confeſſionis fidem grandem, excelſam, cœlum tangentem.

Adverſus Iudæos orat.4. Non ex benefactis, nec ex laboribus, nec compenſatione, ſed ex ſola gratia iuſtificauit genus noſtrum: iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti, non per vllum aut laborem, aut dolorem.

Homil 4 in 2. ad Theſſal. cap.2. Salutis noſtræ ſumma nuſquam dependet ab operibus, nuſquam à rectè factis, ſed per fidem veritatis. Vide homil.17. in Matth. tom.2. cap.101.

Athanasivs *in paſſ. Saluat.* Filius Dei humanitate noſtra indutus, ſeſe obtulit Patri, vt ipſe pœnam ſuſtineret, hominem à pœna liberum faceret.

Ad Galat.3. Nunc planè demonſtrat, Fidem ipſam vel Solam Iuſtificandi vim habere.

Lactantivs *lib 6. Inſtit. cap.3.* Duæ ſunt viæ, Conſtantine Imperator, per quas humanam vitam progredi neceſſe eſt, vna, quæ in cœlum ferat: altera, quæ ad inferos deprimat.

Hilarivs *lib.9. de Trinit.* Iuuenis inſolens, per obſeruantiam Legis, & finem Legis qui Chriſtus eſt, neſciens: & iuſtificatum ſe in operibus exiſtimans, & non intelligens veniſſe eum ad oues perditas domus Iſrael, & impoſſibile eſſe Legi, per fidem iuſtificationis ſaluare credentes, magiſtrum interrogat, Dominum legis. Deteſtatus itaque Dominus hanc de ſe irreligioſæ fidei profeſſionem, reſpondit, Si vis perfectus eſſe, abi & vende, &c. Matth.19.

In Matth. c 5. & 9. Sola fides iuſtificat.

In Matth. cap.20. Quid Iudæo tam ſine effectu videtur quàm vt ab homine magis Salutem expectet quàm ex Lege? quàm vt in crucis ſcandalo, Legiſlatio, & Teſtamentum, & adoptio, & hæreditas negligatur? Quid autem Dei virtuti tam poſſibile eſt, quàm vt per fidem ſaluet? vt per quam regeneret? vt per crucem vincat? vt per Euangelia adoptet? vt per reſurrectionem ex morte viuificet?

*De Trin lib.*10. Quamuis ſit vulneratus, non tamen iniquitatis ſuæ vulnus eſt: & quicquid patitur, non ſibi patitur. Pro nobis caro factus eſt.

NYSSENVS *lib. de Beat.* Quum Dominus ait, Beati qui eſuriunt Iuſtitiam, ſeipſum audientium appetitui proponit: qui factus eſt nobis iuſtitia, ſanctificatio panis de cœlo, & aqua viuens. Illa vera virtus eſt: bonum quòd cum malo permixtum non eſt.

Lib. de dorm. Soli infideles ſolent viuendi ſpem præſenti vita circumſcribere, atque idcirco mortem pro calamitate ducunt: quoniam id quod nobis perſuaſum eſt, non ſperant. Nos verò qui magno reſurrectionis ex mortuis fidei iuſſori ipſi Domino credidimus, indubitatam bonorum ſpem habemus.

Orat.2. in Cant. cantic. Chriſtus in ſe tranſlatis peccatorum meorum ſordibus, puritatem ſuam mecum communicauit, méque pulchritudinis eius quæ in ipſo eſt, participem fecit poſtquam ex deformi primùm me amabilem reddidit, ita deinde amore complexus eſt.

CLEMENS *Alex Strom. lib.*5. Neque eſt cognitio ſine fide, nec fides ſine cognitione.

TERTVLL. *De Reſur. car.* Fiducia Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum. Apoſtolus interiorem hominem, non tam animam, quàm mentem atque animum intelligit, id eſt, non ſubſtantiam ipſam.

*Adu. Marcion. lib.*3. Totum Chriſtiani nominis & pondus & fructus, Mors Chriſti.

De Baptiſmo. Exempto Reatu, eximitur & Pœna.

IRENÆVS *lib.*3. *cap.*5. Ieſus Chriſtus redemit nos de Apoſtaſia ſanguine ſuo: vt eſſemus & nos populus ſanctificatus de cœlis deſcenſurus Lapis ſummus angularis vniuit Circonciſionem, & præputium, dilatans Iaphet, conſtituens eum in domo Sem.

*Lib.*4 *c.*13. Fides quæ eſt ad Deum iuſtificat hominem. Nos eandem fidem accipimus, quam habuit Abraham.

Lib 4 *c.*37. Ieſus Chriſtus in hominibus factus eſt vt coniungeret finem principio: id eſt, hominem Deo.

*Lib.*5. Homo per fidem inſertus, & aſſumens Spiritum Dei, ſubſtantiam quidem carnis non amittit, qualitatem autem immutat, & aliud accipit vocabulum, ſignificans illam quæ in melius eſt tranſmutationem: iam non caro & ſanguis, ſed homo Spiritualis exiſtens dicitur. Homo non aſſumens per fidem Spiritus inſertionem, perſeuerat hoc eſſe quod erat ante: Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidens. Aliud eſt afflatus vitæ qui animalem efficit hominem: & aliud Spiritus viuificationis, qui & Spiritalem efficit eum.

Item lib 5. *eodem.* Quomodo rectè remiſſa ſunt peccata, niſi ille ipſe in quem peccauimus, donauit Remiſſionem per viſcera miſericordiæ Dei in quibus viſitauit nos per Filium ſuum, quemadmodum per Lignum facti ſumus debitores Dei, per Lignum accipiamus noſtri debiti remiſſionem.

*Lib.*2. *cap.*39. Dominus venit omnes per ſemetipſum ſaluare: omnes, inquam, qui per eum renaſcuntur in Deum.

*Lib.*4. *c.*38. Vna & eadem Abrahami & noſtra fides: illo quidem credente futuris, quaſi iam factis propter repromiſſionem Dei: nobis quoque ſimiliter per fidem ſpeculantibus eam quæ eſt in regno hæreditatem, propter repromiſſionem Dei.

*Lib.*5. *cap.*2. Proprio ſanguine redimente nos Domino & dante animam pro noſtris animabus, & corpore ſuo pro noſtris corporibus.

EPIPHAN. *In Anchorato*, Chriſtus factus eſt mihi iuſtitia: quoniam peccata diſſoluit: ſanctificatio, quia me liberauit. Redemptio autem eſt ſanguis eius.

*In hær.*59. *tom.*1. *l.*2. In futuro ſeculo poſt hominis mortem, non eleemoſynæ oſtentatio, neque pœnitentiæ ſuppeditatio. Obſignata ſunt promptuaria & impletum eſt tempus, & certamen perfectum eſt, & euacuatum eſt ſtadium, & coronæ datæ ſunt: & qui decertarunt, quieſcunt: & qui in ſtadio victi ſunt, eiecti ſunt: & omnia palàm conſummata ſunt, poſt factum hinc diſceſſum. Quum autem adhuc ſunt omnes in certamine, etiam poſt caſum, eſt reſurrectio adhuc ſpes, adhuc medela.

Hæreſi 75. Hi qui diſceſſerunt viuunt, & ſunt apud Dominum.

Hæreſi 29. Chriſtus completor legis, legem impleuit & maledictionem abſtulit, contra Legis tranſgreſſionem decretam.

*In Hæreſin.*59. *lib* 2 *tom.*1. Neque pietatis neque pœnitentiæ ſuppeditatio eſt poſt mortem. Neque enim Lazarus venit ad diuitem, neque diues ad Lazarum.

In Anchorato. Mediator Dei & hominum Chriſtus: quoniam in medio vtrorumque eſt.

CYPRIANVS *ad Demetrianum.* Quando iſtinc exceſſum fuerit, nullus iam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus. Hîc vita amittitur aut tenetur. Hîc ſaluti æternæ cultu Dei & fructu prouidetur. In iſto adhuc mun-

mundo manenti pœnitentia nulla sera est. Patet ad indulgentiam Dei aditus: & quærentibus veritatem facilis accessus est. Ad immortalitatem sub ipsa morte transitur. Hanc gratiam Christus impertit, hoc munus misericordiæ suæ tribuit, subigendo mortem trophæo crucis, redimendo credentem pretio sanguinis sui, reconciliando hominem Deo Patri, viuificando mortalem regeneratione cœlesti. Hic ad cœlorum regna perducit: cum ipso semper viuemus, facti per ipsum Filij Dei. Erimus Christiani cum Christo simul gloriosi.

De Opere & Eleemosyna. Nobis Pater Filium suum misit vt reparare nos posset. Filius missus, esse hominis filius voluit: vt nos Dei filios faceret: vulneratus est, vt vulnera nostra sanaret: seruiuit, vt ad libertatem seruientes extraheret. Mori sustinuit, vt immortalitatem mortalibus exhiberet.

De Lapsis Solus ille veniam peccatis, quæ in ipsum commissa sunt, potest largiri quem Deus tradidit pro peccatis nostris.

Apud Eusebium lib. 10. c. 4. *in oratione cuiusdam eximij viri, Tyri recitata.* Christus nos assumpsit, non ἡμιθνῆτας tantùm, *hoc est* dimidia ex parte mortuos in peccatis, sed prorsus μυσαροὺς abominabiles & perditos nos seruauit. Magnum est vt vnicum altare, bonæ fragrantiæ incensum Christus.

De Orat. Dominica. Homo nouus renatus & per eius gratiam Deo suo restitutus: Pater primo loco dicit: Quia filius esse iam cœpit. Confugimus & dicimus Pater noster, id est eorum qui credunt, eorum qui per eum sanctificati, & gratiæ spiritalis natiuitati reparati, filij esse cœperunt.

Bernardvs *Serm.* 2. *nat. Dom.* Mandauit vt præcepta custodiremus, vt videntes imperfectionem nostram deficere, & non posse implere quod debet, confugiamus ad misericordiam.

In Epiph. Dom. serm. 2. Videte quàm sit oculata fides, quàm lynceos oculos habeat: cognoscit Dei Filium lactantem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem.

Domin. serm. 1. Aliena lauit aqua, quos culpa inquinauerat aliena: nec tamen sic alienam dixerim, vt negem nostram, alioquin nec inquinaret: sed aliena est, quia in Adam omnes peccauimus: nostra, quia & nos peccauimus. Etsi peccauimus in alio, & nobis iusto Dei iudicio imputabatur, licet occulto. Nec tamen, ô homo, causeris contra inobedientiam Adæ, datur tibi Obedientia Christi.

Serm. 4. *in feria hebd.* Venisti iustificare gratis peccatores: seruos, facere fratres: captiuos, cohæredes: exules, reges. Dixit, Consummatum est. Nihil restat implendum: iam non est quod expectem.

Ibid. Per Christum qui fecit se peccatum, omne peccatum tam originale quam personale deletum est: & ipsum quoque singulare eliminatum. Vincéntne miseriæ misericordias: an misericordiæ miserias superabunt? Non solùm formam serui accepit, vt subesset: sed etiam mali serui, vt vapularet, & serui peccati, vt pœnam solueret, quum culpam non haberet. Adam nobis reliquerat duo laborem in actione, dolorem in passione, &c. Vtrumque Christus pro nobis pertulit.

Serm. 2. *de Resur.* Per fidem Christus habitat in cordibus nostris. Fidei vitam opera attestantur.

In Psalm. 91. *serm.* 9. Prætendat alter meritum: mihi spem in Deo ponere bonum est. Dominus saluabit eos, quibus meritis? Audi quod sequitur. Quoniam sperauerunt in eo: Nimirum hæc est iustitia, sed quæ ex fide est, non ex Lege.

In Ps. 91. *serm.* 10. Dicit fides, parata sunt magna bona fidelibus: dicit spes, mihi illa seruantur: dicit charitas, curro ad ea.

Serm. 15. Hoc totum hominis meritum, si totam spem suam ponat in eo qui totum hominem saluum fecit.

Ibidem. Hic fructus notitiæ Dei, clamor orationis: porrò fructus clamoris, exauditio Saluatoris. Cor sponsæ non est in vigilibus, sed in Domino fiduciam habens. Minus vigilanter id obseruarant Corinthij, quum offensis quasi vigilibus secederent: ego quidem Cephæ, &c. Quoniam in me sperauit, liberabo eum. Non in vigilibus, non in homine, non in Angelo sed in me, inquit, sperauit, nihil boni nisi ex me. Custodia non modò ex me, verumetiam per me fiat necesse est.

Serm 3. *ad fratres.* Non te terreat sanctitatis nomen: quando non secundùm meritum, sed secundùm propositum: non secundùm affectionem, sed secundùm intentionem, sanctos vocat, &c.

In festo sanct. Sed quid potest esse iustitia nostra coram Deo? nonne iuxta Prophetam, velut pannus menstruatus reputabitur, & si districtè iudicetur, iniusta inuenietur omnis iustitia nostra. Quid ergo de peccatis erit, quando ne ipsa quidem per se poterit respondere iustitia? ergo cum Propheta clamantes, non intres in iudiciũ, &c. tota humilitate ad misericordiam recurramus, quæ sola potest saluare animas nostras.

De sepulchro ad milites templi, Deus-homo suscipiens pœnam, & nesciens culpam, dum sponte & tantùm in corpore moritur,& vitam nobis & iustitiam promeretur. Alioquin si corporaliter non pateretur, debitum non solvisset: si non voluntate moreretur, meritum mors illa non habuisset. Nunc autem mortis meritum, peccatum est, & peccati debitum, mors. Christo remittente peccatum,& moriente pro peccatoribus, profectò iam nullum est meritum,& solutum est debitum. Potest autem, quia Deus, &c. Sic mortua morte, reuertitur vita: quemadmodum ablato peccato redit iustitia. Porrò mors in Christi morte fugatur, & Christi iustitia nobis IMPVTATVR. Verùm quomodo mori potuit qui Deus erat? Quoniam nimirum & homo erat,&c. Sed quomodo mors hominis illius pro altero valuit? Quia & iustus erat: quantò indigniùs moritur qui mortem non meruerat, tantò is iustiùs pro quo moritur, viuit. Sed quæ, inquis, iustitia est, vt innocens moriatur pro impio? Non est iustitia, sed misericordia. Sicut per vnius delictum, &c. Quid enim? vnus peccauit, & omnes tenentur rei, & vnius innocentia soli reputabitur vni. Vnius peccatum omnibus operatum est mortem,& vnius iustitia vni vitam restituet. Adæ peccatum imputabitur mihi: & Christi iustitia non pertinebit ad me? Illiúsne inobedientia me perdidit, & huius obedientia non proderit mihi? &c. Sed Adæ, inquis, delictum omnes meritò contrahimus, in quo omnes quippe peccauimus? quoniam quum peccauit, in ipso eramus, & eius carne per carnis concupiscentiam geniti sumus. Atqui ex Deo multò germaniùs secundùm spiritum nascimur, quàm secundùm carnem ex Adam.

Ibid. Si in Adam morimur, cur non longè in Christo potentiùs viuificabimur? Denique non sicut delictum, ita & donum. Nam iudicium ex vno in condemnationem? gratia autem, ex multis delictis in iustificationem. Christus igitur & peccata dimittere potuit, quum Deus sit, & mori quum sit homo, & mortis moriendo soluere debitum, quia iustus: & omnibus VNVS ad iustitiam vitámque sufficere.

In Psal 91. serm. 14. Saluus factus es gratis, quòd ad te pertinet, & pro nihilo? sed quòd ad illum, planè non gratis, non de nihilo: Passus, &c.

In sent c 9. Tria sunt loca: cœlum, terra, infernus, & habent singuli habitatores suos. Cœlum, solos bonos: terra mixtos: infernus, solos malos.

Serm. 13. in cant. Gloriam meam alteri non dabo: quid ergo dabis nobis, Domine? Pacem do vobis. Sufficit mihi. Pacem volo, pacem desidero, & nihil amplius. Tu es pax nostra. Hoc mihi necessarium, hoc satis est: reconcilari tibi, reconciliari mihi. Tibi, Domine, maneat gloria illibata. Solus de hoste triumphauit, solus captiuos liberauit: solus & pugnauit & vicit.

In Cant. serm. 14. Qui iustitiam suam volunt constituere, quæ profectò non iustificat, sed accusat, eidem suæ iustitiæ relinquuntur opprimendi magis quàm iustificandi.

Ibid serm. 22. Iustitiæ tuæ tanta vbique fragrantia spargitur (ô Christe) vt non solùm iustus, sed etiam ipse dicaris iustitia, & iustitia iustificans, &c. Quamobrem quisquis pro peccatis compunctus esurit & sitit iustitiam, credat in te qui iustificas impium: & SOLAM iustificatus per fidem, pacem habebit ad Deum. Qui sunt iustificati à peccatis desiderant deliberantque sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Audiant te clamantem, Sancti estote.

Ibid. Illumina oculos meos, Domine, & sapiens sum: delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris, & iustus sum: deduc me, Domine, in via tua, & sanctus sum. Veruntamen nisi interpellet sanguis tuus pro me, saluus non sum. Non modò iustus, sed & beatus cui non imputabit Dominus peccatum.

Serm. 23. Sufficit mihi ad omnem iustitiam, solùm habere propitium cui soli peccaui. Omne quod mihi ipse non imputare decreuerit, sic est quasi non fuerit. Non peccare Dei iustitia est: hominis iustitia, indulgentia Dei.

Serm. 50. Deus mandando impossibilia, non præuaricatores homines fecit, sed humiles. Accipientes quippe mandatum & sentientes defectum, clamabimus in cœlum: & miserebitur nostri Deus. Et sciamus in illa die, quia non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, &c.

Serm. 61. Vbi requies, firmitas est & securitas, nisi in vulneribus Salvatoris? Tantò illic securior habito, quantò ille potentior est ad saluandum. Fremit mūdus, premit corpus. Diabolus insidiatur, non cado: fundatus enim sum supra firmam petram. Peccaui peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quum Domini vulnerum recordor: nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Meum proinde meritum miseratio Domini. Non sum planè meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit. In æternum cantabo: nunquid iustitias meas? Domine memorabor tuæ iustitiæ solius. Ipsa est enim & mea. Nempe factus es mihi tu iustitia à Deo. Nunquid mihi verendum est, ne non vna ambobus sufficiat? Non est pallium breue, quod non possit operire duos.

duos. Iustitia tua, iustitia in æternum: & te & me pariter operiet largiter larga & æterna iustitia I[illegible] me operiet multitudinem peccatorum.

Serm.67. Non est quò gratia intret, vbi iam meritum occupauit. Deest gratiæ quicquid meritis deputas.

Serm.68. Nemo renatorum infantium caret meritis, seu Christi habet merita.

Epist.190. contra Abailardum. Ille definit fidem, æstimationem. Sic fides fluctuat, inanis est, & spes nostra, &c. qui illud dicit, Spiritum Sanctum nondum accepit. Melius Augustinus: fides non coniectando aut opinando habetur in corde in quo est ab eo cuius est: sed certa scientia, acclamante conscientia. Est substantia rerum sperandarum, non phantasia coniecturarum. Nomine substantiæ aliquid tibi certum fixúmque præfigitur. Fides igitur non est æstimatio, sed certitudo.

Ibid. Assignata est homini aliena iustitia qui caruit sua. Homo qui debuit, homo qui soluit. satisfactio vnius omnibus IMPVTATVR; sicut omnium peccata ille vnus portauit: nec alter inuenietur qui forefecit, alter qui satisfecit. Satisfecit ergo caput pro membris, Colos.2. &c. Cur non aliunde iustitia, quum aliunde sit reatus? An peccatum in semine peccatoris, & non iustitia in Christi sanguine? Sicut in Adam moriuntur, ita in Christo viuificabuntur. Illi per carnem attineo: & per fidem huic. Si generatio opponitur, regenerationem oppono: hæc spiritualis, illa carnalis. Non condemnabit iustum qui misertus est peccatoris. Iustum me dixerim, sed illius iustitia. Quænam ipsa? finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Denique qui factus est nobis iustitia à Deo Patre. Quæ ergo mihi facta est iustitia, mea non est? Hæc est iustitia hominis in sanguine redemptoris: quam euacuat Abailardus, vt totum quod Dominus gloriæ semetipsum exinaniuit, quod passus &c. ad id solùm disputet redigendum, vt traderet hominibus formam vitæ viuendo & docendo, &c. Vbi reconciliatio, ibi remissio peccatorum, nempe in Christi sanguine.

1.Cor.11. Nouum Testamentum in meo sanguine, &c. At iste, redemptionem nostram, non in virtute crucis, non in pretio sanguinis, sed in nostræ constituit conuersationis profectibus. Ergo paruuli non habent redemptionem, &c. At mihi in cruce Domini est salus, vita & resurrectio nostra. Ipsam mortem quam pertulit, sustulit. Sic totis nisibus volo sequi Christum, tenere & manducare.

De cœn Dom. Impossibile est peccata etiam leuiora dilui, & cum eis salvari, nisi per Christum & à Christo.

Libro de gratia & Libero Arbitrio. Quis est qui ignorat Dei iustitiam? Qui seipsum iustificat: qui merita aliunde quàm à gratia præsumit. Merita donat qui fecit quibus donaret. Ea quæ dicimus nostra merita, spei sunt seminaria, charitatis incentiua, occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia. VIA REGNI, NON CAVSA REGNANDI.

CONFESSIONVM *fidei Ecclesiarum perpetuus in illo Articulo præcipuè Consensus, in superiore Syntagmate perspicuus, non est hîc ampliùs repetendus.*

Psal.100. *Ipse fecit nos, & non ipsi nos, populus eius.*

Psal.143. *Doce me, vt perficiam voluntatem tuam: quia tu es Deus meus, tuúsque spiritus bonus deducat me*

Psal.119. *Velamen detrahe ab oculis meis, vt inspiciam sapientiam legis tuæ. Inclina cor meum in testimonia tua, & viuifica me in via tua.*

Psal 51. *Cor mundum crea in me.*

Psal.95 *Nolite obdurare corda vestra: hodie si vocem eius audieritis.*

Sic Hebr.3 *Semper hi errant corde, non cognouerunt vias meas.*

Psal.141. *Ne declines cor meum in verba malitiæ*

1.Reg 8 58. *Sed inclinet corda nostra ad se vt ambulemus in vniuersis viis eius & custodiamus mandata eius, &c.*

2.Thess.3.5. *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei & patientia Christi.*

Ier.17 *Sana me, Domine, & sanabor.*

Ierem.32.39. *Et dabo eis cor vnum & viam vnam, vt timeant me vniuersis diebus, &c.*

Cap.31. *Conuerte me & conuertar.*

Cap.24. *Dabo eis cor vt sciant me.*

Thren. 5. *Conuerte nos, Domine, & conuertemur.*

Ezech.36 26 *Dabo vobis cor nouum. Spiritum meum nouum dabo, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo cor carneum, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis*

Rom 8 14. *Quicunque spiritu Dei aguntur ij sunt Filij Dei. Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Omnia cooperantur in bonum iis qui secundùm illius propositum vocati sunt. Nam quos præsciuit: prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui,*

Ioan.15 5. *Sine me nihil potestis facere.*

Matth 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi: sed Pater meus qui in cælis est.*

1 Cor.12.3 *Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu Sancto.*

Matth. 12 34 *Quomodo potestis bona loqui, quum sitis mali?* Ioan 6.44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.*

Ioan 6.65. *Propterea dixi vobis neminem posse venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.*

Ioan 8 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

Adde Ioan.1.5 9 10. & 3.5.6.8.19.27. & 4.14. & 6.37.39. & 7.38.39. & 8.12.24 32.34. & 10.14. 26.29. & 11.37.38.39.40. & 14.16.17.26. & 15.2. 4.6 16 & 16.13. & 17.9.

Eph.1. *Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ per cognitionem ipsius, illuminatis oculis mentis vestræ.*

Galat.5.16. *Spiritu incedite, & quod concupiscit caro ne perficite.*

Ioan.8.32.34. *Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Qui facit peccatum est seruus peccati*

Act.13 48. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.*

Ioan.1.13. *Dedit eis vt filij Dei fierent; qui non ex sanguine, sed ex Deo geniti sunt.*

1.Ioan.4. & 5. *Inde agnoscimus nos esse eius filios, ex spiritu quem dedit nobis.*

Philip.1.29. *Vobis datum est, vt credatis in eum quem ille misit.*

Iac.1 17. *Omne datum optimum & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.*

Ioan.3.3 19. *Homo non potest recipere, nisi fuerit datum ei è cælo.*

1.Cor.2.10. *Deus nobis ea reuelauit per Spiritum suum. Deus infatuauit sapientiam huius mundi.*

1.Ioan 4.9.10. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum vnigenitum misit in mundum, vt viuamus per eum. Non quòd nos dilexerimus Deum: sed quoniam ipse dilexit nos, & misit Filium suum, vt esset propitiatio pro peccatis nostris.*

Matth.13. Luc.8. *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum.*

Ephes.1.3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nobis in omni benedictione spirituali in Christo. Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius: qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ: in laudem gloriæ gratiæ suæ, qua nos gratis effecit sibi gratos in illo dilecto: in quo habemus redemptionem, per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, secundùm diuitias gratiæ eius.*

Act.16 14. *Dominus adaperuit cor eius, vt attenderet iis quæ dicebantur à Paulo.*

Philip.2 13. *Deus est qui in vobis operatur & velle & perficere pro gratuita sua beneuolentia.*

1.Cor.15.10. *Gratia Dei sum id quod sum.*

Hebr 13.21. *Deus perficiat vos in omni opere bono, vt faciatis eius voluntatem: efficiens in vobis quod acceptum sit in conspectu suo, per Iesum Christum.* Ephes.3. *Det vobis vt corroboremini in interiore homine.*

Rom.9. *Non omnes qui ex Israel, ij sunt Israelitæ. Filij promissionis censentur in semine. Non ex operibus, sed ex vocante. Num iniustitia apud Deum? absit. Tu quis es qui respondeas Deo? Volens ostendere iram, & notam facere potentiam*

suam pertulit in multa patientia vasa iræ: vt ostenderet diuitias suas in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam: quos & vocauit.

Ioan.20 30. *Hæc autem scripta sunt vt credatis Iesum esse Christum, & vt credentes, vitam habeatis per nomen eius.*

Rom.8.5.29. *Quos Deus sciuit & prædestinauit, eos etiam vocauit, & quos vocauit, eos etiam glorificauit. Qui secundùm carnem sunt, quæ sunt carnis sapiunt: qui verò secundùm spiritum sunt, quæ sunt Spiritus sentiunt.*

2.Tim.1.9. *Dominus noster seruauit nos, & vocauit nos vocatione sancta: non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam quæ data est nobis à Christo.*

Ioan.17. *Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi.*

Matth.20 16. *Multi sunt vocati, pauci electi,*

Rom.10. *Non omnes obediunt Euangelio.*

Luc.10. *Gaudete quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.*

Leuit.2.11 *Custodite omnia quæ scripsi vobis.*

Deut.28. *Facies omnia verba Legis huius.*

Ios.1. *Facies omnia quæ scripta sunt in hoc libro.*

Deut.29.29. *Abscondita, Domino Deo nostro: Quæ manifesta sunt, nobis & filiis nostris vsque in sempiternum, vt faciamus verba Legis huius.* adde & vers 4.& cap.30 6.

Rom.6. *Delector lege Dei, quòd ad interiorem hominem sed video aliam legem in membris meis rebellantem.*

1.Petr.3. *Benedictus Deus Pater Domini nostri Iesu Christi qui ex multa misericordia sua, regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi.*

Act.15. *Fide purgans corda eorum.*

Rom.6. *Liberati à peccato, serui estis iustitiæ.*

Galat.4 6. *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem Abba Pater. Itaque non ampliùs es seruus, sed filius. Quòd si filius, etiam hæres Dei per Christum.*

Ioan.16.28. *Vos non creditis: non enim estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, nemo rapiet eas ex manu mea.* Ioan.16.13. *Spiritus veritatis vos deducet in omnem veritatem.*

2.Cor.1.21. *Qui vnxit nos Deus est, qui etiam obsignauit nos, deditque arrhabonem Spiritus in cordibus vestris.*

1.Ioan.5. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in seipso. Spiritus is est qui testatur veritatem.*

Ioann.14. *Vos cognoscitis Spiritum veritatis, quia apud vos manet: & in vobis erit.*

Ioan.3.11. *Vitam æternam nobis dedit Deus & hæc vita est in Filio eius.*

Hebr.11.6. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Matth 23.27. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quoniam similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum: ita & vos quidem apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.*

Ioan.15.45. *Manete in me, & ego in vobis Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite: ita nec vos nisi in me manseritis.*

Galat.2.20. *Viuo autem, non ampliùs ego: sed viuit in me Christus. & vitam quam nunc viuo in carne, viuo per fidem Filij Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.*

Esa.26.12. *Omnia opera nostra operatus es in nobis.*

Add.& Esa.6.9.& 8 16.18.& 10 22. & 29.10. & 42.6.7.& 43.11. & 45 8.9.11.& 65.1.

Ierem. 6. 10. 30. & 7 10 26. & 8. 5. 6. 7. & 13 23. & 18.6. & 29.13.14. & 31.18 33.34. & 32. 39 40.

2 Cor.4.13. *Habemus spiritum fidei secundùm illud quod scriptum est Credidi & ideo loquutus sum: Nos quoque credimus: quamobrem etiam loquimur.*

1.Ioan.5 *Quisquis credit Iesum esse Christum, ex Deo natus.*

CAPVT SECVNDVM.

CHRYSOSTOMVS *in Gen. hom. 29. tom. 1.* Peccatum vbi intrauit, libertatem perdidit, & corrupit potestatem naturæ datam, seruitutemque introduxit.

De Moyse hom.1. Optat dare qui præcepit petere: beneficia ingerit, qui poscendi hortamenta exprimit: cupit largiri, qui desiderat postulari: ille suadet, qui præstat: ille hortatur, qui donat. Deus tibi & fiduciam petendi tribuit, & voluntatem dandi se habere ostendit.

Hom. de Adam. tom.1. Ex vasis iræ, Deus facit vasa misericordiæ. Deum profiteamur auctorem, per quem fit vt aliquid boni & velle inueniamur & facere. Tanta est erga nos bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Agit in nobis, vt quod vult, & nos velimus & agamus. Nec otiosa esse in nobis patiatur quæ exercenda non negligenda donauit.

In Psal,

*In Psalm.*118. Qui estis boni, assignate illud dono Dei, & nolite vobis assumere quod donatum est vobis, ne perdatis quod habetis, & dicat vobis Veritas: Quid habetis quod non accepistis?

*In Matth.homil.*33.*tom.*2. Ethnici, etsi bona opera faciebant, tamen quia propter Deum, non faciebant, sed propter existimationem humanam, vel quia bonum est bonum, vel propter conuersationem carnalem, ne dissiparentur: non vera bona opera erant.

*In Acta hom.*1. Vt qui purpuram tingunt, priùs aliis coloribus præparant: ita Deus animi sollicitudinem præparat, deinde gratiam, infundit.

*Hom.*12. *in* 1.*ad Cor.* Quid habes quod non acceperis? si accepisti, à Deo accepisti: si à Deo, non tuum accepisti: si non tuum, cur insolescis?

*In epist.ad Rom.hom.*29. Vide quomodo instet Apostolus, vt omnia Dei esse ostendat, omnia euenisse gratia, nihil sui ipsius.

*In Acta hom.*40. *tom.*3. Nihil nostrum esse putemus: quandoquidem & ipsa fides non est nostrum opus. Quod autem non sit nostrum, sed Dei: audi Apostolum dicentem, Etiam hoc non ex nobis, Dei donum est.

Hieron. *in Prou.*16. Quicunque tribuit sibi bonum quod facit, etiamsi nihil mali videtur manibus operari, iam cordis innocentiam perdidit, in quo se largitori bonorum prætulit: & ideo talem conditor suus abominatur vt reum.

*In Prou. cap.*20. Quicunque gressus rectum iter incedunt, non fit hoc libertate humani arbitrij, sed gubernatione illius, cui dixit, Esaiæ c.26. omnia opera nostra bona operatus es in nobis.

*In Matth.*13. Deus operatur in nobis opera: (nam omnia opera nostra operatus es, Domine, ait Propheta) ea se nobis daturum secundùm beneplacitum voluntatis suæ: idque ex Dei gratuita munificentia & ex proposito gratiæ eius, non autem ex actu nostræ electionis.

Aduersus Pelagianos tomo 2. Audiant, eos Arbitrij destruere libertatem, qui malè eo abutuntur aduersùm beneficium Largitoris. An destruit Arbitrium ille qui semper Deo agit gratias & quodcunque in suo riuulo fluit ad fontem refert.

Ibid Iniuriam tibi fieri putas si ad Deum semper auctorem recurras, si ex illius pendeas voluntate: & dicas, Oculi mei semper ad Dominum.

Ibid. Facilia dicis esse Dei mandata, & tamen nullum proferre potes qui vniuersa compleuerit. Possibilia, inquis, mandata dedit Deus. Quomodo intelligenda sit hæc sententia, vas electionis apertissimè docet his verbis, Deus Filium suum mittens, condemnauit peccatum in carne. Zacharias & Elizabet dicuntur iusti, non quòd peccato careant, sed quod maiori virtutum parte commendantur.

Ibid. Abraham & Sara arguuntur in risu: & ipsa cogitatio quasi pars infidelitatis reprehenditur.

In 9. caput Ieremiæ. Omnis hominum aufertur superbia, dum & sapientia & fortitudo & opes eorum reputantur in nihilum: & ista est sola gloriatio, vt sciat & intelligat quòd ipse sit Dominus qui facit misericordiam & iudicium & iustitiam: quòd omnia Dei prouidentia gubernantur, & quæ nobis non videntur habere rationem iustitiæ plena sunt atque rationis. Hæc enim sola placent Deo, & in his voluntas illius est. Vbi sunt ergo qui dicunt hominem proprio posse regi arbitrio, & sic datam Liberi Arbitrij potestatem, vt Dei Misericordia tollatur atque Iustitia? Vnde & Apostolus sumens hoc testimonium, ponit exemplum, Qui gloriatur, in Domino glorietur.

*Rursus aduersus Pelagianos lib.*2. Non dixit Dominus, Dedi eis Liberi Arbitrij Potestatem, vt ipsi se suo labore saluarent: sed vt eos custodias à malo.

Ibid. Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere. Semper largitor, semper donator est. Non mihi sufficit quòd semel donauit nisi semper donauerit. Peto vt accipiam, & cùm accepero, rursus peto. Nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo. Hæc hominibus sola perfectio, si se imperfectos nouerint.

In Psal 89. Vbi sunt qui liberi Arbitrij sibi potestate plaudentes, in eo putant se Dei gratiam consecutos, si habeant potestatem faciendi vel non faciendi bona siue mala.

Super Oseam tomo 6. In paradyso omnes præuaricati sunt in Adamo, &c. Non enim mirum est si quod in parente præcessit etiam in filiis condemnetur.

*Hedibiæ quæst.*10. *tomo* 4. Electio Iacob atque abiectio Esau, non merita singulorum, sed voluntatem eligentis & abiicientis ostendit.

Ibid Sic & bonitas & clementia Dei, vasa iræ quæ apta sunt in interitum, id est, populum Israel indurat: vasa autem misericordiæ quæ præparauit in gloriam vocat, hoc est, nos.

Ambrosius *in epist. ad Rom. cap.*5. *tomo* 5. Manifestum est in Adam omnes peccasse, quasi in massa. Ex eo igitur cuncti peccatores, quia ex ipso sumus omnes. Beneficium perdidit,

dum præuaricauit.

De Iacob & beata vita, lib. 1. *c.* 5. Peccauimus omnes, os est obstructum omnibus. Profuit mihi, cœpi confiteri quod negabam: cœpi delictum meum agnoscere, & iniustitiam non operire: cœpi pronuntiare aduersus me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietates cordis mei.

De voc. gent lib. 1. *c.* 3 *tom.* 2. Omnes homines in primo homine sine vitio conditi: & omnes naturæ nostræ incolumitatem eiusdem hominis præuaricatione perdidimus. Inde tracta mortalitas, & non minor miseriarum multitudo quàm criminum. Fide perdita, spe relicta, intelligentia obcæcata, voluntate captiua, nemo in se vnde repararetur inuenit. Sine cultu veri Dei, etiam quod virtus videtur esse, peccatum est: nec placere vllus Deo, sine Deo potest. Qui verò Deo non placet, cui nisi sibi & diabolo placet? Quæ ergo natura erat bona, qualitate facta est mala. Homo non rediret, nisi Deus illum conuerteret.

Ibid. Quum igitur homo ad pietatem redit, non alia in eo creatur substantia, sed eadem quæ fuerat labefactata, reparatur: nec aliud ab eo aufertur, nisi vitium. Iudicium voluntatis deprauatum est, non ablatum. Gratia Saluatoris opus suum opere suo reparat.

Ib. Reconciliandos promisit, qui dixit: Propitius ero iniquitatibus eorum. Obedituros promisit, qui dixit: Dabo illis cor aliud, vt timeant me. Perseueraturos promisit, qui dixit: Timorem meum dabo in cor eorum.

Ibid. Quidam iustificabuntur fide, quidam autem sua impietate obdurabuntur. Plebs præscita, plebs non repulsa, ij sunt qui in Christo iustificati sunt. Non omnis Israel reprobatus, nec omnis electus est: sed partem cæcitas voluntaria auertit, partem sibi illuminatio gratuita reseruauit.

De voc. gent. lib. 1 *c.* 1. 3. 4. 5. inter defensores liberi Arbitrij, & prædicatores gratiæ Dei magna & difficilis dudum vertitur quæstio. Quæritur enim vtrùm velit Deus, omnes homines saluos fieri. Et quia hoc negari non potest, cur voluntas Omnipotentis non impleatur, inquiritur. Qùúmque hoc secundùm voluntates hominum fieri videatur, gratia videtur excludi: quæ si meritis redditur, constat eam non donum esse, sed debitum. Vnde iterum quæritur, cur hoc donum sine quo nemo saluus est, ab eo qui omnes saluari vult, non omnibus conferatur. Atque ita contrariarum disputationum nullus terminus reperitur: dum non discernitur quid manifestum, quid occultum sit.

Ibid. Nulli Deus nationi hominum bonitatis suæ dona substraxit: vnde & inexcusabiles facti sunt.

Ibid. Voluntas nihil habet in suis viribus, nisi periculi facilitatem. Quandiu homini placent quæ Deo displicent, voluntas eius est animalis. Hoc proprium & præcipuum piorum, vt in Domino glorientur: nec se nisi in Deo diligant. Bene enim se amant, qui in se Dei opera amant. Nam & Deus hoc amat in nobis quod ipse fecit: & hoc odit, quod ipse non fecit.

Ibidem, Quamuis magna pars hominum saluantis gratiam repellat, aut negligat: in electis tamen & præscitis atque ab omnium generalitate discretis, specialis quædam censetur vniuersalitas. Pro parte mundi, totus mundus, & pro parte hominum omnes homines nominantur, quorum tamen discretionem plerunque Scriptura citò aperit, vt sensus legentis ab vniuersitatis appellatione ad partem quæ intelligenda est transferatur.

Ibidem. Quòd si aliquos, sicut videmus accidere, saluantis gratia præterit, ad occulta diuinæ iustitiæ iudicia referendum, & agnoscendum est secreti huius profunditatem nobis in hac vita patere non posse. Nec sapientiores aut scientiores beatissimo Apostolo sumus, qui quum de gratiæ potentia disputaret, magnorum mysteriorum ingressus arcanum, exclamauit, ô altitudo diuitiarum sapientiæ Dei. Quomodo innumerabilis multitudo in sua infidelitate deficiens ad tempora saluandis promissa, non peruenit: vel quomodo tanta hominum millia promiscuæ ætatis & conditionis in omnibus nationibus quæ sunt sub cœlo, sine Christi iustificatione moriantur? &c. Sed horum mysteriorum iudiciorúmque causas pius & doctus magister maluit ad altitudinem diuitiarum sapientiæ Dei suspendere, quàm iustissimæ veritatis, & misericordissimæ bonitatis substractum ab humana cognitione secretum, temeraria inquisitione discutere: nihil omittens de iis quæ non oportet ignorari; nihil contrectans de iis quæ non licet sciri. Multa enim sunt in dispensatione operum diuinorum, quorum causis latentibus soli monstrantur effectus: vt quum pateat quod geritur, non pateat cur geratur: vt in eadem re & de inscrutabilibus præsumptio comprimatur, & de manifestis falsitas refutetur. Locus ille 1. Timoth. 2. sufficit ad euacuandum quod calumniosè objiciunt, & ad defendendum quod impiè diffitentur. Obsecro, inquit Apostolus, fieri obsecrationes pro omnibus, &c.

Ibid.

Ibid. Neque enim si nescio cur ille Græcus creetur, hic barbarus: iste in diuitiis, ille in egestate nascatur; iste in veritatis cunabulis nutriatur: ille cum ipso lacte matris hauriat virus erroris: si denique mille alias differentias in habitu corporum: in qualitatibus animarum: ideo quod omnium horum Deus sit conditor atque ordinator ignoro, vaniloqui has originales inæqualitates fatis qua nulla sunt & syderibus deputarunt.

Ibid. Liberatur pars hominum parte pereunte, & si hoc voluntatum Meritis velimus adscribere, vt malos neglexisse gratia, bonos autem elegisse dicatur: resistit nobis innumerabilium causa populorum, quibus per tot secula nulla cœlestis doctrinæ annuntiatio coruscauit. Sed cur illorum non misertus, & horum misertus sit Deus, quæ scientia comprehendere potest? Latet discretionis ista ratio, sed non latet ipsa discretio. Non intelligimus iudicantem, sed videmus operantem. Quid calumniamur Iustitiæ occultæ, qui gratias debemus Misericordiæ manifestæ? Laudemus & veneremur quod agitur: quia tutum est nescire quod tegitur. Neque hoc meritis voluntatum velimus adscribere. Indubitanter agnoscas esse gratuita Dei munera: & sicut nulla sunt tam detestanda facinora, quæ possint gratiæ donum arcere: ita nulla opera quibus hoc quod gratis tribuitur, per retributionis iudicium debeatur. Vilesceret enim sanguis Christi, &c. Siue Iudæus siue Græcus priusquam iustificetur per fidem Christi, conclusus est sub peccato. Ioan. 3. Ephes. 2. & 5. Tit. 3. &c.

Cap. 6. Isti qui nescire aliquid erubescunt, ad merita humanæ referunt voluntatis.

Ibid. cap 8. 9. Igitur fides quæ bonæ voluntatis & iustæ actionis est genitrix, quo ipsa fonte nascatur Apostolus Paulus exponit Roman. 1. Ephes. 5. Col. 1. 1. Thess. 1. &c. Potuitne plenius aut euidentius demonstrari Dei esse donum, credentium fidem: quàm vt ideò gratiæ agerentur Deo, qui in ipsis est operatus vt crederent? Non ex humana sapientia est fides, sed ex inspiratione diuina. Matth. 16. Roman. 12. & 15. Ephes. 2. &c. quo testimonio non solùm fides, sed etiam gaudium & pax, & abundantia spei docentur, nisi in virtute Sancti Spiritus non haberi. Proprium ergo hoc habet noua creatura per gratiam, vt qui figmentum Dei sunt, qui natiuitate cœlesti conduntur in Christo, non otio torpeant, nec desidia resoluantur, sed de virtute in virtute proficiant, per viam bonorum operum ambulando: hoc est enim fingi, hoc de vetere creatura nouam fieri, hæc de imagine terreni hominis ad imaginem cœlestis hominis reformati. Ille inchoat, ille auget, & perficit, cuius ædificatio, & cuius figmentum sumus. Omnis boni Deum esse auctorem, cuius dona nec incerta sunt nec mutabilia, sed ex æterna voluntate venientia, testatur Iacobus Apostolus, & Zach. 9.

Ibid. Contra omnem electionem de libero arbitrio gloriantem, illam inuictissimè reniti sententiam dicentis Apostoli. Quis enim te discernit? Licet homini insit velle, non habet tamen nisi donatum, bene velle. hoc recipit natura per gratiam.

IRENÆVS *libro 2. cap. 65.* Non ex nobis, neque ex nostra natura, vita est: sed secundùm gratiam. Deus vitam & perseuerentiam donat.

Lib. 3. c. 23. Non à nobis sed à Deo bonum salutis nostræ.

Lib. 4 cap 48. Vnus & idem Deus, his quidem qui non credunt, sed nullificant eum, infert cæcitatem. Quemadmodum Sol, qui est creatura eius, his qui propter aliquam infirmitatem oculorum non possunt contemplari lumen eius: his autem qui credunt, & sequuntur eum, pleniorem & maiorem illuminationem mentis præstat.

Lib. 5. cap. 1. A perfecto & eo qui est ante omnem conditionem, augmentum accipientes, qui nunc nuper facti sumus à solo optimo & bono, & ab eo qui habet donationem incorruptibilitatis, in eam quæ est ad eũ similitudinem facti. Prædestinati quidem vt essemus, qui nondum eramus, secundùm præscientiam Patris, facti autem initium facturæ, accipiemus in præcognitis temporibus secundùm ministrationem verbi, qui est perfectus in omnibus: quoniam verbum potens, & homo verus, sanguine suo rationabiliter redimens nos: redemptionem semetipsum dedit pro his qui in captiuitatem ducti sunt.

Lib. 5. cap. 12. Caro sine spiritu Dei mortua est, non habens vitam, regnum Dei possidere non potest. Vbi autem spiritus Patris, ibi homo viuens. Caro à spiritu possessa, oblita quidem sui qualitatem autem Spiritus assumens conformis facta est Verbo Dei. Sicut igitur sine Spiritu cœlesti, conuersati sumus aliquando in vetustate carnis non obedientes Deo: sic nunc accipientes Spiritum, in nouitate vitæ ambulemus, obedientes Deo.

Paulò pòst ibid. Sicut igitur sponsa assumere sponsum non potest, assumi autem à sponso potest, quum venerit & acceperit eam sponsus: sic & caro hæc, secundùm seipsam id est sola, regnum Dei hæreditate possidere non potest.

Hæreditate autem possideri in regno à Spiritu potest: hæreditate enim possidet qui viuificat ea quæ sunt mortua: & aliud quidem est hæreditate possidere, aliud autem hæreditate possideri. Ille enim dominatur & præest & disponit ea quæ hæreditate possidet, quemadmodum ipse velit. Propter hoc autem & Christus mortuus est, vti testamentum Euangelij apertum & vniuerso mundo lectum, primùm quidem liberos faceret seruos suos: post deinde hæredes eos constitueret eorum quæ essent eius, hæreditate possidente Spiritu.

Ibid. Ne respuamus insertionem Spiritus.

Ibid. In quibus perieramus membris, operantes ea quæ sunt corruptelæ, in iisdem viuificamur operantes ea quæ sunt Spiritus.

IVSTINVS *Zene.* Sumus caro, nihilque boni in nobis habitat. Inuocandus est igitur medicus ad sanationem.

In Paranesi. Impossibile est res diuinas assequi ingenio humano: gratuito opus est dono.

CYPRIANVS *lib. de Baptismo.* Gratias ago tibi, clementissimè Deus, quia quod quæris à me, priùs ipse donasti.

Lib. 3. ad Quirinum. In nullo gloriandum est, quando nihil est nostrum.

In Concilio Arausiano. Si quis per S. Spiritus operationem in nos, fieri vt bene velimus non confitemur, resistit Spiritui Sancto per Salomonem dicenti, Præparatur voluntas à Domino: & Apostolo salubriter prædicanti, Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere. Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum.

Gregor. Nyss. lib. de Orat. Homo desciuit ab eo à quo factus erat, & ad aduersarium transiit: deinde libertatem suique potestatem ac propriam voluntatem cum graui ac noxia seruitute peccati commutauit. Imaginis item abolitio, diuinique signi quod tempore primæ creationis in nobis impressum est, corruptio: Adhæc drachmæ amissio. Edocti sumus à S. Scriptura quòd non possit inueniri inter homines, qui vnum diem absque macula viuat. In his versantes, talibus vocibus vtimur, Remitte nobis debita nostra: etiamsi Moyses quispiam sit, & Samuel: quoniam vox quæ Adamum nomine pœnitentiæ decet, communis est omnium: vt abolitione delictorum nobis concessa per gratiam à Domino seruemur. Nec opus est ad communem naturam referre cogitationem. Potest enim sua cuiusque vitæ conscientia necessariam facere misericordiæ petitionem.

TERTVLLIAN. *de Bapt.* Delicta sicut non in carne comparent, quia nemo super cutem portat maculam idololatriæ, aut stupri, aut fraudis: ita eiusmodi in spiritu sordent qui est auctor delicti: spiritus enim dominatur, caro famulatur, tamen vtrumque inter se communicant Reatum: spiritus, ob imperium, caro ob ministerium.

De cultu fœm. Nihil verum in his qui Deum nesciunt præsidem & magistrum veritatis: peruersa sunt omnia quæ à Deo non sunt.

De res. Deum optimum à Christo eius addiscimus, qui dilectionem mandans, faciet & ipse quod præcepit. Ego, inquit veni, vt quod periit saluum faciam.

De virgin. vel. Regula fidei vna est omnino sola immutabilis; credendi scilicet in vnicum Deum & filium eius Iesum Christum. Operante scilicet & perficiente vsque in finem gratia Dei.

De Trinit. Neque Scripturæ sanctæ, neque nos, hæreticis causas perditionis & cæcitatis afferimus, si qua in medio diuinarum literarum euidenter posita, aut videre nolunt, aut videre non possunt. Totum hoc, nisi cum propria veneratione, & legitima disputatione teneamus, meritò scandalum hæreticis præbuisse credemur: non vtique ex Scripturarum cœlestium vitio, quæ nunquam fallunt: sed humani erroris præsumptione: quia hæretici esse voluerunt.

BASILIVS *Orat. de humil.* Nihil tibi relictum est ad superbiam, ô homo. Totum quod viuimus, gratiæ & dono Dei debentes. Quid igitur te effers: dic mihi, tanquam in bonis propriis? Quid enim habes, quod non accepisti? Malum non est substantia viua, & animata, sed [illegible] affectio in ipsa anima, contrariè se habens ad virtutem propter lapsum à bono insita.

AVGVSTINVS *Enchir. ad Laur. c. 30.* Homo libero arbitrio malè vtens, & se perdidit & ipsum. Sicut enim qui se occidit, se occidendo non viuit, nec seipsum potest ressuscitare quum occiderit: ita, quum libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amissum est & liberum arbitrium. A quo enim quis deuictus est, & huic seruus addictus est: vnde ad iustè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse iustitiæ cœperit seruus. Sed ista libertas vnde erit homini addicto & vendito, nisi redimat ille cuius illa vox, Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis.

Cap. 31. Tunc efficimur liberi quum Deus nos fingit, id est format: non vt homines, quod iam fecit: sed vt boni homines simus, quod nunc gratia sua facit, vt simus in Christo Iesu noua creatura. Totum Deo detur: ab illo

illo fiat quod volumus, à quo factum est vt velimus.

Serm.12 de verb. Dom. Prius est mutandus homo, vt opera mutentur. Remissio peccatorum facit arbores bonas.

Serm.35. ibid. O Domine Deus noster, vt veniamus ad te, fac nos beatos de te.

Serm.2. de verbis Apost. Credere, doni est, non meriti: ideo dicit, nisi Pater traxerit eum: Non dixit, duxerit, sed traxerit. Ista violentia fit cordi, non carni: vbi credis, ibi venis. Sunt homines ingrati gratiæ, multùm tribuentes naturæ. Verum est, magnas liberi arbitrij vires homo quum conderetur accepit, sed peccando amisit. Quid Christiani? Quare inimici gratiæ Christi? Quare de vobis præsumentes? Quare ingrati? Quare enim Christus venit?

Contra Iul. lib.1. Quòd multi pereunt, peccantium est meritum: quòd multi saluantur, saluantis est donum. Vt enim reus damnetur, inculpabilis Dei iustitia: vt autem reus iustificetur, ineffabilis Dei gratia.

De Genesi ad literam, cap.3. Si ergo quæritur cur Deus tentari permiserit hominem quem tentatori consensurum esse præsciebat. Altitudinem eius penetrare non possum. Cur Deus tentari non sineret eum qui id facturus esset propria voluntate per culpam, & ordinandus esset Dei æquitate per pœnam: vt ostenderet quàm rectè ipse vteretur animarum voluntatibus etiam malis, cùm illæ peruersè vterentur naturæ bonis.

Ibid. cap.9. A se habent voluntatem malam, à Deo autem & naturam bonam & iustam pœnam.

Cap.10. Sed posset, inquis, etiam ipsorum voluntatem in bonum conuertere: quoniam Omnipotens est. Posset planè. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit penes ipsum est. Debemus enim non plus sapere quàm oportet sapere.

Cap.11. Misericorditer ignoscens, iustè vlciscens: itémque misericorditer vlciscens, iustè ignoscens: nihil metuens de cuiusquam iniustitia, nihil indigens de cuiusquam iustitia, nihil sibi consulens nec de operibus bonorum: & bonis consulens etiam de pœnis malorum.

Epist.105. Sunt quidam qui iustissimè damnatas impietates adhuc liberiùs defendendas putant. Quod autem personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant quòd sine vllis præcedentibus meritis, cuius vult miseretur, parum attendunt quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato: vt nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur. Atque ibi potius acceptionem nullarum fieri personarum, vbi de vna eademque massa, damnationis & offensionis inuoluit: vt liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conueniret, nisi gratia subueniret. Si autem gratia, vtique nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata.

Lib. de prædestin. Sanctor. cap.8 tom.7. Cur non omnes docet Deus? Quia omnes quos docet, misericordiâ docet: quos autem non docet, iudicio non docet.

Ibid. Non quia credimus, sed vt credamus, elegit nos: ne priores eum eligere dicamur.

Serm.43. de verb. Dom. Charitas diffusa est in cordibus nostris. Ne putaret quisquam à se sibi esse, quòd diligit Deum, continuò addidit. Per Spiritum S. qui datus est nobis. Vt ergo ames Deum, habitet in te Deus: & amet se de te, id est, ad amorem suum moueat te, accendat te, illuminet te, excitet te.

Ibid Caro concupiscit aduersus spiritum, vbi est spiritus. Quod enim ait, caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, noli putare spiritui hominis tantundem datum: Spiritus Dei est qui pugnat in te, aduersus illud quod est in te contra te. Quæro quo spiritu? Meo an Dei? Audio verba tua, & adhuc ambiguitate permoueor? Continuò addidit, Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei. Non sunt Filij Dei, si non aguntur Spiritu Dei: Bene agis, si à bono agaris. Ille redemptor tibi Spiritum dedit, &c. Præcepta Dei arma tua sunt. In te fiunt ipsæ concupiscentiæ: sed non perficiuntur, &c. Non dixit Apostolus, ne habueritis concupiscentias, sed ne perfeceritis. Luctam proposuit igitur, &c. Non spiritus tuus sed spiritus redemptoris, mortificat: vulneratus est pro me qui fecit me, & morte sua vicit te.

Serm.54. de verb Dom. Quid quæris quà redeas, quò redeas, quà intres. Ne alicubi erres, ipse tibi omnia factus est.

In Psal.109. Sicut lucerna à seipsa non accenditur. ita nec anima sibi præstat lucem.

De spir. & lit. tom.3. Liberum arbitrium, nihil nisi ad peccandum valet. Vt diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per arbitrium liberum, quod surgit ex nobis, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Mysterio autem Dominicæ mortis, & resurrectionis, vitæ nostræ veteris occasus, & exortus nouæ, iniquitatis abolitio, renouatióque iustitiæ demonstratur.

Ibidem, Quisque qui sibi tribuit quod Dei est, pellitur in tenebras suas, quæ sunt opera iniquitatis. Opera verò iustitiæ non facit nisi

quantum ex illo fonte, atque ex illo lumine percipit, vbi nullius indigens vita est. Paulus ideo incunctanter prædicat donum Dei, quo vno salvi fiunt filij promissionis.

Ibidem, Si adsit fides quæ per dilectionem operatur, incipit homo delectari lege Dei, quæ delectatio Spiritus donum est.

Ibid. Siquis dicat, cur non omnibus dat? &c. Huic duo sola occurrunt quæ mihi placent respondere. ô altitudo diuitiarum! & nunquid est iniquitas apud Deum?.

*Epist.*47. Sic intellige hoc Præceptum, Rectos cursus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige: vt noueris quum hoc facias, à Domino Deo tibi præstari vt hoc facias.

*Epist.*106. Antequam iustificetur impius, quid est nisi impius?

*Epist.*46. Noui Pelagiani dicunt, Gratiam Dei secundùm merita nostra dari: vt qui gloriatur, non in Deo, sed in semetipso glorietur.

*Epist.*105. Si gratia, vtique nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata. Quæ sua merita iactaturus est liberatus, cui si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus. Opera bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine, sine qua, illa à nulla fiunt homine. Deus inspirat & affectum & effectum. Sed isti liberi arbitrij defensores, imò deceptores, quia inflatores: Et inflatores quia præsumptores adversus Euangelium, &c. Non frustra Deo cantatur, Et misericordia eius præueniet me: Et misericordia eius subsequetur me.

Ibid. Satis sit interim Christiano credere & scire, quòd Deus neminem liberet, nisi gratuitâ misericordiâ per Dominum nostrum Iesum Christum, & neminem damnet, nisi æquissima veritate.

Ibid. Stipendium peccati, mors. Rectè stipendium, quia debetur, quia dignè retribuitur, quia merito redditur. Non è contrario retulit, dicens: Stipendium iustitiæ vita æterna: sed Gratia, inquit, Dei, vita æterna. Adiecit, In Domino nostro Iesu Christo.

*Epist.*107. Scimus secundum Adam, contagium mortis, prima natiuitate, nos contrahere: nec liberamur à supplicio mortis æternæ, nisi per gratiam renascamur in Christo: scimus gratiam nec paruulis nec maioribus secundùm merita nostra dari: scimus maioribus ad singulos actus dari: scimus non omnibus hominibus dari: scimus eis quibus datur, misericordiâ gratuitâ dari. Scimus felices esse mortuos qui in Domino moriuntur.

Serm. de temp. 94. Non in te placet Deo, nisi quod habes ex Deo. Quod autem habes ex te, displicet Deo. Si bona tua cogites, quid habes quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Gratulare quia ad eius imaginem factus es, vt in illo inueniaris, qui in te peristi. Non enim posuisti in te, nisi perdere te, nec scis inuenire te, nisi ille qui fecit te, quærat te.

*Confess. lib.*1. *cap* 13. Da quod iubes, & iube quod vis.

In Epist. Ioan. tract 3. Iam hîc videte magnum sacramentum, fratres; sonus verborum nostrorum aures percutit: magister intus est. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ: si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster. Quàm multi hinc indocti exituri sunt. Quantum ad me attinet, omnibus locutus sum: sed quibus vnctio illa intus non loquitur, quos Spiritus S. intus non docet, indocti redeunt. Magisteria forinsecus adiutoria quædam sunt & admonitiones: cathedram in cœlo habet, qui corda docet. Vnus est magister vester Christus. Ipse vobis intus loquitur. Christus sit in corde tuo, vnctio ipsius sit in corde. Interior ergo magister qui docet, Christus docet inspiratio ipsius docet. Vbi illius inspiratio & illius vnctio non est, forinsecus inaniter perstrepunt verba. Sic sunt ista verba quæ forinsecus dicimus, quomodo est agricola ad arborem forinsecus operatur, adhibet aquam & diligentiam culturæ. Quælibet forinsecus adhibeat, nunquid poma format? nunquid aliquid intrinsecus agit? sed quis agit hoc? audite agricolam Apostolum, & audite magistrum interiorem: Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit.

*Enchir. ad Laur. cap.*102.103. *tom.*3. Quum legimus in sacris literis, quòd Deus velit omnes homines salvos fieri, quamuis certum sit nobis, non omnes homines saluos fieri: non tamen ideo debemus omnipotentissimæ Dei voluntati aliquid derogare: sed ita intelligere quod scriptum est, Qui vult omnes homines saluos fieri: tanquam diceretur, Nullum hominem fieri saluum, nisi quem saluum fieri ipse voluerit. Sic intelligimus quod scriptum est in Euangelio, Qui illuminat omnem hominem. Non quia nullus est hominum, qui non illuminetur: sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. Aut certè sic dictum est: Qui vult omnes homines salvos fieri: non quòd nullus hominum esset, quem saluum fieri nollet: sed vt omnes homines, omne genus humanum intelligamus per quascunque differentias distributum, reges, priuatos, nobiles, ignobiles, doctos, indoctos, pauperes, mares, fœminas, infantes, pueros, senes, in linguis omnibus, in professionibus omnibus.

Ad Simpl lib.1. qu.1. tomo 4. Apostolus gratiam præponit operibus, non vt opera extinguat, sed vt ostendat non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia: vt scilicet non se quis arbitretur ideò percepisse gratiam quia bene operatus est, sed bene operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam. Cornelius nullo modo ista operaretur nisi antè credidisset. Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus similes. Opera siqua sunt bona, consequuntur illam gratiam, non præcedunt. Apostolus de his qui nondum nati erant documentum dedit, Iacob & Esau, &c. Vocantis est ergo gratia, percipientis verò gratiam consequenter sunt opera bona, non quæ gratiam pariant, sed quæ gratiâ pariantur. Non enim vt ferueat, calefacit ignis: sed quia feruet. Nec ideò bene currit rota, vt rotunda sit, sed quia rotunda est: sic nemo propterea bene operatur, vt accipiat gratiam, sed quia accepit. Quomodo enim potest iustè viuere, qui non fuerit iustificatus? quomodo sanctè viuere, qui non fuerit sanctificatus?

Ibid. Nec odit Deus in homine nisi peccatum. Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem. Odit in eis impietatem quam ipse non fecit. In Iacob dilexit, non culpam quam delebat, sed gratiam quam donabat. Deus miseretur, inspirat fidem. Si Iacob ideo credidit quia voluit, non ei Deus donauit fidem, sed eam sibiipse volendo præstitit, & habuit aliquid quod non accepit. Nemo credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus. Satis Apostolus ostendit, etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri.

De pecc. orig. lib 2. cap. 23 Quanti sit momenti hæc quæstio de peccato originali & de redemptione per Messiam facta! In ea consistit Religio Christiana.

Ad Bonifacium lib 1 c.3. Ille trahitur ad Christum, cui datur vt credat in Christum. Datur ergo potestas, quæ nisi detur à Deo, nulla esse potest ex libero Arbitrio. Quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberauerit: sed in malo liberum habet Arbitrium.

Contra duas Epist. Pel. libr.2. tom.7. Gratia Christi sine meritis vllis nostris non astruit doctrinam fati, vt nec illud quod Apostolus Rom.9. Vt istis qui merita statuunt responderet, non ait: Sine me difficile aliquid potestis facere, sed ait, Sine me nihil potestis facere: & vt responderet futuris etiam istis Pelagianis, non ait, Sine me nihil potestis proficere, sed sine me nihil potestis facere, hoc vno verbo initium finémque comprehendit. Præparatur voluntas à Domino: Et labia mea aperies. Quod scriptum est, Hominis est præparare cor: Prou.16. non bene intelligendo falluntur, vt existiment cor præparare, ad hominem pertinere. Absit vt sic intelligant filij promissionis, quasi conuincant Dominum dicentes, Ecce sine te possumus cor præparare: & tanquam conuincant Apostolum dicentes, Ecce idonei sumus ex nobismetipsis præparare cor, ac per hoc & aliquid boni cogitare. Absit vt sic intelligant nisi superbi sui arbitrij defensores, & fidei Catholicæ desertores. Sicut nemo potest bonum inchoare sine Domino, sic nemo perficere sine Domino.

Contra Iul. Pelag. lib. 4. cap.3. tom.7. p.2. Absit vt in aliquo sit vera virtus, nisi fuerit iustus. Absit autem vt sit iustus verè, nisi viuat ex fide. Sit, licet ille Fabricius, sit licet Fabius, sit licet Scipio, sit licet Regulus, quorum nominibus tanquam in antiqua Romana curia loqueremur, putasti esse terrendum, &c. Dicuntur sine lege naturaliter quæ legis sunt facere, vt in die iudicij tolerabiliùs puniantur, quia naturaliter quæ legis sunt vtcunque fecerunt, scriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, vt aliis non facerent quod perpeti nollent. Hoc tamen peccantes quòd homines sine fide, non ad eum finem ista opera retulerunt ad quem referre debuerunt. Minus enim Fabricius quàm Catilena punietur, non quia iste bonus, sed quia ille magis malus, & minùs impius quàm Catilina Fabricius, non veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimùm deuiando. Sine fide Deo placere impossibile est, quam nec in operibus, nec in cordibus habuerunt.

Lib.5. contra Iul. Omnes ex eadem massa: Deus tamen alios inde per misericordem bonitatem adducit ad pœnitentiam, alios secundùm iustum iudicium non adducit. Fit peccatum consequens, præcedentis peccati pœna.

De bono perseuerantia. Quamuis Dei donum esse dicamus obedientiam, tamen homines exhortamur ad eam. Nam & hortari & audire eius donum est: initium fidei & in ea vsque in finem perseuerantiam secundùm Scripturas, donum Dei esse defendimus. Nos volumus, sed Deus operatur in nobis & velle: nos ergo operamur, sed Deus operatur in nobis. Hanc doctrinam proponit Ambrosius & Cyprianus & Nazianzenus, &c.

De gratia & libero arbitrio. tomo 7. c.16.17. Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quum dicunt: Non iuberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri. Sed ideo iubet

aliqua quæ non possumus, vt nouerimus quia ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat quod lex imperat. Certum est nos velle quum volumus, sed ille facit vt velimus bonum quum dicit faciam vt faciatis. Ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Qui dicit Facite, dicit etiam Dabo vobis. Voluntas non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, Gratia nos facit Legis dilectores: Lex verò sine gratia, nonnisi præuaricatores facit. Isti Pelagiani nolunt intelligere. Vult homo, sed non bene vult, nisi fuerit liberatus. Quomodo ergo quod dicit: Facite, hoc dicit, Dabo vobis? Quare iubet si ipse daturus est? Quare dat si homo facturus est? Nisi quia dat quod iubet, & adiuuat vt faciat cui iubet?

Lib. de corrept. & gratia. Desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est. In bono liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit, Si vos Filius liberauerit. Nec ita quum quisque fuerit à peccati damnatione liberatus, iam non indigeat sui liberatoris auxilio, sed ita potiùs ab illo audiens: Sine me nihil potestis facere, dicat, Adiutor meus esto.

Ibid. Spiritu Dei intelligant se agi, vt quod agendum est, agant. Ergo inquiunt, præcipiant, non autem nos corripiant. Imò & præcipiant & corripiant doctores. O homo in præceptione cognosce quid debeas habere: in correptione cognosce tuo te vitio non habere: in oratione cognosce vnde accipias quod vis habere. Tu quia corripi non vis, propterea corripiendus es.

In Psalm 48. Imago Dei intus est, non in corpore, est facta vbi est mens, vbi est ratio inuestigandæ veritatis: vbi est fides, vbi est spes vestra ibi est charitas vestra.

In Psalm 66. Donat hæc Deus, parum est nobis dicere, Donat hæc Deus: facit hæc Deus. Sed, Solus hæc facit, solus hæc donat.

Serm. 11. de verb. Apost. Isti Pelagiani qui contra gratiam disputant, Non, inquiunt, contra gratiam disputo, quòd liberum arbitrium defendo. Videte acumen sed vitreum: quasi lucet vanitate, sed frangitur veritate. Ipse fecit nos: & factos & lapsos ipse iustos fecit nos, & non ipsi nos. Agnosce beneficia pastoris & non sequaris lupum erroris. Lupi eramus. Fuimus & nos natura filij iræ, sicut & cæteri: sed mortua est ouis, & fecit nos oues. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Ibid. Vna erat massa perditionis ex Adam, cui non nisi supplicium debebatur, facta sunt vasa inde in honorem ex eadem massa. Gratulare quia euasisti, mortem quippe debitam euasisti: & vitam non debitam reperisti. Sed dicis, Me quare fecit in honorem, & alium in contumeliam? Quid responsurus sum? Auditurus es Augustinum, qui non audisti Apostolum, dicentem, O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Disputare vis mecum: immo mirare mecum & exclama mecum, O altitudo diuitiarum!

Serm. 12. Ibid. Vendidi me arbitrio meo, redime me sanguine tuo.

Serm. 13. de verb. Apost. tom. 10. Te ergo iam volebas extollere, vbi audisti, Si spiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis. Dicturus enim eras, Hoc potest voluntas mea, hoc potest liberum arbitrium meum. Quomodo spiritu tuo, quum audias Apostolum dicentem, Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei? Tu te vis agere, à te ipso vis agi ad actiones carnis mortificandas? Quotquot spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei. Dicit mihi aliquis, Ergo agimur, non agimus. Respondeo, Immo & agis, & ageris. Et tunc bene agis, si à bono agaris.

Ibid. Adiutorium Dei non est vt si aliquis dicat, Remis quidem peruenimus, sed cum aliquo labore, ô si ventum habeamus, faciliùs peruenimus. Non sic est adiutorium Dei, non sic est adiutorium Christi, non sic est adiutorium Spiritus Sancti. Prorsus si defuerit, nihil agere poteris. Agis quidem illo non adiuuante, libera voluntate, sed malè: & malè agendo fit damnabilis ancilla. Non hæc dicit Augustinus: hæc dicit Dominus, Sine me nihil potestis facere: Iam nunc cum audis, Quotquot spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei, nolite vos dimittere. Neque enim templum suum, sic de vobis ædificat Deus quasi de lapidibus, qui non habent motum suum: leuantur, ab structore ponuntur. Non sic sunt lapides viui, & vos tanquam lapides viui coædificamini in templum Dei.

Hom 17. Fides in te, Dei donum est. Discernenda fides dæmonum à fide sanctorum. Non ait Apostolus, Misericordiam consecutus sum, quia fidelis eram: sed vt fidelis essem, misericordiam consecutus sum. Non orat nisi fides, præcessit fides quæ rogat: vt rogarem priùs credidi.

Epist. 7. Scripsi de Libero arbitrio vt retineatur illud quod certum habeo. Post peccatum primi hominis, natos esse atque nasci cæteros homines in carne peccati, cui sanandæ venit Dominus in carne.

De nuptiis & concupis. lib. 1. cap. 26. Non habere peccatum, est non esse reum peccati: Dimit-

Dimittitur concupiscentia carnis in Baptismo: non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur.

De lib. arbitr. lib.3. Deus faciendo hominem ostenderat bonitatem suam, ostendit etiam in puniendo Iustitiam, & in liberando Misericordiam. Maxima pars hominum ista quæstione torquetur, non ob aliam causam, nisi quia non piè quærunt, velocioresque sunt ad Excusationem quàm ad confessionem suorum peccatorum.

Enchir. ad Laur. cap.14. Regula illa Dialecticorum deficit in bonis & malis, quum dicunt: Nulli rei duo simul inesse contraria. Nam bona & mala, quæ sunt contraria, non solùm simul esse possunt sed etiam mala sine bonis, & nisi in bonis esse non possunt. Quid boni potest operari homo perditus, nisi quantum à perditione fuerit liberatus? Sub laudibus Naturæ, latent inimici Gratiæ.

In Psalm.142. Propter nomen tuum viuificabis me, Domine, in Iustitia tua, non in mea. Non quia ego merui, sed quia tu misereris.

In Psalm.84. Tu conuertens nos, viuificabis nos, vt non solùm viuificatio nostra à te sit, sed etiam ipsa conuersio vt viuificemur.

Epist.105. Sed inquiunt: Iniustum est hunc liberari, illum puniri. Nempe ergo iustum est vtrunque puniri. Quis hoc negauerit? Agamus ergo gratias Saluatori, dum nobis redditum non cernimus quod in damnatione similium etiam nobis debitum fuisse cognoscimus. Si enim vtrique liberarentur, lateret, quid peccato per iustitiam debeatur: si nemo, quid gratia largiretur. Vniuersa ista massa meritò damnata, contumeliam debitam reddit iustitia: honorem indebitum donat gratia. Non est iusta excusatio, sed est iusta damnatio.

Ibidem. Meritò peccati vniuersa massa damnata est. Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.

Serm.88 Quod dixit obdurabo cor Pharaonis, est: quum abfuerit gratia mea, illum obduret nequitia sua. Sicut nimio frigore aqua constringitur: Solis calore superueniente resoluitur, & discedente eodem sole iterum obduratur.

Lib. de prædestin. & grat. cap.4. Nullus nisi indignus misericordia audet disputare. Deus in homine duritiam cordis non operatur. Quid enim est aliud duritia, quàm Dei obuiare mandatis? vt Stephanus dicebat, Dura ceruice, semper Spiritui Sancto resistitis. Indurare Deus dicitur quem mollire noluerit: sic excæcare, quem illuminare noluerit: sic repellere, quem noluerit vocare. Præsciuit nos eius diuinitas, sapientia condidit, iustitia damnauit, gratia liberauit.

Ibid. cap.6. Quid est aliud indurabo, nisi non molliam?

De bono perseuer. Etiam ipsæ exhortationes sunt dona Dei prædestinata. Prædestinatio prædicanda, vt possit vera gratia defendi contra Pelagianos, qui dicunt, gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Inter initium & perfectionem media sunt, quæ etiam à Deo nobis donantur. Non dicendum est: Alij ex vobis non venient. Nam omnibus proponitur doctrina vt veniant: sed dicendum, Quum veneritis, quum feceritis, &c. nolite gloriari quasi hoc non acceperitis. Si quis dicat, Si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur vobis vires obediendi. Hoc dicere, quid aliud est quàm Maledicere? Res abominabilis dicitur. Doctrina de Prædestinatione huc referenda, vt omnia Dei dona esse discamus, neque extollamur.

In Psalm.90. Non potes facere Deum auctorem peccati. Directè eunt in Deum qui dicunt quando peccant, Si Deus vellet, non peccarem: Deus hoc voluit. Ergóne ad hoc admonet Deus, vt non audiatur vt non pecces, sed accusatur, quia peccas?

De Morib Manich. lib.2. Quando dicitur, Deum esse substantiarum auctorem: simul intelligitur Deum non esse mali auctorem. Malum est corruptio in aliqua substantia quam corrumpit: malum non est substantia, neque ipsa corruptio.

Epist.29. Hieronymo. Quidam quum ruisset in puteum & quæreretur: quomodo huc cecidisti: Obsecro, inquit, cogita quomodo me hinc liberes, non quomodo huc ceciderim quæras. Ita quoniam fatemur, ac fide Catholica tenemus de reatu peccati, tanquam de puteo esse animam infantis gratiâ Christi liberandam, satis est quòd modum quo salua fiat nouimus, etiamsi non inuenerimus quomodo in malum inciderit.

De pecc. merit. Propagatione non imitatione transiuit peccatum ab Adamo.

De fide ad Petrum diaconum. Firmissimè tene & nullatenus dubites, omnem hominem cum peccato originali nasci iræ filium, à qua illa nullus liberabitur, nisi per fidem Mediatoris Iesu Christi: & neminem hic hominem posse pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminauerit & gratuita sua commiseratione conuerterit.

De verbis Apostoli serm.4. Peccatum à primo homine intrauit in hunc mundum: & ita in omnes homines pertransiit.

Pertransiit verbum attendite, quod audistis considerate, videte quid est pertransiit: pertransiit inde est & paruulus reus: peccatum nondum fecit, sed traxit. Etenim illud peccatum non in fonte mansit, sed pertransiit, non in illum, sed in omnes homines pertransiit. Rom.5. Genuit peccatores morti obnoxios primus peccator, primus præuaricator. Venit ad sanandos de Virgine Saluator, qui ad te, non quâ venisti, venit. Vbi te inuenit? venundatum sub peccato, iacentem in morte primi hominis, trahentem peccatum primi hominis, habentem Reatum, antequam possis habere Arbitrium.

Ad Dardanum cap.13. Quid est mortis aculeus nisi peccatum? Propter quod etiam nunc renati ex aqua & spiritu, omnibúsque peccatis siue originis ex Adam in quo omnes peccauerunt, siue factorum, dictorum, cogitationum nostrarum, in illius lauacri mundatione deletis: tamen quia manemus in hac vita humana, quæ tentatio est super terram, meritò dicimus: Dimitte nobis debita nostra. Tūc itaq; perficietur in re, vbi nunc proficiendo ambulamur in spe.

De nuptiis & concupiscentia ad Valerium lib. 1.c.25. Si autem quæritur quomodo ista concupiscentia carnis maneat in Regenerato, in quo vniuersorum facta est Remissio peccatorum? Ad hoc respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in Baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur. Quamuis autem Reatu suo iam soluto, manet tamen, donec sanetur omnis infirmitas nostra, proficiente renouatione interioris hominis de die in diem, cùm exterior induerit incorruptionem. Cuius vitiosis desideriis ad illicita perpetranda, non obedire percipimur, ne regnet peccatum in nostro mortali corpore. Quæ tamen concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus.

Eadem Epistola 119. Epistola 29. ad Hieronymum. Charitas est virtus qua id quod diligendum est diligitur. Hæc in aliis maior, in aliis minor, in aliis nulla est. Plenissima verò, quæ iam non potest augeri quandiu hîc homo viuit, est in nemine: quandiu autem augeri potest, profectò illud quod minus est quàm debet, in vitio est: ex quo vitio non est iustus in terra qui faciat bonum & non peccet. Propter quod vitium si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus & veritas in nobis non est. Propter quod etiam quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere, Dimitte nobis debita nostra.

Et prima quinquagesima. Innouati fide & spe, quanta adhuc vetera agimus. Non enim sic Christo induti sumus, vt ex Adam iam nihil portemus, &c. Conuersi autem ad interiorem hominem ad ea quæ sunt innouanda pro his quæ immutabuntur, inueniamus hominem nouum, canticum nouum, testamentum nouum, & sic amemus istam nouitatem, vt non timeamus vetustatem. Nunc ergo in hoc cursu transimus à veteribus ad noua. Ipse transitus agitur quum corrumpuntur exteriora & innouantur interiora: donec etiam hoc ipsum quod exterius corrumpitur, reddat debitum naturæ, veniat in mortem, renouetur & hoc in Resurrectione? Tunc fiant reuera omnia noua, reliqua quæ nunc sunt in spe.

Lib.5. homiliarum homilia 10. Contra generationem quæ nos miseros fecit, prouidit Deus regenerationem, vnde nos à miseria liberaret. Generatio mittit in miseriam: Regeneratio designat ad beatitudinem. Non enim quia dixi, Regeneratio liberat à miseria, iam nos continuò vt regenerati sumus, beati essemus. Si mox regenerati iam beati essemus, & dies bonos ageremus, non nobis Apostolus diceret, quia iam regeneratis fidelibus loquitur, Redimentes tempus quoniam dies mali sunt, & Regenerati dies malos ducimus, quousque finiatur pœna mortalitatis, succedat gratia summæ felicitatis.

Soliloquiorum c.27. Omnes autem nos quasi pannus menstruatæ de massa corrupta & immunda venientes, maculam immundicitiæ nostræ in frontibus portamus: quare mundi esse non possumus, nisi tu mundaueris, qui solus es mundus. Mundas autem de nobis filiis hominum eos in quibus complacuit habitare, quos ab inaccessibilibus profundis secretis iudiciorum incomprehensibilium sapientiæ tuæ semper iustorum, licet occultorum, sine eorum meritis prædestinati ante mundum, vocasti de mundo, iustificasti in mundo, & magnificas eos post mundum. Non omnibus autem hoc facis, quod admirantur omnes tabescentes terræ. Et ego, Domine, hoc considerans expauesco, & obstupesco de altitudine sapientiæ & scientiæ tuæ, ad quam ego non pertingo: & incomprehensibilia iudicia iustitiæ: quoniam ex eodem luto alia quidem facis vasa in honorem, alia verò in contumeliam sempiternam. Quos igitur tibi elegisti de multis in templum sanctum tuum, ipsos mundas, effundens super eos aquam mundam, quorum nomina numerúmque tu nosti, qui nequaquam possunt perire; quibus omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata. Quum enim cadunt, non colliduntur, quia tu supponis manum tuam, custodiens omnia ossa eorum, vt vnum

vnum ex eis non conteratur. Attamen mors peccatorum pessima, illorum inquam, quos antequam faceres cœlum & terram, secundùm abyssum multam iudiciorum tuorum occultorum.

Epistola 59. Nonnulli etiam Apostatæ fiunt, vnde? nisi quia non pertinent ad illam prædestinationem & secundùm propositum, ac sine pœnitentia vocationem. Cur autem alij ad eam pertineant, alij non pertineant, occulta esse causa potest, iniusta non potest.

De prædestinatione & gratia, capite 2. Si cui vult miseretur, & quem vult indurat, quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis resistit; Nouerit hac sententia plus nos ad humilitatem ac pietatem cogi & arctari. Cùm enim totum ad Deum referens, humanis viribus neget doctor amplissimus, quid aliud quàm Deum toto corde suspensi ab eo salutis auxilium postulemur, hortatur? Quem ergo mouet hæc in diuinæ gratiæ dispensatione diuersitas, & iniustum putat, negari alteri quod alter acceperit, intelligat, quemadmodum diuinitus dixerit Psalmista, vniuersiæ viæ Domini misericordia & veritas, atque agnoscat tali Deum agitare res humanas iudicio, vt debitas pœnas aut iustè reddat aut misericorditer donet. Vitiatæ enim radicis macula ac propaginis traduce per generationem sarmenta diffusa est, vt nec infans quidem vnius diei à culpa sit primæ præuaricationis alienus, nisi per indebitam saluatoris gratiam fuerit liberatus. Quòd si nec hic sine peccato est qui proprium habere non potuit, conficitur, vt illud traxerit alienum de quo dicit Apostolus, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. Quod qui negat, negat profectò primùm non esse mortales: quoniam mors non naturæ conditio, sed pœna peccati, sequatur necesse est pœna peccatum. Si ergo, vt apparuit de paruulis, semine omnes nascimur debitores, quoniam in Adam omnes præuaricauerunt, & ipsa iam in principio vnde descendimus massa damnata est, nullus de duritia sua, nullus de pœna sua conqueri audeat, quæ etiamnum existentibus peccatis propriis, sola nascendi conditioni debetur. Quòd verò Deus aliis gratuita vocatione conuersis, misericordiam largitur indebitam, non ad dispensatoris iniustitiam, sed ad donantis misericordissimam largitatem, veritatis ratione referendum est.

Atque etiam in Enchiridio, cap.9. & cap.29. Sola gratia redemptos discernit à perditis, quos in vnam perditionis concreuerat massam, ab origine ducta, causa communis.

*De bono perseuerantiæ, cap.*10 *tomo* 7. Sed aiunt prædestinationis definitionem vtilitati prædicationis aduersari: quasi verò aduersata sit Apostolo prædicanti. Nonne ille doctor gentium, in fide & veritate prædestinationem totiens commendauit & verbum Dei prædicare non destitit? Nunquid quia dixit, Deus est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate sua, ideo non ipse & vt velimus quæ Deo placeant & operemur hortatus est? aut qui dixit, Qui in vobis bonum opus cœpit, perficiet vsque in diem Christi Iesu, ideo vt inciperent homines & perseuerarent vsque in finem ipse non suasit? Nempe ipse Dominus præcepit hominibus vt crederent: atque ait, Credite in Deum & in me credite: nec tamen ideo falsa sententia est: nec vana definitio, vbi ait, Nemo venit ad me, id est, nemo credit in me, nisi fuerit ei datum à Patre meo, &c. Hæc prædestinatio sanctorum nihil aliud est quàm præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. Cæteri autem vbi, nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquuntur?

Paulò pòst. Neminem venire ad Christum nisi fuerit ei datum, & eis dari qui in eo electi sunt ante constitutionem mundi.

Ibid. Audiunt & faciunt quibus datum est: non autem faciunt, siue audiant, siue non audiant, quibus non datum est. Quia, Vobis, inquit, datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum: quorum alterum ad misericordiam, alterum ad iudicium pertinet illius cui dicit anima nostra, Misericordiam & Iustitiam cantabo tibi, Domine: nec prædestinationis igitur prædicatione impedienda est prædicatio fidei perseuerantis & proficientis vt quod oportet audiant, & quibus datum est, vt obediant. Quomodo enim audient sine prædicante?

Ibidem. Nam si in nullo gloriandum est, quando nostrum nihil est, profectò nec de obedientia perseuerantissima gloriandum est. Nec ita nostra tanquam non sit nobis desuper donata, dicenda est. Et ipsa igitur (prædestinatio) Dei donum est quod se daturum Deus vocatis suis ista vocatione, de qua dictum est, Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei, Omni Christiano confitendum. præsciuit, lib.2. cap.16. præuenit ergo & fidem gratia.

*Enchiridio ad Laurentium, cap.*100. Bene vtens & malis tanquam summè bonus: ad

eorum damnationem quos iustè prædestinauit ad pœnam & ad eorum salutem, quos benignè prædestinauit ad gratiam.

De Ciuitate Dei lib.15.cap.1. Genus humanum in duo genera distribuimus, vnum eorum qui secundùm hominem : alterum eorum qui secundùm Deum viuunt. Quas etiam mysticè appellamus duas Ciuitates, id est, duas hominum societates, quarum vna prædestinata est in æternum regnare cum Deo: altera verò æternum subire supplicium cum diabolo.

De prædestinatione sanctorum lib.1.cap.17. tomo 7. Intelligamus ergo vocationem qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed quia eliguntur vt credant. Hanc eum & Dominus ipse satis aperit, vbi dicit, Non vos me eligistis, sed ego vos. Nam si propterea electi erant, quoniam crediderant, ipsi enim vtique elegerant credendo in eum, vt eligi mererentur. Aufert autem hoc omnino quum dicit, Non vos me eligistis, sed ego vos elegi. Non elegerunt eum, vt eligeret eos : sed vt eligerent eum, elegit eos : quia misericordia eius præuenit eos secundùm gratiam, non secundùm debitum. Elegit ergo eos de mundo quum hîc ageret in carne : sed iam electos in seipso, ante mundi constitutionem. Nam quid est quod ait Apostolus, Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem?

Cap.19. Nec fides ipsa præcedit. Non enim quia credimus, sed vt credamus elegit nos : ne priores eum elegisse dicamus.

Libro Soliloquiorum, c.28. Quos tibi elegisti de multis in templum sanctum tuum, ipsos mundas, effundens super eos aquam mundam.

Epist.106. Certus est Dei præscientiæ definitus numerus & multitudo sanctorum. Sic & libro de correptione & gratia c.13.

Epist.105. In eisdem iræ vasis propter meritum massæ in contumeliam debitam factis, id est, in hominibus propter naturæ quidem bonum creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitatem quam rectissimè veritas improbat, damnare nouit ipse, non facere.

In Epist. Ioan. tract.1. Christus propitiatio est peccatorum nostrorum, non tantùm nostrorum, sed & totius mundi. Ecce habes Ecclesiam per totum mundum.

De peccatorum meritis, lib.1.c 23. Non venit vocare iustos, sed peccatores, & ab hoc peccato, ab hac ægritudine, ab hac ira Dei cuius naturaliter filij sunt, qui etiamsi per ætatem nihil habent proprium, trahunt tamen originale peccatum : non liberat nisi Agnus qui tollit peccata mundi, nonnisi Medicus qui non venit propter sanos, sed propter ægrotos : nonnisi Saluator, de quo dictum est generi humano, Natus est nobis hodie Saluator : nonnisi Redemptor, cuius sanguine deletur debitum nostrum. Nam quis audeat dicere, non esse Christum infantum Saluatorem nec Redemptorem? Vnde autem saluos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati.

Lib.5.cap.3. Concupiscentia carnis aduersus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est : quia inest illi Inobedientia contra dominatum mentis : & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis : & causa peccati est, defectione consentientis vel contagione nascentis.

FVLGENTIVS *Lib. de Prædest.* Deus donat gratis indigno gratiam, qua iustificatus, impius illuminetur munere bonæ voluntatis, & facultate bonæ operationis : vt præueniente misericordia, bonum velle incipiat : & subsequente misericordia, bonum quod vult facere valeat. Dat Deus cor nouum, vt in iustificationibus eius ambulemus : quod pertinet ad bonæ operationis effectum. Misericordia Dei in homine subsequetur quod præueniens ipsa largitur.

Cap.18. Neque verò Deus humiles quibus dat gratiam, ante datam humiles inuenit : sed dando gratiam, humiles facit.

Cap.19. Initium malæ voluntatis superbia est, quæ ex Deo non est. Mala voluntas non pertinet ad optimum Creatorem. Iusta verò damnatio pertinet ad æquissimum cognitorem.

Psal 72. Deus malitiæ aut impietatis cuiusquam causa esse non potest.

Ier.2.c.26. Deus licet non sit auctor malarum cogitationum, ordinator tamen est malarum voluntatum, & de malo opere cuiuslibet mali, non desinit ipse bonum operari. Illos præuenit bonitate, quos iustificat, & illos dignos inuenit punitione, quos damnat. In vasis misericordiæ non ex ipsis, sed ex Deo esse, quod boni sunt : & in vasis iræ, non ex Deo, sed ex ipsis quod mali sunt.

Petrus diaconus, & alij Episc. Orientales ad Fulgentium, & alios Episcopos Africæ. Credimus bonum, & sine vlla carnis impugnatione à Deo creatore factum Adam, magnáque præditum libertate, ita vt & bonum facere in propria facultate haberet, & malum si vellet posset admittere. Erátque mors & immortalitas in eius posita quodammodo arbitrij libertate. Sponte diuinæ legis præuaricator effectus est : & ideo iusto iudicio Dei, mortis pœna damnatur, totúsque, id est, secundùm corpus & secundùm animam in deterius commutatus, amissa libertate propria, sub peccati seruitio mancipatur.

Ex

Ex hoc nullus est hominum qui non huius peccati vinculo nascatur astrictus, præter eum qui ad hoc vinculum peccati soluendum, nouo generationis modo, natus est, Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Quid enim aliud potuit aut potest nasci ex seruo nisi seruus? Ideo sicut omnis ab Adamo est: ita & omnis homo seruus peccati per Adamum est. Rom.5. &c. falluntur ergo omnimodo qui dicunt, mortem solam, non & peccatum transisse in genus humanum. Ab hac igitur damnatione & morte nullus omnino liberatur, nisi gratia Redemptoris: qui quum esset Dominus, vtpote Deus, vt nos à seruitute perpetua, & potestate diaboli liberaret, atque ad veram libertatem educeret, factus est seruus, accipiens formam serui. Tunc verè liberi eritis, si vos Filius liberauerit, Ioan.8. Sine hac igitur gratia, potest quidem cogitare & desiderare humana, non autem potest cogitare aut velle diuina: quorum primum & præcipuum fundamentum est, credere in Dominum gloriæ crucifixum. Quod vtique non est ex naturalis arbitrij libertate, quia non hoc caro & sanguis sed Pater cœlestis reuelat cui voluerit, ad veram eam attrahens libertatem, non violenta necessitate, sed infundendo suauitatem per Spiritum Sanctum, vt mox credentes dicamur: quia Dominus est Iesus, quod nemo per naturalem arbitrij libertatem potest dicere, nisi in Spiritu Sancto. Frustra ergo garriunt qui dicunt, meum est velle credere, Dei autem gratia est adiuuare, quum etiam ipsum credere nobis à Deo dari testetur Apostolus, Phil.1. Nos autem incomprehensibilia credentes & demonstrantes iudicia Dei: ex vna massa perditionis alios salvari dicimus, bonitate & gratia Dei: alios iusto & occulto Dei iudicio derelinqui. Alioquin dicant, si possunt, hi qui hoc diuinæ iustitiæ & bonitati contrarium æstimant, cur tam multas virtutes fecit in Corazin & Bethsaida & nullam harum in Tyro & Sidone facere voluit, vbi si factæ fuissent (vt ipse testatur) forsitan pœnitentiam egissent? Manifestè ergo non nobis, sed Apostolo omnino resistit qui dicit: nisi ego priùs voluero, gratia ad me non venit. Quod omnino nihil aliud est dicere, nisi priùs dare Deo, vt retribuatur illi.

*Cap.*8. Sed nos sequentes eundem Apostolum omnem bonarum cogitationum originem earúmque voluntatem ex Deo & per Deum & in Deo dicimus: sicut scriptum est, præparatur voluntas à Domino, &c.

Resp. Fulgentij de Incarn. & gratia. Vt peccati originalis vinculo, quo per hominem primum tenebamur obstricti; miserantis Dei gratia solueremur, vnus extitit Mediator Dei & hominem homo Christus Iesus. Nam quia Deus immortalis & iustus est: nos autem iniquos & mortales primi hominis transgressio fecerat, vt congrua adhiberetur medela, natus est de homine homo vnigenitus Deus, vt per ipsum liberaremur ab omni peccato, & ab ipso acciperemus iustitiam. Liberauit autem non fidem inueniendo, sed dando: alioqui iniustè gratia dicitur. Hæc libertas non ex humano arbitrio nascitur sed gratuita Dei miseratione confertur. Nemo potest habere bonam voluntatem motu proprio: nisi mens ipsa, id est, interior homo noster renouetur ac reformetur ex Deo. Cuius reformationis initium nostræ facultati assignare aliquatenus non debemus. Quomodo autem Christus in suis formari potest, nisi quomodo in eis habitare incipit, id est, per fidem? Vita autem nostra à fide sumit initium, quia iustus ex fide viuit, quæ per Spiritum Sanctum datur. Totum Deo adimitur, si & initium & consummatio fidei nostræ humani arbitrij viribus applicetur.

*Cap.*31. In his omnibus hominibus quos Deus vult saluos facere, non totum omnino genus significatur hominum, sed omnium vniuersitas saluandorum. Ideo autem omnes dicti sunt, quia ex omnibus hominibus diuina bonitas saluat, id est, ex omni gente, conditione, ætate.

*Cap.*21. Personarum acceptio apud Deum tunc esset, si (quemadmodum isti volunt) in quolibet hominum, aliquod inueniret bonæ voluntatis initium. Quum autem in nullo bonam voluntatem inuenit, sed eam gratis quum voluerit ipse concedit: agnoscitur nulla esse personarum acceptio, quando gratuita est donantis in vnoquoque largitio. Quod autem dicunt, Cur non facit omnes velle? Itáne verò in nemine hoc facit, quia non in omnibus hoc facit? An culpari potest iustitia in vasis iræ, iustè pro meritis, vel misericordia in vasis misericordiæ, quæ sine vllis meritis solo gratiæ dono præparauit in gloriam? Arbitrium itaque hominis sanat Deus atque illuminat, vt homo in Deum naturaliter credat. Ita fit vt homo fidem habere possit, sed eam nisi ex dono Dei habere non possit. Altiora ne quæsieris, &c.

BERNARDVS, *In Natali Domini, serm.*3. Ex consideratione remedij, periculi mei æstimo quantitatem. Nesciebam: sanus mihi videbar: & ecce, mittitur Virginis Filius, Filius Dei altissimi & iubetur occidi vt vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce homo quàm grauia sunt vulnera, pro quibus necesse est, Dominum Christum

vulnerari. Si non essent hæc ad mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Filius Dei moreretur.

In circunc. Dom. Serm 2. Deum admirabilem sumus experti in mutatione voluntatum nostrarum. Hoc saluationis nostræ est principium, quum incipimus respuere quod diligebamus, dolere vnde lætabamur, amplecti quod timebamus, sequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus. Sine remissione peccatorum, nobis salus constare non potest. Ne id quidem sufficit ad salutem, nisi etiam Deum fortem experiamur in expugnando impugnantes nos, ne ab eisdem rursum concupiscentiis superemur, & fiant nouissima deteriora prioribus.

Serm.3. de aduentu Dom Christus non solùm ad te, sed etiam in te venit: inde eum nosti.

*Epiph. Dom serm.*1. Quisquis desolationem non nouit, nec consolationem agnoscere potest. Homines dum miseriam non sentiunt, non attendunt misericordiam.

De grad hum. Propheta se non excipit à communi miseria, ne excipiatur à misericordia. Pharisæus exsufflat misericordiam, dum dissimulat miseriam.

Serm.6. in asc. Dom. Initium reuertendi ad Deum pœnitentia est, quam sine dubio Spiritus operatur non noster, sed Dei: monet & mouet

In assumpt Mariæ serm 5. Triplicem gratiam diuinitus accepimus: vnam qua conuertimur, aliam qua in tentationibus adiuuamur, tertiam qua probati remuneramur. Prima beneplacitum. Secunda meritum. Tertia præmium. Prima pars nos initiat, per quam vocamur: secunda prouehit, qua iustificamus: tertia consumat, qua glorificamur.

*In dedic. Eccl. serm.*5. Persuadeat ipse vocando & iustificando per fidem gratis, in quibus nimirum velut medius quidam est transitus ab æterna prædestinatione ad futuram magnificationem Spiritus eius testificans persuadeat spiritui nostro, quod Filij Dei sumus.

In Psal.91. serm 6 Nónne si propriam cogitans conditionem, dicturus erit sibi: quid superbis terra & cinis? nonne si propriam consideret corruptionem fateatur necesse est, quoniam non est in eo bonum.

Serm. in cœna Domini. Dixi vobis sæpius, nec mente excidere debet, Quoniam in casu primi hominis cecidimus omnes

De verbis sap. serm. Regnum Dei conceditur, promittitur, ostenditur, percipitur. Conceditur in prædestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in iustificatione, in glorificatione percipitur. In prædestinatione est gratia, in vocatione potentia, in iustificatione lætitia, in magnificatione est gloria.

Serm. de sepulchro, Elegit nos in Filio. Per Spiritum ergo qui ex Deo est, charitas diffusa est in cordibus nostris. Sed spiritualis illa generatio, non in corde, ab iis duntaxat qui cum Paulo dicere possunt: nos autem sensum Christi habemus.

Serm.30 in Cant. Quum mala in corde versamus, nostra cogitatio est: si bona, Dei sermo est. Itaque pacem, pietatem, iustitiam Deus in nobis loquitur: nec talia nos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus.

Serm.32 in Cant. Non multùm refert nostra, scire vnde inest nobis malum, dummodo inesse sciamus: vigilandum & orandum potiùs, vndecumque sit, ne consentiamus. Sed sanè est vbi periculosè, imò damnabiliter erratur, atque meritò ibi nobis certa præfigitur regula: ne quod Dei est in nobis, demus nobis: putantes Verbi visitationem, nostram esse cogitationem. Sufficientia igitur cordis est ex Dei gratia: Dei vox & bonum quod cogitatur, non cordis proles existit.

Serm.67. Horreo quicquid de meo est, vt sim meus. Gratia reddit me iustificatum gratis, & sic à seruitute peccati. Dominus ait, non tu me, sed ego elegi te: interuenit non tuum meritum, sed meum placitum. Est gratia prima, qua præuenta est Ecclesia: postea verò & subsequens gratia est. Consummationem illi æquè concedit Ecclesia, nempe sponso suo Christo.

Serm 68. Quid de meritis solicita est Ecclesia, cui de proposito Dei firmior suppetit securiorque gloriandi ratio? Audis Ezech 36. Propter me ego faciam, dicit Dominus.

Serm.74 in Cant. Non in decore, sed in suo decore dicitur ille perdidisse sapientiam. Ezec. 28. Perdidit eam formam quam fecit suam: proprietas in causa est: quòd sibi sapiens fuit. Istud est cur perdidit sapientiam: immo istud est quòd eam perdidit. Etenim sic habere perdere est. Perdidi quicquid habeo non apud Deum.

Serm 78. Tria sunt quæ sibi vendicat auctor Deus, præuenitque in illis omnes: Prædestinatio, Creatio, Inspiratio. Ecclesia miro modo latens intra gremium beatæ prædestinationis, & intra massam miseræ damnationis. Omnes enim peccauerunt, &c. Visitans gratia, in tempore suo reuelauit, &c. frustra vigiles laborassent in prædicando, si non hæc gratia præcessisset: ei adscribenda cuiusque conuersio est. Non est inuenire Domino, sed præuenire. Pastores non faciunt: sic à Petro Cornelius & Paulus ab Anania inuenti sunt: nam ambo præuenti erant à Domino & præparati.

Epist.

*Epist.*190. Mihi scire licet, quòd ita: cur ita non licet.

Sermone 11. *in Cant.* Origo fontium & fluminum mare: virtutum & scientiarum Dominus solus. Remittatur ad suum principium cœleste profluuium, quò vberiùs terræ refundatur: quomodo? in omnibus gratias agentes.

*Serm.*13. *in Cant.* Gloriam meam alteri non dabo. Quid ergo dabis nobis Domine? Pacem do vobis. Sufficit mihi. Abiuro gloriam prorsus, ne si vsurpauero non concessum, perdam meritò & oblatum, &c. Quis credat parieti, si se dicat parturire radium quem suscipit à Sole per fenestram, &c. Ipse in suis manens facit ipse opera, &c. In Domino glorior, Gloriari autem in solo Deo non est nisi à solo Deo. Quicquid hic fauoris captas quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tibi enim vnde gloria putide puluis? tibi vnde? De vitæ sanctitate? Sed Spiritus est qui te sanctificat: Spiritus dico, non tuus, sed Dei.

*Serm.*21. *in Cantica*, Trahi necesse habet Sponsa Christi Ecclesia, nec sanè trahi ab alio quàm ab eo qui ipse ait, Sine me nihil potestis facere, &c. Trahe me post te, &c. Trahe quodammodo inuitam, vt facias voluntariam: trahe torpentem, vt reddas currentem. Curremus, curremus: sed in odore vnguentorum tuorum, non in nostrorum fiducia meritorum, nec in magnitudine virium nostrarum currere nos confidimus, sed in multitudine miserationum tuarum. Nam & siquando cucurrimus ac voluntariè, non fuit volentis neque currentis, sed miserentis Dei.

*Serm.*32. Pacem, pietatem, iustitiam Deus in nobis loquitur, nec talia nos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus. At blasphemias, homicidia, &c. non audimus, sed dicimus. Illum agnosce loquentem qui apud Prophetam dicit, Ego qui loquor iustitiam: qui loquitur mendacium, de suo loquitur, 2. Corint. 3. Quum ergo mala in corde versamus, nostra cogitatio est: si bona, Dei sermo est.

*Serm.*81. Liberum arbitrium dicitur quòd liceat versari pro arbitrio voluntatis. Quod voluntarium, & liberum. Quòd surgere iam anima per se non potest, voluntas in causa est. Ita nescio quo prauo modo, ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata, facit necessitatem: vt nec necessitas quum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas quum sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria. Voluntatem igitur Nolentem dicis? Non vtique, retinetur voluntas non volens: ipsa se retinet, ipsa seruam se fecit, & in eadem seruitute se retinet.

*Epist.*107. Christus facit cur ametur: Spiritus Sanctus vt ametur: in Christo cernimus quod amemus: à Spiritu Sancto sumimus vnde amemus.

Lib. de gratia & libero arbitrio, Quum gratiam Dei commendarem, aliquis mihi dixit, quid præmij speras, si totum facit Deus? Respondi, Ille dedit velle, det & perficere. Vbi ergo sunt merita nostra: audi, inquam, non ex operibus. Tit. 5. &c. Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Quis in carne peccati, à peccato sibi vendicat libertatem?

Ibidem, Aliud est velle, aliud velle bonum. Velle siquidem inest nobis ex libero arbitrio. Non dico velle bonum, aut velle malum: sed tantùm velle. Velle etenim bonum, profectus est, velle malum defectus. Velle verò ipsum simpliciter, ipsum est quod vel proficit vel deficit. Porrò ipsum vt esset, gratia creans fecit: vt proficiat, gratia saluans facit: vt deficiat, ipsum se deiicit. Itaque liberum arbitrium nos facit volentes, gratia beneuolos. Ex ipso nobis est velle, ex ipso bonum velle. A Deo igitur velle quomodo & timere & amare ipsum.

Ibidem, In lapsu corruit homo de posse non peccare, in non posse non peccare, amissa ex toto consilij, siue à peccato libertate. Et hoc abutendo libertate arbitrij. Peccauit, quia ei liberum fuit: nec tamen fuit culpa dantis: sed abutentis. Lapsus ex voluntate, non æquè ex voluntate, resurgere iam liberum habet: quum iam etsi velit non possit non peccare. Christus reinfundit in restaurationem: sed ista perfectio in futura vita: In eandem imaginem transformamur à Domini Spiritu. Ergo iam non à libero Arbitrio. Nemo proinde putet, ideo dictum liberum Arbitrium, quòd æqua inter bonum & malum potestate aut facultate versetur. Quum cadere per se quidem potuerit, non autem resurgere, nisi per Domini Spiritum. Nemo saluatur inuitus, facit ipse voluntarios, non saluat inuitos. Quod legitur, Ioan. 6. Nemo venit ad me nisi Pater traxerit eum: Hoc intendit Dominus, quum terret aut percutit: vt faciat voluntarios. Ita vt transferat, non auferat voluntatem. Non extra liberum Arbitrium quæratur damnationis causa: quòd non damnat nisi propria culpa. Nec à libero Arbitrio quæras merita, quòd sola saluat misericordia. Itaque Domini est salus; imò, ipse est salus, ipse & via ad salutem. Dei sunt munera tam nostra opera, quàm eius præmia. A sola gratia cœptum est,

non partim gratia, partim liberum Arbitrium, sed totum:singula opere indiuiduo. Non quia velle aut currere sit in vanum : sed dicitur, Neque volentis, neque currentis, sed miserantis Dei,quia is qui vult,aut currit,non in se, sed in eo à quo accepit & velle & currere, debeat gloriari. Deus tria operatur in nobis. Cogitare bonum, velle bonum, perficere.

Augustinus lib. expositionis inchoatæ in epistolam ad Romanos. Omnibus, inquit, qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis sanctis. Etiam hic significat benignitatem Dei potiùs quàm meritum illorum. Non enim ait diligentibus Deum, sed dilectis Dei: prior enim dilexit nos ante omnia merita, vt & nos dilecti eum diligeremus.

Epistola 9. Quoniam lex est etiam in ratione hominis qui iam vtitur arbitrio libertatis naturaliter in corde conscripta,qua suggeritur ne malè aliquid faciat quisque alteri quod pati ipse non vult. Secundùm hanc legem præuaricati sunt omnes etiam qui legem per Mosen datam non acceperunt.

Sic & in Ioannem tractatu 49. c. 11 & in psalmum 57. Et epistola 5. ad Bonifacium. Epistola verò 95. ad Innocentium. Quidam senserunt atque in suis literis mandauerunt : etiam in hac vita esse posse homines sine peccato : non ab initio natiuitatis suæ, sed conuersione à peccatis ad iustitiam, & è vita reproba ad bonam vitam. Sic enim intellexerunt quod de Zacharia & Elizabeth scriptum est, ambulasse eos in omnibus iustificationibus Domini sine querela. Hoc quod dictum est sine querela, sine peccato, dictum acceperunt, non quidem negantes, imò etiam quod aliis locis in literis eorum inuenitur, piè confitentes adiutorium gratiæ Dei nostri, non per naturalem spiritum hominis, sed per principalem Spiritum Dei. Qui parum videntur considerasse, ipsum Zachariam fuisse Sacerdotem. Omnes autem tunc Sacerdotes necesse habebant ex lege Dei primitus pro peccatis suis offerre sacrificium: deinde pro populo : sicut nunc per orationis sacrificium conuincimur non esse sine peccato quoniam iussi sumus dicere : dimitte nobis debita nostra. Nobis autem sufficit quòd nullus in Ecclesia Dei repetitur, in quolibet profectu,excellentia atque iustitia qui sibi audeat dicere non necessariam precationem orationis Dominicæ, Dimitte nobis debita nostra, & dicat se non habere peccatum, ne seipsum decipiat, & veritas in eo non sit, quamuis iam sine querela viuat.

Libro contra Celestium Pelagianum ad Eutropium & Paulum de perfectione iustitiæ. 1. Ante omnia inquit Celestius Pelagianus, Interrogandus est qui negat hominem sine peccato esse posse. Si vitari non potest peccatum, peccatum non est. Si vitari potest, potest homo sine peccato esse.

Respondemus (inquit Augustinus) vitari posse peccatum,si natura vitiata sanetur gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

2. Iterum ait Pelagianus, Quærendum est an peccatum voluntatis sit, an necessitatis: si necessitatis, peccatum non est : si voluntatis, vitari potest.

Respondemus quod suprà : & vt sanemur, inuocamus eum cui dicitur in Psalmo, De necessitatibus meis educ me.

3. Iterum inquit, Quærendum est : an peccatum sit naturale, an accidens? Si naturale peccatum non est. Si autem accidens est, vitari potest & potest homo sine eo esse.

Respondetur. Naturale non esse peccatum, sed naturæ præsertim vitiatæ:vnde facti sumus naturâ filij iræ.

4. Iterum, ait (Celestius) Querendum est: quid est peccatum, Actus, an Res? Si res est, necesse est vt authorem habeat:& Deus author induci videbitur: Si Actus, vitari potest.

Respondendum:Peccatum quidem actum dici & esse,non rem. Sed etiam in corpore, claudicatio eadem ratione Actus est,non Res.Quoniam Res, pes ipse vel corpus vel homo est, qui pede vitiato claudicat: nec tamen vitare potest homo claudicationem, nisi habeat sanatum pedem. Quod etiam in interiore homine fieri potest : sed gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Ipsum sanè vitium quo claudicat homo, nec pes est nec corpus, nec homo, nec ipsa claudicatio, quæ vtique non est quando non ambulat, cùm tamen insit vitium quo fit claudicatio, quando ambulat. Quærat ergo quod eidem vitio nomen imponat: vtrum Rem velit dicere, an Actum: an Rei potiùs qualitatem malam, qua deformis actus existit? Sic & in homine interiore animus, Res est : rapina : Actus est : auaritia vitium est: id est, qualitas secundùm quam malus est animus, etiam quando nihil agit vnde auaritiæ vel rapinæ seruiat, etiam quando audit, Non concupisces : Exod. 20. 2. Cor. 4. séque vituperat, & tamen auarus manet: sed per fidem renouatur : id est sanatur de die in diem, nec tamen nisi gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

5. Iterum, inquit (Pelagianus) Si homo debet esse sine peccato, potest esse sine peccato. Si non potest, ergo non debet.

Respondetur eadem similitudine qua superiùs

periùs iam respondimus. Cùm enim videmus claudum qui sanari potest, rectè vtique dicimus : debet, homo iste esse sine claudicatione : & si debet potest. Nec tamen cùm vult continuo potest, sed cùm fuerit, adhibita curatione, sanatus, & medecina adiuuerit voluntatem. Hoc fit in interiore homine quod ad peccatum attinet tanquam ad eius claudicationem per eius gratiam qui venit non vocare iustos sed peccatores : quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.

6. Iterum ait ; Quærendum est : vtrum præceptum sit homini siue peccato esse ? Aut enim non potest, & præceptum non est : aut quia præceptum est, potest. Nam cur præciperetur quod fieri omnino non posset ?

Respondetur. Consultissimè homini, præcipi, vt rectis passibus ambulet, vt cùm se non posse perspexerit, medicinam requirat, quæ Interioris hominis ad sanandum peccati claudicationem, Gratia Dei est per Iesum Christum Dominum nostrum.

7. Iterum ait (Pelagianus) quærendum est: an velit Deus hominem sine peccato esse: proculdubio vult & proculdubio potest, &c.

Respondetur, si nollet Deus hominem sine peccato esse, non mitteret Filium suum sine peccato, qui sanaret homines à peccatis. Hoc fit in credentibus, & proficientibus renouatione interioris hominis de die in diem, donec fiat perfecta iustitia, tanquam sanitas plena.

8. Iterum, ait, quærendum est quomodo vult Deus hominem esse cum peccato, an sine peccato, &c.

Iam superiùs responsum est : sed addendum video, quòd spe salui facti sumus. Tunc erit plena iustitia, quando plena sanitas : tunc plena sanitas, quando plena charitas : tunc autem plena charitas, quando videbimus eum sicuti est.

9. Iterum quærendum est, inquit (Pelagianus) Per quid efficitur homo cum peccato, per naturæ necessitatem, an per arbitrij libertatem ? Si per naturæ necessitatem, culpa caret. Si per arbitrij libertatem quærendum est à quo ipsam Arbitrij libertatem acceperit ?

Respondetur: Per arbitrij libertatem factum vt esset homo cum peccato : sed iam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem : vnde ad Deum fides clamat, De necessitatibus meis educ me.

Et ipsa libertas credentibus à liberatore promittitur : Si vos, inquit, Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.

Hinc alia Scriptura dicit 2. Petr. 2. A quo quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Ipsa sanitas est vera libertas, quæ non periisset si bona permansisset voluntas. Quia verò peccauit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas : & accipiatur tanta libertas, in qua sicut necesse est : permaneat beatè viuendi voluntas : ita vt sit etiam bene viuendi & nunquam peccandi voluntaria felixque necessitas.

10. Deus bonum hominem fecit & bonum ei insuper vt faceret imperauit, &c.

Respondemus : Quia ergo non seipse homo, sed Deus bonum hominem fecit : Deus eum, non seipse vt sit bonus reficit, dum volentem, credentem, inuocantem liberat à malo, quod sibi ipse fecit. Hoc autem fit dum gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum renouatur homo interior de die in diem, vt ad sempiternam non pœnam, sed vitam resurgat homo exterior in nouissimo die.

11. Iterum, ait (Pelagianus) tam omnia illa quæ prohibita sunt vitari possunt, quàm quæ præcepta sunt perfici. Nam frustra aut prohiberetur aut iuberetur quod vel caueri vel impleri non possit.

Respondetur : Multa esse in Scripturis sanctis diuina præcepta quæ omnia commemorare nimis operosum est.

Vt intelligeremus quicquid aliud diuinitus præceptum est, in his duobus habere finem & & ad hæc duo esse referendum, Diliges Dominum Deum tuum.

Quicquid ergo de lege prohibemur, & quicquid iubemur facere, ad hoc prohibemur & iubemur, vt duo ista compleamus. Et fortè generalis prohibitio est. Exod. 20. Rom. 12. Non concupisces : & generalis iussio, Diliges. Prohibitio est, Nolite conformari huic seculo. Iussio autem, sed renouamini in nouitate mentis vestræ.

Sed nec quisquam potest continens esse, nisi Deus det, & charitas Dei diffundatur in cordibus nostris, non per nos ipsos, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Hoc autem fit de die in diem, in iis qui volendo & credendo & inuocando proficiunt & præterita obliuiscentes, in ea quæ antè sunt extenduntur. Ad hoc enim Lex ista præcepit vt cùm in his implendis homo defecerit, non se extollat superbia tumidus, sed ad gratiam confugiat fatigatus, ac sic lex terrendo ad Christum diligendum pædagogi perducat officio.

12. Iterum quærendum est, inquit Pelagianus, quomodo non potest homo sine peccato esse, voluntate an natura ? Si natura, pecca-

tum non est: si voluntate, perfacile potest voluntas voluntate mutari.

Respondemus, admonentes esse cogitandum quanta sit iusta præsumptio, qua dicitur non solùm posse quod quidem adiuuāte gratia Dei negandum non est, sed etiam perfacilè posse voluntatem voluntate mutari, cùm dicat Apostolus Gal.5. Caro concupiscit aduersus spiritum &c. Hæc inuicem aduersantur vt quæ potestis facere, nolitis: sed vt non ea quæ vultis, faciatis.

Naturam dicimus propria voluntate vitiatam, sine Dei gratia non posse sanari.

13. Si ipsius hominis culpa est, quomodo culpa hominis est, si hóc non est quod esse non potest.

Respondetur: ideo esse culpam hominis quod non est sine peccato; quia sola hominis voluntate factum est vt ad istam necessitatem veniret, quam sola hominis voluntas superare non possit.

14. Iterum ait, quærendum est: Si natura hominis bona est, quod nullus negare nisi Marcion aut Manichæus audebit, quomodo igitur bona est, si malo ei carere non est possibile?

Respondemus: & naturam hominis bonam esse & eam malo carere posse. Nam ideo clamamus. Libera nos à malo; quod non perficitur quandiu corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Sed hoc agitur gratiâ, per fidem, vt aliquando dicatur. Vbi est mors contentio tua, vbi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis peccatum: virtus verò peccati, lex: quoniam lex prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat Spiritus charitatem, quæ plena & perfecta tunc erit, cùm videbimus facie ad faciem.

15. Quomodo iustus Deus dicitur, si imputat quod vitari non possit?

Respondemus: Iam olim contra superbos esse clamatum: Beatus cui non imputauit Dominus peccatum. Non enim imputauit his qui fideliter ei dicunt, Dimitte nobis debita nostra &c.

16. Quomodo mea est culpa, si esse non possum sine peccato?

Nos respondemus: nullum cum eis de his verbis esse debere conflictum &c. Dicendum Dimitte nobis debita nostra. Quisquis autem membris fidelibus Christi hoc non esse orandum persuadere conatur, nihil aliud quàm seipsum Christianum non esse profitetur. Porrò si per seipsum potest homo esse sine peccato, ergo Christus gratis mortuus est: Non autem gratis Christus mortuus est. Gal.2. Non igitur potest homo esse sine peccato, etiamsi velit, nisi adiuuet gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

17. Testimonia diuina profert quibus probatur præceptum esse homini vt absque peccato sit.

Ad hoc respondemus: Non vtrùm præceptum sit quæritur, quod valde manifestum est: sed idipsum quod præceptum esse constat, vtrùm in corpore mortis huius possit impleri, vbi caro concupiscit aduersus Spiritum.

Non ad saturitatem iustitiæ cùm hinc exierit quisquam peruenit, nisi ad eum cùm hic est, esuriendo & sitiendo cucurrérit. Beati quippe qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Matt. 5. 2.Corinth.5. Iustus ex fide viuet: hæc est nostra in ipsa peregrinatione iustitia.

Quotquot perfectè currimus hoc sapiamus: quòd nondum perfecti sumus, vt illic perficiamur quò adhuc currimus, &c.

Cur ergo præciperetur homini ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curretur, si quò currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Sic ergo curramus vt comprehendamus: omnes enim qui rectè currunt comprehendent. Non enim sicut in agone theatrico, omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam.

Paulò pòst. Testimoniorum diuinorum aliqua currentes exhortantur vt perfectè currant: aliqua ipsum finem commemorant quò currendo pertendant. Ingredi autem sine macula non absurdè etiam ille dicitur, non qui iam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnalibus.

18. Deinde iste adhibet testimonia quibus ostendat non esse grauia diuina præcepta &c.

Non aliam ob causam Scriptura cōmemorat non esse grauia diuina præcepta, nisi vt anima quæ illa grauia sentit, intelligat se nondum accepisse vires quibus talia sint præcepta Domini qualia commendantur, leuia scilicet atque suauia, & oret gemitu voluntatis, vt impetret donum facilitatis.

Auditis Euangelicis & Apostolicis testimoniis ædificemur ad gratiam, quam non intelligunt qui ignorantes Dei iustitiam & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.

Post nonnulla. Initium corrigendi cor fides est.

PROSPERI Regiensis, *Pro Augustino, Responsio ad XVI. Articulos ipsi falsò impositos; to.7.*

operum Augustini.

Articulus primus falsò Augustino impositus: Quòd Dominus noster Iesus Christus non sit passus pro omnium hominum redemptione.

Responsio. Quòd ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet causam generis humani, Sanguis Christi, Redemptio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi, & sine Regenerationis sacramento pertranseunt, Redemptionis alieni sunt.

Articulus secundus falsò impositus. Quòd Deus nolit omnes saluare, etiamsi omnes saluari velint.

Responsio. Quòd multi pereunt, pereuntium est meritum, quòd multi salvantur, salvantis est donum. Vt enim reus damnetur, inculpabilis est Dei iustitia: vt autem reus iustificetur, ineffabilis Dei gratia est.

Articulus 3. & 4. falsò impositus. Quòd Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, vt illam perdat in æternum.

Responsio. Omnium quidem hominum Deus est Creator: sed alia est causa nascendi, alia pereundi. Nimium est impius & indoctus qui vitium naturæ non discernit ab auctore naturæ. Creat vt sint homines secundùm consilium bonæ voluntatis suæ: reparaturus in multis quod ipse fecit: puniturus in multis quod ipse non fecit, Rom.5. Luc.19.1. Timoth.2.

Articulus 5. falsò Augustino impositus. Quòd Deus sit auctor peccatorum nostrorum.

Responsio, Quia omnes homines prævaricationis reos & damnationis obnoxios nasci, periturósque nisi in Christo renascantur asserimus, eundem videmur auctorem dicere culpæ, quem profitemur esse conditorem naturæ.

Articulus 6. falsò impositus. Quòd Deus in hominibus tale plasmet (id est faciat) Arbitrium, quale est Dæmonum, quod proprio motu nihil aliud possit vel velit, nisi malum.

Responsio. Totus quidem mundus, sicut ait Ioannes Apost. 1.Ioan.1. in maligno positus est: sed hoc inter malos homines & dæmones distat, quod hominibus etiam valdè malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio: dæmonibus nulla seruata est conuersio, Ioann.8.

Articulus 7.8.9. falsò impositi. Quòd magna pars Christianorum salua esse nec velit, nec possit.

Responsio. Si de his hoc dicitur qui pietatem Christianæ conuersationis & fidei deserentes, in profanos errores, aut in damnabiles mores irreuocabiliter transierunt, non dubium est quòd talem voluntatem habentes salvi esse nolunt: At Dominus potiùs alleuat eos qui corruunt, & erigit omnes elisos. Nemo enim nisi illius gratiâ erigitur, nemo nisi illius gratiâ stabilitur, Psalm.144.

Art. 10. & 11. falsò impositi. Quòd adulteria, homicidia, &c. ideo contingant, quòd illos Deus ad hoc prædestinauit vt caderent.

Responsio. Detestanda & abominanda opinio est, quæ Deum cuiusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem, cuius prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iustitiam est. Psalm.24. & 36. & 2.Corinth.13. Non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitauit, aut suasit, aut impulit, sed planè prædestinauit iudicium suum quo vnicuique retributurus est prout gessit siue bonum, siue malum: quod iudicium futurum non esset si homines Dei voluntate peccarent. Et omnis homo damnabitur quòd non Dei, sed suam exequutus est voluntatem. Atque ita ad Dei Prædestinationem nihil ampliùs referri pôtest, nisi quòd aut debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.

Artic. 12. falsò impositus. Quòd Dei Prædestinatione de filiis Dei efficiantur filij diaboli.

Responsio. Prædestinatio Dei, etsi apud nos incerta est, apud illum tamen qui fecit quæ futura sunt, incommutabilis permanet, nec quæ illuminauit obcæcat, nec quæ ædificauit destruit, nec quæ plantauit euellit. Sine Pœnitentia sunt dona & vocatio Dei, Rom.11. Cognouit Dominus qui sunt eius, 2.Timoth.2. Sed potiùs Prædestinatio fecit vt ex filiis diaboli fiant filij Dei, & ex templo Dæmonum templum Spiritus Sancti; & ex membris meretricis, membra fiant Christi, Marc.3.

Art. 13 falsò impositus. Quòd Christiani qui ad æternam mortem prædestinati sunt, relabuntur: vitio quidem suo id facere videntur: sed ipsius vitij causa est Diuina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates.

Responsio. Idem Spiritus blasphemiarum perseuerat & à præcedentibus mendaciis subsequens impietas non recedit, quam prorsus vera ratio reprobat, & incunctanter sana doctrina condemnat. Nefas est Deo attribuere causas talium ruinarum. Si quis à pietate deficit suo in præceps fertur arbitrio, suâ concupiscentiâ trahitur, suâ persuasione trahitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil Spiritus Sanctus, nec in tali negotio quicquam diuinæ voluntatis interuenit cuius ope scimus multos ne laberentur delentes. Nullos autem vt laberentur impulsos.

Art.14.15.16. falsò Augustino impositi. Quòd Dei Prædestinatio quæ mutari non potest, quosdam Christianos præordinauit, & præaptauit vt caderent.

Responsio. Ad præuaricationem legis, ad neglectum religionis, ad desertionem fidei nulla est prædestinatio fidei. Cur autem illum retineat, illum non retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum inuestigare. Deus innumeris lapsis dat pœnitentiam. Nemini Christiano Deus correctionis adimit viam. Volũtas Dei non est vt fideles à fide ruant & pereant in æternum: contrà Ioan.6. Ipsorum est nequitia, qui spreuerunt voluntatem Dei inuitantem: illi voluntatem Dei sentient vindicantem.

De Genesi contra Manichæos cap.2. Causas voluntatis Dei scire quærunt, cùm voluntas Dei omnium quæ sunt ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas Dei, est aliquid quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit, Quare fecit Deus cœlum & Terram? Respondendum est ei, quia voluit, nihil maius inueniri potest, eius causa non est quærenda.

CAPVT TERTIVM.

EX THOMA.

IN 1. *ad Timoth.ca.2.* Dei Velle ponitur quandoque pro Voluntate Beneplaciti: quandoque pro Voluntate Signi. Pro Voluntate Signi vult saluare omnes: Pro Voluntate Beneplaciti: nullum genus hominum excipit à Salute: in Voluntate Dei licèt non sit priùs & posterius, dicitur tamen Voluntas Antecedens & Consequens.

Item. Secundùm ordinem Volitorum, dupliciter, scilicet, in vniuersali vel absolutè: & in particulari secundùm aliquas circunstantias & comparatè. Voluntas absoluta est quasi Antecedens, & Voluntas alicuius in particulari est quasi Consequens. Exemplum de Mercatore qui vult omnes merces suas saluare absolutè: & hoc voluntate Antecedente, sed si considerct Salutem, non vult per comparationem ad alia saluare. Et hæc Voluntas est Consequens. Sic in Deo Salus omnium hominum habet rationem vt sit volibilis: & sic est Voluntas eius Antecedens, de quâ hîc Apostolus vult omnes saluos fieri. Sed si considerat bonum iustitiæ, & quòd peccata puniantur, sic non vult. Et hæc est Voluntas consequens.

In 2. ad Tim cap.2. lect.3. Oportuit quòd Deus manifestaret Iustitiam in Misericordiam. Si omnes saluaret, esset solùm eius Misericordia. Si omnes damnaret, esset solùm Iustitia.

In Epist. ad Rom. cap.1. Lect.3. Nos ex sola gratia non ex meritis prædestinamur vt simus filij Adoptionis.

Lect.4. Dei Dilectio non prouocatur ex bono creaturæ, sicut dilectio humana: sed potiùs ipsum bonum creaturæ causat.

Lect.7. Deus non dicitur tradere homines in immunditiam directè, inclinando hominis affectum ad malum: quia Deus ordinat in seipsum. Sed indirectè tradit homines in peccatum, in quantum subtrahit gratiam. Et primum peccatum est causa sequentis peccati: sequens verò est pœna prioris.

In Epist. ad Rom. cap.2. lect.2. Quomodo peccato temporali pœna æterna retribuitur. Respondet Augustinus libro 21. de Ciuitate. Hoc iustum est ex tribus. Ex infinita dignitate Dei, in quem peccatur. 2. Ex voluntate per quam peccatur, quæ perpetuò habetur. 3. Ex parte effectus peccati, qui est substractio gratiæ.

In Epist. ad Rom cap 5 lect.3. Sicut peccatum Actuale est peccatum personæ: ita Peccatum Originale est peccatum Naturæ, quod per voluntatem principij humanæ naturæ commissum est. Et sicut diuersa corporis membra, partes sunt vnius hominis: ita omnes homines sunt partes & quasi quædam membra humanæ naturæ. Participatione Speciei plures homines sunt vnus homo. Ita Peccatum Originale habet culpæ rationem: est inordinatio naturæ. Trahitur peccatum Originale ad singulos homines per actum naturæ qui est Generatio. In processu Peccati Originalis persona infecit naturam: scilicet Adam peccans vitiauit humanam naturam: sed postmodum in aliis natura vitiata inficit personam. Vnum est peccatum Originale tantùm: ideo Apostolus non dicit pluraliter, peccata: quod fuisset dicendum si de Actualibus loqueretur. Actuale non transit ad posteros. Originale virtualiter continet multa peccata, inquantum ex corruptione fomitis inclinamur ad multa peccata. Quid quæris latentem ruinam, inquit Augustinus, per quam intrauit peccatum,

tum, cùm habeat apertissimam ianuam.

In 5 cap. Epist. ad Rom. lect. 5 Intelligendum est quòd sicut omnes homines moriuntur per Adæ peccatum, qui nascuntur carnaliter ex Adam: ita omnes qui nascuntur spiritualiter per Christum adipiscuntur iustificationem vitæ: Ioan 3. Potest etiam dici quòd iustificatio Christi transit in iustificationem omnium hominum, quantum ad sufficientiam, licèt quantum ad efficientiam procedat in solos fideles. Ex hoc autem quod hîc dicitur accipere debemus: quòd sicut nullus moritur nisi per peccatum Adæ: ita nullus iustificatur nisi per iustitiam Christi, quæ est per fidem ipsius.

In cap. 6. Epist. ad Rom. lect. 4 Semper homo, quantum ad arbitrium rationis, remanet liber à Coactione: non tamen est ab Inclinatione.

In cap. 7. lect 3. Epist. ad Rom. Quod dicit, Velle adiacet mihi: scilicet per gratiam iam reparato. Est ex operatione diuinæ gratiæ per quam quidem gratiam non solùm volo bonum, sed aliquid etiam boni facio, quia repugno concupiscentiæ: & contra eam, &c. Ago ductus Spiritu.

In Epist. ad Roman. cap. 8. lect. 6. Sub Prædestinatione omne beneficium salutare, quod est homini ab æterno diuinitus præparatum.

Ibid. Ponere quòd aliquod meritum ex parte nostra præsupponatur, cuius præscientia sit ratio Prædestinationis: nihil est aliud, quàm gratiam ponere dari ex meritis nostris: & quòd principium bonorum operum est ex nobis, & consummatio est ex Deo.

Ibidem. Primùm autem in quo incipit Prædestinatio impleri, est vocatio hominis: quæ quidem est duplex, vna exterior quæ fit ore Prædicatoris, &c. Alia verò vocatio est interior, quæ nihil aliud est quàm quidam mentis instinctus, quo cor hominis mouetur à Deo ad assentiendum his quæ sunt fidei vel virtutis.

Esaia 41. Et hæc vocatio necessaria est, quia cor nostrum non se ad Deum conuerteret, nisi ipse Deus nos ad se traheret. Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.

Threnorum 5. Conuerte nos, Domine, ad te, & conuertemur. Est etiam hæc vocatio efficax in Prædestinatis. Ioan. 6. Omnis qui audiuit à Patre meo & didicit, venit ad me. Vnde Apostolus secundò ponit iustificationem, cùm dicit: quos vocauit hos & iustificauit scilicet gratiam infundendo. Hæc autem Iustificatio in Prædestinatis nunquam frustratur: vnde tertiò ponit, Magnificationem cùm subdit, Hos & magnificauit.

Eadem lect. Malum pœnæ est duplex: vnum quidem consistit in illatione malorum: aliud in subtractione bonorum.

In cap. 9. lect. 2. Excluditur error Pelagianorum qui dicunt secundùm merita præcedentia gratiam dari, cùm tamen scriptum sit ad Titum 3. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam Misericordiam nos saluos fecit.

Ibidem. Dilectio hominis præuenitur à dilectione Dei. Ipse prior dilexit nos, nec potest dici quòd Deus ex tempore Iacobum diligere inceperit: alioqui Dei affectus esset mutabilis. Et ideò oportet dicere, quòd Deus ab æterno Iacob dilexit, vt dicitur Ieremiæ 31. in charitate perpetua dilexit te. Est autem in his verbis Apostoli considerandum, quòd tria ponit in Deo, pertinentia ad Sanctos: videlicet Electionem per quam intelligitur Prædestinatio: Dilectio Dei, quæ quidem realiter sunt idem in Deo, sed differunt ratione. Nàm ipsa Dei dilectio dicitur secundùm quòd vult bonum alicui absolutè. Electio autem dicuntur secundùm quod per bonum quod alicui vult, eum alteri præfert. Prædestinatio autem est secundùm quòd hominem dirigit in id bonum quod ei vult, Diligendo & Eligendo.

Ibidem. Voluntas Dei est causa omnis boni quod est in creatura. Vnde non propter aliquod bonum quod in homine eligat Deus, eum diligit: sed potiùs eo quòd ipsum diligit præfert eum aliis, eligendo. Sicut autem dilectio, de qua hîc loquitur, pertinet ad æternam Dei Prædestinationem, ita etiam odium, de quo hîc loquitur, pertinet ad Reprobationem qua Deus reprobat peccatores. Nec est dicendum, quòd ista reprobatio sit temporalis: quia nihil temporale est in voluntate Diuina, sed est ab æterno: quæ quidem quantùm ad aliquid conuenit cùm dilectione vel Prædestinatione. Quantum autem ad aliquid differt. Conuenit quidem quantum ad hoc, quòd sicut Prædestinatio est præparatio gloriæ, ita Reprobatio est præparatio pœnæ.

Esaia 30. Differt autem quantum ad hoc, quòd Prædestinatio importat præparationem meritorum quibus peruenitur ad gloriam: Sed Reprobatio importat reparationem peccatorum quibus peruenitur ad Pœnam. Et ideo præscientia meritorum non potest esse aliqua ratio Prædestinationis: quia merita præscita cadunt sub Prædestinatione. Sed præscientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ quæ præparatur reprobatis: in quantum scilicet Deus proponit se puniturum malos propter peccata quæ à se ipsis habent, non à Deo. Iustos autem proponit se

præmiaturum, propter merita quæ à se ipsis non habent.

Osea 31. Perditio tua ex te, Israel.

In cap.9. Epist ad Rom. lect.3. Error Origenis & Pelagianorum,&c. stari non potest,quia sicut dictum est, Ipsa etiam bona merita sunt homini à Deo, & sunt Prædestinationis effectus.

Ibid. Manifestum est quòd nihil potest poni vt ratio Prædestinationis,quod est Prædestinationis effectus: etiamsi accipiatur prout est in Dei præscientia: quia ratio Prædestinationis præintelligitur Prædestinationi, effectus autem in ipsa Prædestinatione includitur. Manifestum est autem quòd omne Dei beneficium quod homini confert ad Salutem, est Diuinæ Prædestinationis effectus. Diuinum autem beneficium non solùm extendit se ad infusionem gratiæ qua homo iustificatur, sed etiam ad gratiæ vsum, &c. Et ideo dicitur Esaiæ 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.

Paulò pòst Ipse vsus gratiæ est à Deo,sic igitur non potest esse quòd merita consequentia gratiam,sint ratio miserandi, aut Prædestinandi,sed sola Dei voluntas secundùm quam aliquos liberat.Manifestum est enim quod Iustitia distributiua locum habet in his quæ dantur ex debito:putà,Si aliqui meruerant mercedem vt plus laborantibus maior merces donetur. Non autem habet locum in his quæ sponte & misericorditer aliquis dat: puta,si aliquis duos pauperes in via inueniens det vni quod potest, vel disponit in eleemosynam dare, non est iniquus sed misericors. Similiter si aliquis duobus æquè ipsum offendentibus, vni dimittat offensam & non alteri, est misericors vni, & iustus ad alterum, neutri verò iniquus. Cùm enim omnes homines propter peccatum primi Parentis damnationi nascantur obnoxij, quos Deus per suam gratiam liberat,solâ misericordiâ liberat: & sic quibusdam est misericors quos liberat, quibusdam autem iustus quos non liberat, neutris autem iniquus. Et ideo Apostolus quæstionem soluit per auctoritatem quæ omnia Diuinæ misericordiæ adscribit. Sciendum est tamen quòd Dei Misericordia secundùm tria attenditur. Primò quidem secundùm Prædestinationem qua ab æterno proposuit aliquos liberare. Psalm. Misericordia eius ab æterno & in æternum. Secundò,secundùm vocationem & iustificationem quibus homines saluat ex tempore. Tit.3. Secundùm suam Misericordiam salvos nos fecit. Tertiò, Magnificando per gloriam, quando liberat ab omni miseria.

Psalm. Qui coronat te in Misericordia & Miserationibus. Et ideo miserebor scilicet vocando & iustificando, cui misereor Prædestinando, & Misericordiam præstando: finaliter glorificando eum cui misereor vocando & iustificando. Et hic sensus magis concordat cum nostra litera quæ dicit,Miserecor cui voluero,& Clemens ero cui mihi placet. Vbi manifestè non meritis, sed soli Diuinæ voluntati adscribitur Diuina Misericordia. Deinde cùm dicit, Igitur non volentis, &c. Concludit propositum ex præmissa auctoritate. Et potest hæc conclusio multipliciter intelligi. Vno modo sic, igitur ipsa Salus hominis non est volentis neque currentis, id est, non debetur alicui per aliquam eius voluntatem vel exteriorem operationem, quæ dicitur cursus, secundùm illud 1.Cor.9. Sic currite vt comprehendatis. Sed est miserentis Dei, id est, procedit ex sola Dei Misericordia, vt maximè sequitur ex auctoritate inducta, Deut.9. Nec dicas in corde tuo, propter iustitiam meam introduxit me Dominus vt terram possiderem.

Paulò pòst. Non dixit Apostolus,Non est miserentis Dei, sed volentis & currentis quod aures piæ non ferunt, vnde plus est ex his verbis intelligendum,vt scilicet principalitas,gratiæ Dei attribuatur. Semper enim actio magis attribuitur principali agenti quàm secundario, &c. Vnde suprà 8.cap. dictum est. Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei, &c. Philipp.2. Deus est qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate, &c.

Ibidem paulò pòst. Deus iniquitatem reprobis non facit, cùm ipsi ex suis meritis essent digni statim confundi.

Ibid. Deus in homine non causat malitiam: sed ex iusto suo iudicio permittit aliquos ruere in peccatum propter præcedentes iniquitates. Sed aliquid ampliùs videtur mihi in hoc esse intelligendum, quia videlicet instinctu quodam interiori mouentur homines à Deo ad bonum & ad malum: vnde August. dicit in lib. de Gratia & Lib.Arbitrio,quòd Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siue ad bona pro sua Misericordia, siue ad mala pro meritis eorum: vnde & Deus dicitur sæpius suscitare aliquos ad bonum: secundùm illud Daniel.13. Suscitauit Deus Spiritum pueri iunioris. Dicitur etiam suscitare aliquos ad malum faciendùm,secundùm illud Esaiæ 13. Suscitabo Medos qui sagittis paruulos interficiant. Aliter tamen ad bona, aliter ad mala. Nam ad bona inclinat hominum voluntates directè & per se,tanquam actor bonorum: ad malum autem dicitur

dicitur inclinare vel suscitare homines occasionaliter: in quantùm scilicet Deus homini aliquid proponit vel interiùs vel exteriùs, quod quantum est de se, est inductiuum ad bonum : sed homo propter suam malitiam peruersè vtitur ad malum, &c.

Paulò pòst. Secundò oportet considerare quo fine Deus ista faciat & partim permittat. Est enim considerandum quòd Deus operatur in creaturis ad suam manifestationem, vnde & huiusmodi excitatio : vt ostendam in te virtutem meam, &c. Posui te : id est, ordinaui malitiam tuam ad gloriam meam. Deus enim malitiam ordinat, sed non causat.

Paul. pòst. Et quidem quod dicitur de Dei misericordia, dubitationem non habet : suppositis his quæ præmissa sunt. Sed circa indurationem videtur esse duplex dubitatio. Primò quidem quia duritia cordis ad culpam pertinere videtur, secundùm illud Eccl. 3. Cor durum malè habebit in nouissimo. Si ergo Deus indurat, sequitur quòd sit actor culpæ. Contra quod dicitur Iacob. 1. Deus non est tentator malorum. Ad quod dicendum, quòd Deus non dicitur indurare aliquos directè, quasi in eis causet malitiam, sed indirectè in quantùm scilicet ex his quæ facit in homine extra vel intus, homo sumit occasionem peccati : & hoc ipse Deus permittit. Vnde non dicitur indurare quasi immittendo malitiam, sed non apponendo gratiam. Secunda dubitatio est, quia ipsa obduratio non videtur Diuinæ voluntati posse adscribi cùm scriptum sit, Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. Et 1. Timoth. 2. Qui vult omnes homines saluos fieri ad quod dicendum est, quod tam misericordia quàm iustitia dispositionem voluntatis important. Vnde sicut miseratio attribuitur Diuinæ voluntati, ita & id quod est iustitiæ Sic ergo intelligendum est, Cui vult miseretur, scilicet per suam Misericordiam, & quem vult indurat per suam iustitiam: quia illi quos indurat hoc merentur vt indurentur ab ipso.

Item in Epist. eandem ad Rom. cap. 9. lect. 4. Circa electionem bonorum & reprobationem malorum duplex quæstio potest moueri. Vna quidem in generali, quare Deus velit quosdam indurare & quorundam misereri, alia verò in speciali, quare velit huius misereri, & hunc vel illum indurare. Et potest quidem ratio primæ quæstionis assignari, secundæ autem quæstionis non potest assignari ratio, nisi simplex Dei voluntas : cuius exemplum patet in rebus humanis. Si enim aliquis ædificare volens haberet multos lapides similes & æquales congregatos, posset ratiocinari, quare quosdam ponat in summo, & quosdam in imo, ex parte finis : quia ad perfectionem domus quam facere intendit requiritur & fundamentum quod habet lapides in imo, & cacumen parietis quod habet lapides in summo. Sed quare ponat hos lapides in summo & hos in imo, non habet aliquam rationem, nisi quia artifex voluit.

Paulò pòst ibid. Considerandum est quòd si aliquis artifex ex materia vili faciat vas pulchrum, & nobilibus actibus accommodatum: totum ascribitur bonitati artificis : putà si ex luto faciat scutellas & vrceos ad nobilem mensam decentes, si verò ex vili materia, putà ex luto faciat vas accommodatum vilibus vsibus, non posset vas conqueri si rationem haberet. Posset enim conqueri si ex materia pretiosa quæ præiacet Artificis operatione, puta ex auro & lapidibus pretiosis faceret vas ad vilia officia deputatum. Humana autem natura vilitatem habet ex sua materia : quia vt dicitur Genes. 2. Fecit Deus hominem de limo terræ: sed maiorem vilitatem habet ex corruptione peccati quæ per vnum hominem in hunc mundum intrauit, &c. Vnde quicquid boni habet homo, debet Bonitati Diuinæ quasi peritiæ figuli adscribere. Esaiæ 64. Nunc, Domine, Pater es tu, nos verò lutum : & fictor noster tu, & opus manuum tuarum omnes nos. Si verò Deus hominem ad meliora permoueat, sed in sua infirmitate eum dimittens, deputat eum ad infimum vsum, nullam ei facit iniuriam. Vas fictile non posset dicere fictori, Quid me fecisti sic, quia figulus liberam potestatem habet ex materia luti opus facere quodcunque sibi placuerit.

Paulò pòst ibidem. Considerandum est quòd finis omnium Diuinorum operum est manifestatio Diuinæ bonitatis. Prouerb. 16. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.

Paulò pòst. Finis Reprobationis vel Obdurationis est Manifestatio Diuinæ Iustitiæ & Diuinæ Virtutis, &cætera. Vsus autem malorum ad quem vtitur eis Deus, est ira, id est pœna : Et ideò vocat eos vasa iræ, id est, Iustitiæ instrumenta, quibus Deus vtitur ad ostendendam iram : id est, Iustitiam vindicatiuam, Ephes. 2. Eramus naturâ filij iræ. Actus verò quem Deus erga eos exercet, non est quòd disponat eos ad malum, quia ipsi de se habeant dispositionem ad malum ex corruptione primi peccati. Vnde dicit, Vasa apta, ad interitum : id est, in se habentia aptitudinem ad æternam damnationem, Genes. 6. &c.

Q

Paulo post ibidem. Finis Electionis & miserationis bonorum est, vt manifestaret in eis abundantiam bonitatis suæ, reuocando eos à malo, & ad Iustitiam eos trahendo, & finaliter eos perducendo in gloriam. Et hoc est quod dicit, Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, Ephes. 2. Deus autem qui diues est in Misericordia. Signanter autem dicit: Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ: quia ipsa Condemnatio & Reprobatio malorum, quæ est secundùm Dei iustitiam, manifestat & commendat sanctorum gloriam, qui ab ipsa tali miseria liberantur. Secundò, describit vsum eorum, quum dicit, In vasa misericordiæ. Nominat autem bonos vasa misericordiæ, quia vtitur eis Deus quasi instrumentis ad suam misericordiam manifestandam. Tertiò, ponit Actum quem circa eos Deus exercet. Non enim Deus eos solùm sustinet quasi de se aptos existentes ad bonum: sed eos præparat & disponit vocando ad gloriam. Vnde dicit, quæ præparauit in gloriam.

In 2. ad Corinth. cap. 6. lect. 1. Duplex est gratia, Præueniens scilicet & Cooperans, vel Subsequens: gratia Præueniens quam optare debemus vt simus accepti à Deo. Gratia Præueniens dicitur illa per quam liberamur à peccatis. Gratia verò Subsequens dicitur per quam virtutes nobis ex perseuerantia in bono conferuntur. Secundò, necessaria nobis est gratia Cooperans & hanc petebat Psalmista; Et misericordia eius subsequatur me.

In Epist. ad Galat. cap. 5. lect 6. Opera Spiritus dicuntur fructus: non vt adepti sine acquisiti, sed vt producti.

Paulo post ibidem. Cùm homo per voluntatem exeat in actum: voluntas recta facit bonum vsum omnium potentiarum, & per consequens ipsum hominem bonum.

In Epist. ad Ephes cap. 1. Causa prædestinationis Diuinæ non est necessitas ex parte Dei: nec debitum ex parte Prædestinatorum: sed magis est secundùm propositum voluntatis suæ. Duplex tamen hîc causa huius beneficij immensi assignatur. Vna efficiens, quæ est simplex Dei voluntas, secundùm propositum voluntatis suæ, Rom. 1. & Iac. 1. Voluntariè nos genuit verbo voluntatis suæ. Alia verò causa est finalis, quæ est vt laudemus & cognoscamus bonitatem Dei, quæ notatur ibi in laudem gratiæ suæ, &c. Ratio omnium eorum quæ Deus vult est diuina bonitas, &c. Effectus Prædestinationis sunt duo, gratia & gloria, &c. Gratiæ non potest aliqua ratio assignari ex parte hominis: quia hoc esset ponere, quod principium boni operis sit in homine ex se ipso & non per gratiam quæ est hæresis Pelagiana.

Ibidem. Dicit in laudem gratiæ suæ, non dicit autem, in laudem iustitiæ, nam iustitia ibi locum habet vbi inuenitur debitum vel etiam redditur: quod autem prædestinatur ad vitam æternam non est debitum, sed gratia purè gratis data: quia nullis meritis præcedentibus, sed adhuc immeritis existentibus eam dat.

In 10. caput Epistola ad Romanos lectione 2. Ad fidem duo requiruntur. Vnum, Cordis inclinatio ad credendum: & hoc non est ex auditu, sed ex dono gratiæ. Aliud est determinatio de credibili, & istud est ex auditu.

Aduersus Gentiles lib. 1. cap. 44. Diuersitas seruandorum à damnandis non prouenit ex diuersitate meritorum aut demeritorum, sicut falsò dicebat Origenes, sed ex principali intentione primi Agentis. Origenes non perpendit, quòd quum aliquid non ex debito, sed liberaliter damus, non est contra iustitiam, si inæqualia damus, nulla diuersitate meritorum pensata: quum retributio merentibus debeatur. Deus autem ex nullo debito, sed ex mera liberalitate res in esse produxit. Dat nobis virtutem volendi, &c.

Lib. 3. cap 89. In 1. sentent. dist. 40. Prædestinatio non solùm respicit ordinem in finem, sed etiam exitum vel euentum finis qui est executio finis. Ab æterno Deus proposuit, quòd quosdam permitteret deficere, quibusdam auxilia apposuit ne deficerent, vt in vtrisque manifestaretur virtus Gratiæ, & defectus Naturæ. Deus dicitur Excæcare & Indurare, inquantum nullam relinquit gratiam, non apponendo. Respectu Dei cæcitas & duritia habent rationem Pœnæ: secundùm quod causantur ex actu malæ voluntatis, habent rationem Culpæ, & sic à Deo non sunt.

Dist. 41. Status gratiæ est supra rationem status naturæ. Homo non potest ad statum Gratiæ merendo peruenire. In Prædestinatione duo sunt consideranda, propositum diuinum quod est æternum, & effectus eius temporalis, qui est appositio gratiæ. Hic effectus non habet causam meritoriam. Nam finis voluntatis diuinæ est eius bonitas, quæ esse potest absque salute omnium hominum: vnde voluntas diuina non inclinatur ad dandam gratiam nisi ex mera gratia. Ideo meritum præscitum, non est causa prædestinationis. Non requiritur quare non dem alicui, cui dare non debeo. Sed voluntas damnantis respicit volentis rationem in damnato, quum damnatio ex debito inferatur: quia finis damnationis est iustitia Dei.

Quæst.

Quæst.23. in summa. Prædestinatio non est in prædestinatis, sed in prædestinante: Præscientia non est in præscitis, sed in Præsciente, vt docet August de bono perseuerantiæ, cap.14. Prouidentia non est in rebus prouisis, sed in Intellectu Prouisoris. Prædestinatio igitur est ratio ordinis aliquorum in salutém æternam, nec est aliquid temporale, sed est in mente diuina.

Art.3. Deus aliquos reprobat, ex Malachia c.1. Sicut enim prædestinatio includit voluntatem Dei, conferendi gratiam & gloriam: ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam & inferendi damnationis pœnam pro culpa.

Ibid. At omnes Deus diligit: dicet aliquis. Respondeo, In quantum omnibus vult aliquod bonum: non tamen quodcunque bonum vult omnibus, quod est vita æterna. Et sic Deus dicitur eos odisse & reprobare. Obiectio alia, At prædestinatio est causa salutis. Reprobatio igitur erit causa damnationis. Contra Oseæ 13. Perditio tua ex te. Deus igitur neminem reprobat. Respondeo, Aliter se habet reprobatio in causando, quàm prædestinatio. Nam prædestinatio est causa eius quod expectatur in futura vita à prædestinatis, scilicet gloriæ: & eius quod percipitur in præsenti, scilicet gratiæ. Reprobatio verò non est causa eius quod est in præsenti, scilicet culpæ, sed liberum arbitrium: sed reprobatio est causa derelictionis à Deo: & causa eius quod redditur in futuro, scilicet pœnæ.

Ibid. Art 4. Voluntas Dei qua vult bonum alicui diligendo, est causa quod illud bonum habeatur.

Art 5. Sicut nos saluos fecit, ita prædestinauit nos saluos fieri, *Tit 3.*

Ibidem, Non ergo præscientia meritorum est causa vel ratio prædestinationis. Prædestinatio includit voluntatem Dei. Sic inquirenda est ratio prædestinationis, sicut inquiritur ratio diuinæ voluntatis. Causa autem diuinæ voluntatis non assignatur ex parte actus volendi.

Ibid. Origenes dixit, Effectus prædestinationis præordinari à Deo alicui propter merita. At contrà, Rom.9.&c. Pelagiani posuerunt initium benefaciendi ex nobis. Et merita præexistentia in hac vita dixerunt esse causam & rationem effectus prædestinationis: sed contrà 2.Cor.3. Non sumus sufficientes cogitare tanquam ex nobis ipsis.

Ibid. Voluit Deus in aliquibus hominibus suam repræsentare bonitatem per modum misericordiæ, parcendo: & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum iustitiæ puniendo, Et hæc est ratio quam Apostolus assignat. Rom.9. & 2.Tim.2. Sed quare hos elegit in gloriam & illos reprobauit, non habet rationem, nisi diuinam voluntatem, vt docet August. in Ioan.tract 26.

Adversus Gentiles lib.3. cap.161. Ille qui peccat impedimentum gratiæ præstat, & in quantum rerum ordo exigit, gratiam non deberet recipere: tamen quia Deus præter ordinem rebus inditum, operari potest, sicut quum cæcum illuminat, vel mortuum resuscitat: interdum ex abundantia bonitatis suæ præuenit & conuertit ad bonum. Et sicut non omnes cæcos illuminat, nec languidos sanat, vt in illis virtus eius appareat, in aliis ordo naturæ seruatur. Ita non omnes auxilio suo præuenit: sed aliquos, in quibus vult suam misericordiam apparere, ita quòd in aliis ordo iustitiæ manifestetur. Non est inquirendum quare hos conuertat & non illos. Hoc enim ex simplici voluntate eius dependet, Rom.9.

Ibid. cap.162. Deus dicitur excæcare: quum subtrahit gratiam, secundùm quod eius iustitia exigit. Peccatum prouenit ex defectu proximi agentis, non ex influentia primi agentis. Vt claudicatio prouenit ex tibiæ dispositione, non ex virtute motiua: quum tamen ex ea sit quicquid de perfectione motus in claudicatione apparet, &c.

Cap.163. Prædestinatio, Electio & Reprobatio, necessitatem non inducunt, vt dictum est de Dei prouidentia, quæ contingentiam à rebus non aufert. Quòd autem electio & prædestinatio non habent causam ex aliquibus humanis meritis, fit manifestum: quòd Gratia Dei, quæ est prædestinationis effectus, meritis non præuenitur: Item, quòd Dei voluntas & prouidentia est prima causa eorum quæ fiunt, cuius nulla est alia causa. Rom.11.

In 1.2. qu.79. Omnia mala ordinantur in aliquod bonum, nempe vel ad bonum totius Vniuersi, vel ad gloriam iustitiæ Dei.

Quæst.80. Sola voluntas hominis est directè causa peccati eius.

Quæst.81. Dicendum est, quòd homines omnes ex Adam nati considerantur vt vnus homo, in quantum conueniunt in natura quam à primo parente accipiunt; secundùm quod in ciuilibus omnes homines vnius ciuitatis reputantur quasi vnum corpus, & tota communitas quasi vnus homo. Nam participatione vnius speciei, plures homines sunt vnus homo. Peccatum Originale vocatur peccatum naturæ. Eph.2. Eramus naturâ filij iræ, &c.

Qu.82. In peccato originali virtualiter præ-

ex.ftuit omnia peccata Actualia.

In 2.sent. dist.31.32. Sicut peccatum Actuale tribuitur alicui, ratione singularis personæ: ita peccatum originale tribuitur habita ratione naturæ. Corpus infectum traducitur. Persona Adæ infecit naturam: & natura inficit personam. Corpus non agendo, sed recipiendo inficit animam quæ est subiectum proprium peccati originis. Maculatur anima, quia maculata est natura humana in persona Adam. In omnibus est æqualiter peccatum originis, æqualis culpa.

Lib.4. adu. Gentiles cap 50. Pœna non infligitur iustè, nisi pro culpa. In quibus igitur inuenitur hæc pœna, in iis inuenitur aliqua culpa. Ergo in pueris est peccatum Originis, licet non sit Actuale.

Cap.52. Sed quomodo vnius Adami peccatum imputatur aliis ad culpam? Omnes homines computantur vt vnus homo, per participationem Naturæ communis. Peccatum quod ad aliquod indiuiduum hominem pertinet, non imputatur alteri, eò quòd personaliter vnus ab alio est diuisus. Sed Adæ peccatum, naturam ipsam speciei respicit, ideo ex vno propagatur in alios. Nam originalis iustitiæ bonum, sic primo homini collatum fuit, vt ab eo simul cum natura humana propagaretur: itaque defectus peruenit ad posteros ad quos originalis iustitia peruentura erat. Ita fuit primum peccatum hominis, non tantùm personale, sed etiam naturale: in quantum sibi & posteris suis abstulit beneficium collatum toti humanæ naturæ. Propagatur autem hoc peccatum naturæ, quod Originale dicitur, sicut & ipsa natura speciei.

Cap.54. Ibidem. Peccatum non sine satisfactione remittitur à Deo. Satisfacere pro peccato totius humani generis, nullus homo poterat, ideo oportuit quòd Deus homo fieret.

Albertus Magnus, in quæstione de libero Arbitrio, distinguit quatuor hominis status: Innocentiæ, Culpæ, Gratiæ, Gloriæ.

LEO primus, Papa, *Serm.8.in Epiph.* Dicente discipulis suis Domino, Sine me nihil potestis facere, dubium non est hominem bona agentem, à Deo habere & effectum operis & initium voluntatis.

LOMBARDVS, *Lib.1. sentent. dist.40.* Deus, non sicut præparauit sanctos ad iustitiam percipiendam, sic præparauit iniquos ad iustitiam amittendam: quia prauitatis præparator nunquam fuit.

Ibidem, Sicut prædestinationis effectus est gratiæ appositio, ita reprobationis quodammodo effectus videtur esse obduratio. Nec obdurat Deus impartiendo malitiam, sed non impartiendo gratiam, sicut nec digni sunt, hoc merentur. Obduratio est gratiæ priuatio & subtractio. Non enim, vt ait August. ad Simplicianum, lib.1. tomo 4. Intelligendum est quòd Deus ita induret quasi quenquam peccare cogat, non impellit vt peccent.

Dist.41. Obdurationis meritum inuenimus. Misericordiæ autem meritum non inuenimus. Miseretur secundùm gratiam, quæ gratis datur: obdurat autem secundùm iudicium, quod meritis redditur. Reprobatio Dei, est nolle misereri: ita obduratio Dei, est non misereri. Quum gratiæ, quæ apponitur homini ad iustificationem, nulla sint merita, multò minùs & ipsius prædestinationis, qua ab æterno elegit Deus quos voluit, aliqua possunt existere merita. Nec propter futura merita quæ præuideret, vel illum elegit, vel illum reprobauit. Si Iacob propter futura merita electus esset, iam non ex gratia esset electus. Non ergo ideo electus est à Deo quia talis futurus erat, sed ex tali electione talis est factus. Non ergo propter fidem, vel aliqua merita elegit Deus, vel apposuit gratiam iustificationis: gratuita bonitate sua elegit, vt boni essent. Nullus Dei gratiam mereri potest per quam iustificatur: potest tamen mereri vt non apponatur, vt penitus abjiciatur. Elegit gratuita misericordia, non quia fideles futuri erant, sed vt fideles essent, eisque gratiam dedit, non quia fideles erant, sed vt fierent: Ait enim Apostolus, Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem: non ait, quia fidelis eram.

Dist.45. Magna est adhibenda discretio in cognitione diuinæ voluntatis: quia & Beneplacitum Dei est voluntas eius: & signum beneplaciti eius, dicitur voluntas eius: sed beneplacitum eius æternum est: signum verò beneplaciti eius, non. Fit omne quod beneplacito vult fieri: & omne quod non vult fieri, nequaquam fit. Non ita autem est de signis: quia præcipit Deus multis ea quæ non faciunt, & prohibet quæ non cauent.

Ibid. Mala sinit fieri, sed non facit: bona verè ipse facit.

Quæst.46. Quoties volui congregare filios tuos & noluisti: id est, quotquot congregaui, mea voluntate efficaci, te nolente feci. Ita intelligere oportet quod scriptum est: vult omnes homines saluos fieri: tanquam diceretur: Nullum hominem fieri saluum, nisi quem saluum fieri ipse voluerit. Sic etiam intelligitur illud, Illuminat omnem hominem venientem in

hunc

hunc mundum : non quia nullus hominum est, qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur.

Ibid. Meliùs iudicauit Deus de malis bona facere, quàm mala nulla permittere. Ex malis bona proueniunt : non quia malum sit bonum. Non est enim bonum, malum fieri ab aliquo. Deo auctore homo non fit deterior, sed vitio voluntatis suæ. Bonorum Deus tantùm causa est.

Dist. 47. *lib.* 1. *sent.* Voluntas Dei, vt ait August. in Enchir. c. 100. semper impletur aut de nobis aut à nobis. De nobis impletur, sed tamen non implemus eam quando peccamus. A nobis impletur, quando bonum facimus: ideo enim facimus, quia scimus placere Deo. Præcepit Deus omnibus bona, & prohibuit mala : vt iustitiam suam omnibus ostenderet & mali essent inexcusabiles. Denique vt boni ex obedientia gloriam, mali ex inobedientia pœnam sortirentur. Ea ergo quæ omnibus præcepit vel prohibuit, à quibusdam voluit fieri vel vitari, sed non ab omnibus. Si enim vellet, vtique & fieret.

Dist 48. Vt bona sit hominis voluntas, oportet attendere quid congruat ei velle & quo fine. Actum Iudæorum non voluit Deus : passionem verò Christi voluit. Voluit tota Trinitas vt Christus pateretur, nec tamen noluit: si enim noluisset, nec fuisset. Voluit Christum pati & mori, quia eius passio bonum fuit & causa nostræ salutis. Non volebat Deus actionem Iudæorum quæ mala erat : sed volebat passionem bonam : & hæc voluntas per malas Iudæorum voluntates impleta est. Vnde Augustinus in Enchiridio, cap. 101. Deus quasdam voluntates suas vtique bonas implet per malorum hominum voluntates malas : sicut per maleuolos Iudæos bona voluntate Patris, Christus pro nobis occisus est.

Ibidem, Debuit sanctis placere quòd Christus pateretur intuitu nostræ redemptionis, sed non intuitu ipsius cruciatus : id cupierunt propter liberationem hominis & impletionem diuinæ voluntatis, sed non voluerunt delectatione ipsius afflictionis. In passione Christi quod Deus voluit, hoc idem Iudæi & diabolus : sed illi mala voluntate : Deus verò bona voluntate : verumtamen illi actum voluerunt, quem Deus non voluit.

Dist 46. Est aliquid quod in se bonum est, & cui fit : sed non est bonum facienti, vt quum subuenitur pauperi, sed non propter Deum. Et est aliquid bonum in se & facienti, sed non ei cui fit, vt quum veritas propter Deum alicui non obedienti prædicatur. Et est aliquid in se, & facienti, & ei cui fit, bonum: vt quum veritas prædicatur propter Deum credenti, 2. Corin. 2. Est autem aliud, quod nec in se bonum est, & facienti nocet & damnat, vt malum. Valet tamen ad aliquid: quia ex omnibus consistit vniuersitatis admirabilis pulchritudo, vt ait August. in Enchirid. c. 9. & 11. tom. 3. In qua etiam illud quod malum dicitur, bene ordinatum & loco suo positum, eminentiùs commendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora sint, dum comparantur malis.

Lib. 2. *sent distin* 7. Angeli qui perstiterunt, per gratiam confirmati sunt, & qui ceciderunt à gratia Dei deserti sunt. Et boni quidem in tantùm confirmati sunt per gratiam, quod peccare nequeant. Mali verò per malitiam adeò sunt obstinati, quòd bene velle non valeant. Mentem nostram iustificando formare non potest nisi Deus : prædicare autem extrinsecus Euangelium etiam homines possunt, non solùm boni per veritatem, sed etiam mali per occasionem. *Dist.* 22. Excusatio omnis tollitur, vbi mandatum non ignorant. *Dist.* 23. Cur creauit Deus quos futuros malos præsciebat? Quia præuidit quid boni de malis eorum esset facturus. A se habent voluntatem malam, ab illo naturam bonam, & iustam pœnam. Item inquiunt : Posset Deus voluntatem eorum vertere in bonum, quia omnipotens est. Posset reuera. Cur non fecit ? quia noluit. Cur noluit? Ipse nouit Non debemus plus sapere quàm oportet.

Lib. 2. *dist.* 25. Possunt in homine notari quatuor status liberi arbitrij. Ante peccatum enim nihil impediebat ad bonum, ad malum nihil impellebat. Tunc sine errore ratio indicabat, & voluntas sine difficultate bonum appetere poterat. Post peccatum verò ante reparationem gratiæ premitur à concupiscentia & vincitur, & habet infirmitatem in malo, sed non habet gratiam in bono : & ideo potest peccare, & non potest non peccare, etiam damnabiliter. Post reparationem verò ante confirmationem premitur à concupiscentia, sed non vincitur : & habet quidem infirmitatem in malo, sed gratiam in bono, vt possit peccare propter libertatem & infirmitatem, & possit non peccare ad mortem propter libertatem, & gratiam adiuuantem : nondum tamen habet posse omnino non peccare, vel non posse peccare, propter infirmitatem nondum perfectè absorptam, & propter gratiam nondum plenè consummatam. Post confirmationem verò infirmitate penitus consumpta, & gratia consummata, nec vinci poterit nec premi :. & tunc habebit non posse peccare.

Per peccatum naturalia bona in ipso homine corrupta sunt & gratuita detracta: quanquam naturalia bona, vt ingenium, memoria, intellectus, ex gratia sint: ad generalem quippe gratiam Dei pertinent. Homo naturalibus (illis) bonis non est priuatus, alioquin fieri non posset reparatio: sed spoliatus est gratuitis bonis, quæ per gratiam naturalibus addita fuerant. Quum enim libero arbitrio peccaretur, victore peccato, amissum est liberum arbitrium. Est namque libertas triplex; A necessitate, à peccato, à miseria. A necessitate, & ante peccatum & post æquè liberum est arbitrium. Sicut enim tunc cogi non poterat, ita nec modò. Ideóque voluntas meritò apud Deum iudicatur, quæ semper à necessitate libera est, & nunquam cogi potest. Est & alia libertas à peccato, de qua dicit Apostolus, Vbi spiritus Domini, ibi est libertas, & Veritas in Euangelio: Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Hæc libertas à seruitute peccati liberat, & seruos iustitiæ facit: sicut è conuerso seruitus peccati liberos facit iustitiæ: vnde Apostolus, liberati à peccato, serui factis estis iustitiæ. Quum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Hanc libertatem peccando homo amisit. Istam libertatem quæ est à peccato, illi soli nunc habent quos Filius per gratiam liberat & reparat: non ita quòd penitus sint sine peccato in hac mortali carne, sed vt in eis peccatum non dominetur neque regnet. Et hæc est vera & bona libertas, quæ bonam parit seruitutem, scilicet iustitiæ. Dicitur libertas ad malum faciendum, antequam per gratiam sit reparata: sed quum per gratiam fuerit reparata, dicitur libertas ad bonum faciendum: quia ante gratiam libera est voluntas ad malum, per gratiam verò libera fit ad bonum. Semper ergo voluntas hominis aliquo modo libera est: sed non semper bona est. Non enim est bona, nisi à peccato liberata, est tamen à necessitate libera. Libertatem à miseria habuit homo ante peccatum, quia omni carebat miseria. Sed in hac vita, quæ est inter primum peccatum & vltimam confirmationem, nemo à miseria liber est, quia pœna non caret.

Dist.26. Operans gratia præparat hominis voluntatem, vt velit bonum: Gratia cooperans adiuuat, ne frustrà velit. Operans gratiam præuenit voluntatem bonam. Eâ enim liberatur & præparatur hominis voluntas, vt sit bona, bonúmque efficaciter velit. Cooperans verò gratia voluntatem iam bonam sequitur adiuuando. Ex Augustino contra Iulianum hæreticum qui bonam voluntatem ex libero arbitrio tantùm esse dicebat &c. His testimoniis apertè insinuatur, quia voluntas hominis gratiâ Dei præuenitur atque præparatur vt fiat bona, non vt fiat voluntas: quia & ante gratiam voluntas erat, sed non erat bona & recta voluntas: vnde August. Totum detur Deo qui hominis voluntatem nolentem præuenit vt velit: volentem subsequitur ne frustrà velit bonum. Fides qua iustificatus es, gratis tibi data est, vt ait August. Epist.106. Fides enim Christi (vt ait August. in Enchir.) impetrat quod lex imperat. Et idem August. Et misericordia Dei præueniet me & misericordia Dei subsequetur me.

Dist.27. A sanctis locus Apostoli, Ephes.2. exponitur, quòd scilicet fides non est vi naturæ nostræ, quia donum Dei purè est. Si gratia ex libero arbitrio, vel ex parte est, iam non solus Deus sine homine eam facit. Verè charitas est Spiritus Sanctus, qui animæ qualitates informat & sanctificat: vt eis anima informetur & sanctificetur.

Dist. 30. lib.2. sent. Peccatum Originale est (vt apertè Augustinus testatur lib.13. de Trinit. c.16.) quod per Adam transiuit in omnes per eius carnem vitiatam concupiscentialiter generatos. Est fomes peccati, scilicet concupiscentia vel concupiscibilitas, quæ dicitur lex membrorum, siue lex carnis. Nomine concupiscentiæ non actum concupiscendi, sed vitium primum Augustinus significauit, Serm.12. de verb. & serm.41. de tempore.

Dist.31. Peccatum originale per corruptionem carnis in anima fit. In vase dignoscitur vitium esse, quum vinum infusum acescit. Originale dicitur, quia ex vitiosa lege originis nostræ in qua concipimur, traducitur

Dist 32. Post Baptismum remanet concupiscentia quæ antè fuerat, sed post Baptismum non remanet ad reatum, quia non imputatur in peccatum: sed tantùm pœna peccati est. Peccatum originale necessarium dici potest, quia vitari non potest, vnde & Propheta dicit Psalm 25. De necessitatibus meis erue me. Et voluntarium non incongruè appellatur, quia ex voluntate primi hominis processit.

Dist.33. Reddo iniquitates patrum in filios qui oderunt me. Exod.20. per quod euidenter ostendit, non ideo puniri filios, quia peccauerunt patres, Ezech.18. sed quia eis similes quodam hæreditario malo Deum oderunt. De filiis peccata patrum imitantibus accipiendum ex Hieronymo & Augustino: super quos Deus dicitur reddere peccata patrum, quia punit eos, eò quòd imitantur peccata patrum, non quia patres peccauerunt: patres filij imitari solent.

Distinct.35. Quum peccatum sit priuatio vel cor-

corruptio boni, quæ est in anima: est etiam priuatio vel corruptio boni, corporis. Aliud est culpa, aliud pœna: alterum est Dei, id est pœna: alterum diaboli vel hominis, id est culpa.

Dist.36. Sciendum est tamen quædam sic esse peccata, vt sint etiam pœnæ peccatorum. August. in Psal.57. Vnde Ioan. dicitur, Qui in sordibus est, sordescat adhuc. Et Moyses. Nondum sunt completa peccata Amorrhæorum. Inter primum peccatum apostasiæ & vltimam pœnam, media quæ sunt, & peccata sunt & pœna peccati. Omnis autem pœna peccati, iusta est: ex Deo est. Non inquantum peccata sunt, sed inquantum pœnæ, Dei sunt. Deserendo percutit. Ex August. lib. Retract. & de lib. arb. 3.

Dist.37. Malorum Deus non est author: sed pœnarum Deus author est, Esaiæ 45. Iustum vt mali puniantur.

Lib.3. sent. Dist. 18. Voluit Christus pati & mori pro te, non pro se. Meruit nobis per mortis ac passionis tolerantiam aditum paradysi, redemptionem à peccato, à pœna, à Diabolo: & per mortem eius hæc adepti sumus, redemptionem & filiorum gloriæ adoptionem. Ipse enim moriendo factus est hostia nostræ liberationis. Omnes alij homines debitores erant. Nullus ergo eorum hostiam poterat offerre sufficientem.

In Decretis, cap.25. qu.4. Non necessitatem facit correctionis vel obdurationis diuina prædestinatio seu præscientia: quum boni per gratiam corripiantur: & libero arbitrio mali pereant.

Cap.24 qu 2. Ecclesia viuentes potest ligare vel soluere, sed non mortuos absoluisse non legimus.

Can. ex Concilio Mileuitano, Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, non potest reparari nisi per gratiam baptismi. Quod amissum nisi à quo potuit dari, non potest reddi: vnde veritas dicit: Si vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operatur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit. Quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.

Gregorius Papa, *Dial.4.cap.44.* Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur: quia verò iustus est, ab iniquorum vltione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio deputati, sua quidem iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid ardebunt, scilicet vt iusti omnes, & in Deo videant gaudia quæ percipiant supplicia quæ euaserunt: quatenus tantò magis in æternum gratiæ diuinæ debitores se esse cognoscant, quantò in æternum mala puniri conspiciunt, quæ eius adiutorio vicerunt.

In Euangelia hom.30. Nisi Spiritus Dei adsit cordi audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo homini docenti tribuat, quod ex ore docentis intelligit: quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exteriùs in vacuum laborat. Quum ergo vox dispar non sit, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia: nisi quia per hoc quod vox loquentis communiter admonet, est magister interior, qui de vocis intelligentia quosquam specialiter docet? De hac vnctione Spiritus dicitur per Ioannem: Sicut onctio eius docet vos de omnibus. Per vocem ergo non instruitur, quando mens per Spiritum non vngitur. Certè Cain audiuit: Peccasti, quiesce. Sed quia culpis suis exigentibus, voce est admonitus, non vnctione Spiritus, audire verba Dei potuit, sed seruare contempsit. Electi mandata Dei nequaquam frigido corde audiunt.

In Psalm. pœnit. Nisi Deus vasa iræ fecisset vasa misericordiæ neminem ab illa perditionis massa conuersatio sancta discerneret, neminem à pœnà perpetuæ mortis iustitia propria liberaret. Gratiam pro gratia dat: misericorditer tribuit vt bene operetur.

Cyrillus *Alex. In Ioan. lib 6.cap.2.* Seruus non manet in domo in æternum, Filius autem manet. Quemadmodum Filius (qui est caput corporis Ecclesiæ) filiationis suæ participationem aliis pro inenarrabili benignitate sua communicat, & adoptionem filiorum Dei elargitur: ita & libertatis à peccato gratiam illis præstat, & manendi in domo Dei prærogatiuam. Quicunque igitur per gratiam Christi (qui verus est Dei Filius) effecti fuerint etiam filij Dei per adoptionem atque cohæredes Christi, illi quoque liberi fient à peccato, & in vtraque Dei domo manebunt in æternum. Non enim potest qui seruituti peccati subjacet, seipsum pro arbitratu suo ab eo iugo eripere, etsi se sponte sua coniecerit in miseriam illam conditionem, ab alio liberetur oportet, vtpote à vero Filio Dei. Nulla tentetur alia recuperandi libertatem via: quia per illum solum conceditur vera libertas à peccatis, vt hîc peccatum non dominetur, neque regnet in mortali nostro corpore, & in futuro seculo, vt omnino peccatum locum non habeat.

*Ibid.lib.8.cap.*17.Verùm quum non omnium sit fides, quomodo se omnia tracturum ad se dixit Dominus? Atqui non hoc ad vniuersitatem hominum retulit, sed quod non animas nostras solùm, sed & corpora reduxit ad immortalitatem per passionis suæ virtutem & resurrectionis gloriam. Aut si per Omnia, ipsi homines intelligendi sunt, omnia prædestinata ad salutem possumus dicere, aut certè omnia hominum genera: secundùm innumerabiles differentias, quibus inter se præter sola peccata homines distant. Quod autem non omnes trahantur, eorum efficitur culpa qui renituntur trahenti. Non abs re traham, dicit: quasi à tyranno detentos, & per seipsos nequeũtes accedere, atque sæuas illius manus effugere.

*Consil.Valentin.in Delphin ann.*855.De præscientia Dei & de prædestinatione non est cum scandalo disputandum. Hæc Synodus damnat eos qui docebunt, sanguinem Christi infusum pro impiis: Affirmat pro solis fidelibus fusum esse.

COROL.

COROLLARIVM.

De Certitvdine Remissionis Peccatorvm, efflorescens ex superiori doctrina de Iustificatione, de Prædestinatione, de Electione & de Libero Arbitrio.

Caput primum.

Rom.4.16.

I *Deo ex fide, vt sit per gratiam: vt firma sit promissio toti semini.*

Rom.8.16. *Ipse Spiritus, testimonium reddit spiritui nostro nos esse filios Dei.*

Ioan.3.36. *Qui credit in Filium, habet vitium æternam.*

Ioan.5.24. *Qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit: sed transiuit à morte in vitam.* 1 Ioan.5.10. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in seipso: qui non credit Deo, mendacem eum facit. Hæc scripsi vobis qui creditis in nomen Filij Dei: vt sciatis vos vitam æternam habere.*

Psal.30. *In te speraui, non confundar in æternum. Qui confidit in Domino, sicut mons Sion in æternum non commouebitur.*

Iob. *Etiamsi me occiderit tamen sperabo in eū.*

1.Ioan.3. *Scimus quòd translati sumus ex morte ad vitam.*

Rom.8. *Non accepistis spiritum timoris sed virtutis & charitatis* &c.

1.Pet.3. *Perfectè sperate in eam quæ ad vos defertur gratiam.*

Hebr.6.19. *Deus volens ostendere hæredibus promissionis immutabilitatem consilij sui, fideiussit iureiurando: vt per duas res immutabiles, in quibus impossibile est mentiri Deum, validam consolationem habeamus qui confugimus ad tuendam propositam spem: quam velut animæ anchoram habemus tutam & firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, quò præcursor pro nobis introiit Iesus.*

Heb.10. *Accedamus vero corde in* πληροφορίᾳ, *certa persuasione fidei. Fides* ὑπόστασις, ἔλεγχος, παῤῥησία πεποίθησις, *id est certa & firma fiducia.*

Rom.5. *Per Iesum Christum etiam fide habemus hunc aditum in gratiam hanc in qua stamus & gloriamur sub spe gloriæ Dei: neque id solum, sed etiam gloriamur in afflictionibus.*

Rom.8. *Quis accusabit electos Dei? Deus est qui iustificat. Quis est qui condamnet? Christus est qui postulat pro nobis. Quid nos separabit à charitate Christi? num oppressio,* &c. *Certus sum quia neque mors, neque vita neque potestates, neque vllam rem creatam posse nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

2.Cor.13.5. *Ipsi vos probate: annon cognoscitis vosmetipsos. Iesum Christum in vobis esse?*

Rom.4.18. *Abraham pater omnium nostrûm centra spem sub spe credidit. Aduersus promissionem Dei non hæsitauit diffidentiâ: sed confirmatus est fide, dans gloriam Deo: Plenissimè sciens,* πληροφορηθείς, *quia quæcunque promisit, potens est & facere.*

Matt.14.31. O *modicæ fidei*, siue ô *exiguæ fide prædite, quid dubitasti?* ὀλιγόπιστε εἰς τί ἐδίστασας;

Iac.1.6. *Postulet in fide, nihil hæsitans: Qui enim hæsitat, vel disceptat* διακρινόμενος *similis est fluctui maris qui ventis iactatur.* Luc.7. *Remittuntur tibi peccata tua: vade in pace.*

Matth.9. *Confide remittuntur tibi peccata.*

1.Cor.1.20. *Quotquot promissiones Dei in ipso illo sunt etiam ideo per ipsum Amen. Qui autem nos confirmat vobiscum in Christum, & qui vnxit nos, Deus est: qui etiam obsignauit nos, deditque arrhabonem Spiritus in cordibus nostris.*

Ephes.1.13. *In Christo & vos, quum audissetis verbum veritatis, Euangelium salutis vestræ, in quo & credentes obsignati estis Spiritu promissionis Sancto: qui est arrhabo hæreditatis nostræ, in redemptionem.* Rom.8.15. *Non accepistis Spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba Pater.*

Esa.43. *Et nunc sic dicit Dominus creans te Iacob, & formans te Israel: Noli timere. Ego enim redemi te, & vocaui te nomine tuo meus es tu. Quia ego Dominus Deus tuus saluator tuus. Noli timere, quia ego tecum sum. Ne memineritis priorum & antiqua ne intueamini: Ecce ego facio noua.*

Iac.1.5. *Si cui vestrum deest sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, nec exprobrat, & dabitur ei. Sed postulet cum fide, nihil hesitans: qui enim hæsitat similis est fluctui maris qui à vento mouetur.*

Rom.8.26. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus. Scimus autem quoniam omnibus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

1.Cor.1.9. *Fidelis Deus per quem vocati estis in communionem filij ipsius.*

Philip.1.6. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Iesu Christi. Inoffenso cursu pergatis ad diem vsque Christi. Mihi Christus & in vita & in morte lucrum.*

1.Cor.10.13. *Fidelis est Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed præstabit vnà cum tentatione etiam euasionem.*

Ps.138. *Opera manuum tuarum ne despicias.*

1.Thess.3. *Fidelis est qui vocauit nos, qui etiam id efficiet.*

Rom.10.9. *Si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo quòd Deus illum excitauit à mortuis seruaberis. Quisquis inuocauerit nomen Domini seruabitur.*

Deut.7.9. *Deus est fidelis custodiens pactum & misericordiam diligentibus se & iis qui custodiunt præcepta eius.*

Cap.10.12. *Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius?*

Ephes.4.30. *Ne tristitia afficite Spiritum S. Dei in quo obsignati estis in diem redemptionis.*

Coloss.3. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: quando Christus vita nostra patefactus fuerit, tum & vos cum eo patefietis gloriosi. Superna quærite vbi Christus est ad dexteram Dei.*

Psalm.36. *Dixit iniustus vt delinquat in semet ipso. non est timor Dei ante oculos eius. Noluit intelligere vt bene ageret. Domine in cœlo misericordia tua: & veritas tua ad æthera vsque Iustitia sicut montes: iudicia tua abyssus multa. Multiplicauisti misericordiam, Deus: filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. De torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te fons est vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Prætende misericordiam tuam scientibus te & iustitiam tuam his qui sunt recto corde. Nec mihi veniat pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me.*

1.Cor.15. *Si in hac solùm vita sperarem us in Christum miserrimi omnium essemus.*

Apoc.1. *Christo qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris per sanguinem suum: & fecit nos reges & sacerdotes Deo & Patri suo, ipsi gloria & imperium in secula seculorum. Amen.*

Adde Leuit.11.44.45.

Deut.32.6.15.

1.Sam.2.25.30.

Esa 2.5. & 3.10.11. & 12.2.6. & 25.8.9. & 26.8.9.19. & 29.19. & 35.10. & 38.17. & 40.31. & 41.10.17. & 45.17.19. & 46.13. & 48.17. & 49.4.14.15. & 50.10. & 51.12. & 55.6.7. & 57.15.21. & 63.7.8.9.15.16. & 64.4.8. & 65.13.17. & 66.22.24.

Ezech.11.21. & 18.30.31.32.

Matth.16.26. & 22.30.31.32. & 24.30.31.37.38.42.50. & 25.4.10.13.32.33.34.41.46.

Luc.1.74. & 2.30.31. & 9.56. & 10.20. & 15.7.10.18.19.20. & 16.25. & 19.10. & 12.35.37.40.47.

Ioan.2.13. & 5.29. & 6.27. & 8.51. & 11.23.24. & 12.48. & 14.2.3.13.14.15.16.23.24. & 15.5.10.14.15. & 17.15.20. & 18.36.

Act.2.25.26. & 3.26. & 7.59. & 11.26. & 13.52. & 14.22. & 24.15.16. & 26.20.

Rom.2.4.5.6.7.9.10.

EX PATRIBVS.

CAPVT II.

AVGVSTINVS *In Psalmum* 32. Teneamus fidelissimum debitorem quia tenemus misericordissimum promissorem.

*In Psal.*41. Noli sperare de te, sed de Deo tuo. Nam si speras de te, anima tua conturbatur ad te.

In Psal 66. Noli timere iudicem. Antequam esses fidelis timebas: sed iam inuenisti Saluatorem. Impium te quæsiuit vt redimeret: redemptum deseret vt perdat?

*In Psalm.*88. Ille qui promisit, cætera completurus est. Dat enim nobis ad eum fiduciam, non

non meritum nostrum sed illius misericordia. Nemo in hoc seculo robustus, nisi in spe promissionis Dei. Quantum enim attinet ad merita nostra, infirmi sumus: quantum ad eius misericordiam, robusti sumus. Itaque iste infirmus in se, robustus in misericordia Dei inde cœpit, misericordias tuas Domine in æternum cantabo.

Ibid. Illius capitis membra sumus, non potest hoc corpus decollari. Si in æternum caput, in æternum gloriantur & membra.

Ibid. Quia ergo non secundùm merita nostra, sed secundùm illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare, vnde non potest dubitare.

Ibid. Quoniam dixisti, securus loquor. Si securum me facis quia dixisti, quantò securiorem, quia iurasti? Dei quippe iuratio, promissionis est confirmatio.

*Serm.*28. O homo, faciem tuam non audebas ad cœlum attollere, oculos tuos in terram dirigebas, & subitò accepisti gratiam Christi. Omnia tibi peccata dimissa sunt. Ex malo seruo, factus es bonus filius. Ideo præsume non de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratia enim saluati estis, Apostolus ait: non ergo hic arrogantia est, sed fides: prædicare quod acceperis, non est superbia, sed deuotio. Ergo attolle oculos ad Patrem qui per filium te redemit: & dic, Pater noster. Sanguine Christi pacificata sunt omnia.

In Psal 51. Boni ciues Hierusalem, non in se, sed in Domino gloriantur. Nec de te præsumas: nec de iniusto desperes.

Ibi. Qui iudex tuus futurus est, ipse est hodie aduocatus tuus.

In Psalm 36. Fratres ante omnia custodite hæreditatem nostram de qua securi sumus, nos in Testamento patris nostri esse: inde securi sumus. Qui fecit testamentum hæredi suo, ipse iudicabit de testamento suo. Quàm igitur secura est nostra victoria, quum ille iudicabit qui testatus est!

*In Psal.*37. Quare dicit Apostolus, natura filij iræ fuimus? Quia spe iam non sumus: certi sumus de spe. Non enim incerta est spes nostra, vt de illa dubitemus. Rom.8.&c. Si fides nostra sit sincera in illo, sumus in corpore ipsius. Apostolus salutem corporis expectabat.

In Psal 148. Promissum est nobis aliquid quod nondum habemus, & quia verax est qui promisit in spe gaudemus: quia tamen nondum habemus, in desiderio gemimus.

Ibid. Ibi nulla miseria est, in qua fiat misericordia. Et quid sumus, vt ibi simus? Mortales, proiecti, abiecti, terra & cinis. Sed qui promisit omnipotens est. Si ad nos attendamus, qui sumus? Si ad illum, Deus est, omnipotens est. Aut verò pro minimo Deus habet hominem, propter quem mori voluit vnicum suum? Attendamus ad iudicium dilectionis & promissionis Dei. Tales arras accepimus. Tenemus mortem Christi, tenemus sanguinem Christi. Erigat ergo se humana fragilitas, non desperet, non se collidat, non se auertat, non dicat: Non ero cui promisit. Deus est, & venit vt promitteret, apparuit hominibus, venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam. Dedit exhortationem, dedit doctrinam, dedit remissionem peccatorum: accepit contumelias, crucem, mortem. Promisit nobis quod ibi futuri sumus, vbi ipse est: erimus cum illo. Quid tibi promisit Deus, ô homo mortalis? Quia victurus es in æternum. Non credis? crede, crede. Plus est iam quod fecit, quàm quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promisit? vt viuas cum illo. Incredibilius est quod mortuus est, æternus, quàm vt in æternum viuat mortalis. Iam quod incredibilius est tenemus. Si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? Non est victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus est qui viuit in æternum? Sed quomodo mortuus est Deus? Accepit ex te, vnde moreretur pro te. Induit se vbi moreretur pro te: induet te vbi cum illo viuas. Quiddam vestrum iam sursum est, quod hic accepit vbi mortuus est, vbi crucifix est. Iam quædam primitiæ tuæ præcesserunt, dubitas quia secuturus es? Nunquid membra longè sunt à capite? Ecce populus, ecce appropinquans Israel, & cum illo modò spe, postea re.

*Confess. lib.*13. Hoc intelligere quis hominum dabit homini? A te petatur, in te quæratur, ad te pulsetur. Sic accipietur, sic inuenietur, sic aperietur.

Sermone 119. *de temp.* Qui modò est Aduocatus noster, tunc erit Iudex noster.

*Serm.*182. Amen, in his petitionibus significat indubitanter à Domino conferri.

*Epist.*52. Neque facit beatum hominem, nisi qui fecit hominem. A Deo in me perfici fideliter spero à quo inchoatum esse humiliter gaudeo: non meo ingenio vel merito, sed eius dono sum, si quid laudabiliter sum. Nec in eo quod adhuc non donauit incredulus, nec in eo quod iam donauit ingratus.

*Serm.*109. Donat peccata conuerso: venia datur mutato. Qui nos tanto pretio emit, non vult perire quos emit. Deus pretium magnum dedit, & emit quos viuificat.

Ep.6. Consoletur te fides & spes tua & charitas quæ diffusa est in cordibus piorum per Spiritum Sanctum: cuius nunc aliquid pro piguore accepimus, vt ipsam plenitudinem desiderare nouerimus. In interiore homine habens præsentem Christum per fidem in corde tuo.

Serm.16. de verb. Apost. Si dixerimus, nihil nos iustitiæ habere, aduersus Dei dona mentimur, nec fidem habemus. Si fidem non habemus, Christiani non sumus. Si autem fidem habemus, iam habemus aliquid iustitiæ. Iustus ex fide sua viuet. Iustificati sumus, iusti sumus.

Epist.138. Vt qui ruinam domus vident imminere, ad loca munitiora festinantiùs migrant: ita quum Christiani sentiunt mundi ruinam, debent sua bona in thesaurum cœlestem celeriter transferre.

In Psalm.85. Audeat corpus Christi, & homo clamans cum capite suo & sub capite suo, dicere: Sanctus sum. Accepit enim gratiam sanctitatis, gratiam Baptismi & Remissionis peccatorum. Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Si enim dixeris te sanctum esse ex te, superbus es. Rursus fidelis in Christo & membrum Christi, si te non dixeris esse sanctum, ingratus es: imò & habere te agnosce, & ex te nihil habere, vt nec superbus sis, nec ingratus. Dic Deo tuo, Sanctus sum: quia sanctificasti me: quia accepi, non quia habui: quia tu dedisti, non quia ego merui. Christum induistis, si membra sunt facti corporis eius, & dicunt se sanctos non esse, capiti ipsi faciunt iniuriam, cuius membra sancta sunt: iam vide vbi sis, & de capite tuo dignitatem cape. Ergo dicat & vnusquisque Christianus, imò dicat totum corpus Christi, clamet vbique, Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.

Serm.43. de verbis Dom. Quid vultis, ô sancti, ô boni præliatores, ô fortes milites Christi? Quid vultis? Vt non sint omnino concupiscentiæ malæ, sed non potestis. Exercete bellum, sperate triumphum. Modò enim interim pugnatur.

Soliloqu. lib.3. Deus Pater noster, qui vt oremus, hortaris: qui & hoc quod rogaris præstas. Exaudi me palpitantem in tenebris, prætende mihi lumen tuum. Reuoca me ab erroribus, vt te duce in me redeam & in te.

Bernardus, Sermone 2 in oct. Pascha. Quando sine testimonio electos suas deserit Deus? Quænam consolatio inter spem & metum, si nullum omnino electionis suæ testimonium? Fidelis proinde sermo, & omni acceptione dignus, quo salutis testimonia commendantur. Christus est qui sanguinem proprium dedit in redemptionem: emisit deinde Spiritum suum. Quis est qui testimonium habet effusi non sine causa sanguinis Christi: nisi qui continet à peccatis?

Serm.1. in Asc. Dom. Non difficile est nosse signa indubitata credulitatis, ac per hoc & salutis.

In Circumcis. Venit Dominus nos non solùm redimendos sanguinis effusione: sed & docendos verbis.

Epist.190. Absit vt putemus in fide vel spe nostra aliquid dubia æstimatione pendulum, & non magis totum quod in ea est, certa ac solida veritate subnixum, oraculis & miraculis diuinitus persuasum stabilitum & consecratum partu Virginis sanguine redemptoris, gloria resurgentis. Ipse postremo Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod Filij Dei sumus. Quomodo ergo fidem quis audet dicere æstimationem nisi qui Spiritum istum nondum accepit, quive Euangelium ignoret: Scio cui credidi, & certus sum, clamat Apostolus: & tu mihi subsibilas, Fides est æstimatio? Tu mihi ambigũ garris, quo nihil est certius? Sed Augustinus aliter: Fides, ait, non coniectando vel opinando habetur in corde in quo est, ab eo cuius est: sed certa scientia, acclamante conscientia. Absit ergo, absit vt hos fines Fides habeat Christiana. Academicorum sint istæ æstimationes, quorum est dubitare de omnibus, scire nihil. Ego verò securus in magistris gentium sententiam pergo, & scio quoniam non confundar. Placet mihi, fateor, illius de Fide definitio: Fides est, ait, Substantia rerum sperandarum: argumentum non apparentium. Substantia, inquit, rerum sperandarum, non immanium phantasia cõiecturarum. Audi substantiam, non licet tibi in fide putare vel disputare pro libitu, non hac illacque vagari per inania opinionum, per deuia errorum. Substantiæ nomine aliquid tibi certum fixúmque præfigitur. Certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris. Non est enim fides æstimatio: sed certitudo.

De fragm. septem miser. serm.3. Tria considero in quibus tota mea spes consistit. Charitatem adoptionis: Veritatem promissionis: Potestatem redditionis. Murmuret iam quantum voluerit cogitatio mea: dicens, Quis es tu, aut quanta est illa gloria, aut quibus meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo. Scio cui credidi. Et certus sum, quia in charitate nimia adoptauit me: quia verax est in promissione, quia potens in exhibitione. Hic est funiculus triplex quem firmiter teneamus: vt ipse nos subleuet, ipse nos

trahat

trahat vſque ad conſpectum gloriæ magni Dei,

*De adventu Dom.ſerm.*4. Adueniens Saluator reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Si tamen fuerit priùs cor reformatum & configuratum humilitati cordi eius.

Serm. in adv. Dom. Vbi bene erit ſine illo? vbi malè cum illo?

*In annunt. Mariæ, ſerm.*1. Teſtimonium conſcientiæ noſtræ, non tale quale ille Phariſæus habebat, ſeducta & seductrice cogitatione, teſtimonium perhibens de ſeipſo, & teſtimonium eius verum non erat:ſed quum Spiritus ipſe perhibet teſtimonium ſpiritui noſtro. Porrò hoc teſtimonium in tribus conſiſtere credo. Neceſſe eſt enim,primò omnium credere, quòd remiſſionem peccatorum habere non poſſis niſi per indulgentiam Dei. Deinde quòd nihil prorſus habere queas operis boni, niſi & hoc dederit ipſe. Poſtremò,quod æternam vitam nullis operibus potes promereri, niſi gratis detur & illa. Quis enim poteſt facere mundum de immundo, niſi qui ſolus eſt mundus? Vtique quod factum eſt, non poteſt non fieri, ipſo tamen non imputante quaſi non fuerit. De operibus verò bonis, certum eſt omnino, quòd nemo hæc habeat à ſeipſo, Neque talia ſunt hominum merita,vt propterea vita æterna debeatur ex iure. Nam vt taceam,quòd merita omnia Dei ſunt dona quid ſunt merita omnia ad tantam gloriam? Ipſe peccata condonat, ipſe donat merita, & præmia ipſe nihilominus redonat. De remiſſione peccatorum,validiſſimum teneo argumentum: Dominicam paſſionem. De operibus bonis,efficax argumentum mihi eſt Reſurrectio eius. De ſpe præmiorum eſt eius aſcenſio: hæc tria habes, Pſal.32.

*In annunt Dom.ſerm.*2. Infidelis fiducia & maledictionis, quum in ſpe peccamus: non fiducia eſt dicenda ſed inſenſibilitas quædam & diſſimulatio pernicioſa,&c. In nobis quidem timoris,in ipſo autem cauſa fiduciæ.

*In Pſalm 91. ſerm.*1. Alij ſunt non ſperantes, vt qui confidunt in virtute ſua, in diuitiis, &c. non ſunt in auditorio Domini. Sunt alij qui deſperant, circa infirmitatem ſuam ſemper intenti. In adiutorio Domini non habitant, &c. Alij ſperant in Domino, ſed fruſtra: quia de miſericordia eius ſic ſibi blandiuntur, vt à peccatis ſuis non emendentur. Maledictus,inquit Propheta,qui peccat in ſpe. Nullius horum trium habitat in adiutorio altiſſimi. Primus enim habitat in meritis ſuis: ſecundus in pœnis: tertius in vitiis. Immunda habitatio tertij, anxia ſecundi, ſtulta & periculoſa primi. Quid enim ſtultius, quàm habitare in domo vix inchoata? ruinoſa eſt hæc habitatio: periculoſa habitatio eorum qui in meritis ſuis ſperant,periculoſa,quia ruinoſa. Soli in adiutorio Altiſſimi habitant qui id ſolum obtinere deſiderant, id ſolum amittere trepidant.

*Serm. de ingrat. Pſalm.*15. qui ingreditur ſine macula requieſcet,&c.Sed hæc,inquies,præparatio ſoli Chriſto conuenire videtur? Nemo enim cæterorum omnium mundus à ſorde,nec infans cuius eſt vita vnius diei ſuper terram: itaque ſolus agnus ſine macula intrabit. Quid igitur nos? Itáne deſperabimus? Imò verò ſperabimus hinc maximè. Licet enim ſolus,ſed profectò totus intrabit, & os non comminuetur ex eo:non ſine membris caput inuenitur in regno, ſi tamen membra fuerint conformia ſibi,& cohærentia capiti ſuo.

*In ſent.cap.*10. Duo ſunt in quibus conſiſtit noſtra ſalus.Iuſtificatio & Glorificatio.Et nunc quidem iuſtificatio fit per fidem:quanta autem ſit futura glorificatio, humanus interim non poteſt attingere intellectus.

*In Pſalm.91. ſerm.*16. In quo horum quæ ſunt ſub Sole, ſperas ſolatij aliquid, aliquid auxilij inuenire? Si quæras intra te, aruit cor tuum, & obliuioni datum te reperis. Quære ergo ſupra te. Ex tua promiſſione ſperamus, Domine. Inde audemus dicere, Si corde clamemus pio, certè debes ex promiſſo. Surſum cor, ſurſum clamor: omnis tua expectatio deſurſum eſt.

Serm 31 in cant. humiliabitur homo in vera cogitatione ſui, quum ſe percepit anima oneratam peccatis, infirmam, implicitam erroribus.Ego quandiu in me reſpicio, in amaritudine moratur oculus meus. Si autem leuaro oculos ad diuinæ miſerationis auxilium, temperabit amaram mei viſionem, cui & dico, Ad meipſam anima mea conturbata eſt, propterea memor ero tui.

Serm 37. in Cant. Domine Ieſu, à te non modò peccata donata ſunt: ſed & munus ſanctitatis indultum eſt: addita ad cumulum promiſſio vitæ æternæ.

*Cyprianus ep.*6. Qui mortem ſemel vicit pro nobis,ſemper vincit in nobis.

De mortalitate. Quis hic anxietatis & ſollicitudinis locus eſt? quis inter hæc trepidus & mœſtus eſt, niſi cui ſpes & fides deeſt? Eius eſt enim mortem timere, qui ad Chriſtum nolit ire: eius eſt ad Chriſtum nolle ire, qui ſe non credat cum Chriſto incipere regnare. Scriptum eſt enim, iuſtum fide viuere. Si iuſtus es, & fide viuis, ſi verè in Deum credis,

cur non Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris? amplecteris: & quod diabolo careas, gratularis?

Ibid Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus de hoc mundo recedenti tibi immortalitatem atque æternitatem pollicetur: & tu dubitas? hoc est Deum omnino non nosse: hoc est credentium magistrum & dominum peccato incredulitatis offendere: hoc est in Ecclesia constitutum, fidem in dono fidei non habere.

Ambrosius in epist ad Rom cap.3. tomo 5. Hominem mendacem incredulitatis causa signauit: homo mendacem Deum pronuntiat, quando promissis eius non credit. Igitur omnem hominem mendacem dicit, qui diffidens est de promissis Dei. Videbit carnis resurrectionem, & sciet victam esse perfidiam pollicitatione & veritate Dei.

Ibid.c.4. Ex dono non solùm remissionem peccatorum accipimus, sed Dei filios nos fieri profitetur, vt beatitudo hæc perfectam habeat & securitatem & gloriam. A Deo adoptamur in filios. Nihil potuit donare vltra credentibus quàm vt filij Dei dicantur, perfidis abdicatis.

Ibid.in cap.5. Non tantùm pro accepta salute & securitate, Deo gratias agendas docet, sed & gloriandum per Christum Iesum in Deo, qui dignatus est ex impiis & inimicis dici nos suos amicos: vt omnia beneficia per Christum nos accepisse gaudeamus: vt qui per ipsum cognouimus Deum, gloriantes in ea, reddamus ei honorificentiam.

In cap.8. ep. ad Rom. Talem gratiam consecuti sumus, vt audeamus dicere Deo, Abba pater. Ideó pie commonet ne accepta fiducia in temeritatem vertatur. Si enim huic voci qua dicimus Abba pater, dissimilem conuersationem exhibeamus, iniuriam Deo facimus, cum vocantes patrem.

De Iacob & vita beata cap 6. lib.1. tom.4. Hæredem te fecit: cohæredem te fecit. Tanti igitur beneficij non rependes obsequium? Spiritum tibi adoptionis infudit. Numera hæc, & adiunge: non tam ad debiti nexum, quàm ad muneris accepti conseruationem. Vide quomodo peccata superiora donauit, vt nihil faceret obesse quod peccasti. Vide quomodo hortatur ne amittas quod accepisti. Quid enim té augit? An ignobilitatis abiectio? &c. Sed veteris dubios vitæ anfractus, & aduersarij insidias, quum habeas Dei auxilium, habeas tantam eius dignationem: vt filio proprio pro te non pepercerit, totum pro te obtulit. Considera affectum patrium. Ille propter te, dispendia nostra suscepit, vt te diuinis insereret, cœlestibus consecraret. Mirè etiam addit Apostolus, Pro nobis omnibus tradidit illum. Pro quibus igitur quod super omnia est dedit, potest fieri vt non in illo vniuersa donauerit? Nihil est igitur quod negari posse nobis vereamur. Nihil est in quo de munificentiæ diuinæ diffidere perseuerantia debeamus, cuius fuit tam diuturna & iugis vbertas, vt primò prædestinaret, deinde vocaret: & quos vocaret, hos iustificaret: & quos iustificaret, hos & glorificaret. Poterit deserere quos tantis beneficiis suis ad præmia prosecutus est? Inter tot beneficia Dei num metuendæ sunt aliquæ accusatoris insidiæ? Sed quis audeat accusare quos electos diuino cernit iudicio? Nam Deus ipse pater qui contulit, potest sua dona rescindere: & quos adoptione suscepit eos à paterni affectus gratia relegare? Sed metus est, ne iudex seuerior sit. Considera quem iudicem habeas. Nempe Christo dedit pater omne iudicium. Poterit ergo te ille damnare, quem redemit à morte, pro quo se obtulit, cuius vitam suæ mortis mercedem esse cognoscit? Nónne dicit. Quæ vtilitas in sanguine meo, si damno quem ipse saluaui? deinde consideras iudicem non consideras aduocatum? Potest iste seueriorem ferre sententiam, qui interpellare non desinit vt paternæ reconciliationis in nos conferatur gratia?

Cap.7. Cur nos pro illo non etiam dura & acerba toleremus, qui pro nobis tam indigna suscepit? Ideóque in nobis debet esse charitas, vt nullis periculis reuocemur à Christo.

In Psalm 39. tom 4 Totus ex persona Christi iste psalmus est: ideo iustitiam meam dicit: licèt non arroganter & homo dicere possit, iustitiam suam, qui Deo credit; & fidem suam sibi reputari ad iustitiam confitetur.

Lib.2. de pœn. cap 8. Serua Domine munus tuum: custodi donum quod contulisti, etiam refugienti.

Libr.1. de vocat.gent. Qui adhæret Deo vnus spiritus est: dum per communionem illuminantis & illuminati, iustificantis & iustificati, omnis actio ad vnum refertur, vtriusqve est. Quia nec à Deo alienari potest, quod dedit: nec ab homine quod accepit.

Ibid. cap.3. Non fidat de viribus suis, quæ etiam quum essent integræ non steterunt: sed per illum quærat victoriam, qui solus non est victus, & vicit. Si quærit, non dubitet quærendi affectum ab illo se accepisse quem quærit.

Ibid. Obedituros promisit, qui dixit, dabo. Perseueraturos promisit, qui dixit, Timorem meum

meum dabo in cor eorum.

Cap.6. Ille inchoat, ille auget, ille perficit, cuius ædificatio & figmentum sumus. Dona Dei non sunt incerta, nec mutabilia, sed ex æterna voluntate venientia.

Epist.20. lib.5. tom.3. Ego non iudico, qui sanguine meo redimo peccatores: Ego non iudico, qui deleo iniquitates: Ego non iudico, qui iustifico.

De Sacram 5. cap.4. tomo 4. O homo faciem tuam non audebas ad cœlum attollere, oculos tuos in terra dirigebas, & subitò accepisti gratiam Christi, omnia peccata tibi dimissa sunt. Ex malo seruo factus es bonus filius: ideo præsume, non de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratia enim saluati estis, Apostolus ait: Non ergo hîc arrogantia est, sed fides. Prædicare quod acceperis, non est superbia, sed deuotio. Ergo oculos attolle ad Patrem, qui te per lauacrum genuit: ad Patrem qui te per Filium redemit, & dic: Pater noster. Bona præsumptio, sed moderata: dic tu per gratiam, quasi Filius, Pater noster.

De bono mortis. Nolite timere ab iniquitatibus, inquit Dominus: Ego sum peccatorum remissio. Nolite timere à tenebris, ego sum lux. Nolite timere à morte, ego sum vita.

Chrysost. hom. de nom. Abram. tomo 1. Non tam certa quæ in manibus, atque ea quæ in spe. Non sic manifesta est præsens hæc vita, vt futura illa. Hanc enim videmus nostris oculis: illam videmus oculis fidei: hanc videmus in manibus nostris positam: illam videmus in manibus Dei custoditam. Promissiones autem Dei multò certiores sunt, quàm quæ in nostris sunt manibus. Deus Abrahamo promiserat Palestinam, sed ille spectabat cœlum. Nobis promissum est cœlum, & ad terram tendimus.

In 1. ad Cor. hom.3. Habes à cognitione fiduciam.

In Ep. ad Rom. hom.8. Vbi venia, ibi nullum est supplicium.

Ad Hebr. Hom.10. Omnis fidelis sanctus est, secundùm quod est fidelis: siue enim secularis est, sanctus est.

Hom.26. in Genes. Maiora quàm amisimus, inuenimus. Paradiso eiecit, & in cœlum induxit.

Hom.3. de pœnit. In corporibus cicatrix remanet, vulneris argumentum. Deus autem quum deleuerit peccata, sic delet, vt neque cicatrix, neque cicatricis supersit indicium: extinguit peccatum ac si non fuisset.

ARTICVLVS VII.
DE SACRAMENTIS.

Capvt Primvm.

Sacramenta sunt à Deo instituta vt confirment, obsignent & ratificent promissiones Euangelij & beneficia illa de Iustificatione & de Regeneratione.

IN *Nouo Testamento reperitur tantùm S Baptismi & S. Cœnæ institutio facta à Domino nostro Iesu Christo S. Baptismi institutio extat.*

Matth.23. Marc.16 &c. *S. verò Cœnæ institutio est.*

Matth.26. Marc.14. Luc.22. 1.Corinth.11. Galat.3.15. *Confirmatum autem Testamentum nemo abrogat aut ei superaddit.*

Doctrina de Sacramenti explicatur.

Rom.4.11. *Abrahamus accepit σημεῖον & σφραγῖδα, Signum & obsignaculum vel sigillum iustitiæ fidei.*

1.Pet.3. *Nos Baptisma saluos facit, non depositio sordium carnis, sed conscientiæ bonæ interrogatio apud Deum. Christi sanguis est animæ lauacrum.*

1.Pet.1.2. Et 1.Iohan.1.8. Et Ioan. 3. Ephes. 1.7. Hebr.9.14. Apoc.1.15. 1 Corinth.10.3 *Nolim vos ignorare fratres: patres nostros omnes in Mosen baptizatos fuisse in nube & in mari. Et omnes eandem escam spiritualem manducauisse. Et omnes eundem potum spiritualem bibisse. Bibebant autem de spirituali consequente eos petra. Petra autem erat Christus.*

Col.2.11. *In Christo circuncisi estis circuncisione non manu facta: consepulti ei in Baptismo, in quo & resurrexistis per fidem.*

Rom.2.28. *Ea non est Circuncisio quæ est in carne: sed cordis in spiritu.*

Act.10.47. *Num quis aquam prohibere potest, hi quominus baptizentur qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos?*

1.Cor.12 13. *In vno spiritu omnes nos in vnum baptizati sumus: & omnes in vnum Spiritum potauimus.*

Gen.17.10 13. *Circuncisio est fœdus Erit in signum fœderis.*

Exod.12 13. *Sanguis illius Agni vobis erit in signum. Transitus est Domini*

Exod 13 *Erit tibi in signum super manum tuam & in monimentum ante oculos tuos*

Rom.6.3 *An ignoratis quia quicunque baptizati sumus in Christum Iesum in mortem eius esse baptizatos? Consepulti sumus cum illo per Baptismum in mortem Sic & Galat 3.27.*

Tit.3.5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti.*

Matth.28 *Baptizate eos in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti*

Matth.26.26 *Accepit Iesus panem & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis & ait, accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes. Hoc enim est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Non bibam ab hoc tempore de hoc genimine vitis vsque dum &c.*

Sic Marc.14.22. vers. 23. *Accepto calice, &c. Biberunt ex illo omnes.*

Luc.22 17.19 20. *Accepto calice dixit, Accipite & diuidite inter vos. Hoc facite in meam commemorationem. Hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine.*

Sic 1.Cor.11.25. *Hoc facite quotiescunque biberitis ad mei recordationem vel in meam commemorationem Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicunque man-*

manducauerit PANEM HVNC, *vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo & sic de* PANE *illo edat, & de calice bibat.*

1.Cor.10.16. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Nam omnes de vno pane participamus.*

In Sacramento à Domino instituto, ipsum Domini Iesu Christi corpus Deo non offertur à quopiam homine in Sacrificium Propitiatorium. Ipse enim semel semetipsum Deo obtulit pro nobis in cruce.

Luc.22. 1 Cor.11. *Hoc facite in meam commemorationem.*

1.Cor.5. *Pascha nostrum immolatus est Christus pro nobis.*

Eph.5 2 *Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Dei in odorem suauitatis.*

Galat.1.4. *Iesus Christus dedit semetipsum pro peccatis nostris*

Ioan.19.30 *Consummatum est.*

Coloss.2 14 *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, ipsum de medio sustulit, affigens illud cruci.*

1.Pet.2.24 *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum vt peccatis mortui iustitiæ viueremus cuius liuore sanati estis.*

1.Pet.3 18. *Christus semel pro peccatis passus est, iustus pro iniustis, vt nos ad Deum adduceret*

Rom.12 1. *Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem rationabile obsequium vestrum*

1.Pet.2.5 *Ipsi tanquam lapides viui ædificemini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias acceptas Deo per Iesum Christum.*

Hebr.1.3. *Purgatione peccatorum nostrorum facta per seipsum, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.*

Hebr.2.17. *Vnde debuit per omnia fratribus similis fieri, vt misericors esset & fidelis pontifex ad Deum, ad expiandum peccata populi.*

Hebr.4.14. *Habentes pontificem magnum qui penetrauit cœlos, Iesum Filium Dei. Non enim habemus Pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ vt misericordiam consequamur.*

Hebr.5 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Filius meus es tu: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.*

Hebr.6.20. *Præcursor pro nobis introiit Iesus, secundùm ordinem Melchisedec, Pontifex factus in æternum.*

Hebr.7.23. *Illi quidem (Leuitici) plures facti sunt Sacerdotes Hic autem eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest eos qui per ipsum accedunt ad Deum, semper viuens vt interpellet pro eis* Versu 27. *Cui non sit quotidie necesse, pro peccatis victimas offerre: hoc enim fecit semel, quum semetipsum obtulit.*

Hebr.8.1. *Eorum quæ dicimus hæc summa est: Talem habemus pontificem qui consedit ad dexteram sedis magnitudinis in cœli.*

Versu 4. *Si ergo esset super terram, ne Sacerdos quidem esset.*

Hebr.9.12. *Per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta æternam redemptionem nactus.*

Versu 15. *Morte intercedente in redemptionem præuaricationum.*

Hebr.9.22. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.*

Hebr.9 24. *Non in manufacta sancta Iesus introiuit, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc in conspectu Dei pro nobis. Neque vt sæpe offerat semetipsum Nunc semel in consummatione seculorum, ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit* Versu 28. *Christus semel oblatus est, vt multorum peccata tolleret: secundò apparebit expectantibus ipsum in salutem*

Hebr 10.10. *Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.*

Versu 12. *Hic vna pro peccatis oblata victima, in sempiternum sedet in dextra Dei.*

Versu 14. *Vnica enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. Vbi peccatorum & iniquitatum est remissio, iam non est amplius oblatio pro peccato.*

Versu 22. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.*

Hebr.13.15. *Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini eius.*

VBI sit illud quod ad salutem percipitur, & quomodo illud percipitur, tum in Sacramento, tum in Euangelij auditione.

Philipp.3.20. *Nostra conuersatio in cœlis est, vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum.*

Coloss.3.1. *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextra Dei sedens.*

Ioan.16.17. *Expedit vobis vt abeam: nisi enim abiero, non veniet paracletus.*

Philip.3.21. *Reformabit corpus nostrum humile, vt conforme fiat corpori suo glorioso.*

Matth.26.11. *Semper pauperes habebitis vo-*

biscum, me autem non semper habebitis.

1.Cor.5.6. *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus.*

Ioan.14 2 *Vado vobis parare locum : & si abiero & vobis præparauero locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego & vos sitis.*

Math 24.26.27. *Si dixerint vobis, Ecce, in deserto est: nolite exire: Ecce, in conclauibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & apparet vsque ad occidentem, ita erit & adventus filij hominis. Si quis dixerit vobis, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere.*

Sic Marc.13.21. & Luc.17.23. Luc.24.39. *Videte manus meas & pedes meos. Nam ipse sum: contrectate me & videte: Spiritus carnem & ossa non habet, prout me conspicitis habere.*

2 Corinth.1.19. *Christus non est Etiam & Non.*

Act.1 11. *Iesus qui receptus est in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.*

Act 3 21. *Quem oportet cælum recipere vsque in tempora restitutionis omnium.*

Matth.26. *Accipite, comedite, hoc est Corpus meum. Bibite ex hoc omnes : hoc enim est sanguis meus noui Testamenti.*

Ioan.6.33 39.47.51 *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet : & qui credit in me, non sitiet vnquam*

Omnis qui credit in Filium habet vitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Qui credit in me habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ Ego sum panis viuus qui de cælo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum : & panis autem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis & biberitis sanguinem, non habebitis vitam in vobis Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego excitabo eum in nouissimo die. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Qui manducat me, viuet propter me. Qui manducat hunc panem viuet in æternum Dixit eis Iesus, hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem vbi erat priùs? Spiritus est qui viuificat: caro non prodest: verba quæ ego loquor vobis, Spiritus sunt & vita sunt.

Ephes.3.17. *Per fidem Christus habitat in cordibus nostris.*

Roman.8.9 11. *Spiritus Christi habitat in vobis.*

Rom.8 32 *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?*

1.Ioan.3. *Communio nostra sit cum Patre & cum Filio eius Iesu Christo.*

1.Ioan.5.12. *Qui habet Filium, habet vitam, qui non habet Filium Dei, non habet vitam.*

Ioan.15.4. *Ego sum vitis vera: manete in me & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Is qui manet in me, & in quo ego maneo fert fructum multum: Nisi quis in me manserit, eiectus extra, statim vt palmes arescit.*

Rom.6. *Cum eo plantati coaluimus conformatione mortis eius.*

1.Cor.3 16. *An nescitis vos esse templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis?*

1.Ioan 4.13. *Per hoc cognoscimus nos in eo manere, & ipsum in nobis quòd de Spiritu suo dedit nobis.*

Gal.2. *Viuit in me Christus.*

2.Cor 13 5. *Vos ipsos probate annon sitis in fide. Annon cognoscitis quòd Iesus Christus est in vobis?*

1.Ioan.3.24. *Qui seruat eius mandata in eo manet, & ipse in eo, & in hoc scimus quoniam manet in nobis, ex Spiritu quem dedit nobis.*

Rom.8. *Viuificabit corpora vestra per inhabitantem Spiritum eius in vobis.*

1.Corinth.2 12. *Spiritum qui est ex Deo accepimus, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis*

Adde Matth.28.6.

Ioan.6.33.35.50.55.& 16.7. & 20.20.27.

Act.1.2.11.

CAPVT SECVNDVM.

ATHANAS. *Orat.3. contra Arr.* Saluatoris hostia semel oblata absoluit omnia, fidáque in omne tempus perdurat. Aaroni successores dati fuerant : Dominus autem sine transitione & sine successore, Sacerdotium obtinens, fidus firmúsque Pontifex in perpetuum.

Ad Serap. de Spir. S. tom.3. Christus corporalitatem suam ostendit, & ad distinctionem suæ humanitatis, suam Deitatem declarat, de esu corporis disputans, spiritum à carne discriminauit : vt disceremus ea quæ loqueretur, non carnalia esse, sed spiritualia. Quot enim hominibus corpus eius suffecisset ad cibum, vt vniuersi mundi alimonia fieret? Sed propterea

Ascen-

Ascensionis suæ in cœlum mentionem fecit, vt eos à corporali intellectu abstraheret, ac deinde carnem suam, de qua loquutus erat, cibum è supernis cœlestem & spiritualem alimoniam, & ab ipso donandam, intelligerent. Quæ enim loquutus sum vobis, inquit, Spiritus & vita sunt. Quod perinde est ac si diceret: Corpus meum quod datur pro mundo, in cibum datur, vt spiritualiter vnicuique tribuatur, & fiat singulis tutamen præseruatióque ad Resurrectionem vitæ æternæ.

IREN. *lib.4. adv. hær.* Quemadmodum qui est à terra Panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti: ita corpora nostra, percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

Lib.5. Calicem qui est creatura suum corpus confirmauit. Quando calix & panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi.

Lib.4. Nos offerre vult ad altare frequenter. Est ergo altare in cœlis. Illuc enim preces nostræ & oblationes diriguntur.

Lib.5. Coguntur multa malè interpretari qui vnum nolunt bene intelligere. Vbique Apostolus in Domino Iesu Christo vsus est Carnis & sanguinis nomine, vti hominem statueret. Etenim semetipsum Filium dicebat hominis.

HIERON. *in Psal 50.* Quid ergo tu homo offeres? audi quod subiecit, Sacrificium Dei Spiritus contribulatus. Quum reuerendo altari cœlestibus cibis satiandus accedis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem mente continge, cordis manu suscipe, & maximo haustu interiore assume.

hom de corp. & sang Christi In 1. ad Cor. c.11. Gratias agens, hoc est, benedicens, etiam passurus, vltimam nobis commemorationem siue memoriam dereliquit. Quemadmodum siquis peregrè proficiscens, aliquod pignus ei quem diligit derelinquat: vt quotiescunque illud viderit, possit eius beneficia & amicitias memorari: quod ille si perfectè dilexit, non sine ingenti desiderio non potest videre. Ideo Salvator hoc tradidit Sacramentum, vt per hoc semper commemoremus, quia pro nobis est mortuus.

In Psalm.147. Quando audimus sermonem Dei, & sermo Dei & caro Christi & sanguis eius in auribus nostris funditur.

In Malachiam cap.1. Sciant carnalibus victimis, spirituales victimas successuras: & thymiama hoc est, sanctorum orationes Domino offerendas in omni loco.

In Psalm.109. Melchisedec Rex Salem obtulit panem & vinum: sic Dominus offert corpus suum & sanguinem suum verum panem & verum vinum.

NAZIANZ. *in Apologet. & in plaga grand.* Deus à nobis solum requirit & vnicum Sacrificium laudis, & cor contritum, & in Christo nouam creaturam quam nouum hominem Scriptura appellat.

In laudem Gorg. Panis & vinum sunt Christi corporis & sanguinis ἀντίτυπα, id est, Signa vel Symbola.

Ad Cledonium Epist.1. Christus in cordibus nostris habitat, non secundum eam Christi partem quæ in oculos cadit, sed eam quæ intellectu percipitur.

Euseb. Demonst. Euang. lib.1. c 10. Memoriam illius magni Sacrificij celebrantes.

BASIL. *in S. Baptis.* Ne differatur Baptismus. Quomodo dices, Dei sum, signa non ostendens. Baptismus est captiuorum remissio, peccati mors, animæ regeneratio, character indelebilis, cœli iter, adoptionis gratia.

De Baptis. Quid vtilitatis habent hæc verba, Accipite, hoc est corpus meum? Vt edentes ac bibentes perpetuò memores simus eius qui pro nobis est mortuus ac resurrexit. Qui memoriam illam non reuocat, indignè dicitur manducare.

In Moral. Quid proprium est eorum qui manducant Panem & qui bibunt Calicem Domini? Custodire memoriam perpetuam illius qui pro nobis mortuus est & resurrexit.

In 1. cap. Esaiæ, Vna hostia Christus, vna expiatio peccati, sanguis ille effusus. Repudiata multitudine hostiarum, vnam requirit, nimirum vt quisque se offerat Deo, seipsum sistens in hostiam viuentem, immolans Deo Sacrificium laudationis. Vna in hoc seculorum fine approbata est, semel oblata in abolitionem peccati. Agnus enim Dei abstulit peccatum mundi, seipsum offerens oblationem & hostiam.

In Psalm.33. Dominus noster verus est panis & caro eius verus cibus: necesse est vt voluptas lætitiæ panis per gustum spiritualem in nobis gignatur. Est στόμα spirituale interni hominis os quo pascitur recipiens verbum vitæ, qui est panis descendens de cœlo.

De Spiritu Sancto. Gratia baptismatis non est ex natura aquæ, sed ex præsentia Spiritus.

EPIPH. *in hær.42.* Deus per aduentum Christi sui omnem Sacrificiorum vsum sustulit, vno Sacrificio omnia quæ antè fuerant complente ac perficiente, quod est Sacrificium & victima Christi. Nam Pascha

Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Non iste panis est, qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic viue vt quotidie mereare accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quotiescunque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, eleuatio Domini SIGNIFICATVR, & remissio peccatorum.

Lib.6.cap.vlt. Deus in vobis semper suum Signaculum recognoscat, vt & ipsi ad gratiam & ad præmia virtutum peruenire possitis per Dominum nostrum Iesum Christum.

*In Luc. lib.*10. *cap.*24. *tom.*5. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens. Et ne oculorum magis hoc quàm animorum putaremus officium, addit, Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Ergo non supra terram, nec in terra, nec secundùm carnem te quærere debemus, si volumus inuenire. Denique Stephanus non supra terram quæsiuit. Stephanus tetigit, quia quæsiuit in cœlo. Adest Christus, quemadmodum quæritur.

*Lib.*2. Aqua corpus abluitur in baptismo, Spiritu animæ delicta mundantur.

Lib.6.in Luc. Non credunt qui comprimunt: credunt, qui tangunt. Fide tangitur Christus, fide Christus videtur non corpore tangitur.

*In epist ad Hebr.cap.*10. Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed Recordationem facientes mortis eius. Ipsum semper offerimus: magis autem sacrificij recordationem operamur.

In Psalm 11. *serm.*18. Christus mihi cibus, Christus mihi potus. Quomodo morietur, cui cibus vita est? quomodo deficiet qui habuerit vitalem substantiam? Accedite ad eum, & satiamini: quia panis est. Accedite ad eum, & potate, quia fons est. Accedite ad eum, & illuminamini, quia lux est. Accedite ad eum, & absoluimini, quia remissio peccatorum est. Qui credit in illum non sitiet.

De fide lib 3 *tom* 2. Qui mentis oculos habet clausos, non videt Iesum ad dexteram Dei.

*Cap.*5. Hic sacerdos per suum sanguinem æterna oblatio nostrorum peccatorum. Idem ergo sacerdos, idem & hostia, & sacerdotium.

*In epist.ad Corinthios. cap.*11 *tom* 5. Eucharistia est medecina spiritualis: nam memoria est redemptionis nostræ. Quia enim morte Domini liberati sumus, huius rei memores in edendo & potando, carnem & sanguinem quæ pro nobis oblata sunt, SIGNIFICAMVS, nouum Testamentum in his consecuti. Testamentum ergo sanguine constitutum est, in cuius typum nos calicem mysticum sanguinis ad tuitionem corporis & animæ nostræ percipimus, quia sanguis Domini, sanguinem nostrum redimit, id est, totum hominem saluum fecit.

*Epist.*84. Quamuis ad vnum concurrant omnes eiusdem mysterij portiones, aliud tamen est quod visibiliter agitur, aliud quod inuisibiliter celebratur, &c. Virtus per diuini operis præstatur effectum: ad cuius vtique potentiam referendum est quòd dum homo exterior abluitur, mutatur interior, & fit noua creatura de veteri.

*De Sacramentis lib.*6. *cap.*2. Spiritus Sanctus in corde: ita etiam Christus in corde.

*In Lucam lib.*6. *cap* 8. *tom.*5. Fide tangitur Christus, fide Christus videtur: non corpore tangitur, non oculis comprehenditur: neque intelligit qui non fideliter tangit.

*De Helia & Ieiunio cap.*10. *tom.*4. Meritò dicunt singuli refecti spiritali cibo & spiritali potu, parasti in conspectu meo mensam: & poculum tuum inebrians quàm præclarum est.

In 1.*ad Corinth. cap.*6. Baptisma est fundamentum Euangelicæ veritatis. Illic enim omnibus peccatis depositis, abluitur credens; iustificatúrque nomine Christi.

In 1.*ad Corinth cap.*11. Indignus est Domino qui aliter mysterium celebrat, quàm ab eo traditum est. Non enim potest deuotus esse qui aliter præsumit quàm datum est ab auctore.

*In Luc. lib.*25. *cap.*3. Cùm ex duabus naturis homo, id est, ex anima subsistat & corpore: Visibile per visibile: Inuisibile per inuisibile mysterium consecratur. Aquâ enim corpus abluitur: spiritu, animæ delicta mundantur. Aliud agimus, aliud inuocamus.

TERTVLL. *de res.* Vt in spiritu Dominus eos disponeret, præmisit, spiritus est qui viuificat: sermonem constituens viuificatorem, quia sermo caro factus erat: proinde in causam vitæ appetendus, & deuorandus auditu, & ruminandus intellectu, & fide digerendus.

Aduer hær. Apostoli non alium Dominum in Ecclesia dicebant, alium, in hospitio, vt aliam Christi substantiam designarent in aperto, aliam in secreto.

Adu. Iudæos, Quod non terrenis sacrificiis, sed spiritualibus litandum sit Deo, legimus, cor contribulatum est hostia Dei.

Ibid. De spiritalibus sacrificiis dicit Malachias: Et in omni loco sacrificia munda offerentur nomini meo.

*Adu.Mar.l.*3. In omni loco sacrificiũ nomi-

ui meo offertur mundum: gloriæ scilicet relatio, & benedictio, & laus & hymni.

Lib 4. Acceptum panem & distributum suis discipulis, corpus suum, illum fecit: hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei. Panem, suum corpus appellat.

Libro de Baptismo. Nihil est quod adeo obduret mentes hominum, quàm simplicitas diuinorum operum. Vt hic, quoniam tanta simplicitate, sine pompa, sine apparatu nouo aliquo, denique sine sumptu, homo in Aqua demissus, & inter pauca verba tinctus &c.

CHRYSOST. *hom* 5. *in Matth.* Baptismus est signaculum fidei.

Hom. 9. *in Matth.* Magnus iste panis, qui replet mentem non ventrem.

In Psal. 22. *tom* 1. Quum istud elementum aquæ acceperit Spiritum Sanctum, fit sacramentum, & iam non erit aqua potationis sed sanctificationis: non aqua communis, sed refectionis.

Ibid. Venite & edite de panibus meis, & bibite vinum vinum quod miscui vobis, Prou. 9. Et quia istam mensam præparauit seruis & ancillis in conspectu eorum, vt quotidie in similitudinem corporis & sanguinis Christi, panem & vinum nobis ostenderet in sacramento, ideo dicit, Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.

In Matth. hom. 27. Eucharistia dicitur, quia est beneficiorum recordatio, & gratiarum actio perpetua.

Hom. 51 *in Matth tom.* 2. Tangamus nos vestimenti fimbriam eius: vel potiùs ipsum totum, si volumus habemus. Non enim vestis solùm, sed corpus ipsius nobis propositum est, non vt tangamus solummodo, sed vt comedamus & saturemur. Adeamus igitur singuli cum magna fide. Cum fide autem accedere, non est vt tantummodo corpus propositum recipias: verùm etiam multò magis vt mundo corde tangas, vt sic adeas quemadmodum ad ipsum Christum. Credite igitur omnes, quia etiam nunc illa Cœna celebratur in qua Christus ipse recumbebat: nihil quippe interest inter illam & hanc. Non enim hæc ab homine, illa ab ipso conficitur: sed & hanc & illam ipse efficit. Noli sacerdotis, sed Christi manum ad te porrigi arbitrari. Nam quemadmodum in baptismo non à sacerdote baptizaris, sed à Deo caput tuum virtute inuisibili renetur, non ab Angelo &c. Nullus enim prorsus id facere potest: ita etiam nunc. Quum enim homo regeneratur, solius Dei hoc munus est.

Ibid. Iudæis quidem singulis annis beneficiorum suorum monimenta per festos dies Deus proposuit: tibi verò fermè quotidie per hæc mysteria ipse proponitur.

Hom. 83. Quomodo turbati non fuerunt, quum hoc audissent: Comedite, hoc est corpus meum? Quia multa iam de hoc disseruit antea: ipse quoque bibit ex eo, ne auditis verbis illis dicerent: quid igitur sanguinem bibimus? & ideo perturbarentur. Hoc sacrificium est mortis signum & symbolum.

Ibid. Perniciosam quandam hæresim radicitus euellere voluit, eorum qui aqua in mysteriis vtuntur: quia & quando hoc mysterium tradidit, vinum tradidit, & etiam post resurrectionem in simplici mensa, vino vsus est. Ex genimine, ait, vitis, quæ certè vinum, non aquam producit.

Ibid. Vltimam mysterij orationem expectetis, &c. hymnum cecinit, vt nos quoque faciamus.

Ibid. Dixit, Hoc est corpus meum, credamus, nulla teneamur ambiguitate, & oculis intellectus id perspiciamus. Nihil enim nobis sensibile traditum à Christo: sed rebus quidem sensibilibus ea quæ tradidit sensibus non percipiuntur. Sic & in Baptismo per aquam, quæ res sensibilis est, donum illud conceditur regeneratio ac renouatio, quod intelligibile quoddam est. Nam si incorporeus esses, nuda ipsa dona incorporea tradidisset tibi: quoniam verò corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.

Ibid. Ne hoc alimento spirituali priuemur, &c Non parua vobis imminet pœna, si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei huius mensæ participationem permittatis. Si limpidissimus aquæ fons tibi commissus esset non patereris sues in fluenta illa descendere, &c. Hæc mihi de notis ac manifestis sordibus disputata sunt. Nullus communicet nisi ex discipulis sit, nullus impuro animo, &c.

Hom. 11. *in Matth. postr tomo* 2. In his vasis sanctificatis non est verum corpus Christi, sed mysterium corporis eius continetur: quantò magis vasa corporis nostri, quæ sibi Deus ad habitandum præparauit, non debemus locum dare diabolo agendi in eis quod vult?

Hom. 46. *in Ioan.* Spiritus est qui viuificat, hoc est, secundùm spiritum mea verba audienda sunt. Sacramenta interioribus oculis sunt consideranda, hoc est, spiritualiter.

Hom de prod. Iuda. Hoc sacrificium cibus spiritualis est.

Hom de cruce, tom. 3. Ipse Christus & sacrificium & sacerdos: ipse idem offerebat & offerebatur: altare, crux fuit, non sub tecto, sed sub cælo, vt vniuersus aër mundetur.

De spiritu tomo 3. Quod tuum altare? mens tua spiritualis. Quod spirituale tuum sacrificium? omnis bona operatio. Quod tuum templum? mundum cor in quo Deus habitare amat.

Ibid. Spiritus Sanctus copula est vnionis nostræ cum Christo: qui in nostris animabus mansionem fecit. Spiritus Deus nostris fidelium spiritibus vnitus est, fraterno modo: hoc donum est, quod nobis solis Deus dedit, qui in Christum credimus.

Ibid. Deus effudit donum Spiritus Sancti. Diuinitas non effusa est, sed donum: propter hoc idcirco Scriptura dicit: quòd hoc quod effunditur non sit Spiritus Sanctus, sed Spiritus Dei gratia quæ effusa est. Gratia effunditur, non qui donat gratiam. Dic sæpe, assumpsit Christus figmentum meum, sedet ad dexteram Patris: dedit mihi spiritum suum. Hic in nobis Spiritus Sanctus regnum cœlorum est, de quo dicit Christus: regnum cœlorum intra vos est.

Hom. de Eucharistia. Quid facis homo? Non promisisti sacerdoti qui dixit, Sursum corda & mentem: & dixisti, habemus ad Dominum? Mensa mysteriis instructa est: Nonne vides panem, nonne vinum? &c. Propter quod & accedentes ne putetis quod accipiatis diuinum corpus ex homine.

Hom. 21. Cogita quid manu capias quum communicas, &c.

Hom. 60. Quid significat panis? Corpus Christi.

Hom. 63. ad pop. Antioc. & in epist. ad Ephes. hom. 3. Quotquot huius participes corporis efficimur, quotquot sanguinem degustamus, cogitemus, quòd illum sursum sedentem degustamus: quòd illius corpus & sanguinem degustemus qui sedet in cœlestibus.

Ibid. Quisquis mysteriorum consors non est, improbus & impudens adstat: hymnum cecinisti, quomodo quum manseris, de mensa ista non participas? Indignus sum, inquis: indignus es igitur ea communione quæ in precibus est. In paschate acceditis tantùm. &c. O consuetudinem! frustra stamus ad altare, nemo est qui accedat vt simul participet.

Hom 28. Qui stant nec communicant, eiiciendi.

Hom. 70. ad pop. Ipse Christus nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.

In 1. ad Cor. hom. 7. Mysterium appellatur, quoniam id quod credimus, non intuemur: sed alia videmus, alia credimus: aliter ego, aliter incredulus disponitur. Ille quum baptismatis lauacrum audit, simpliciter aquam esse sibi persuadet. Ego verò non simpliciter video quod video: sed animæ per Spiritum purgationem. Non enim aspectu iudico, sed mentis oculis. Audio corpus Christi: aliter ego hoc, aliter incredulus accipit. Vt expers literarum, quum libros intuetur, Scripturæ vim non intelligit. Eodem modo in mysterio vsu venit. Increduli quamuis audiant, tamen non videntur audire. Fideles autem per scientiam assecuti, in absconditis virtutem intuentur.

Hom. oportet hæreses esse. Tremenda mensa ex æquo proponitur diuiti & pauperi. Omnium vnus honor est, & idem accessus, donec omnes communicent, & participes fiant spiritualis illius cibi. Sacerdotes stantes expectant omnes.

In 2. ad Cor. Hom. 18. Est vbi nihil differt sacerdos à subdito, vt quando fruendum est tremendis mysteriis. Similiter enim omnes illa vt percipiamus digni habemur. Non sicut in veteri lege, partem quidem sacerdos comedebat, partem autem populus: & non licebat populo participem esse eorum quorum particeps erat sacerdos: sed nunc non sic, verùm omnibus vnum corpus proponitur & vnum poculum.

In Epist. ad Heb. Hom. 13. Non est aliud Sacrificium, vnum nos purgauit; post istud, ignis & gehenna. Etenim propterea sursum, atque deorsum reuoluit Apostolus, dicens: vnum sacerdotem, vnum sacrificium, nequis putans MVLTA esse, sine timore delinquat.

Hom. 17. Plurimi accipiunt tantùm semel in anno ex hoc sacrificio: volo vos semper accedere cum munda conscientia.

Hom. 11. In cœlis habemus sacrarium, in cœlis sacerdotem, in cœlis hostiam. Talia ergo nos offeramus sacrificia quæ in illo sanctuario offerri possunt: non iam pecudes, vel boues, &c. Pro eis introductum est rationabile obsequium? Quid est autem rationabile obsequium? Ea quæ per animam & secundùm spiritum offeruntur, vt est temperantia, misericordia, &c.

Hom. 24. in 1. ad Cor. in cap. 10. Ad hoc nos inducit sacrificium illud admirabile, quod iubet, vt cum concordia & charitate maxima ad se accedamus, & aquilæ in hac vita facti, ad ipsum cœlum euolamus, vel potiùs supra cœlum. Vbi enim cadauer, inquit, Matth. 24. illic & aquilæ. Cadauer Domini corpus propter mortem: nisi enim ille cecidisset, nos non resurrexissemus. Aquilas autem appellat, vt ostendat, ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere ei esse commune, neque ad inferiora trahi

& repere, sed ad superiora semper volare, & in Solem iustitiæ intueri, mentisque oculum acutissimum habere. Aquilarum enim non graculorum hæc mensa est.

Ibid. Quis det de carnibus eius vt saturemur? Christus suam carnem dedit nobis: ita vt saturaremur, quo nos in plurimum amorem sui allexit. Ad eum igitur cum feruore accedamus & dilectione quam vehementissima, ne grauius subeamus supplicium, quando eo indigni apparebimus.

Ibid. Hæc autem non dico vt non accedamus, sed ne temerè accedamus. Quemadmodum enim frigida accessio periculosa est, ita nulla mysticæ illius Cœnæ participatio pestis est & interitus. Ipsa namque mensa, animæ nostræ vis est, nerui mentis, fiduciæ vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra. Et quid futura commemoro? Nam dum in hac vita sumus, vt terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium. Ascende igitur ad cœli portas, & diligenter attende, imò non cœli, sed cœli cœlorum, & tunc quod dicimus intuebeis. Præpara mentem ad horum mysteriorum susceptionem. Illum conspicaris, illum tangis, imò eo medis. Horror vt animam nostram exornemus, hanc propriam præparemus. Vt sempiterna consequamur habitacula, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, Amen.

In 1. ad Cor hom. 27. Quod Dominicum est, priuatum faciunt. Itaq; ie ipsi primi ignominia sunt affecti, qui à mensa sua maximam abstulerunt dignitatem. Quonam pacto? Quoniam Dominica Cœna, hoc est, Domini, debet esse communis. Quæ enim Domini sunt, non huius serui sunt, non alterius, sed omnibus communia. Quod enim Dominicum est, idem est commune. Nam si Domini tui est, quemadmodum est, non debes tanquam propria tibi assumere; sed tanquam res Domini communiter omnibus proponere. Siquidem, hoc est Dominicum: nunc non finis esse Dominicum, quum non finis esse commune, sed tibi comedis.

Ibid. Dominus tuus eadem omnes Mensa dignatus est, quamuis supra omnes admiratione dignissima, & omnium superante dignitatem. Tu autem tua indignos arbitraris?

Ibid. Illud corpus æqualiter dedit. Tu autem quod commune est, non communicas. Etenim pro omnibus pariter factum est, & æqua portione distributum. Christus etenim omnibus æqualiter dedit, dicens: Accipite, manducate. Similiter & calicem dicens: Quotiescunque biberitis, &c.

Ibid. Tu priusquam accipias, ieiunas, vt aliquo modo dignus communicatione videaris: quum autem acceperis, & oporteret in continentia perseuerare, omnia perdis.

Ibid. Dicendo Eucharistiam magna illa munera commemoro. Etenim cum calice inenarrabilia Dei beneficia & quæcunque consecuti sumus addimus. Ita ad eum accedimus, cum eo communicamus, gratias agentes, quod humanum genus liberauit. Calicem benedictionis Apostolus appellauit, quoniam quum præ manibus eum habemus, cum admiratione inenarrabilis doni, laudamus, benedicentes quòd sanguinem effudit: neque tantùm effudit, sed nos omnes eius participes effecit.

Ibid. Panis nó ne communicatio corporis Christi est? Quare non dixit participatio? quia ampliùs quiddam significare voluit. Non enim participatione tantùm & acceptione, sed vnitate communicamus. Quemadmodum enim corpus illud vnitum est Christo, ita & nos per hunc panem vnione coniungimur.

Ibid. Quid enim appello, inquit, communicationem? Idem ipsum corpus sumus. Quidnam significat panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt qui accipiunt? corpus Christi, non multa, sed vnum corpus. Nam quemadmodum panis ex multis granis vnitur, vt minimè grana appareant, sed tamen grana sunt, verùm incerta discretione coniuncta, sic & inuicem Christo coniungimur. Non enim ex altero corpore tu, ex altero ille educatur, sed ex eodem omnes.

In epist ad Hebr. hom. 17. Christus ipse Sacrificium & Sacerdos & Hostia. Si enim non hoc esset, multa etiam oportebat sacrificia offerri, sæpius oporteret crucifigi.

Ibid. Semel mortuus est pro omnibus. Quid ergo? Non morimur morte illa? Morimur quidem, sed non permanebimus in illa quod etiam neq; mori est. Quoniam omnes retentura erat mors, propterea mortuus est vt nos liberaret. Sic Christus semel oblatus est. A quo oblatus est? Manifestum quòd per semetipsum.

Ibid. Quid ergo nos? nonne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius. Hoc quod facimus in commemorationem fit eius quod factum est. Idipsum semper facimus: magis autem recordationem sacrificij operamur.

CYPRIANVS, *lib de Cœna Dom.* Nostra & ipsius coniunctio nec miscet personas, nec vnit substantias, sed affectus consociat & confœderat voluntates. Sacramenta, quantum in se est, sine propria virtute esse non possunt: nec vllo modo se diuina absentat maiestas mysteriis: sed quamuis ab indignis se sumi vel contingi Sacramenta permittant, non possunt tamen esse spiritus

ſpiritus participes. Ideoque aliis ſunt hæc munera odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem: quia omnino iuſtum eſt, vt tanto priuentur beneficio gratiæ contemptores, nec in indignis tantæ gratiæ puritas ſibi faciat manſionem.

Ibid. Dixerat quod niſi manducaremus eius carnem,& biberemus eius ſanguinem, non haberemus vitam in nobis:ſpiritali nos inſtruens documento, & aperiens ad rem adeò abditam intellectum, vt ſciremus, quòd Manſio noſtra in ipſo ſit manducatio, & potus quaſi quædam incorporatio,ſubiectis obſequiis, voluntatibus iunctis, affectibus vnitis. Eſus igitur carnis huius, quædam auiditas eſt, & quoddam deſiderium manendi in ipſo. Sicut potu & eſu corporea nutritur ſubſtantia & viuit: Ita vita ſpiritus hoc proprio alimento nutritur: & quod eſt eſca carni, hoc animæ eſt fides: quod cibus corpori, hoc verbum ſpiritui: excellentiori virtute peragens æternaliter, quod agunt alimenta carnalia temporaliter. Celebrantes Sacramenta commonemur, vt ſemper Paſſio ſit in memoria. Nec ſolos Sacerdotes ad panes admittit: vniuerſa Eccleſia ad has epulas inuitatur, æqua omnibus portio datur.

Ibid. Hæc quotiens agimus, non dentes ad mordendum acuimus, ſed fide ſincera Panem ſanctum frangimus & partimur: Nos ipſi corporis eius effecti, Sacramento & re Sacramenti capiti noſtro connectimur & vnimur. Manifeſtum eſt eos viuere qui corpus Chriſti attingũt.

Epiſt.6 Dominus panem de multorum granorum adunatione congeſtum, Corpus ſuum vocat: Vinum appellat ſuum ſanguinem de botris expreſſum plurimis.

Epiſt 2. Quomodo ſaltem poculum martyrij idoneos facimus, ſi non eos ad bibendum prius in Eccleſia poculum Domini iure communicationis admittimus?

Epiſt.3. Quomodo poſſumus propter Chriſtum ſanguinem fundere, qui Chriſti ſanguinem erubeſcimus bibere?

Lib. de vnctione chriſmatis. Dedit Dominus noſter in menſa, in qua vltimum cum Apoſtolis particicipauit conuiuium: propriis manibus panem & vinum: in cruce verò manibus militum corpus tradidit vulnerandum: vt in Apoſtolis exponeret quomodo vinum & panis caro eſſet & ſanguis, & quibus rationibus cauſæ effectibus conuenirent, & diuerſa nomina vel ſpecies ad vnam reducerentur eſſentiam, & ſignificantia & ſignificata eiſdem vocabulis cenſerentur.

De Baptiſmo Chriſti, Per omnia ſibi Pater in Filio complacuit; nec Sacerdotij eius pœnituit Deũ: quoniam Sacrificium quod in cruce obtulit, ſic in beneplacito Dei conſtat acceptabile, & perpetua virtute conſiſtit, vt non minùs hodie in conſpectu Patris oblatio illa ſit efficax, quàm ea die qua de ſaucio latere ſanguis & aqua exiuit, & ſemper reſeruatæ in corpore plagæ ſalutis humanæ exigant pretium & obedientiæ donatiuum requirant.

De Cœna Domini. Ante verba illa cibus ille communis tantùm nutriendo corpori commodus erat: ſed ex quo à Domino dictum eſt, Hoc facite in meam commemorationem, Hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus: Panis iſte ſuperſubſtantialis & calix benedictione ſolemni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutémque proficit.

Ibidem. Illius perſonæ caro,ſi in fruſtra partiretur, non omni humano generi poſſet ſufficere: ſed in cogitationibus eiuſmodi, caro & ſanguis non prodeſt quidquam: quia ſicut Magiſter ipſe expoſuit, Verba hæc Spiritus & Vita ſunt.

Ibidem. Sicut panis communis quem quotidie edimus, vita eſt corporis: ita panis iſte ſuperſubſtantialis vita eſt animæ & ſannitas mentis.

Epiſt 2. Mens deficit,quam non recepta Euchariſtia erigit & accendit.

Epiſt 56. Ad pugnam parare ſe debent milites Chriſti, conſiderantes idcirco ſe quotidie calicem ſanguinis Chriſti bibere, vt poſſint & ipſi propter Chriſtum ſanguinem fundere.

De Orat. Dominica. Quando Chriſtus dicit, In æternum viuere ſiquis ederit de eius pane: vt manifeſtum eſt eos viuere qui corpus eius attingunt, & Euchariſtiam iure communicationis accipiunt: ita, contrà timendum eſt ne dum quis Abſtentus ſeparatur à Chriſti corpore, procul remaneat à Salute,comminante ipſo & dicente: Niſi ederitis carnem Filij Hominis & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. Et ideo panem noſtrum, id eſt Chriſtum, dari nobis quotidie petimus, vt qui in Chriſto manemus & viuimus à ſanctificatione eius & corpore.

CYRILLVS *in Ioan. l.3. c.34.* Ipſe vnigenitus Filius verus panis eſt, cuncta viuificans: vt enim panis hic terreſtris facit, imbecillitatem carnis noſtræ ſuſtinens: ita & ipſe per Spiritum Sanctum, ſpiritum noſtrum viuificat, & corpus ipſum corruptione liberat.

Lib.4.c.14. Corpus Chriſti viuificat:coniunctum eſt enim ineffabiliter Filio Dei, à quo vniuerſa viuificantur. Quoniam igitur ſaluatoris caro verbi Dei, quod naturaliter vita eſt, coniuncta eſt: viuifica effecta eſt. Quando

eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi coniuncti.

Cap.16. Corpus & membra Christi sumus, qui per hanc benedictionem mysterij, ipsum Filium Dei suscipimus.

Cap 17. Necesse est, siquis carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungatur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. cap.24. Quum Spiritum Dei habitare in nobis dixit, ipsum Christum in nobis esse affirmat. Nō enim separatur à Filio Spiritus eius.

Cap.29 & lib.9.cap.47. Christus per fidem ingreditur in nos & per Spiritum Sanctum inhabitat.

Lib.11. Ipse Christus per Sanctum Spiritum in illis habitat, coniunctione spirituali, per seipsum illos Deo Patri coniungens: Etsi corpore absens sit Christus, Patri pro nobis apparens, in cœlum ascendens, Spiritum immisit. Non enim carne conuersabatur cum Apostolis quum ad Patrem ascendit.

Dial. 1. de Trinit. Etiam Deitas si esset corpus, esset omnino in loco & magnitudine & quantitate.

Ad Enop. Num mysterium nostrum ἀνθρωποφαγίαν pronuntians, ad crassas cogitationes vrges fidelium mentes ea tractare quæ sola, pura, & exquisita fide accipiuntur.

In Leuit.lib.2. Sed fortasse dicent auditores Ecclesiæ: Melius agebatur cum antiquis quàm nobiscum, vbi oblatis sacrificiis diuerso ritu, peccantibus venia præstabatur. Apud nos vna est tantùm venia peccatorum, quæ per lauacri gratiam in initio datur: nulla post hæc peccantibus misericordia, nec venia vlla conceditur. Decet Christianum distinctioris esse disciplinæ, pro quo Christus mortuus est. Pro illis, oues, hirci, boues iugulabantur & aues: pro te filius Dei iugulatus est, & iterum te peccare delectat? Tu quum venis ad gratiam baptismi, vitulum offers: quia in morte Christi baptizaris: quum ad martyrium duceris, hircum obtulisti, quia diabolum iugulasti: quum eleemosynam feceris, altare sacrum hœdis pinguibus onerasti: si peccatum remiseris fratri tuo, immolasse te arietem, vel agnum in sacrificium obtulisse confide: si ab errore conuerteris peccatorem, par turturum, aut duos pullos columbarum Domino obtulisti: si charitas abundauerit in corde tuo, panes similagineos in charitatis oleo subactos sine vllo fermento malitiæ in azymis veritatis, te obtulisse cognosce. Hoc modo inuenieris tu veriùs & perfectiùs secundùm Euangelium offerre sacrificia. Agnus immolari iubetur in pascha, quòd designaretur immolandum illum agnum qui tollit peccata mundi. Debet munus offerre anima; quia non quærit Dominus carnale sacrificium: quia sacrificium Deo est spiritus contribulatus.

Lib.3. in Leuit. Siclo sancto nobis est comparandus Christus qui peccata nostra dissoluit. Siclus sanctus fidei nostræ formam tenet: si enim fidem obtuleris, tanquam pretium à Christo, velut arietem immaculatum in hostiam dato, remissionem accipies peccatorum.

Lib.4. Qui tota fide ac omni obedientia accedit ad Iesum tanquam ad verbum carnem factum, is tetigit carnem sacrificij & sanctificatus est.

Ibid. Spiritualia sacrificia sunt æterna, nec cessare vnquam possunt neque disrumpi. Non enim in loco sunt qui tempore mutatur aut subuertitur, sed in fide credentis, & in corde sacrificantis.

Lib.5. Istas hostias intra teipsum require, & inuenies eas intra te habere. Suprà ostendimus ex diuinis Scripturis, Christum esse & hostiam quæ pro peccato mundi offertur & ipsum esse sacerdotem qui offerat hostiam: ipse peccata nostra suscepit in semetipso, ea tanquam ignis comedit & absumpsit.

Ibid. lib.7. Si secundùm literam sequaris hoc quod dictum est: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, occidit hæc litera. Si verò spiritualiter eam suscipias, in ea est spiritus viuificans.

Lib.8. Baptisma etiam paruulis datur: quum vtique si nihil esset in paruulis quod ad remissionem pertineret, gratia baptismi superflua videretur.

Lib.9. Ad omnes pertinet quod hic lex loquitur. Præcepit enim vt sciamus quomodo accedere debeamus ad altare Dei. Altare enim est super quod orationes nostras offerimus Deo. An ignoras tibi quoque, id est omni Ecclesiæ Dei & credentium populo, sacerdotium datum? Audi quomodo dicit Petrus de fidelibus: Genus, inquit, electum, regale sacerdotium. Habes ergo sacerdotium, quia gens sacerdotalis es, & ideo offerre debes Deo hostiam laudis, hostiam orationum, hostiam misericordiæ, hostiam sanctitatis, hostiam pudicitiæ.

Lib.13. Locus sanctus est anima pura, in quo loco edere mandatur nobis cibus verbi Dei. Quum accipis panem mysticum, in loco mundo manduces eum, hoc est, in anima: hic cibus non est cuiusque indigni, sed sanctorum, est tantummodo eorum qui purificati sunt mente.

Epist. ad Nestor. 10. Vocatur Christus Pontifex sacrificans Deo. Nec præter ipsum alteri cuipiam

cuipiam homini, siue sacerdotij nomen, siue rem ipsam adscribimus: factus est enim mediator inter Deum & homines. Obtulit pro nobis,& non pro seipso, corpus proprium.

*In Ioan. lib.*11. *cap.*21. Oportuit discipulos intellexisse, ineffabili Deitatis potestate Christum cum eis semper futurum, etiamsi carne abesset. Dominus apertè significat Deitatis ratione, non carnis præsentia,eos seruare. Salutem.non corporalis carnis præsentia, sed Deitatis potestate,futuram,Dominus illis ostendit.

*Ibid cap.*22. Quum igitur Deitati seruatio attribuatur, non debitis, inquit Dominus, carnis præsentiam propter hoc desiderare. Non enim circumscribitur loco Deus, nec vnquam abest. Dial 6.de Trinit. Postquam Christus ascendit ad Patrem, in nobis est per Spiritum Sanctum.

IVSTINVS *martyr in Tryphone,* Christus Ierosolymis oblatio pro omnibus resipiscentibus.Non enim licebat alibi quam Ierosolymis oblationem offerri. Nos Christiani offerimus panem Eucharistiæ & poculum Eucharistiæ gratiarum actionis.

Ibid. Christus nobis dedit panem in recordationem incarnationis suæ pro iis qui in ipsum credunt, pro quibus etiam passibilis factus est: dedit etiam calicem in recordationem sui sanguinis ποτήριον εἰς ἀνάμνησιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ παρέδωκεν εὐχαριστεῖν.

In Apologia, Panis & vinum in cœtibus nostris post gratiarum actionem vocantur Eucharistia, cuius nemo particeps esse potest, qui non profiteatur doctrinam nostram, & lotus fuerit lauacro in regenerationem. Sumimus autem hunc panem & hunc potum: non vt communem: sed eo modo quo edocti sumus Iesum Christum seruatorem nostrum habuisse pro salute nostra carnem & sanguinem: sic etiam cibum illum ex quo nostra caro & sanguis aluntur, post benedictionem ipsius esse carnem & sanguinem Domini: & illa omnia reuocamus in memoriam. Sumptio illorum quæ sunt benedicta fit à singulis: post precationem disceditur.

In paran. Panem Christus nobis tradidit in commemorationem passionis suæ.

AVGVSTINVS, *Lib* 10.*cap.*20. *de Ciuit.Dei,* Mediator hominum homo Christus Iesus est Sacerdos, ipse offerens, ipse & oblatio: cuius rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium,quæ quum ipsius capitis corpus sit,seipsam per ipsum dicit offerre.

*Lib.*20. *cap.*10. Dicimus,omnes Christianos esse sacerdotes, quia sunt membra vnius sacerdotis.

*Cap.*15. Malachias vtique ostendit eos qui mundantur, deinceps in Sacrificiis iustitiæ Domino esse placituros: seipsos offerunt.

*Lib.*18.*cap.*48. Quodammodo omnia significantia videntur earum rerum quas significant sustinere personas, sicut dictum est ab Apostolo: Petra erat Christus: quoniam Petra illa de qua hoc dictum est,significabat vtique Christum.

*Lib.*21.*cap.*25. Non dicendum eum manducare corpus Christi, qui in corpore non est Christi. Nec isti dicendi sunt manducare corpus Christi, qui nec in membris computandi sunt Christi: denique ipse dicens, Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo: ostendit quid sit, non Sacramento tenus, sed reuera corpus Christi manducare, & eius sanguinem bibere: hoc est enim in Christo manere, vt in illo maneat & Christus. Sic enim hoc dixit,tanquam diceret, Qui in me non manet & in quo ego non maneo, non se dicat, aut existimet manducare corpus meum, aut bibere sanguinem meum. Non manent in Christo qui non sunt membra eius.

*Lib.*3. *de Doctr. Christiana.* Miserabilis seruitus animæ Signa pro Rebus accipere. Iudæi Signis pertinaciter inhæserunt. Christiana libertas non veneratur vtile Signum diuinitus institutum, sed illud quò talia referenda sunt. Inutilia signa remouit omnia. Pauca quædam Signa pro multis eaque factu facillima & intellectu augustissima & obseruatione castissima, & ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina: sicuti est Baptismi Sacramentum, & Celebratio Corporis & Sanguinis Domini. Qui percipit quò referantur, ea non carnali seruitute veneratur, sed spiritali libertate. Vt autem signa pro rebus quæ iis significantur accipere, seruilis infirmitatis est: ita inutiliter Signa interpretari malè vagantis erroris est.

*Cap.*16. Si præceptiua locutio est, quæ flagitium aut facinus videtur iubere, figurata est. Nisi manducaueritis, inquit,carnem filij hominis & sanguinem biberitis, non habetis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur iubere. Figura est ergo præcipiens Passioni Domini esse communicandum & suauiter, atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit.

De fide ad Petrum Diaconum, Ipse verus Deus & Pontifex: idem Sacerdos & Deus & templum. Sacerdos per quem reconciliati. Sacrificium quo reconciliati: templum in quo reconciliati: Deus cui reconciliati. Solus

tamen Sacerdos, Sacrificium & templum.

Ibid. cap.19. Sacrificium panis & vini Ecclesia offerre non cessat: in isto autem sacrificio est Gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguis quem pro nobis effudit. In hoc pro impiis annuntiatur occisus.

Ad Dardanum cap.12. & 13 Dicimus in baptizatis paruulis quamuis id nesciant, habitare Spiritum Sanctum.

Ibid. Habitare autem ideo & in talibus dicitur, quia occultè in eis agit, vt sint templum eius, idque in proficientibus & proficiendo perseuerantibus perficit.

De fide & symb. c.6. tom.3. Vbi & quomodo sit in cœlo corpus Dominicum: curiosissimum & superuacaneum est quærere: tantummodo in cœlo esse credendum est.

Lib. quæst. ex nouo Testam cap.59. tom.4. Qui Baptismum putat carnali ratione consistere, hic non est spiritualis: nec donum cœleste poterit consequi, qui se per aquam non per fidem immutari credat. Aqua enim cernitur, sed qui non videtur Spiritus, operatur, vt fides in eo sit. Quia sicut sordes corporeas aqua, ita Spiritus animam abluit à peccatis: vt quo modo visibilia visibilibus: ita & spiritalibus prosit Spiritus: ac per hoc spiritalis ratio vertitur in Baptismo.

De Trinit. lib.4. cap.13. Christus morte sua, quippe vno vero Sacrificio pro nobis oblato, quicquid culparum erat, purgauit, aboleuit, extinxit.

Lib.4 cap.14. Quatuor considerantur in omni sacrificio: cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur. Idem ipse vnus verusque Mediator per Sacrificium pacis reconcilians nos Deo, vnum cum illo manebat cui offerebat: vnum in se faceret pro quibus offerebat, vnus ipse esset qui offerebat, & quod offerebat.

Cap.18. Non alter nobis est Christus in fide, alter in veritate.

Sent 339. Qui discordat à Christo, nec corpus eius manducat, nec sanguinem bibit: etiamsi tantæ rei Sacramentum ad iudicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat.

Epist.5. Signa quum ad res diuinas pertinent, Sacramenta appellantur.

Epist.23. Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum Sacramenta sunt non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundùm quendam modum Sacramentum corporis Christi, Corpus Christi est: Sacramentum sanguinis Christi, Sanguis Christi est: ita Sacramentum fidei, fides est.

Quæst. ex vtr. mix. quæst.109 tom.4. Melchisedec sacerdos Dei, Abrahæ protulit panes & vinum, obtulit ei & benedixit eum, sacerdotes sic faciunt, hominibus benedicunt.

Epist.102. Nec moueat quòd aliquando res quæ significat nomen eius rei quam significat, accipit. Sic enim & petra Christus, quia significat Christum.

Lib.3. contra Cresc. Rem sacramenti solus dat Deus: Sacramentum dant & boni & mali.

Epist.156. Anima Christiana non frustra audiat, sursum cor: nec frustra respondeat, se habere ad Dominum.

Serm.60. de verb. Dom tom.10. Nisi corporaliter abiret à nobis, semper eius corpus carnaliter videremus: & nunquam spiritualiter crederemus. Quia fide iustificati & beatificati, eum corde mundato contemplari meremur. Non manu tangendo, sed corde creditur ad iustitiam. Noli me tangere, inquit, nondum enim ascendi ad Patrem: Quod mysticè intelligitur dictum: Noli me per corporeum contactum carnaliter credere: spiritualiter autem credis, id est, fide spirituali me tangis, quum ascendero ad Patrem.

Serm.152. de temp. Tangit Christum, qui credit in Christum.

Serm.130. de verb. Dom. Vbi sacrificium, ibi & interemptio peccatorum, ibi reconciliatio Dei fiet: nouum est altare huius sacrificij, nempe altitudo crucis: ipse hostia & sacerdos: & altare erat crux.

Serm. de temp.174. Quum ascendit in cœlum, nos ab illo non separamur: sicut ille ascendit, nec recessit à nobis, sic & nos cum illo iam ibi sumus.

Serm.63 & serm.215. Scitote vos fideiussores pro filiis quos in Baptismo excipitis apud Deum extitisse.

Serm.255. In nobis duo sunt altaria constituta, corporis scilicet & cordis nostri. Denique duplex Sacrificium à nobis quærit Deus: vnum vt simus casto corpore, aliud vt mundo corde.

Serm.28. ad fratres in eremo, Accipite, hoc est corpus meum: Sacramentum enim illud ideo hominibus datur, vt corpus in terris capiti coadunetur.

Contra Adimantum, cap.12. tom 6. Non enim dubitauit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, quum signum daret corporis sui.

Quæst. in Leuit l.3. c.57. Solet res quæ significat eius rei nomine quam significat nuncupari, sicut scriptum est, septem spicæ, septem anni sunt. Non enim dixit, septem annos significant.

Hinc

Hinc est quod dictum est, Petra erat Christus. Non enim dixit Petra significat Christum, sed tanquam hoc esset, quod vtique per substantiam non hoc erat, sed per significationem.

Quaest. sup. Leuit l. 3 qu 84. Dominus inuisibili gratia per Spiritum S. sanctificat: vbi est etiam totus fructus visibilium Sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione inuisibilis gratiae, visibilia Sacramenta quid prosunt? Nihil profuit Simoni Mago visibilis Baptismus cui sanctificatio inuisibilis defuit, &c. Proinde colligitur inuisibilem sanctificationem quibusdam affuisse, atque profuisse sine visibilibus Sacramentis, quae pro temporum diuersitate mutata sunt. Visibilem verò sanctificationem quae fieret per visibilia Sacramenta, sine ista inuisibili posse adesse, non posse prodesse. Nec tamen ideo Sacramentum visibile contemnendum est. Nam contemptor eius inuisibiliter sanctificari nullo modo potest.

De Trinit. lib. 3. cap. 10. Panis ad hoc factus in accipiendo Sacramento consumitur. Sed quia haec omnibus nota sunt quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt.

Contra Faustum lib. 20. c. 21. Sacrificium ante aduentum Christi per victimas similitudinum promittebatur: in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur per ascensum Christi per Sacramentum memoriae celebratur, &c. 18.

Lib. 33. cap. 8. Accedant ad Iesum, non carne, sed corde: non corporis praesentiâ sed fidei potentiâ.

Serm. de verb. Dom in Lucam serm. 18 *tom.* 10. Quum de Sacramentis tractarem dixi vobis, quòd ante verba Christi quod offertur panis dicatur, vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Non iste panis qui vadit in corpus, sed ille panis vitae aeternae, qui animae nostrae substantiam fulcit.

Ibid. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumas, quem iam modum Graeci in Oriente facere consueuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit.

Ibid. Serm. 33. Dominus Christus Coenam manibus suis consecratam discipulis dedit. Panem gestauit in manibus, quem illi faucibus gustauerunt.

Ibid. Nolite parare fauces, sed cor. Non quod videtur, sed quod creditur pascit. Nos non tangimus Christum, credimus.

Ibid. serm. 64. Quando coeperimus comedere illum immortalem cibum nos vegetamur & cibus non minuitur. Si enim nouit oculus pasci luce, nec tamen minuit lucem quae plurium oculos pascit. Si Deus dedit hoc luci quam facit ad oculos carnis, quod est ipse lux ad oculos cordis? Si ergo laudaretur tibi aliquis cibus magnus quem pransurus esses, parares ventrem: laudatur tibi Deus, para mentem.

De verb. Apost ser. 2. *tomo* 10. Qui integer ascendere potuit, consumi non potuit: Illud Manducare corpus Christi, refici est: illud bibere, quid est nisi viuere? Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, & integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est, vita vnicuique erit corpus & sanguis Christi: si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur: audimus ipsum Dominum dicentem, Spiritus est qui viuificat, verba quae loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Putatis, quia de corpore quod videtis partes facturus sum, & membra mea concisurus & vobis daturus?

Lib. 3. cont. Crescon. Proinde & per pastores bonos & per pastores malos, quum Dominus verbum suum Sacramentúmque dispensat, ipse pascit.

Ezech. 34. Ego pascam, non pastores.

In Psalm. 32. Ipse se portabat quodammodo quum diceret, Hoc est corpus meum.

Il Psal. 94. Si nos sumus templum Dei, ara Dei, anima nostra est. Sacrificium Dei quid est? Imponimus in ara sacrificium quando Deum laudamus. At verò sacerdotem si requiras, super coelos est, interpellat pro te, qui in terra mortuus est pro te.

In Psalm. 98. Non sine causa dicit, Nisi quis manducauerit carnem meam, non habet vitam: instruit qui manent cum ipso. Spiritaliter intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri sanguinem illum quem fusuri sunt qui crucifigent. Sacramentum aliquod commendaui vobis: spiritaliter intellectum viuificabit vos.

In Psalm. 130. Si nullum Sacrificium est, nullus sacerdos est: An sine sacrificio Deus placatur? Habemus sacerdotem in coelis. Ipse obtulit se, ipse sacerdos, ipse victima & introiuit in S. sanctorum semel. Securi sumus quia habemus sacerdotem: ibi offeramus & hostiam. Videamus quod sacrificium debeamus offerre sicut audistis in Psal. ibi ostendit quid offerat Sacrificium Deo spiritus contribulatus.

In Psalm. 149. Vnde Christus sacerdos? Quia se pro nobis obtulit. Crucifixus est enim. Quid mundum potest offerre peccator. Apud te quid offeras non inuenies: affer illi mundum sacrificium: sed impius es, sed peccator es.

Ptoris fortè aliquid offerre purgatus: sed vt purgeris aliquid pro te offerendum est. Offerat ergo seipsum mundus sacerdos, vt mundet: hoc Christus fecit: seipsum obtulit mundam victimam, hostiam immaculatam. Obtulit carnem quam à nobis accepit: vt mundum offerret pro immundis.

Contra Maxim. lib.3. cap.22. Sacramenta sunt in quibus non quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur. Quoniam signa sunt rerum aliud existentia, aliud significantia.

In Ioan. tract.25. Hoc est manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Vt quid paras dentes & ventrem? crede & manducasti.

Ibid. tract.26. tom 9. Hodie visibilem cibum accepimus: sed aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Videte ergo fratres panem cœlestem. Spiritaliter manducate. Sacramenta veterum Israelitarum in signis diuersa, sed in re quæ significantur, paria sunt. Spiritualem eandem quam nos escam manducauerunt, eundem potum biberunt: specie quidem visibili aliud nos, aliud illi: tamen hoc idem significante virtute spiritali: Siquis manducauerit ex ipso non morietur. Sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum. Qui manducat intus, non foris: qui manducat in corde, non qui premit dente. Vis viuere de spiritu Christi: in corpore esto Christi.

Ibidem, De mensa Dominica, quæ alicubi quotidie, alicubi certis dierum interuallis præparatur, sumitur quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res verò ipsa cuius est Sacramentum, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque eius particeps fuerit. Iste cibus immortales & incorruptibiles facit. Manducare illam escam & bibere illum potum explicat Dominus, quum ait: In me manet: est enim in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, & in quo Christus non manet, proculdubio nec manducat nec bibit spiritaliter: licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere Sacramenta. Qui manducat me, viuet propter me, vt viuat propter me, participatio fiat qua manducat me.

Ibid. Tract.27. in Ioan. Quid est ergo quod adiunxit: Spiritus est qui viuificat, Caro non prodest quicquam? quum dixerit: Nisi quis manducauerit carnem meam & biberit sanguinem meum, non habebit vitam? Caro non prodest quicquam, sed quomodo illi intellexerunt: sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum carnem meam. Proinde, verba, inquit, quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Diximus enim, fratres, hoc Dominum commendasse in manducatione carnis suæ & potione sanguinis sui, vt in illo maneamus, & ipse in nobis. Manemus autem in illo, quum sumus membra eius, manet autem ipse in nobis, quum sumus templum eius. Quid est, verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt? Spiritaliter intelligenda sunt.

Ibid. Quisquis, inquit Apostolus, Spiritum Christi non habet, is non est eius. Spiritus ergo est qui viuificat, caro non prodest quicquam.

Ibid. Dominus dicebat se dare ad manducandum corpus suum, propter æternam vitam, Exposuit autem modum attributionis huius, & doni sui, quomodo daret carnem suam manducare, dicens: Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in illo: signum quia manducauit & bibit, hoc est, si manet & manetur, si habitat & inhabitatur, si hæret vt non deseratur. Carnem non debemus sapere secundùm carnem. Illi putabant eum erogaturum corpus suum: ille autem dixit se ascensurum in cœlum, vtique integrum. Quum videritis Filium hominis ascendentem vbi erat priùs: certè vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis erogat corpus suum: certè vel tunc intelligetis, quia gratia eius non consumitur morsibus.

Epist. 146. Ego Domini corpus ita in cœlo esse credo, vt erat in terra quando ascendit in cœlum. Sic discipulorum quum esset contrectatus manibus: sic eorum est quum iret in cœlum deductus aspectibus. Sic veniet quemadmodum videtis euntem in cœlum. De corpore & sanguine Christi nihil requirendum, quia dixit Palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet. Videte manus meas & pedes.

In Ioan tract.50. Ante oculos discipulorum ascendit in cœlum, venturus est iudex, audiant & teneant. Respondet, quem tenebo? Absentem. Quomodo in cœlum manum mittam, vt ibi sedentem teneam? Fidem mitte & tenuisti: parentes tui tenuerunt carne, tu teneto corde, quoniam Christus absens etiam præsens est. Corpus enim suum intulit cœlo, maiestatem non abstulit mundo.

Ibid. Me non semper habebitis, inquit. Accipiant & hoc boni, sed non sint solliciti: loquebatur enim de præsentia corporis sui. Nam secun-

secundùm Maiestatem suam, secundùm prouidentiam, secundùm ineffabilem & inuisibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum est: Ecce ego vobiscum sum. Secundùm verò carnem quam verbum assumpsit, secundùm id quod de virgine natus est, secundùm id quòd crucifixus, quòd in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me vobiscum. Quare? Quoniam conuersatus est secundùm corporis præsentiam 40. diebus cum discipulis suis, & eis deducentibus videndo, non sequendo ascendit in cœlum, & non est hîc, ibi enim sedet ad dexteram Patris. Secundùm præsentiam Maiestatis semper habemus Christum: secundùm præsentiam carnis rectè dictum est discipulis: me autem non semper habebitis.

Epist.57. Noli dubitare in cœlo nunc esse Christum Iesum, vnde venturus est in eadem carnis forma atque substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Sic epist.146.

Tract.59. in Ioan. Discipuli manducabant panem Dominum: Iudas panem Domini contra Dominum: illi vitam, ille pœnam: Qui enim manducat indignè, iudicium sibi manducat.

De catechisandis rudibus, c.26. tomo 4 De Sacramento quum bene commendatum fuerit, Signacula quidem rerum diuinarum esse visibilia: sed res ipsas inuisibiles in eis honorari: nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in vsu quolibet: dicendum etiam quid significet & sermo ille quem audiuit, quid in illo condatur, cuius illa res similitudinem gerit.

Tract.80. in Ioan. Dominus ait, Mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis. Quare non ait, mundi estis propter Baptismum, quo loti estis: nisi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Vnde ista tanta virtus aquæ vt corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo, aliud est sonus trãsiens, aliud virtus manens. Lege Apostolum, & vide quid adiungat: vt eam sanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo.

Tract.6. in Epist. Ioan tom.9. Aliud est aqua Sacramenti, aliud aqua quæ significet Spiritum Dei. Aqua sacramenti visibilis est: aqua Spiritus, inuisibilis est: ista abluit corpus, & Significat quod fit in anima: per illum Spiritum ipsa anima mundatur & saginatur. Ipse est Spiritus Dei.

Tract.1. in Epist Ioan. Dominum iam in cœlo sedentem manu contrectare non possumus, sed fide contingere. Quemadmodum Christus in nobis hîc, ita nos ibi in illo sumus. Christus caput nostrum sursum in cœlo est, & nos deorsum. Est autem ille in nobis hîc, ita nos ibi in illo sursum. Nos autem fide, spe & dilectione sumus cum Christo in cœlo: & ipse Diuinitate, bonitate & vnitate nobiscum est in terra.

De Ciuit. Dei lib.10. cap.5. Sacrificium visibile inuisibilis sacrificij sacramentum, id est, sacrum signum, est.

Lib.10. cap 19. Visibilia sacrificia sunt Signa inuisibilium, sicut verba sonantia Signa sunt rerum.

In Psalm.10. Non confidunt in Domino, qui tunc esse dicunt sancta Sacramenta, si per sanctos homines dentur.

Contra Donatistam, tomo 7. Qui accipit indignè Baptisma, iudicium accipit non salutem.

De Trinitate lib.3. cap.10. Sacramenta honorem tanquam religiosa habere possunt: stuporem tanquam mira non possunt.

In Psalm.3. Christus commendauit & tradidit discipulis suis figuram corporis sui.

In Psalm.21. Quotiens Pascha celebratur, nunquid totiens Christus moritur: sed tamen anniuersaria recordatio quasi repræsentat quod olim factum est: & sic nos facit moueri tanquam videamus in cruce pendentem Dominum.

Contra Faustum, lib.9. cap.14. Sacramenta legis fuerunt promissiones complendarum rerum: nostra sunt indicia rerum completarum.

In Psal 46. Ascendit ante vos, sic veniet, &c. Tollitur quidem corpus ab oculis vestris, sed non separatur Deus à cordibus vestris. Videte ascendentem, credite in absentem, sperate venientem: sed tamen per misericordiam occultam etiam sentite præsentem.

In Psalm.77. Idem in mysterio cibi & potus Veterum, qui noster.

Epist.6. In interiore lumine habes præsentem Christum per fidem in corde tuo.

Ep.130. Hoc agit ille & efficit qui per Ministros suos, Rerũ signis extrinsecus admonet: rebus autem ipsis per se ipsum intrinsecus docet.

Sermone ad Infantes. Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinísque Domini participem fieri, quando in Baptismate efficitur membrum Christi.

Epist.57. Dicimus in baptizatis paruulis quamuis id nesciat, habitare Spiritum Sanctum. Velut quædam scintilla sopita est, excitanda ætatis accessu.

Epist.203. Ergo vnum Baptismum noui Patris, Filij & Spiritus Sancti nomine consecratum atque signatum. Hanc formam vbi inuenio, necesse est vt approbem.

Epistola 167. in eandem sententiam. Neque Sacramenta (Donatistarum) nobis inimica sunt, quæ cum illis nobis sunt communia: quia non humana sunt, sed Diuina.

Sermone 14. de Verbis Domini. Baptizandos esse parvulos nemo dubitet, in Christo propter salutem.

Tract.15. Quid est Baptismus Christi? Lauacrum Aquæ in Verbo. Tolle Aquam, & non est Baptismus. Tolle Verbum, & non est Baptismus.

Tractatu 45. in Ioannem. Ante aduentum Domini nostri Iesu Christi quo humilis venit in carne, præcesserunt iusti, sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum qui venit. Tempora variata sunt, non fides. Eadem fides vtrosque coniungit, vtrosque per vnum fidei ostium, hoc est per Christum, videmus ingressos? habentes eundem fidei spiritum. In signis diuersis eadem fides: si in Signis diuersis quomodo in verbis diuersis. Significata sunt ergo omnia. Nunquid non eadem credebant per quos hæc signa ministrabantur? Vtique credebant: sed illi ventura esse, nos autem venisse. Ideo sic ait Eundem potum spiritalem biberunt. Si spiritalem, eundem: nam corporalem, non eundem. Quid enim illi bibebant? De spiritali sequente petra: petra autem erat Christus.

Contra Faustum Manichæum lib 19. cap.16. Adversus calumniosam imperitiam Fausti demonstrare suffecerit quanto errore delirent qui putant Signis Sacramentisque mutatis, etiam res ipsas esse diuersas, quas ritus Propheticus prænuntiauit præmissas, & quas ritus Euangelicus annuntiauit impletas.

Ibid. Quid sunt aliud quæque spiritualia Sacramenta nisi quædam quasi verba visibilia?

Virtus quæ per ista operatur, iugiter manet: & donum spiritale quod per ista insinuatur, æternum est.

Ad Dardanum Epistola 57. Noli itaque dubitare ibi nunc esse hominem Christum Iesum, vnde venturus est: memoritérque recole & fideliter tene Christianam confessionem: quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris: nec aliunde, quàm inde venturus est ad viuos mortuósque iudicandos: & sic venturus est, illa Angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum, id est in eadem carnis, forma atque substantia; cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundùm hanc formam, non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim ne ita Diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus.

Optatus Mileuitanus libro 5. adversus Parmenianum Donatistam. In hoc Sacramento baptismatis, tres esse species constat: prima est in Trinitate, secunda in credente, tertia in operante. Sed non pari libamine ponderandæ sunt singulæ. Duas enim video necessarias, & vnam quasi necessariam. Et principalem locum Trinitas possidet, sine qua res ipsa non potest geri: hanc sequitur fides credentis. Iam persona operantis vicina est, quæ simili authoritate esse non potest. Duæ priores permanent semper immutabiles & immotæ. Trinitas enim semper ipsa est: fides in singulis vna est: vim suam semper retinent ambæ. Persona verò operantis sola videtur esse mutabilis, operarij quotidie mutantur & locis & temporibus & personis. Operarij mutati possunt, Sacramenta mutari non possunt. Cùm ergo videatis, omnes qui baptizant operarios esse non dominos, & Sacramenta per se esse sancta, non per homines, quid est quod tantum vobis vindicatis? Quid est quod Deum à muneribus suis excludere contenditis? Concedite Deo, præstare quæ sua sunt. Non enim est munus ab homine dari, quod diuinum est. Videte, Deum vnum quemque mundare. Sordes enim & maculas mentis lauare non potest, nisi qui eiusdem fabricator est mentis.

In eodem libro. Baptisma Christianorum Trinitate confectum, confert gratiam. Si reparatur facit vitæ iacturam.

BERTRAMVS *Presbyter, de corpore & sanguine Domini, ad Carolum magnum Imperatorem ante 700. annos.* Iubes, gloriose Princeps, vt quid de sanguinis & corporis Christi mysterio sentiam, Vestræ Magnificentiæ significem, &c. Panis ille, vinúmque figuratè Christi corpus & sanguis existit.

Ibidem. Mirum certè, quoniam incomprehensibile & inæstimabile, nondum hominem assumpserat; nondum pro salute mundi mortem degustauerat, nondum sanguine suo nos redemerat: ac iam nostri Patres in deserto, per escam spiritualem potúmque inuisibilem, eius corpus manducabant, & eius sanguinem bibebant, velut testis existit Apostolus clamans, 1.Cor.10. Eandem escam spiritualem manducasse,

esse, eundem potum spiritualem bibisse patres nostros.

Ibidem. Hic etiam considerare debemus, quemadmodum sit accipiendum quod ipse dicit, Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis. Non enim dicit quòd caro ipsius, quæ pependit in cruce, particulatim concidenda foret & à discipulis manducanda: vel sanguis ipsius, quem fusurus erat pro mundi redemptione, discipulis dandus esset in potum: hoc enim scelus esset &c. Hoc vos scandalizat, inquiens, Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat priùs: tanquam diceret: Non ergo carnem meam, vel sanguinem meum vobis corporaliter comedendam, vel bibendum per partes distributum, distribuendum putetis: cùm post resurrectionem visuri sitis me cœlos ascensurum, cum integri corporis siue sanguinis mei plenitudine: tunc intelligetis, quòd non sicut infideles arbitrantur, carnem meam à credentibus comedendam.

Ibidem. Cernimus quòd sanctus Augustinus doctor Ecclesiæ præcipuus, in libro de doctrina Christiana tertio, taliter scribit: Nisi manducaueritis, &c. Mysteria corporis & sanguinis Christi, sub figura dicit à fidelibus celebrari. Nam carnem illius sanguinémque eius sumere carnaliter, non religionis dicit esse, sed facinoris. Et in Epistola ad Bonifacium. Si Sacramenta quandam similitudinem rerum earum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent, &c. Cernimus quod sanctus Augustinus aliud dicit Sacramenta, & aliud res, quarum sunt sacramenta. Corpus autem in quo passus est Christus, & sanguis eius de latere qui fluxit, res sunt. Harum verò rerum mysteria dicit esse sacramenta corporis & sanguinis Christi, quæ celebrantur ob memoriam Dominicæ passionis, &c. Sacramenta ipsarum rerum vocabula sumpserunt, vt dicantur corpus & sanguis Christi, cùm propter similitudinem rerum quas innuunt, sic appellantur: sicut Pascha & Resurrectio Domini vocantur quæ per singulos annos celebrantur, cùm semel in seipso passus sit & resurrexit, &c. Mysteria dominicum corpus & sanguis dominicus appellantur: quoniam eius sumunt appellationem cuius existunt Sacramentum. Hinc Beatus Isidorus sic ait, Sacrificium dictum quasi sacrum factum: quia prece mystica consecratur in memoriam Dominicæ passionis. Vnde, hoc eo iubente, corpus Christi & sanguinem dicimus, quòd dum fit ex fructibus terræ sanctificatur & fit sacramentum, operante inuisibiliter Spiritu Dei: cuius panis & calicis sacramentum Græci Eucharistiam dicunt, quod Latinè bona gratia interpretatur. Et quid meliùs sanguine & corpore Christi? Panis verò & vinum, ideo corpori & sanguini Domini comparantur: quia sicut visibilis huius panis vinique substantia exteriorem nutrit & inebriat hominem: ita Verbum Dei quod est panis viuus, participatione sui, fidelium recreat mentes. Et ipse doctor Catholicus sacrum illud Dominicæ passionis mysterium docet agendum in memoriam pro nobis Dominicæ passionis. Hoc dicens, ostendit Dominicam passionem semel esse factam, eius verò memoriam in sacris solennibus repræsentari.

Ibidem, Panis & vinum priùs extitere: in qua etiam specie iam consecrata, permanere videntur.

Ibidem, Sanctus Ambrosius, distinguit Sacramentum carnis, à veritate carnis, &c. Inuitat ergo spiritualis gustus saporem experiri: & in illo potu vel pane, nihil corporaliter opinari, sed totum spiritualiter sentire: quoniam Dominus spiritus est, & beatus vir qui sperat in eo. Item, consequenter in illo Sacramento Christus est: quia corpus Christi est. Non ergo corporalis esca, sed spiritualis. Non ait ille panis & illud vinum Christus est: quòd si diceret, Christum corruptibilem (quod absit) & mortalitati subiectum prædicaret.

Paulò pòst. Quibus omnibus euidenter ostenditur, Nihil in esca ista, nihil in potu isto corporaliter sentiendum, sed totum spiritualiter attendendum. Non enim anima, vel escâ corporeâ, vel potu corporeo pascitur, sed verbo Dei nutritur ac vegetatur. Quod apertiùs in libro 5. Sacramentorum, Doctor idem (Ambrosius) affirmat. Non iste panis est, inquiens, qui vadit in corpus: sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam subministrat. Loquitur de pane corporis Christi.

De qua re beatus Hieronymus, in commentario Epistolæ Pauli ad Ephesios, ita scribit: Dupliciter sanguis Christi & caro intelligitur, vel spiritualis illa atque diuina, de qua ipse dicit: Carò mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus: vel caro quæ crucifixa est & sanguis qui militis effusus est lancea. Differunt autem caro spiritualis, quæ fidelium ore sumitur, & sanguis spiritualis, qui quotidie credentibus potandus exhibetur à carne quæ crucifixa est, &c. quæ non aliud exteriùs, quàm quod interiùs erat, ostendat.

Ibidem, Quid est, Spiritus & vita sunt? Spiritualiter intelligenda sunt. Intellexisti spiritualiter, spiritus & vita sunt, intellexisti carnaliter: etiam sic spiritus & vita sunt: sed tibi non sunt.

Ad finem tractatus, de vero corpore Christi dicitur, quòd sit verus Deus & verus homo Deus, qui ex Patre Deo ante secula natus: homo qui in fine seculi ex Maria Virgine genitus. Hæc autem dum de corpore Christi quod in Ecclesia per mysterium geritur, dici non possunt, secundùm quendam modum corpus Christi cognoscitur. In orationibus quæ post mysterium sanguinis corporisque Christi dicuntur, & à populo respondetur, Amen, sic sacerdotis voce dicitur: Pignus æternæ vitæ capientes humiliter imploramus, vt quod imagine contingimus sacramenti, manifesta participatione sumamus. Et pignus & imago alterius rei sunt: id est non ad se, sed ad aliud aspiciunt. Pignus enim illius rei est, pro qua donatio. Imago illius cuius consuetudinem ostendit. Significant enim ista rem cuius sunt, non manifestè ostendunt. Item alibi, perficiant in nobis, Domine quæsumus, tua sacramenta quod continent, vt quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Dicit quòd in specie gerantur ista, non in veritate: id est per similitudinem, non per ipsius rei manifestationem. Apparet itaque quod multa intra se differentia separantur, quantum est inter pignus & eam rem pro qua pignus traditur: & quantum inter imaginem & rem cuius est imago, & quantum inter speciem & veritatem. Videmus itaque mutua differentia separari mysterium sanguinis & corporis Christi, quod nunc à fidelibus sumitur in Ecclesia: & illud quod natum est de Maria virgine quod passum, quod sepultum, quod resurrexit, quod cœlos ascendit, quod ad dexteram Patris sedet. Hoc namque quod agitur in via, spiritualiter est accipiendum. At verò corpus illud in quo passus est & resurrexit Christus proprium eius corpus existit: de Virginis Mariæ corpore sumptum, palpabile seu visibile etiam post resurrectionem, sicut ipse discipulis ait, &c.

Audiamus etiam quid beatus Fulgentius in libello de fide dicat firmissimè tene, & nullatenus dubites ipsum vnigenitum Deum Verbum carne factum, se pro nobis obtulisse sacrificium & hostiam Deo in odorem suauitatis.

Cui cum Patre & Spiritu Sancto à Patriarchis, à Prophetis & Sacerdotibus tempore Veteris Testamenti animalia sacrificabantur: & cui nunc idem tempore Noui Testamenti cum Patre & Spiritu sancto, cum quibus illa est vna diuinitas, sacrificium Panis & Vini in fide & charitate sancta Catholica Ecclesia per vniuersum orbem offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis, significatio fuit carnis Christi quam pro peccatis nostris & ipse sine peccato fuerat oblaturus, & sanguinis quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit, Act.10. &c.

In illis sacrificiis quid nobis esset donandum significabatur: in isto verò sacrificio, quid sit donatum commemoratur, patenter innuit: quod sicut illa figuram habuere futurorum: sic & sacrificium futura sit præteritorum.

Animaduertat, clarissime Princeps, sapientia vestra quòd positis sanctarum Scripturarum testimonis & sanctorum Patrum dictis, euidentissimè monstratum est quòd panis qui corpus Christi, & calix qui sanguis Christi appellatur, figura sit, quia mysterium: & quòd non parua differentia sit inter corpus quod per mysterium existit, & corpus quod passum est, & sepultum, & resurrexit: quia hoc proprium Seruatoris corpus existit, nec in eo vel aliqua figura, vel aliqua significatio, sed ipsa rei manifestatio cognoscitur, & ipsius visionem credentes desiderant: quoniam ipsum est caput nostrum, & ipso viso, satiabitur desiderium nostrum. At in isto quod per mysterium geritur, figura est non solùm proprij corporis Christi, verumetiam credentis in Christum populi. Vtriusque namque corporis, id est & Christi quod passum est & resurrit, & populi in Christo per Baptismum renati, atque de mortuis viuificati, figuram gestat. Addamus etiam quòd iste panis & calix, qui corpus & sanguis Christi nominatur, memoriam repræsentat Dominicæ passionis, siue mortis, quemadmodum ipse in Euangelio dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Quod exponens Apostolus Paulus, ait, Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Docemur à Seruatore, necnon a sancto Paulo Apostolo quòd iste panis & iste calix qui super altare ponitur, in figuram siue memoriam Dominicæ mortis ponatur: vt quod gestum est in præterito, præsenti reuocet memoriæ: vt illius passionis memores effecti, per eam efficiamur diuini muneris consortes, per quam sumus à morte liberati, cognoscentes quòd vbi per-

manent.

venerimus ad visionem Christi, talibus non opus habebimus instrumentis quibus admonemur quid pro nobis immensa benignitas sustinuerit. Quoniam ipsum facie ad faciem contemplantes, non per exteriorem temporalium rerum admonitionem commonebimur: sed per ipsius contemplationem veritatis aspiciemus, quemadmodum nostræ salutis auctori gratias agere debeamus. Nec ideo quoniam ista dicimus, putetur in mysterio Sacramenti, corpus Domini vel sanguinem ipsius non à fidelibus sumi: quando fides non quod oculis videt, sed quod credit, accipit. Quoniam spiritualis est esca, & spiritualis potus spiritualiter animam pascens & æternæ satietatis vitam tribuens: sicut ipse Servator, mysterium hoc commendans, loquitur: Spiritus est qui viuificat, nam caro nihil prodest.

Caput Tertium.

Romanorum Decreta interdum referunt Patrum doctrinam.

Can.1.qu.1. Sacramenta quæ non mutastis, sicut habetis, approbantur à nobis. Sic & illa quæ schismatici & hæretici non aliter habent, nec aliter agunt quàm vera Ecclesia, non emendamus, sed potiùs approbamus.

Ibid. Etiam corde tardiores intelligunt, Baptismum Christi nulla perversitate dantis vel accipientis posse violari.

Cap.1. quæst.1. August. in hom.80. Detrahe verbum ad aquam, quid est nisi aqua? Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum: vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat? nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, ad aliud virtus manẽs.

De consecrat dist.2 can etsi. Etsi non frequentiùs, saltem in anno ter, homines communicent: nisi fortè quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur: In Pascha videlicet & Pentecoste & Natali Domini.

Can. à quibusdam. dist.2. A quibusdam in Cœna Domini perceptio Eucharistiæ negligitur: quæ quoniam eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis iis qui pro grauibus criminibus inhibitum est) percipienda sit, Ecclesiasticus vsus demonstrat: quum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis Dominici sacramenta reconcilientur.

Can Siquis. Siquis intrat Ecclesiam Dei & sacras Scripturas audit, & pro luxuria sua auertit à se communione Sacramenti, projiciendus de Ecclesia Catholica.

Ibi Glossa Pro luxuria: id est, superstitione sua credens, fortè non esse communicandum.

Can. qui scelerate. Qui scelerate viuunt in Ecclesia, & communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari: discant nil ad emendationem proficere sibi. Ex Propheta & Apostolo, &c.

De Consecrat. Can. quia passus. Quia passus est Dominibus pro nobis, commendauit nobis in isto Sacramento sanguinem suum & corpus quod etiam fecit nosmetipsos. Nam & corpus ipsius facti sumus. Vos estis in mensa, & in calice nobiscum vos estis: simul enim hoc sumimus, simul bibimus, quia simul viuimus. Nulli est aliquatenus dubitandum, vnumquemque fidelium corporis & sanguinis Dominici, tunc esse participem, quando in Baptisma membrum efficitur charitatis: nec alienari ab illius panis calicisque consortio: etiamsi antequam panem illum comedat, calicémque bibat, de hoc seculo migrauerit, in vnitate corporis constitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuabitur: quando in se hoc quod illud Sacramentum significat inuenitur.

Can. Quum frangitur. Dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ore fidelium funditur: quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiúsque sanguinis de latere effusio designatur?

Can. Ante dist 2. Qui manducauerit hoc corpus, fiet ei Remissio peccatorum. Ex August. & Ambros.

Can. Ego Berengarius. Glossa. Nisi sanè intelligas verba (corpus Domini nostri Iesu Christi manibus Sacerdotum tractari vel frangi & fidelium dentibus atteri) in maiorem incides hæresim quàm ipse Berengarius.

Can. vt quid. Vt quid paras dentem & ventrem? crede & manducasti. Credere enim in eum, hoc est panem & vinum manducare: Qui credit in eum, manducat eum.

Can. Non hoc corpus. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quam effusuri sunt qui me crucifigent.

Can. Hoc est. Signatur visibile Domini nostri Iesu Christi corpus.

Glossa: Sacramentum quod verè repræsentat carnem Christi, dicatur corpus Christi: sed impropriè: vnde dicitur SVO MODO, non rei veritate, sed significari mysterio: vt sit sensus: vocatur Christi corpus, id est, SIGNIFICATVR. Item, Sicut ergo cœlestis panis qui Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, quum reuera sit sacramentum corporis Christi illius videlicet quod visibile est: vocatúrque ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, non rei veritate sed significante mysterio.

Can. Quia dist.2. Quia morte Domini liberati sumus, huius rei memores in edendo & potando carnem & sanguinem quæ pro nobis oblata sunt sign ficamus. August.

Can. qui manducant. Quod videtur panis est, & calix quod etiam oculi renuntiant: quod autem fides postulat instruenda: panis est corpus Christi, calix sanguis. Ista idcirca dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur & aliud intelligitur. August.

Can. credere. Credere in Iesum Christum, hoc est manducare panem viuum: qui credit manducat: & qui manducat carnem & bibit sanguinem, habet vitam æternam.

Can. Qui manducat me. Norunt fideles quemadmodum manducent carnem Christi. Per partes mãducatur in Sacramento, & manet totus integer in cœlo, manet integer totus in corde tuo.

Can. Inquit. Item August. Inquit Apostolus, omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, Spiritualem itaque eandem. Nam corporalem aliam, quia illi manna manducauerunt: nos aliud, & omnes eundem potum spiritualem biberunt: aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, quod tamen idem est virtute spirituali.

De Consecratione dist.2. Canon. In Sacramentorum. Panis, vinum, & aqua permixtum in Sacrificium offerantur.

Can. non oportet. Non oportet aliud aliquid in Sacramento offerri præter Vinum & Aquam & Panem quæ in typo Christi benedicuntur.

Ex Concilio Carthag. 4. Canon. In Sacramento. In Sacramento corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur quàm quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aqua mixtum: nec amplius in Sacrificiis offeratur quàm de vuis & frumentis.

Can. Peracta, dist.2. Peracta consecratione omnes communicent: qui noluerint, Ecclesiasticis careant liminibus. Sic enim Apostoli statuerunt.

Can. Comperimus ex Gelasio Papa. Comperimus autem quòd quidam sumta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant: qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur astringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio vnius eiusdémque mysterij, sine grandi sacrilegio non potest peruenire.

Can Sacrificium & Signum. Sacramentum est sacrum signum, inuisibilis gratiæ visibilis forma. Signum, est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud faciens ex se in cognitionem venire.

Can. ante, ex Ambrosio. Ante benedictionem alia species nominatur, post benedictionem corpus significatur.

Can. Prima quidem. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendaui vobis, spiritualiter intellectum viuificat vos. Illi putabant erogaturum corpus suum: ille dixit se ascensurum in cœlum vtique integrum. Item, donec seculum finiatur sursum Dominus est: sed tamen hîc etiam nobiscum est veritas Domini. Corpus enim in quo resurrexit in vno loco esse oportet: veritas autem eius vbique diffusa est.

Can. vt quid. Vt quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducasti. Qui credit in eum, manducat eum.

Can. in Christo. Quid ergo nos? nónne per singulos dies offerimus? sed ad recordationem mortis eius. In commemorationem mortis eius quod factum est.

Can. Qui manducant. Item Augustinus. Qui manducant & bibunt Christum: vitam manducant & bibunt.

Can Credere. Credere in Christum, est manducare panem viuum; qui credit manducat. Participatione Filij, homo manducans viuit.

Can Qui discordat. dist. 2. Item August. Qui discordat à Christo, non manducat carnem eius nec bibit sanguinem: etsi tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ perditionis quotidie accipit.

Can. quia corpus. Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis: & illaturus syderibus, necessarium erat, vt die Cœnæ sacramentum nobis corporis & sanguinis consecraret: vt coleretur iugiter per mysterium quod semel offerebatur in pretium.

Can. Non iste. dist. 2. de consecr. Non iste panis qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ qui animæ nostræ substantiam fulcit.

Can.

*Can. Nullus, dist.*32. Nullus Missam audiat presbyteri quem scit concubinam indubitanter habere. Sic Can. *Prator.*

*Can. A quibusdam dist.*2. *de Consecr.* Pœnitens eodem die ad percipienda corporis & sanguinis Dominici Sacramenta reconcilientur.

*Can. ostenditur. dist.*4. *de Consecr.* Ostenditur illos impiè facere qui rebaptizare conantur. Itaque in quo nobiscum sentiunt hæretici etiam nobiscum sunt. In eo autem à nobis recesserunt in quo à nobis dissentiunt. August. lib. de Baptismo.

Can. Nulli dist 4. *de Consecr.* Nulli est aliquatenus ambigendum: tunc vnum quemque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri quando in Baptismate membrum Christi corporis efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio: etiamsi antequam illum panem comedat, & calicem bibat de hoc seculo abscedat in vnitate corporis Christi constitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac benefico non priuatur, quando ipse hoc quod ipse Sacramentum est inuenitur.

*Can. Constat. d.*4. Constat baptisma à solis Sacerdotibus esse tractandum eiúsque mysterium.

SCOTVS *in Report dist* 11. Prima opinio fuit, quòd substantia panis maneat & firmissimas habet rationes. Altera opinio, quòd substantia non maneat, sed aut in nihilum redigatur, aut in materiam primam resoluatur. Tertia opinio, quod panis in corpus Christi conuertatur. Dico quòd licet substantia panis maneret, non auferret venerationem, neque esset causa Idololatriæ, & quòd substantia magis repræsentat corpus Christi quàm accidentia tantùm, quum maior sit conuenientia substantiæ ad substantiam quàm accidens.

Petrus de Alliaco in 4. *sent. q.*6. Ille modus qui ponit panis substantiam remanere, nec repugnat rationi, nec auctoritati Bibliæ: imò est facilior ad intelligendum.

Ex Concilio Niceno. Ne humiliter intenti simus ad propositum Panem & vinum: sursum corda ad Dominum.

*Ex Concilio Constantinopol.*7. Substantiam panis mandauit apponi, ne scilicet humana effigie figurata, Idololatria committeretur.

Lombardus l 4. *sent dist* 4. Sacramenta in solis electis efficiunt quod figurant.

*Dist.*4. Ait Augustinus, Bonus accipit sacramentum & rem sacramenti: malus verò sacramentum & non rem.

RABANVS *Maurus Moguntinus Episcopus antè ann.* 700. Sicut cibus materialis forinsecus nutrit corpus, ita etiam verbum Dei intus animam nutrit. Sacramentum ore percipitur virtute Sacramenti inferior homo satiatur. In Sacramento fideles quique communicantes pactum societatis ineunt: in virtute verò Sacramenti omnia membra capiti suo coniuncta & coadunata, in æterna claritate gaudebunt. Sicut ergo illud in nos conuertitur, quum id manducamus & bibimus. Sic & nos in corpus Christi conuertimur, dum obedientes & piè viuimus. Sacramentum corporis & sanguinis Domini dictum est Sacrificium, quasi sacrum factum, quod prece mystica consecratur in memoriam Dominicæ passionis. Panis & calicis Sacramentum Græci Eucharistiam dicunt, quod Latinè bona Gratia significat. Quia panis cor firmat, ideo ille corpus Christi conuenienter nuncupatur: vinum autem, quia sanguinem operatur in carne, ideo ad sanguinem Christi refertur. Hæc autem dum sunt visibilia, sanctificata tamen per Spiritum Sanctum in Sacramentum diuini corporis transeunt.

Gelasius Papa in Consilio Romano. Certè Sacramenta corporis & sanguinis Christi, diuinæ res sunt propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ, & tamen non desinit esse substantia vel natura panis & vini. Et certè imago corporis & sanguinis Christi in actione, mysterio celebrantur. Satis ergo euidenter nobis ostenditur, hoc nobis in Christo Domino sentiendum, quod in ejus imagine profitemur celebramus & sumimus: vt sicut hæc in diuinam transeunt, Spiritu Sancto perficiente, substantiam, permanent tamen in suæ proprietate naturæ. Sic illud principale mysterium (videlicet incarnationis) cuius hæc nobis efficientiam virtutemque veraciter repræsentant, iis ex quibus constat naturis propriè permanentibus, vnum Christum integrum verumque permanere demonstrat.

GREGOR. *Magnus, hom* 36. *in Euang.* Idcirco autem hoc conuiuium Dei, non prandium, sed Cœna vocatur: quia post prandium, cœna restat, post cœnam verò, conuiuium nullum restat.

*Epist. ex Registro, lib.*1. *cap.*41. De trina mersione Baptismatis in vna fide, nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ Sacramenta signamus: Quòd si quis fortè etiam pro summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit baptizando semel in aquis mergere: quia dum in tribus personis vna substantia est: reprehensibile esse nullatenus potest infantem in Baptismate vel ter vel semel immergere, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas: & in vna

poteſt diuinitatis ſingularitas deſignari. Sed quia nunc hucuſque ab hæreticis infans in Baptiſmate tertiò mergebatur: fiendum apud nos eſſe non cenſeo: ne dum merſiones numerant, Diuinitatem diuidant, dúmque quod faciebant, ſe morem noſtrum viciſſe glorientur.

LEO *primus Papa. ſerm.3. de paſſ. Dom.* Pro mundo crucifixus eſt Chriſtus: huic Sacramento vniuerſa præcedentium ſeculorum myſteria ſeruierunt, & quicquid hoſtiarum differentiis in Propheticis ſignis & legalibus inſtitutis, ſacra diſpenſatione variatum eſt, hoc prænuntiauit depoſitum, hoc promiſit implendum: vt nunc imaginibus figuriſque ceſſantibus hoc proſit credere iam effectum, quod antea profuit crediſſe faciendum.

Contra Eutych. Fruſtra, quando communionem Eutychiani percipiunt, Amen reſpondent: eò quòd proprietates corporis Chriſti quod percipere volunt, negantes, nullam habeant eius communionem.

THEODORETVS *in Dialogis Romæ impreſſis Græcè.* Ipſe ſeruator noſter permutauit nomina, & corpori quidem Symboli nomen impoſuit, Symbolo verò corporis nomen. Sic vitem ſeipſum nominans, ſanguinis nomen ſymbolo tribuit. Cauſſa permutationis nominum manifeſta eſt iis, qui ſacri initiati ſunt. Voluit enim Sacramentis vtentes non intentos eſſe in naturam eorum quæ cernuntur, ſed per nominum permutationem credere ei, quæ ex gratia facta eſt mutationi. Qui etiam naturale corpus triticum & panem appellauit, & rurſus ſeipſum vitem nominauit, is viſibilia ſymbola corporis & ſanguinis ſui appellatione honorauit, non naturam mutans, ſed gratiam naturæ adiiciens. Dominus accipiens ſymbolum dixit: Hoc eſt corpus meum. Nempe quia ſymbola myſtica earum rerum nomina ſuſcipiunt, quarum ſymbola & typi ſunt. Noſti Dominum appellare Panem ſuum corpus? & alibi ſuam carnem appellauit cibum. In diſtributione Sacramentorum vocauit panem ſuum corpus.

*Dialog.*1. Chriſtus naturam panis non mutat; ſed naturæ adiicit gratiam.

*Dal.*2. Signa poſt ſanctificationem non recedunt à natura ſua: Manent in priori ſubſtantia.

Ibid. εἰ τοίνυν τοῦ ὄντος σώματος ἀντίτυπά ἐστι, τὰ θεῖα μυστήρια, σῶμα ἄρα καὶ νῦν τὸ δεσποτικόν σῶμα, οὐκ εἰς θεότητος φύσιν μεταβληθὲν, ἀλλὰ θείας δόξης ἀναπλησθέν. Si Sacramenta ſunt, verè veri corporis Domini antipa ſiue figuræ, certè etiamnum corpus Domini eſt corpus, nec mutatum eſt in deitatem, ſed repletum eſt diuina gloria.

Ibid. Confer cum archetypo imaginem & videbis ſimilitudinem. Oportet enim figuram conuenire cum veritate. Cur igitur corporis antitypa qui proprietatum mutationem in eo introducunt, percipiunt? Quum ſuperuacaneus ſit typus, vbi ſublata eſt veritas.

BERNARDVS, *Ser.1. de Cœna Domini.* Sacramentum dicitur ſacrum ſignum, ſiue ſacrum ſecretum. Multa enim fiunt propter ſe tantùm: alia verò propter alia deſignanda, & ſigna ſunt. Vt enim de vſualibus ſumamus exemplum. Datur annulus abſolutè propter annulum, & nulla eſt ſignificatio. Datur ad inueſtiendum de re aliqua, & Signum eſt. Ita vt iam dicere poſſit qui accepit: Annulus non valet quicquam, ſed hæreditas eſt, quam quærebam. In hunc modum itaque Dominus appropinquans Paſſioni, de gratia ſua inueſtire ſuos curauit, vt inuiſibilis gratia ſigno aliquo præſtaretur.

Ibid. Duo nobis certiora prædicata Sacramenta, vt inuiſibilis gratia ſigno viſibili præſtaretur.

In feſto Martini. Caro Chriſti hodie nobis, ſed ſpiritualiter vtique, non corporaliter, exhibetur.

Serm. 28. *ſuper Cantica.* Quaſi non poſſit tangi quum iam aſcenderit, & vtique poterit: ſed affectu, non manu: voto, non oculo: fide, non ſenſibus. Tanges manu fidei, deſiderij digito, deuotionis amplexu, tanges mentis oculo.

Serm.79. in Cant. Credere, inueniſſe eſt. Norunt fideles Chriſtum habitare in cordibus ſuis. Quid propius eſt?

*In Epiph. Dom. ſerm.*2. Vide quàm ſit fides oculata, quàm lynceos habeat oculos: cognoſcit Dei Filium lactantem, cognoſcit in ligno pendentem, cognoſcit morientem.

In Cant ſerm 71. Chriſtus quum paſcit, paſcitur: cibus eius pœnitentia mea, ſalus mea manducat & manducatur: cibus eſt noſter, & nos ipſius: mandor quum arguor, glutior quum inſtituor: decoquor quum immutor: digeror quum transformor. Manducat nos & manducatur à nobis, quò illi aſtringamur & vniamur. Nam ſi manduco & non manducor, videbitur eſſe ille in me, ſed nondum in illo ego, &c. Anima non antè exiſtimet ipſi ſe perfectè vnitam, niſi quum illum in ſe, & ſe in illo manentem perſenſerit.

Serm 76. Credere inueniſſe eſt. Norunt fideles Chriſtum habitare per fidem in cordibus ſuis. Quid propius eſt? Quære ergo ſecura, quære deuota.

In

In Epist. ad fratres de monte. Sacramentum sicut ad vitam accipit dignus, sic ad iudicium & mortem accipit indignus. Rem verò Sacramenti nemo percipit nisi dignus & idoneus. Sacramentum enim, sine re Sacramenti, mors est. Res verò Sacramenti, etiam præter Sacramentum, sumenti vita est æterna.

Serm. 3. in Ps. 91. Quid est Manducare Christi carnem, & bibere eius sanguinem, nisi communicare passionibus eius? Sicut videtur illa panis forma in nos intrare, sic nouerimus ipsum intrare in nos ad habitandum per fidem in cordibus nostris. Quum enim iustitia ingreditur, ille ingreditur qui factus est nobis à Deo Patre iustitia.

In nat. Ioan. Bapt. Fortè quis dicat, Ostende nobis Christum. Quid curiosos circumducitis oculos? num ad viuendum, & non magis ad audiendum conuenitis? Dominus Deus aperuit mihi aurem, inquit Propheta.

ARTICVLVS VIII.

Contra Idololatriam, Imaginum cultum, & superstitiones: vbi de Votis & Iuramento.

Capvt primvm.

Act. 17. 24. 29.

Deus in manufactis templis non habitat, nec manibus hominum colitur. Non extstimandum est Deum auro, argento, aut lapidi arte sculpto, aut inuento hominis esse similem.

Galat. 3. 1. *Christus Euangelij prædicatione depingitur & quodammodo ob oculos nostros crucifigitur.*

Ioan. 4. 23. 24. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Etenim Pater tales quærit qui ipsum adorent. Deus est spiritus & qui adorant eum oportet vt in spiritu ac veritate adorent eum.*

Hebr. 24. *Non in manufactum sacrarium ingressus est Christus: sed in ipsum cœlum vt appareat nunc in conspectu Dei pro nobis.*

Dilecti mei fugite ab idololatria. Ne sitis Idololatræ sicut quidam eorum. Omne quod in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam.

1. Ioan. 5. 21. *Filioli custodite vos à simulachris.*

Matth. 15. 3. 6. 9. *Quare transgredimini mandatum Dei per traditionem vestram?*

1. Cor. 14. 9. *Nisi vos per linguam bene significantem sermonem edideritis: quomodo intelligitur quod dicitur? Eritis in aërem loquentes. Precabor spiritu, sed precabor etiam intelligentia: alioqui quomodo idiota dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem? Nam quid dicas nescit. In Ecclesia malim quinque verba ex intelligentia loqui, quàm decem millia verborum lingua incognita.*

1. Tim. 4. *Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum: prohibentium nubere: abstinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & iis qui cognouerunt veritatem.*

Coloss. 2. *Nemo vos iudicet in cibo aut in potu aut in parte diei festi. Quid adhuc decernitis: Ne tetigeritis neque gustaueritis, secundum præcepta & doctrinas hominum: &c.*

Matth. 23. 14. Marc. 12. 40. Luc. 20. 47. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, idque prætextu quod longis precibus vtamini.*

Leuit. 26. *Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra vt adoretis eum. Ego enim sum Dominus vester. Nec facies tibi, neque constitues statuam, id quod odit Dominus Deus tuus.*

Deut. 16. *Nec facies tibi, neque constitues statuam: quæ odit Dominus Deus tuus*, & cap. 17. v. 3. 4 & cap. 18. v. 10. 11. 12.

Exod.20. *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, nec vllum simulacrum & similitudinem quæ est in cœlo desuper, neque in terra, neque eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles ea.*

Esa.44. *Nimium vecordes qui se ex eodem ligno calefaciunt, assant carnem, Deumque fabricant, & sculptile fecit, curuanturque ante illud.*

Ierem.3. 8.14.15. *Lignum est doctrina vanitatis.*

Ier.19.5. *Et ædificauerunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim,* QVÆ NON PRÆCEPI NEC LOCVTVS SVM. Sic & cap.32. v.35. ἃ οὐ συνέταξα αὐτοῖς. Et suprà dixerat ἃ οὐκ ἐνετειλάμην.

Habac.2. *Conflatile est doctor mendacij: nam quid lapis docere poterit? Quid prodest sculptile? quia sculpsit illud fictor suus conflatibile & imaginem falsam.*

Deuter.12.32. *Non sic facietis Domino* Deo *vestro, quia hoc odit. Ne decepti faciatis vobis sculptam similitudinem.*

Vide cap.13.v.1.2.3.4.& cap.14.1.

Psalm.345. *Dominus est propinquus omnibus inuocantibus nomen suum in veritate.*

Psal.215.113.134. &c. *Similes simulachris fiant qui faciunt, & omnes qui confidunt eis.*

Psal.65. *Tu Deus exaudies precationem.*

Ioan.1.12.Matth.6.9.Rom.10.Ioel.1. *Quisquis inuocauerit nomen Domini seruabitur. Quomodo inuocabunt eum in quem non crediderunt?*

1.Ioan.1. *Hæc est fiducia nostra quòd siquid petierimus secundùm voluntatem eius exaudit nos.*

Hebr.4.16. *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ vt consequamur misericordiam, & gratiam inueniamus.*

Psalm.56. *Quo die clamauero hoc scio quòd Deus mecum.*

Psal.5. *Inuocabis me in die tribulationis & glorificabis me.*

Ps.90. *Clamauit ad me, exaudiam eum.*

1.Tim.2.5. *Est vnus Mediator Dei & hominum Iesus Christus.*

Hebr.4.16. *Non habemus Pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum.*

Matth.4.10. *Dominum Deum tuum adorabis. & illi* SOLI *seruies.* Sic & cap.15.v.11.16.17.20.

Marc.7.7.20.

Luc.17.20.21.

Ioan.10.9.& 14.6.13.& 16.15.

Act.2.21.

Apoc.9.20.

Matth.6.7. *Petentes ne sitis loquaces vt Ethnici putant enim fore vt sua loquacitate exaudiantur.*

Matth.11.28. *Venite ad me quotquot laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*

1.Tim.2.8. *Velim in omni loco precari, puras manus attollentes sine ira & disceptatione.*

Esa.29. Marc.7. *Populus iste, appropinquat ore suo, & labiis suis me honorat. Cor autem eorum longè est à me. & colunt me mandato & doctrina hominum.*

1.Cor.12.2. *Scitis autem quoniam quum Gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes.*

1.Ioan.2.2. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum: Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris.*

Hebr.7. *Seruare prorsus potest eos qui per ipsum accedunt ad Deum: semper viuens vt interpellet pro nobis.*

Esa.63.16. *Tu pater noster & Abraham nesciuit nos & Israel ignorauit nos. Tu Domine pater noster & Redemptor noster.*

Psal.44. *Si pandimus manus nostras ad Deum alienum, nónne Deus requiret ista?*

Ioann.14. *Ego sum via & veritas & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me.*

Ephes.2.18. *Per ipsum habemus aditum per vnum Spiritum ad Patrem.*

Ephes.3.12. *In quo habemus libertatem & aditum cum fiducia per fidem ipsius.*

Rom.8.33. *Christus resurrexit. qui etiam est ad dexteram Dei, qui etiam postulat pro nobis.*

Esa.42. *Meam gloriam alteri non dabo.*

Apoc.19. *Cecidi ante pedes Angeli vt adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris: conseruus tuus sum. Deum adora.*

Act.10 26. *Cornelius procidens ad pedes Petri adorauit eum: Petrus verò leuauit eum dicens, Surge, & ego ipse homo sum.*

1 Reg.19. *Septem millia non incuruauerunt genua coram Baal.*

Actor.4. *Non est aliud nomen hominibus datum, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi nomen Christi.*

1.Reg.8.29. *Tu solus nosti cor omnium hominum.*

Soph.3.9. *Inuocent omnes nomen Domini & seruiant ei.*

Ier.2.13. *Duo fecit mala populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas pertusas.*

Ier.3. *Patrem me vocabis, & post me ingredi non cessabis.*

Iacob.1. *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus, & non improperat. Postulet autem in fide, nihil hæsitans.*

Adde Gen.35.2.

Exod.20.3.23.& 23.13.& 34.14.

Leuit.

Leuit 17.7.9. & 19.4.31. & 20 6.27.

Deut.4.16.19. & 5.7.8.9. & 14.15.& 27.15. & 29.17.19.& 32.3.17.18.

Esa.1.6.8.& 8.19.& 31.7.& 40.19.20.21.22.& 41.29. & 44.9.18.& 46.7.& 66.1.

Ier.2.13.& 7.22.23. & 8.19. & 44.16.18 & 51.17.18.19. Ezec c 8.per totum,& 20.18.19.30.32. Rom.1.25.26.8.17.

Adde consimiles locos complures.

CAPVT. I.

DECALOGVS, siue decem legis moralis præcepta, Exod.20. Deuter.5. Leuit.19. & 26. Psalm.97.&c. *Requiruntur hic imprimis. Cauendúmque ne supprimatur aut occultetur præceptum illud Legis : Non facies tibi sculptile, neque similitudinem eius quod est in cœlo, & quæ in terra & quæ in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus &c.*

Secundum esse illud Decalogi præceptum confirmant veteres Christiani frequentes.

Athanasius de Synopsi. Ecce sunt præcepta, quorum Primum est, Ego sum Deus tuus. Alterum. Non facies tibi simulachrum. Tertium, Non assumes nomen Dei in vanum, &c. Decimum, Non concupisces domum, vxorem proximi tui,&c.

Chrysostomus in Matthæum homil.49. Legis Iustitia habet decem Mandata. Primum, Cognoscere vnum Deum. Secundum, Abstinere ab Idolis. Tertium, Non peierare,&c.

Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum. Decimum præceptum totum dicit esse de concupiscentia.

Nazianzenus in carminibus enumerat, Secundum Præceptum statuit aduersus simulachra, Quartum *quarto versu* de Sabbatho, Vltimum & decimum adversus concupiscentiam. *Sic & Ambrosius in 6. caput epistolæ ad Ephesios. Hieronymus in eundem locum. Origenes in Exodum. Iosephus libro tertio Antiquitatum. Philo in expositione Decalogi.*

Augustinus disertis verbis quæstionum ex veteri Testamento, lib.1. cap.7. tomo 4. In duabus Tabulis decem verba scripta quæ decem sensus sunt. Denique dicit Deus. Non sint tibi alij dij præter me : Primum verbum hoc est. Subiecit Secundum, Non facies tibi vllam similitudinem quæ sunt in cœlo sursum & in terra. Deinde adiecit Tertium : Non sumes nomen Dei in vanum. Dehinc quarto loco dicit, Sabbathum Domini Dei tui seruabis, &c. Hæc Quatuor verba sunt de decem. Illa ad Deum propriè pertinent. Hæc sunt in prima Tabula scripta. Deinde in Secunda Tabula hæc continentur. Primum verbum est, Honora Patrem tuum, & matrem tuam. Secundum, Non occides. Tertium, Non fornicaberis. Quartum, Non furaberis. Quintum, Non falsum testimonium dices. Sextum, Non concupisces quicquam proximi tui. *Illa Augustinus.*

CAPVT II.

Ex ipsorum Romanorum Decretis.

C*An Ecclesiasticarum. Dist.*11. Quæ Scriptura salutiferę crucis signaculo fideles docuit insignire ? vel quæ, trifaria digesta super panem & calicem verba commendauit ? Nam non modò quod in Euangelio continetur: vel ab Apostolo quolibet est insertum fecretis, dicimus : sed etiam alia plura adiicimus, magnam quasi vim commendantia mysteriis.

Conon. Nouitat. distinctione 12. Non pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt in Ecclesia.

*Can illa dist.*12. Quod neque contra fidem Catholicam, neque contra bonos mores esse conuincitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, societate ; seruandum est. Cæterùm si pro varietate temporum, vel animorum, vel locorum variæ consuetudines introducuntur : inuenta opportunitate, resecandæ sunt.

Can. omnia talia. dist. 12. Omnia talia quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur: nec in conciliis Episcoporum statuta inueniuntur: nec consuetudine vniuersitatis Ecclesiæ roborata sunt: ita vt vix aut nunquam omnino possint inueniri causæ quas in eis constituendis homines secuti sunt: vbi facultas tribuitur, sine vlla dubitatione resecanda. Quamuis enim neque hoc inueniri possit quomodo contra fidem sint: ipsam tamen religionem quam in paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei voluit esse liberam, seruilibus oneribus premunt, adeò vt tolerabilior sit conditio Iudæorum. Quinetiam si tempus libertatis non cognouerint, legalibus tamen Sacramentis, non humanis præsumptionibus subiiciuntur.

Can Quidam dist. 27. Quidam nubentes post votum asserunt adulteros esse. Ego autem dico vobis, quod grauiter peccant qui tales diuidunt.

Can. Regulæ. dist. 29. Regulæ sanctorum Patrum pro tempore, loco & persona, & negotio, instante necessitate, traditæ sunt.

Can. Siquis dist. 30. Siquis virorum putauerit sanctorum proposito, id est, continentiæ conuenire vt pallio vtatur, tanquam eo iustitiam sit habiturus, & reprehendat aut iudicet alios qui cum reuerentia birris vtuntur, & alia veste communi quæ in vsu est, anathema sit.

Can. omnino. dist. 31. Omnino confitemur non licere Episcopo, Presbytero, Diacono propriam vxorem causa religionis abiicere à cura sua.

Can Nicena Synodus, dist 31. Paphnutius dixit, honorabiles nuptias esse & castitatem cum propria coniuge concubitum. Synodus laudauit sententiam eius & nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in vniuscuiusque voluntate non necessitate permisit. Item synodus sexta. Non in perpetuum sed tempore oblationis à complexu suarum vxorum sacerdotes abstineant.

Can. Nullus can. præter. dist. 32. Nullus audiat Missam presbyteri quem scit concubinam habere indubitanter, aut subintroductam mulierem, sub excommunicatione.

Can. Clericus. dist. 41. *Ex Concilio Carthag.* 4. Quisquis austeriora præ cæteris indumenta vel alimenta quærit: aut intemperans sui, aut superstitiosus est.

13. 2. *Canone Fatendum.* Fatendum est nescire quidem mortuos quid hîc agatur, dum hîc agitur.

Can. aduocauit, & vbi sana 24. *quæst.* 1. *c. vt euidenter* 1. *q.* 1. *gratia q.* 1. 12. *canone In præsenti.* In præsenti seculo scimus siue orationibus siue consiliis inuicem posse nos adiuuari. Cùm autem ante tribunal Christi venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam: sed vnumquemque portare onus suum.

Distinct. 63. canone Quia. §. verum. Per illud Ezechiæ confringentis æneum serpentem quem fecit Moses, hanc magnam auctoritatem habendam esse in Ecclesia, vt si nonnulli ex prædecessoribus & maioribus nostris fecerunt aliqua quæ illo tempore potuerunt esse sine culpa: & postea vertuntur in errorem & superstitionem, SINE TARDITATE aliqua, & cum magna auctoritate à posteris destruantur.

Dist. 12. can. omnia. ex Augustino. Ipsam Religionem in paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis, misericordia Dei voluit esse liberam, seruilibus oneribus premunt: adeò vt melior sit conditio Iudæorum.

Eusebius Lib. 4. hist. c. 15. Ignorant miserrimi Iudæi, qui Polycarpi corpus negant nobis reddendum, ne eum colere incipiamus, quòd nos neque Christum vnquam derelinquere possumus, qui passus est pro seruandis omnibus in mundo, neque alium quempiam colere. Hunc enim adoramus Filium Dei, Martyres verò, tanquam Domini discipulos & imitatores dignè diligimus, propter amorem immensum eorum erga proprium Magistrum, vt nos etiam simus consortes & discipuli vnà cum ipsis.

Ibid. Celebres agimus conuentus, quum eorum memorias, qui passi sunt, celebramus, vt ad exercitationem & præparationem sequentium (certaminum) τῶν μελλόντων ἀσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν.

Socrates lib 1. *hist.* Decernebant Episcopi nouam legem, &c. Paphnutius exclamauit ne iugum graue imponerent: honorabile esse coniugium, &c. Illius sententiam sunt secuti.

Abbatis Vrspurgensis chronica. Anno 793. Carolus Magnus Francofurti Pascha celebrante, Synodus Episcoporum magna est collecta ex omnibus prouinciis. In hac damnata est Synodus sub Hirene & Constantino filio eius congregata.

Auentinus, Scita Græcorum de imaginibus adorandis in Concilio Francfordiano rescissa sunt.

Aimoinus lib. de gestis Francorum 4. cap. 85. Verba Caroli Regis refert. Abiicimus Synodum eam quæ propter adorandarum imaginum impudentissimam traditionem, in Bythiniæ partibus gesta est.

Ælius

Ælius Lampridius historiographus Ethnicus in Alexandro Seuero, Christo templum facere voluit. Quod & Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus sine simulachris iusserat fieri: quæ hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur Adriana: quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab iis qui consulentes sacra, repererant omnes Christianos futuros, si id optatò euenisset, & templa reliqua deserenda.

Claudius Taurinensis. Si corpora sanctorum, opera manuum Dei, colenda & adoranda non sunt, quantò minùs imagines, opera manuum hominum.

Lombardus siue Magister sententiarum lib.3. dist.18. Christus voluit pati & mori pro te, non pro se. Meruit nobis per mortis ac passionis tolerantiam aditum Paradysi, & redemptionem à peccato, à pœna, à diabolo, & per mortem eius hæc nos adepti sumus, scilicet redemptionem & filiorum gloriæ adoptionem. Ipse enim moriendo factus est hostia nostræ liberationis.

Ibid. Christi humilitas quâ mortem gustauit ingressum regni cœlestis omnibus suis, impleto Dei decreto, aperire valuit, atque decreti delere chirographum. Vt enim ait Ambrosius (ad Col.2. & in commen. sup. cap.5. ad Rom.) Tantum fuit peccatum nostrum vt saluari non possemus, nisi vnigenitus Dei filius pro nobis moreretur debitoribus mortis: sed sic nos fecit dignos testamenti & promissæ hæreditatis.

Dist.19. A diabolo & à peccato per Christi mortem liberati sumus, quia, vt ait Apostolus, in sanguine ipsius iustificati sumus. Et per fidem mortis eius à peccatis mundamur. Si ergo rectè fidei intuitu in illum respicimus qui pro nobis pependit in ligno, ita à diabolo liberamur, vt nec post hanc vitam in nobis inueniat quod puniet. Morte quippe sua vno verissimo sacrificio, quicquid culparum erat, Christus extinxit.

Ibid. Fuso sanguine sine culpa, omnium culparum chirographa deleta sunt, quibus debitores qui in eum credunt, à diabolo antè tenebantur: vnde qui pro multis effunditur. Dei filius hominem passibilem sumpsit in quo & mortem gustauit, quo cœlum nobis aperuit: & à seruitute diaboli, id est, à peccato redemit. A qua pœna? temporali & æterna.

Dist. Christus ergo est sacerdos, idemque hostia & pretium nostræ reconciliationis, qui se in ara crucis Deo obtulit pro omnibus quantùm ad pretij sufficientiam: sed pro electis tantùm, quantum ad efficaciam.

CAPVT III.

ATHANAS. *Libro contra idola*, Post crucis aduentum omnis simulachrorum cultus summotus est, solusque Christus in veneratione est, & per eum Pater eius cognoscitur. Vt qui in profundum vrinantur, quantò magis descendunt, tantò ad tenebrosiora semper altioraque abripiuntur, ita quoque non dissimile quiddam humano generi euenit. Non enim simplicem tenuerunt idololatriam, neque vnde incœperunt, in iis quoque perstiterunt: sed quantò diutius prioribus inueterati sunt, tantò magis nouas sibi superstitiones repererunt. Origo fornicationis, idolorum inuentio est: est pestis vitæ.

Ibid. Romanus senatus quos ipsi libitum est cœlo arisque dedicat. Non aliter quàm si numinis faciendi ius potestatemque haberent, quum & illi ipsi & homines sint & mortales. Atqui id quod facit eo quod conficitur præstantior esse debet, & is qui sancit, in id quod sancitur imperium obtinet. O in se arietantem vesaniam norunt quales sint auctores consecrandi, eos tamen qui ab ipsis consecrati sunt, potiores ducunt. Quandiu impolitus est lapis, & rudis materia: tandiu istiusmodi res pedibus calcant: cæterùm vbi artifex suæ scientiæ modulos proportionesque impressit, aguntur gratiæ artifici, ac iam deinde pro numinibus adorant. Ipse statuarius quoque quasi oblitus quid ipse eloborauerit, suis operibus preces effundit. Atqui conueniret artificis ingenium potiùs approbari. Non enim materia artem, sed ars materiam deificauit. Multò igitur æquius erat ipsum artificem ab iis adorari. Qui, quæ o eorum non miserearis qui audientes ea precibus sollicitent quæ non audiunt: & anima ratioueque præditi, inanimatis velut dominis inseruiunt? Verùm ne falsò ista à me obiectari credas, istiusmodi spectacula vbique obuia & exposita sunt. Quomodo igitur isti non impij ab omnibus habeantur, qui tantæ impietatis à sacris literis accusantur? Dixerit aliquis insistens veritati examinandæ; quomodo Deus per simulachra respondeat vel cognoscatur: an per materiam statuæ, an per figuram? Quòd si per materiam: quis igitur est vsus figuræ?

Frustra igitur templa isti obmunierunt, includentes nescio quem lapidem, aut signum aut auri partem, quum vniuersa terra istiusmodi rebus exuberet. Sin autem superedicta forma in causa est vt numen ex illic præstò sit, quis vsus materiæ? Cur non potiùs per vera & naturalia animantia, ad quorum speciem sculptilia deformata sunt, præsentia numinis sentiatur? Æquius erat ipsa viua potiùs coli, quàm virorum effigies in istis adorari.

Ibid. Si simulachra pro literis sunt vobis, ad diuinitatem speculandam, vt falsò iactatis: qui conuenit, signa rebus suis præstantiora haberi? Si simulachra veluti literæ, atque ideò vt Dei notæ censentur: multò magis artificem illa describentem deificari oportuit. Si igitur & literæ sunt admiratione dignæ, scriptor ipse multò maiori admiratione efferendus. Simulachra & corruptibilia sicut & corporum signa, alienam opitulationem requirunt.

Ibid. Vt compendio dicam omnium idololatrarum dissimilis est religio, quælibet ciuitas & vicus sua præstituit numina. Multitudo numinum, nullitas est numinum. Olim à principio, vt imagines tollerentur sermo diuinus populum Iudaicum præmonitum esse voluit. In saluatorem Dominum nostrum Iesum Christum tu fidem habeas & amorem, ô Christi studiose.

IRENÆVS, *lib.*1. *ca* 24. Hæretici Gnostici imagines quasdam depictas habent, quasdam fabricantes, dicentes, formam Christi esse factam à Pilato: & has coronant, & circa eas similiter vt gentes faciunt.

*Cap.*25. Basilidæ sectatores vtuntur imaginibus & incantationibus.

CHRYSOST. *Hom.*49 *in Matth.* Legis iustitia decem habet mandata: Primum cognoscere vnum Deum. Secundum abstinere ab Idolis.

*Hom.*51. Discamus Christum ex sua voluntate honorare. Nam qui honoratur eo honore lætatur, quem ipse vult, non quem optamus.

*Ibid Hom.*23. Idololatria videtur esse euectio, est potiùs depressio animarum.

*Hom.*1. *ad popul. Antioch.* Vide Diaboli malitiam: per Paulum & Barnabam Deus ex mundo impietatem purgabat, per hos diabolus illam ipsam inducere studebat, persuadens illos esse Deos.

*Hom.*1. *in dictum Iohannis*, Nullus est precum effectus, nisi quas Christus Patri commendat.

De pœnitentia Homilia 4 *tomo* 1. Ad Deum semper confugiamus, & volentem, & potentem nostras molestias soluere: atque homines siquando exorare oportet, & ianitoribus priùs occurrere conuenit, &c. In Deo nihil est tale.

Ibid. Sunt verò nonnulli qui mille versibus orationis extendunt seriem, dicentes: da mihi, Domine, corporis sanitatem, aut auge mihi duplo substantiam, &c. Ea igitur omittentes vniuersa, orare decet cum publicano, qui dicit, Deus propitius esto mihi peccatori: & ipse deinceps nouit quo tibi pacto succurrat. Quærite enim, inquit, primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.

De gratiis reddendis sermone 4 *tomo* 5. Dum loquendi facultas suppetit, dum nulli sunt in tui locum necessitate aliqua vt id exequantur, subrogandi: dum habes & tibi sic & cæteris consulendi arbitrium. Quippe cum illò adueneris, neutrum horum commodè facere licebit.

Ibid. Quas ob res vos equidem hortari velim, vt vestras hasce facultates & bona, maiorem in partem dum auram hanc spiratis, facereque id, viuendo licet, egentibus relinquatis.

Ibid Moriens illò concesseris, vbi & grauiora his multò audies, & insanabilia tormenta spectabis. Quid tum, inquies? ad quem confugies? quem tibi in auxilium, vt opem ferat, deposces? num Abraham? non te audiet: num Virgines illas? ne ille quidem olei tibi quicquam impartientur. Num genitorem? num proauos? non certè quiuerit horum quispiam, vel si sanctimonia præstet, latam in te sententiam soluere. Quæ omnia tecum animo reputandi, ille & solus precandus erit & exorandus, qui & scriptam in te delere damnationem potest, & incendium restinguere: *Sic & in Epistolam ad Rom. hom.*18. *Et in hom.*15.

In Gen. hom 57. *c.*31. Audiam adhuc qui sunt erroribus addicti, & idololatriam magni faciunt. Ratione prædití, & tantùm à Dei misericordia assecuti dignitatem, lapides insensatos putant colendos, à consuetudine sua abducantur. Paulus, 1. Cor. 12. ad idola muta ducebamini: rectè dicit, ad ea quæ nullum sensum habent sicut bruta abducimini.

In 1. *ad Cor. hom* 29. Sunt quidem idola, sed nihil possunt.

In Matth. Dæmoniacos clamare nonnunquam audiuisti. Anima talis ego sum. Verùm hæc quoque oratio est à fraude atque deceptione diabolica. Non enim anima defuncti est quæ ista dicit, sed dæmon qui hæc vt audientes decipiat, defingit. Neque potest anima à corpore separata in his regionibus errare. Iustorum enim animæ in manu Dei sunt. Infantium quoque similiter: peccatorum verò post hunc exitum continuò abducuntur. Illa multis è locis Scripturæ comprobari possunt, &c.

De

*De Lazaro & diuite Hom.*4. Animæ corporibus egressæ non amplius hîc commemorantur, sed protinus abducuntur. Nec quæramus audire à mortuis quæ multò clariùs nos docent Sacræ literæ.

*In Matth. hom.*13. Non indigemus credere mortuorum testimoniis.

*De muliere Chananæa hom.*12. Dic mihi mulier, quomodo ausa es, quum sis peccatrix & iniqua, accedere ad Dominum? Ego, inquit, noui quid agam. Videte prudentiam mulieris: non rogat Iacobum, non obsecrat Ioannem, neque vergit ad Petrum; neque intendit ad Apostolorum chorum, non quæsiuit mediatorem, sed rectâ ad summum fontem perrexit.

*In Matth. hom.*12. Vbicunque fueris, & Deum inuocaueris, audit te Non ostiario, non mediatore, non ministro opus est? sed dicito, Miserere mei Deus.

In 1. ad Cor. hom 26. Senatus Romanus ea præditus erat auctoritate, vt suffragiis Deos crearet, approbarétque.

Ad pop. Antioch. Hom 66. Idololatria principium cœpit, quum homines nimiæ haberentur admirationi. Ita tertiumdecimum Romanum imperatorem Deum esse Senatus censuit. Senatus enim hic habebat potestatem Deos creandi & decernendi.

In 3. Esaia, tomo 1. Quid magis ridiculum quàm quum homo est opifex Dei? ideo dicitur βδέλυγμα abominatio à βδελύττεσθαι quod est valde odisse.

BASILIVS, *in 1. cap Esaia*, Homo (ait Propheta per commiserationem) incuruauit se idolo. Dolebat homines sic miserè collapsos à dignitate suæ conditionis. Hic tantus procidit idolo, quasi pro salute subsidium deprecaturus, homo anima informatus. Exaggeratio est etiam malitiæ, quòd homo dignitatis oblitus suæ se eò deiecerit vt se incuruaret idolo. Is, inquam, qui imago est & gloria Dei, Christum habens supra se caput, infra idolum se substrauit. His adde quia vir. Hoc omnem vicit calamitatem. Si enim pusio aliquis, si mulier, nonnulla vtique affulgeret veniæ spes. Nunc verò vir vltroneus simulachro se subiecit. Nequaquam dimittam eis, inquit: O terrificam comminationem! Idololatria igitur extremum est malorum.

CYPRIANVS *in serm. de lapsis.* Solus Dominus misereri potest. Solus ille potest largiri qui peccata nostra portauit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris.

Ibid. Nónne fidem nostram semper armans, & Dei seruos cœlesti voce corroborans, dicit Scriptura diuina, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies? Nonne iram diuinæ indignationis ostendens, & pœnæ metum præmonens denuò dicit. Adorauerunt eos quos fecerunt digiti eorum, & curuatus est homo, & humiliatus est vir, & non laxabo illis.

Ad Demetrianum, Quid ante inepta simulacra & figmenta terrena captiua corpus incuruas? Vt carere inferis possis, ad alta & cœlestia suspensum pectus attolle. Ad veræ religionis candidam lucem de profunda & tenebrosa nocte superstitionis emergere. Relinque idola quæ humanus error inuenit.

*De ieiunio lib.*3. Carnis castigatio spiritum inflat: tanta est hypocritarum dementia.

*Exhortatione ad Martyrium cap.*5. Quod si ante aduentum Christi circa Deum colendum & idola spernendo hæc præcepta seruata sunt: quanto magis post aduentum Christi seruanda sunt.

BASILIVS *in Gordium martyrem.* Nostri tantum causa profectus, sat fuerit illorum celebrare memoriam, non illis opus est additione aliqua ad laudationem, sed nos ipsorum vitæ historia & commemoratione imitationis gratiâ indigemus.

CYRILLVS *Alexandr. in Ioan. lib.*11. Inquantum Iesus Christus Mediator & Pontifex & Paracletus, nostras preces ad Patrem adducit. Ipse enim nobis libertatem atque fiduciam ad Patrem largitur. Orandum igitur est in nomine Saluatoris, si exaudire à Patre volumus.

*Ibid. cap.*9. Petere aliquid per orationem à Patre nullo modo permittit, nisi in nomine suo, Patrémque facillimè daturum pollicetur.

*Lib. de Trinit.*1. Accedimus non aliter ad Deum ac Patrem, quàm per Christum.

HILARIVS *contra Auxentium*, Vnum moneo cauere Antichristum. Malè enim vos parietum amor cœpit, malè Ecclesiam Dei in tectis ædificiísque veneramini: malè sub iis pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est ANTICHRISTVM IN IIS SESSVRVM?

ORIGENES *contra Celsum* 8. Christiani non admituntur collocare simulachra inanimata & insensibilia quædam: sed spiritus Dei capacia qui virtutem inhabitat. Nobis pro aris & delubris sunt iustorum mens, orationes & preces.

LEO *primus Papa, in Natiuit. Dom. Serm.*4. Nolite impias fabulas præponere lucidissimæ veritati & quicquid contra regulam Catholici & Apostolici Symboli aut legere aut

audire contigerit, id omnino mortiferum & diabolicum iudicare. Non vos seducant deceptoris artibus ficta & simulata ieiunia, speciem quidem sibi pietatis & castitatis adsumunt, sed hoc dolo actuum suorum obscœna circumtegunt, & de prophani cordis penetralibus iacula, quibus simplices vulnerentur, emittunt. Magnum præsidium est fides integra, fides vera, iustus enim ex fide viuit. Sicut per fidem iustitia, ita etiam per fidem veram, vita obtinetur æterna: dicente Domino Saluatore, Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum.

IVSTINVS *martyr.in resp.ad orthod. in er.5.* Qui fit vt hæretici edant in Ecclesiis suis miracula? Non debet hoc hæreticos in errore confirmare. Si esset signum & demonstratio veri cultus Dei, edere miracula: Dominus non dixisset reprobis, & indignis qui ad se accedunt, Nónne in tuo nomine fecimus miracula? Abite à me, &c.

Athenagoras in apol. ad Anton. Imper. Fieri quosdam effectus ad nomen idolorum non negamus. Sed qui in idolis operantur, dæmones sunt, & qui ad idola pertrahunt, dæmones sunt. Quum mollis anima, rudis & expers sanæ doctrinæ, nec veritatem contemplata, neque Patrem Vniuersi opificem, animo complexa non est, tunc falsas illas opiniones excipit de simulachris. Irrationalis est ille motus ad simulachra. Et hoc tunc maximè in animam cadit, quum non ad cœlestia & eorum Conditorem, sed ad terrestria respiciens, tota in terram decumbit, nihil iam quàm sanguis & caro, non amplius spiritus sincerus.

CLEMENS *Alexandrinus ad Gentes*, Deus animatam imaginem, nos, nempe hominem fecit. Imago longè à veritate discrepans, est surdum opus manuum. Procul à veritate cernitur id quod est ad tempus expressum ac efformatum: Vita furore plena quæ tanto studio versabatur in materia. Permissa autem est à vana opinione consuetudo.

Libro 3. Stromatum, *Ex loco 1.Tim.4.* Apparet necessariò non esse prohibendum iungi matrimonio neque carnibus vesci, aut vinum bibere. Et, vt in summa dicam, Omnes Apostoli nusquam honestum matrimonium abrogarunt, aut prohibuerunt: sed admittunt: Episcopis quoque constituit.

Lib.7. Cognitio nunquam fit ignoratio, neque bonum mutatur in malum: quocirca & comedit & bibit, & vxorem ducit. Perfectus non ostenditur quòd vitam elegerit monasticam, sed ille vincit qui in matrimonio & liberorum procreatione insurgit aduersus tentationes.

LACTANTIVS *libro 2.cap.1. Institutionum ad Constantinum magnum Imperatorem, cap.1.* Homines & nominis sui & rationis obliti, oculos suos ab alto deiiciunt, solóque defigunt, atque timent opera digitorum suorum, quasi verò quicquam esse possit artifice suo maius.

Cap.2. Non ipsa, inquiunt, timemus, sed eos ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus consecrata sunt. Nempe ideo timetis, quòd eos in cœlo esse arbitramini. Cur igitur in cœlum oculos non tollitis? Imago superuacua est, quum præstò est Deus. Imago enim est aut absentis, aut mortui. Sed verentur ne omnis eorum religio inanis sit, & vana, si nihil in præsenti videant, quod adorent: & ideò simulachra constituunt, quæ quia mortuorum sunt imagines, similia mortuis sunt, omni enim sensu carent. Dei autem in æternum viuentis, viuum & sensibile debet esse simulachrum. Itaque simulachrum Dei non illud est quod digitis hominis ex aliqua materia fabricatur, sed ipse homo.

Cap.3. Si libenter errant ij qui errare se sentiunt: quantò magis vulgus indoctum? quod pompis inanibus gaudet, specie simulachrorum capitur, neque intelligit: Nihil colendum esse, quod oculis mortalibus cernitur, quia mortale sit necesse est.

Cap.4. Quid maiestatis possunt habere simulachra, quæ fuerunt in homunculi potestate, vel vt aliud fierent, vel vt omnino non fierent? Quæ vanitas, quæ insania, quæ peruersitas ab his aliquam sperare tutelam, quæ tueri semetipsa non possunt?

Cap.18. Est peruersum & incongruum, vt simulachrum hominis à simulachro Dei colatur. Colit enim quod est deterius & imbecillius. Tu inexpiabile facinus esse, deserere viuentem vt defunctorum monimentis seruias? Altera vanitas religionis est, quòd ipse imagines sacræ, quibus homines vanissimi seruiunt, omni sensu carent: quoniam terra sunt.

Ibid. Manifestum est eos qui vel mortuis supplicant vel terram venerantur, impietatis ac sceleris sui supplicia pensuros.

Cap.19. Non est dubium, quin religio nulla sit, vbicunque simulachrum est. Nam si religio ex diuinis rebus est: carent religione simulachra: quia nihil potest esse cœleste in ea re. Non est religio in simulachris, sed minus religionis.

Lib.5.c.10. Quanto religiosius terrenis istis simulachris inseruiunt: tantò magis scelerati aduersus nomen veræ diuinitatis existunt.

ARNO-

ARNOBIVS *lib adu Gentes circa annum salutis* 300. *lib.1.* Venerabar (ô cæcitas) nuper simulachra modò ex fornacibus prompta, picturas, veternosis in arboribus tænias: si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex oliui vnguine ornatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam, nihil sentiente de trunco. Nunc doctore tanto in vias veritatis inductus, omnia ista quæ sint scio: digna de dignis sentio. Ita ergo Christus à nobis non habeatur.

Lib 2. Sed quod agimus nos, nouum est, quod autem vos priscum est, & nimiæ vetustatis. Et quid istud aut vos iuuat, aut nostram causam rationémque contristat? RELIGIONIS auctoritas non est tempore æstimanda, minimè: nec colere qua die, sed quî cœperis intueri.

Ibid At religiones vestræ multis annis præcedunt nostram & eo sunt veriores, quòd vetustatis auctoritate munitæ sunt. Et quid prodest eas annis anteire, quum à certo cœperint tempore? Ac tamen ne causam tam bonam prodere dissimulatione videamur: dicite: omnipotens Deus nouella vobis videtur res esse, & qui eum venerantes colunt, inauditas, incognitas, repentinas agitare atque inducere Religiones? Est-ne illo antiquius quicquam aut quod eum præcedat, re, tempore, nomine, potest aliquid inueniri? Quis caput aut foris rerum est? non ipse? infinita vt prodeant secula, non ex eius perpetuitate perficitur? Indubitabile istud & verum. Non ergo quod sequimur nouum est, sed nos ferè addidicimus quidnam sequi oporteat, & colere: aut vbinam conuenire, & spem salutis affigere, & salutaria subsidia collocare.

Lib.3. Ad cultum diuinitatis obeundum satis est nobis Deus primus, Pater ac Dominus, constitutor, moderatórque cunctorum. In hoc omne, quod colendum est colimus: quod adorari conuenit, adoramus. Neque nobis in ædibus sacris effigies pro diis, & illa simulachra velitis ostendere: quæ intelligitis vos quoque, & renuitis confiteri, vilissimi esse formas luti, & fabrorum figmenta puerilia.

Ibid. Alios audio mussitare indignanter, & dicere: Oportere statui per Senatum, aboleantur vt hæc scripta, quibus Christiani religio comprobetur, & vetustatis opprimatur auctoritas.

Ibid. Aliud creditis & aliud fingitis. Irreligiosi esse monstramini, quum id adoratis quod fingitis.

Lib.6. In hac consuestis parte crimen nobis maximum impietatis affigere: quòd neque ædes sacras venerationis ad officia construamus, non deorum alicuius simulachrum constituamus, aut formam: non altaria fabricemus, non aras, non thura, neque fruges salsas, non denique vinum liquens paterarum effusionibus inferamus: quæ quidem nos cessamus non ideo vel exædificare vel facere tanquam impias geramus & scelerosas mentes.

Ibid. Si certum est apud vos deos esse, quos remini, atque in summis cœli regionibus degere, quæ causa, quæ ratio est vt simulachra ista fingantur à vobis: quum habeatis res certas, quibus preces possitis effundere, & auxilium rebus in exigentibus postulare? Si autem non creditis (eos esse) etiam sic, ratio quænam est dubiorum fingere atque instituere simulachra? An nunquid dicitis fortè, præsentiam vobis quandam his numinum subexhiberi simulachris, & quia deos videri non datum est, eos ita coli, & munia officiosa præstari? Hoc qui dicit & asserit: nec habere suis religionibus fidem conuincitur, cui opus est videre, quod teneat: ne inane fortè sit, quod obscurum non videtur. Quid fieri pote est iniuriosius, contumeliosius, durius, quàm Deum alterum scire, & rei alteri supplicare? opem sperare de numine, & nullius sensus ad effigiem deprecari? Nonne illud est quæso, quod in vulgaribus prouerbiis dicitur, fabrum cadere quum ferias fullonem? Potest etiam fieri vt barbatus sit, qui esse à vobis effingitur læuis, potest vt senectute prouectior, cui puerilem accommodatis ætatem: potest vt hic flauus sit qui habeat oculos cæsios. Neque enim rectum est dicere, aut appellare simulachrum, quod non pariles lineas principali ab ore traducat.

Ibid. Vsque adeò ludus est simulachra ista confingere, nomina illis tanquam propria dedicare, quibus si habitum detrahas, tollatur cognitio singulorum: deus pro deo credi, altero, immo pro vtroque vterque possit existimari.

Ibid. Ecce si aliquis ponat in medio argenti massas, aurum infectum, lignum, lapides, atque ossa, résque alias cæteras, quibus signa consueta sunt, & numinum simulachra constate. Nemo est in rebus humanis tam stolidè cæcus, qui argentum, æs, aurum, gypsum, ebur, ipsa per se dicat vim habere atque obtinere Diuinam. Quænam est ergo ratio, vt si omnia hæc corpora intacta atque infecta permanserint, careant vi numinis, atque auctoritate cœlesti? ea formas si accipiant hominum, si auriculas, nasos, buccas, labra, oculos, cilia, continuò in ordinem cœlitum referantur, &

censum? Nouitatis aliquid fictio, corporibus his addit: vt adiectione ipsa cogamini aliquid eis credere diuinitatis maiestatisque collatum? Si quas foris habuere naturas, eas omnes retineant simulachrorum in corporibus constituta. Stupiditas quæ tanta est? (detrecto enim dicere cæcitatem) rerum existimare naturas formarum qualitate mutari, & accipere numen ex habitu, quod in primogenio corpore iners fuerit & brutum, & sensus mobilitate priuatum. Itaque immemores & obliti simulachrorum substantiæ atque originis, quæ sit, rationale homines animal & sapientiæ munere consiliísque donatum, coctilibus testis succumbitis, æris laminas adoratis: & quum pateat, luceat rebus fieri verba cum brutis, exaudiri vos remini, ipsique vos vltrò credulitatis vacuæ circumscriptione traducitis? ô vtinam liceret in simulacri alicuius medias introire pendigines, omnésque illas partes, quibus summa concluditur corporum, discretas ac singulas contueri! Videretis laminarum flatilium esse crates, catenis, vncis atque ansulis retentari: commissurarum inuecturas plumbum ire suffusum videretis, ventres, inquam, cum lateribus dimidiatos, plantarum imperfecta vestigia, & quod maximè risum ferat, parte ligneos ex vna, at ex altera saxeos contractos. Quæ si vtique perspici non quirent, vel ipsa vos saltem quæ in medio sita sunt, docere, atque monere debuerunt, vos circa res cassas officiorum impendere vanitates. Ita enim non videtis spirantia hæc signa quorum plantas & genua contigitis & contrectatis orantes: modò casibus stillicidiorum labi, putredinis carie relaxari, fumo decolorata nigrescere. Ita, inquam, non videtis sub istorum simulachrorum cauis sorices, mures, blattásque nidamenta ponere, atque habitare, spurcitias conducere, in ore aliquando simulachri ab araneis ordiri retia atque insidiosas casses, quibus volatus innectere stridularum possint, impudentiúmque muscarum? Erubescite ergo vel serò, atque ab animantibus mutis rationes accipite: docéantque vos eadem nihil numinis inesse simulachris.

Ibidem, Sed erras (inquit) & laberis. Nam neque nos æra, neque auri argentíque materias, neque alias quibus signa conficiunt, eas esse per se religiosas decerminus numina, sed eos in his colimus, eósque veneramur quos dedicatio infert sacra, & fabrilibus efficit inhabitare simulachris. Non improba neque aspernabilis ratio, qua possit quiuis tardus, necnon & prudentissimus credere, deos relictis sedibus propriis (id est cœlo) non recusare nec fugere habitacula inire terrena: quinimo iure dedicationis impulsos simulachrorum coalescere inunctioni.

Sæpenumero videmus ab artificibus hæc signa modò paruula fieri, modò in immensum tolli. Ratione hac ergo sequitur, vt intelligere debeamus in sigilliolis illis paruulis contrahere se deos: aut verò in vastis porrigere se longiùs, & in sedentibus signis sedere, & in stantibus stare, in procurrentibus currere, iaculariter in iacentibus tela, ad illorum aptare se vultus.

Lib 3. Si aselluli, canes, porci, humanum aliquid saperent, fingendíque haberent artes, iidémque nos vellent cultu aliquo prosequi, & statuarum consecrationibus honorare, quantas nobis irarum flammas, indignationum quos turbines concitarent, si suorum corporum formas nostra vellent portare atque obtinere simulachra? Ita ergo stoliditatem vestram non rideri vestris ab numinibus remini? aut, quanam censetis affici eos ira?

Lib.6. Illud etiam dicere simulachrorum assertores solent, non ignorasse antiquos nihil habere numinis signa, neque vllum omnino inesse his sensum: sed propter indomitum atque imperitum vulgus, quæ pars in populis atque in ciuitatibus maxima est, salutariter ea consilióque formasse: vt ad humana officia morum immutatione transirent. Nec propter aliam causam venerabiles formas auro eis argentóque quæsitas, nisi vt adesse vis quædam ipsis in fulgoribus crederetur quæ mentes ipsas territaret. Quid? si vetum & sine vlla gratificatione perspicias, signa ista habent in se magnum, vt meritò sperarit antiquitas conspectu illorum posse frangi hominum vitia? ô species formidinum diræ! falciculæ, claue, baculi, tympaniola, mammæ promptæ, atque ingentes cantharuli, cornuáque pomifera, nuda corpora fœminarum, & veretrorum magnitudines publicæ. Nónne satius fuerat saltitare, cantare, quàm sub titulo grauitatis & seueritatis obtentam frigida iámque inepta narrare simulachra ad peccata cohibenda.

TERTVLLIANVS *lib. de Idololatria*, Principale crimen generis humani, summus seculi reatus, tota caussa iudicij Idololatria. Idololatra seipsum occidit. Quibus insidiis? erroris sui. Quo telo? offensa Dei. quot plagis? quotquot idololatriis. Idololatria Deo fraudem facit. In illa etiam vanitas, in illa mendacium. Seruos Dei nec tantùm ignorata, sed etiam dissimulata subvertit. Caput iniustitiæ idololatria est.

Ibid. Quæ Idololatriæ solennitas absque ambitione cultus & ornatus?

Ibid.

Ibid. Priùs quàm idoli artifices ebulliſſent, ſola templa & vacuæ ædes erant, ſicut in hodiernum, quibuſdam locis vetuſtatis veſtigia permanent. Vbi artifices ſtatuarum & imaginum & omnis generis ſimulachrorum diabolus ſeculo intulit, nomen de idolis conſequutum eſt & profectum. Nihil intereſt quale ſit idolum, qua de materia, qua de effigie: ne quis putet idolum ſolum eſſe habendum quod humana effigie ſit conſecratum, εἴδωλον dictum ab εἶδος, hoc eſt formula. εἶδος formam ſignificat, εἴδωλον formulam fecit. Igitur omnis forma vel formula, idolum ſe dici expoſcit.

Ibidem, Omnia colit humanus error præter ipſum omnium conditorem. Eorum Imagines idola: Imaginum conſectatio idololatria. Enoch cultores idoli & fabricatores in comminatione prædamnat. Qui ſeruitis lapidibus & qui Imagines facitis aureas, argenteas, ligneas & fictiles, & ſeruitis omnibus erroribus, non ſecundùm ſcientiam, nullum ab iis inuenietis auxilium. Ad eradicandam materiam idololatriæ, lex diuina proclamat: Ne feceritis idolum: & coniungens, neque ſimilitudinem. Si eundem Deum obſeruas, habes legem eius: Ne feceris ſimilitudinem. Luceant, inquit, opera veſtra. Plures iam inuenies Ethnicorum fores ſine lucerna & laureis quàm Chriſtianorum. Ergóne honor Dei eſt, lucernæ pro foribus, & laurus in poſtibus? Hæc ab initio præuidens Spiritus Sanctus etiam oſtia in ſuperſtitionem ventura præcecinit per antiquiſſimum Prophetam Enoch. Accendant igitur quotidie lucernas quibus lux nulla eſt. Tu lumen es mundi & arbor virens ſemper.

Ibid. Nihil eſſe facilius poteſt, quàm cautio idololatriæ, ſi timor eius in capite ſit.

Libro de ſpectaculis Quod mortuis litabatur, vtique parentationi deputabatur. Quæ ſpecies proinde idololatria eſt. Quoniam & idololatria parentationis eſt ſpecies. Tam hæc quàm illa mortuis miniſtrat. In mortuorum autem idolis dæmonia conſiſtunt.

Ibidem, Sed ait quidam adverſus ſimilitudinis interdictæ propoſitionem. Cur ergo Moſes in eremo ſimulachrum ſerpentis ex ære fecit? figuram deſignauit Dominicæ crucis, dum per ſemetipſum ſerpentem, id eſt, diabolum interfectum ſuſpendit? Apoſtolus affirmat omnia tunc figuratè populo accidiſſe. Bene quod idem Deus & lege vetuit ſimilitudinem fieri, extraordinario præcepto ſerpentis, ſimilitudinem interdixit.

De Spectaculis. Offenſio ſumma penes Deum, idololatria eſt. Ipſe homo omnium flagitiorum auctor, non tantùm opus Dei, verùm etiam imago eſt: & tamen & corpore & Spiritu deſciuit à ſuo inſtitutore.

Ibid. Etſi pauca ſimulachra circumferat, in vno idololatria eſt.

Paulò pòſt. Nulla eſt præſcriptio de locis. Cæterùm & plateæ & forum ſine idolis omnino non ſunt: totum ſeculum Satanas & eius Angeli repleuerunt.

Ibid. Deus omnem ſimilitudinem vetat fieri, quanto magis imaginis ſuæ. Non amat falſum auctor veritatis: adulterium eſt apud illum omne quod fingitur.

Aduerſus Gnoſticos. Si à primordio conſtat idololatriam prohibitam de tot tantiſque præceptis, & nunquam impunè commiſſam de tot tantiſque documentis, nec vllum tam ſuperbum crimen apud Deum deputari quàm huiuſmodi tranſgreſſionem, vltiò intelligere debemus Diuinarum & denuntiationum & executionum intentationem &c. prohibendo idololatriam. Aliter enim martyria non euenirent.

Ibid. Bonum contendo martyrium apud Deum, à quo prohibetur & punitur idololatria. Obnititur enim & aduerſatur idololatriæ martyrium.

Lib. de Idololatria. Hoc quoque cauere debemus, ne quid nescientibus nobis ab aliquibus de manibus noſtris in rem idolorum poſtuletur. Quod ſi conceſſerimus, non puto nos à contagio idololatriæ vacare.

Eodem lib. Vrbs & Italia interdicitur Mathematicis, ſicut cœlum & Angelis eorum. Eadem pœna exitij diſcipulis & magiſtris. Scimus Magiæ & Aſtrologiæ inter ſe ſocietatem. Non poteſt regna cœlorum ſperare cuius digitus aut radius abutitur cœlo: imò non dubitandū affines illos eſſe multimodæ idololatriæ.

Ibid. Idololatriam committit qui de idolis catechizat.

Ibidem. Recogitemus, omnem idololatriam in homine eſſe culturam.

De Cibis Iudaicis. Deus ventre non colitur nec cibis, quos Dominus dicit perire: nam qui per eſcas Dominum colit, prope eſt vt dominum habeat ventrem ſuum. Cibus verus & ſanctus & mundus eſt fides recta, immaculata conſcientia & innocens anima, &c. Cibi aut potus non ad Deum perueniunt ſed ad hominem, &c. Ex quibus congruenter inſectatus eſt Apoſtolus: illa ſeruantes, ne tetigeritis, ne contrectaueritis, &c.

De præſcriptione. Omne mendacium de Deo genus eſt idololatriæ.

Lib. de Idololatria. Idololatria inimicum Dei nomen, tam locuplex substantia nominis quæ tot ramos porrigit, tot venas diffundit, &c.

Ibid. Caput iniustitiæ idololatria est.

Ibidem. Facio simulachra, ait quidam, sed non colo. Quasi ob aliquam causam colere non audeas, imò tu colis qui facis vt coli possint.

Adversus Marcionem lib. 5. Vulgus ea præsumptione defunctos colit qua animas eorum manere confidit.

De Spectaculis. Summa offensio penes Deum, idololatria est.

Lib. de spectaculis. Scimus nihil esse simulachra mortuorum. Sed non ignoramus qui sub istis nominibus & institutis simulachris operentur & gaudeant, nequam scilicet spiritus dæmones.

Ibid. Vtraque idololatria idolorum & mortuorum abstinemus: nec minùs templa quàm monumenta despuimus: neutram aram nouimus, neutram effigiem adoramus: non sacrificamus, non parentamus.

De corona militis. Apostolus inclamat: fugite idololatriam: omnem vtique & totam.

Lib. 4 adver. Marcionem, Imagines Mosæ & Eliæ vel statuas populus non habebat, lege prohibente.

In Apologetico, Si statuas & imagines frigidas mortuorum suorum simillimas non adoramus, quas milui, & araneæ & mures intelligunt, nonne laudem magis quàm pœnam merebatur repudium agniti erroris? Semper humana gens malè de Deo meruit. Alios insuper sibi commentata est quos coleret. Deinde omnibus vitiis & cæremoniis se inuoluit.

Ibid. Ab alio orare non possum, quàm à quo sciam me consecuturum: quoniam & ipse est qui solus præstat, & ego sum cui impetrare debetur, famulus eius, qui eum solum obseruo, qui ei offero opimam & maiorem hostiam quam ipse mandauit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam: Non grana thuris vnius assis, non Arabicæ arboris lacrymas, nec duas meri guttas. Ad cœlum suspicientes Christiani manibus expansis, capite nudo, quia non erubescimus, precantes sumus illum cuius est cœlum.

De Trinit. Nullius est nisi Dei, cordis nosse secreta: Christus secreta conspicit cordis. Nullius nisi Dei, peccata dimittere, idem Christus peccata dimittit.

Ibidem Cur homo in orationibus mediator inuocatur, quum inuocatio hominis ad præstandam salutem inefficax iudicetur? Spes in homine posita, maledicta refertur.

EPIPHANIVS *in Epistola ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, Hieronymo interprete.* Quando simul pergebamus ad sanctum locum qui vocatur Bethel, vt ibi collectam tecum ex more Ecclesiastico facerem, & venissem ad villam quæ dicitur Anablatha, vidissémque ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogassem quis locus esset, didicissémque esse Ecclesiam: & intrassem vt orarem, inueni ibi velum pendens in foribus eiusdem Ecclesiæ tinctum atque depictum, & habens imaginem quasi Christi, vel sancti cuiusdam. Non enim satis memini, cuius Imago fuerit. Quum ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi, contra auctoritatem Scripturarum hominis pendêre Imaginem, scidi illud. Custodes eiusdem loci contrà murmurantes dixerunt: Si scindere voluerat, iustum erat vt aliud daret velum. Quod quum audissem, me daturum esse pollicitus sum. Nunc autem misi de Cypro quod potui reperire. Et præcor vt iubeas præcipere in Ecclesia Christi, eiusmodi vela quæ contra religionem nostram veniunt, non appendi.

Contra hæreses lib. 3. tom 2. hær. 78. contra Antidicomarianitas, Admirati sumus, quum aliud rursus audiuissemus: alios nimirum ita decipere, vt in tractatione de ipsa sancta Virgine, pro Deo hanc introducere studuerint, & adhuc studeant, & furore quodam ac amentia ducantur.

Ibidem. Deficient quidam à sana doctrina, attendentes fabulis & doctrinis dæmoniorum. Erunt enim, inquit, mortuis cultum diuinum præstantes. Non conuenit colere Sanctos vltra decorum, sed honorare ipsorum Dominum. Cesset itaque error seductorum. Neque enim est Deus Maria, neque de cœlo corpus habet. Et nemo in eius nomen offerat, suam enim animam perdit: neque rursus debacchetur, contumelia afficiens sanctam Virginem. Absit enim: non fuit copulata carni post partum, neque ante partum. Hæc scripsimus volentibus discere Scripturæ veritatem. Si verò nolunt quidam vtilia suscipere, dicendum erit. Qui audit, audiat: & qui inobediens est, inobediens sit: neque Apostolis laborem exhibeat, neque nobis.

Hær. 79. contra Collyridianos, Sicut supra Antidicomarianitæ per contumeliam in Virginem Mariam nociuas opiniones in cogitationes hominum seminant: sic etiam Collyridiani ad alteram partem inclinantes, in summo detrimento deprehenduntur: quo illud celebre est: Extremitates æqualitates, etiam in ipsis

impleatur.

impleatur. Æquale est enim in vtrisque his sectis detrimentum, quum illi quidem vilipendant sanctam Virginem : hi verò rursùs vltra decorum glorificent.

Ibidem. Simulacrificum studium, diabolicus conatus. Prætextu enim iustitiæ semper subiens hominum mentem diabolus mortalem naturam in hominum oculis deificans statuas, humanas imagines præ se ferentes per artium varietatem expressit. Et mortui quidem sunt qui adorantur, ipsorum verò imagines quæ nunquam vixerunt.

Ibid. Reuera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus. Reuera virgo erat ipsa Virgo & honorata, sed non ad adorationem nobis data, sed ipsa adorans eum qui ex ipsa, carne genitus est.

Ibidem. Sed neque Helias adorandus est, etiamsi in viuis sit : neque Ioannes adorandus: neque quisquam sanctus adorandus. Non enim dominabitur nobis antiquus error, vt relinquamus viuentem, & adoremus ea quæ ab ipso facta sunt. Si enim Angelos adorari non vult, quantò magis eam quæ genita est ab Anna & ex Ioachim donata est Annæ? Sit in honore Maria, Pater & Filius & Spiritus Sanctus adoretur. Ne dicant, honoramus reginam cœli. Iusti enim nemini exhibent errorem. Siue velut ipsam adorantes Mariam ipsi offerunt collyridem siue placentam vanæ istæ mulieres: siue pro ipsa offerre conantur prædictam hanc putidam oblationem, tota res stolida est & aliena, & ex dæmonum motu fraus & impostura.

Concilium Constantinopolitanum 7. anno 755. Citans auctoritatem Epiphanij, inquit; Estote memores, dilecti filij, ne in Ecclesiam imagines inferatis, neue in cœmeteriis eas statuatis : sed perpetuò circunferte Deum in cordibus vestris. Quinetiam neque in domo tolerentur.

Concilium ELIBERTINVM *in Hispania anno 792.* Placuit picturas in Ecclesiis esse non debere, ne quod colitur aut adoratur in parietibus depingatur.

Concilium Francfortense, Carolo Magno imperante, damnat conciliabulum Irenes Imperatricis iussu, Niceæ habitum anno 798. quòd imaginum cultum instituisset. Ludouicus Caroli filius decretum Concilij Francfortensis adversùs imaginum cultum instaurauit.

Serenus Episcopus Massiliensis anno 591. Mauricio imperante, imagines è templis sustulit. Gregorius Roman. Episcopus probat, quòd eas adorari prohibuisset.

Claudius Taurinensis Episcopus adversus imaginum cultum & peregrinationes scripsit anno 810.

Gregorius Nyssenus, Deus non iussit, vt ad beatitudinem consequendam peregrinationes Hierosolymas suscipiantur. Mutatio loci nos non reddit Deo proximiores.

CLEMENS *lib.5.* Quis est iste Dei honor per lapideas & ligneas figuras discurrere? latentis est serpentis persuasio, quum insensata colitis.

In Protreptico. Ignorantia summa est ἀθεότης ἢ δεισιδαιμονία qui non intelligunt neque cognoscunt Deum Benefactorem, finxerunt quosdam seruatores. Simulachrum est materia mortua opificis, non se defendunt ab incendiis &c. Sed inquiunt, non habemus hæc tradita à Patribus nostris, quorum consuetudinem euertere non rationi consentaneum. Responde illis, quære tuum verum Patrem : ter infœlix est ista consuetudo ex dementia quam odit θεοσέβεια verus Dei cultus. Videte istos κατηφοῦντας seruientes circa idola veste sordida.

DAMASCENVS *lib.4. c.8.* Imagines Dei, res impia & insipiens.

EVSEBIVS *lib. histor. 7. c.18.* Dicunt Cæsareæ Philippi demonstrari æreum simulachrum ἐκτύπωμα, mulieris illius quæ fluxum sanguinis passa à Seruatore sanata fuerat, & super lapidem ad ianuam ipsius ædium collocatum: eam referens quæ passis manibus supplicat: è regione verò aliud viri simulachrum, dicunt esse imaginem Christi. Et certè mirum videri non debet Ethnicos olim à Seruatore nostro beneficio affectos, hæc fecisse, quum Pauli & Petri & ipsius Christi etiam imagines depictas seruauerint : sic colentes more suo Ethnico suos seruatores. ὡς εἰκὸς τῶν παλαιῶν ἀπαραφυλάκτως οἷα σωτῆρας ΕΘΝΙΚΗ ΣΥΝΗΘΕΙΑ παρ' ἑαυτοῖς τοῦτον τιμᾶν εἰωθότων τὸν τρόπον.

Lib.3. Clemens demonstrat Apostolum Petrum & Philippum habuisse vxores & ex eis liberos.

Lib.4. ex Dionysio, Non imponendum graue onus castitatis.

Lib.5. Attalus Viennæ monet Alcibiadem captiuum martyrem ne abstineat cibis à Deo datis, paruit ille.

Ibid. Differentia in ieiunando magis constituit fidei consensum.

Socrates lib.1. hist. Paphnutius cœlebs clamat: Nuptias esse sine macula ex Apostolo: non imponendum ministris Ecclesiæ graue onus cœlibatus.

Lib.5. cap.22. Christianis Iudaizare nulla

lex Christi permittit. Apostolus ad Galatas adversus eos qui dies & menses obseruant. Et ad Colossenses adversus ciborum delectum, & festos dies. Sed pietas & vita recta præscripta est. De die Paschatis nullus Apostolorum constituit aliquid. Irenæus masculè increpat Victorem Episcopum Romanum, damnantem eos qui alio die Festum Paschatis celebrarent quàm Romæ. De his nemo potest ex Scriptura demonstrationem proferre. οὐδεὶς τί περὶ ἔγγραφον ἔχει παράσχειν τὴν περὶ τούτου ἀπόδειξιν.

Ibidem, Qui eandem fidem profitentur, diuersis cæremoniis vtuntur. Ideo pauca de cæremoniis sunt proponenda pro Ecclesiis, propterq; magnam inter ipsas in cæremoniis diuersitatem.

Miror etiam quomodo Quadragesimam nominent: constat enim numerum illum dierum non obseruari in Ecclesiis. Romæ ieiunant tribus septimanis ante Pascha, exceptis diebus Dominicis & diebus Sabbathi. In Illyrico & Alexandriæ sex septimanis ante Pascha: alij verò septem septimanis: alij denique aliter. Nec solùm Ecclesiæ inter se differunt de numero illo dierum, sed etiam in abstinentia ciborum. Alij ab esu omnium animatorum abstinent: alij solis piscibus tunc vescuntur: alij piscibus & auibus, eò quòd aues ex aqua productos vt pisces ex Mose appareat: alij abstinent à nucibus & ouis: alij solo pane & aqua victitant illis diebus: alij ieiunant vsque ad nonam horam, & diuersa gestant vestimenta: alij denique aliter illa obseruant. Quum autem nemo de eiusmodi ritibus & cæremoniis possit proferre ex Scriptura aliquod præceptum, manifestum est Apostolum totam illam rem vniuscuiusque arbitrio permisisse, ἐπειδὴ οὐδεὶς περὶ τούτου ἔγγραφον ἔχει δεῖξαι παράγγελμα, δῆλον ὡς καὶ περὶ τούτου τῇ ἑκάστου γνώμῃ καὶ προαιρέσει ἐπέτρεψαν οἱ Ἀπόστολοι. Et eiusmodi quidem est diuersitas ieiuniorum in Ecclesiis. Magna est etiam diuersitas in Ecclesiis in celebratione sacræ Synaxeos. Eam singulis septimanis celebrant Romæ & Alexandriæ, ex traditione quadam antiqua. In Thessalia solis diebus Paschatis baptizant. Romæ ieiunant diebus sabbathi. Impossibile denique est recensere discrimen inter Ecclesias in cæremoniis & ritibus. Et illud discrimen in eiusmodi rebus fuit statim etiam in ipsis Apostolorum temporibus, quod & eos non latuit, vt ex Actis Apostolorum apparet. Ideo hoc iugo & hac contentione fideles liberarunt: ea sola explicantes quæ necessariò sunt obseruanda. Nonnulli tamen illud Apostolorum decretum negligentes, sic de diebus festis, tanquam de salute animæ decertant, euertentes diuina præcepta. De diebus festis ita disceptant quasi diebus festis iustificentur, Iudaizantes. Nam Iudæi semper sunt occupati in iis quæ circa corpus, non in iis quæ animas seruant. Discrimen in Cæremoniis ex eo promanauit: quòd præfecti Ecclesiarum quædam eiusmodi vsurparent, successores autem eorum ea tanquam legem posteris obseruandam instituerunt.

Theodorit. lib. 5. hist. Ambrosius Mediolani primus in templo separauit chorum ministrantium à populo, & Imperatorem prohibuit Theodosium accedere: quum antea nullum fuisset locorum in templo discrimen. Theodosius postea Constantinopolin reuersus eandem separationem instituit.

NAZIANZENVS *adversus Iulianum orat.* 2. Ac primùm quidem, fratres, lætemur non corporis splendore, non vestium permutationibus. Nec floribus plateas coronemus, nec vestibula ornemus, nec visibili lumine splendescant domus. Hic enim festorum Gentilitiæ celebrationis mos est. Nos verò ne his rebus Deum honoremus. Verùm animæ puritate & mentis hilaritate, & lucernis totum Ecclesiæ corpus illustrantibus, hoc est, diuinis meditationibus & sententiis super sacrosanctum candelabrum euectis & excitatis Orbi terrarum vniuerso prælucentibus. Flores habeo vernis omnibus fragrantiores agri illius quo Deus hominibus benedixit: his coronemur. Hymnos pro tympanis assumamus, psalmodiam pro flagitiosis cantibus. Ne tripudia Herodiadis tripudium.

In Pascha orat. 2. Sic Rachel quædam es aut Lia, hoc est patriarcha & illustris anima, patris quoque tui idola, quæcunque inueneris surripe, non vt serues, sed vt deleas.

De Theologia orat. 2. Mens nostra languens maléque omnino affecta, ad res eas quæ sub aspectum cadunt, oculos flectit, ac quampiam earum pro numine colat, pernicioso vtique errore labens. Quid enim in omnibus rebus quæ oculis cernuntur, excelsius diuiniúsque est eo à quo cernuntur, vt illud adoretur, hoc adoret? Dei iacturam facit.

In Christi natiuit. Omnium malorum extremum ac primum est, Idolorum cultus adorationísque à Creatore ad creaturam translatio.

In sancta lumina, orat. Nos abiectis tenebris

ad

ad lucem accedamus, ac lux deinde quoque perfecta efficiamur. Ad simulachra & artis opera manuúmque figmenta prolapsi, à Dei gloria excidere necesse est. Nos Deo viuo ac vero seruiamus. Postquam nobis excitauerimus lumen scientiæ aliis præluceamus.

AMBROSIVS *In Epist ad Rom. cap* 1. *tom* 5. Solent tamen pudorem passi neglecti Dei, misera vti excusatione, dicentes per istos posse ire ad Deum, sicut per Comites peruenitur ad Regem. Agè, nunquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, vt honorificentiam Regis vindicet Comiti, quum de hac re siqui etiam tractare fuerint inuenti, iure vt rei damnentur maiestatis: Et isti se non putent reos, qui honorem nominis Dei deferunt Creaturæ, & relicto Domino conseruos adorant, quasi sit aliquid quod plus reseruetur Deo. Nam & ideo ad Regem per Tribunos aut Comites itur, quia homo vtique est rex, & nescit quibus debeat Rempublicam credere. Ad Deum autem (quem vtique nihil latet, omnium enim merita nouit) promerendum, suffragatore non opus est, sed mente deuota: vbicunque enim talis loquutus ei, respondebit illi.

Ibidem, obcæcatum est cor illorum, quos viuos hoc nomine donare non audent, mortuorum imagines in gloriam Dei recipiant. Quanta hebetudo, quanta stultitia, hos se sapientes appellare ad suam damnationem, apud quos plus potest IMAGO quàm veritas, & mortui potiores sunt viuis? A viuo enim Deo recedentes, mortuis fauent, in quorum numero sunt, sicut scriptum est Sapient. 15. Mortalis fingit mortuum manibus iniquis.

Ibid. Lapidibus vel lignis vel cæteris metallis auferentes quod sunt, dant illis quod non sunt: & hoc, est immutare verum in falsum. Non negant Deum, sed seruiunt creaturæ: quæ non excusantur, sed accusantur magis: quia cognoscentes non honorant Deum.

In 2. ad Corinth cap. 6. tom. 5. Nihil tam inimicum homini quàm idola: quia ab vnius Dei fide cogunt recedere. Immundum illud nolite tangere: & ego suscipiam vos, & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens. Ecclesia Christi est: ideò separari nos vult ab omni contaminatione, vt nos suscipiat in Filios.

Officiorum lib 1. *cap.* 20. Cur non Christum alloquaris, Christum audias, Christum reuisas? Illum alloquimur, quum oramus: illum audimus, quum legimus diuina oracula.

Cap. 6. Quid tam indecorum quàm venerari ligna quæ ipsi faciunt: Relinquere causam salutis, erroris quærere?

Offic. lib. 2. *c.* 28. Aurum Sacramenta non quærunt: neque auro placent quæ auro non emuntur.

De Sacram lib. 6. cap vltim tom. 4. Inchoari debet oratio à Dei laude, vt roges omnipotentem Deum, cui possibilia sunt omnia, qui habet voluntatem præstandi.

De fuga seculi. cap 5 *tom* 4. Abscondit simulachra sancta Rachel, id est, Ecclesia, vel prudentia: quia Ecclesia inanes ideas & vanas nescit simulachrorum figuras, sed veram nouit Trinitatis substantiam. Denique vmbram aboleuit, splendorem gloriæ manifestauit. Relinquamus ergo vmbram, qui Solem quærimus: deseramus fumum, qui lumen sequimur.

AVGVSTINVS *In Psalmum* 108. Non est iusta oratio nisi per Christum. Oratio autem quæ non sit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum.

In Psal 113 *&* 114. Nolite seduci vanitatibus vestris, quia vos ea quæ colitis, digito potestis ostendere. Quod enim ostenditis, nisi aurum & argentum? habent quidem & ærea lignea & fictilia simulachra. Noli addere manus hominum, vt ex eo metallo quod fecit verus Deus, velis facere falsum Deum, imò falsum hominem, quem pro vero venereris Deo. Iam ergo artifex est melior eis, quem tamen artificem te vtique puderet adorare: melior est etiam bestia. Os enim habent, & non loquuntur.

Ibid. Contra ista diuinæ literæ vigilant, ne quisquam dicat, quum irrisa fuerint simulachra, Non hoc visibile colo, sed numen quod illic inuisibiliter habitat. Videntur autem sibi purgatioris esse religionis qui dicunt: nec simulachrum, nec dæmonium colo, sed per effigiem corporalem eius rei signum intueor, quam colere debeo: Respondere audent, non seipsa corpora colere, sed quæ illis regendis præsident numina. Itaque Apostoli vna sententia, pœnam istorum damnationémque testatur. Qui transmutauerunt, inquit, veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & seruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in secula. Nam priore parte huius sententiæ, simulachra damnauit: posteriori autem, interpretationes simulachrorum: transmutant veritatem in mendacium. Quis autem adorat vel orat intuens simulachrum qui non sic afficitur, vt ab eo se exaudiri putet, ac ab eo sibi præstari quod desiderat, speret? Hoc enim facit & quodammodo extorquet illa figura membrorum, vt animus

viuens in sensibus corporis magis arbitretur sentire corpus quod suo corpori simillimum videt. Contra hunc affectum quo humana & carnalis infirmitas facilè capi potest, canrat Scriptura Dei res valde notissimas, quibus commemoret & tanquam excitet mentes hominum in consuetudine corporum dormientes: Simulachra, inquit, gentium, argentum, & aurum: Opera, inquit, manuum hominum. Hoc enim venerantur, quod ipsi ex auro argentóque fecerunt. Sed enim & nos pleraque instrumenta & vasa ex huiusmodi materia vel metallo habemus in vsu celebrandorum sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur in eius honore cui pro salute nostra inde seruitur. Et sunt profectò etiam ista instrumenta vel vasa quid aliud quàm opera manuum hominum? Veruntamen nunquid os habent & non loquentur; nunquid oculos habent? nunquid eis supplicamus? Plus valent simulachra ad curuandam infelicem animam, quòd os habent, oculos, aures, nares, manus, pedes, quàm ad corrigendam, quòd non loquentur, non videbunt, non audient, non odorabunt, non ambulabunt. Itaque sequitur, Similes illis fiant omnes qui faciunt & omnes qui confidunt in eis. Videant ergo isti apertis & sentientibus oculis, & adorent clausis & mortuis mentibus, nec videntia nec viuentia simulachra.

De verbis Domini serm.6. Quum recubuerint in idolio, veniant & impleant Ecclesiam, non salutem accepturi, sed pressuram facturi. Quomodo putatis decipi posse simulachris homines, quæ à Christianis honorari putantur? Sed timeo, inquies, ne offendam maiorem. Time prorsus ne offendas maiorem, & non times ne offendas Deum? Hæc tibi regula proponitur. Nonne manifestum est eum minimè offendendum, qui maior est cæteris? Discute nunc maiores tuos. State in Domino, fratres, potentior est qui vocauit vos, minas impiorum ne timueritis, inimicos patimini.

Ibid. Quum data vobis fuerit terra in potestatem, Aras eorum, inquit, destruetis. Priùs ait in potestatem, & sic dixit quæ facienda sunt. Quum acceperitis potestatem hoc facite: vbi nobis non est data potestas non facimus. VBI DATA EST, NON PRÆTERMITTIMVS. Multi pagani habent istas abominationes in fundis suis: nunquid accedimus & confringimus? Prius enim agimus, vt idola in eorum cordibus confringamus. Quando Christiani & ipsi facti fuerint, aut inuitant nos ad tam bonum opus, aut præueniunt nos. Modò orandum est pro illis, non irascendum illis. Si mouet dolor magnus, aduersus Christianos mouet, aduersus fratres nostros mouet, qui sic volunt intrare in Ecclesiam, vt hîc corpus habeant, alibi cor. Totus intus esse debet. Si intus est quod videt homo, quare foris est quod videt Deus? Contra idola prædicamus, de cordibus illa tollimus, sumus persecutores idolorum, profitemur? Nunquid seruatores? Non facio vbi non possum, non facio vbi conqueritur dominus rei: vbi autem vult fieri, & gratias agit, reus ero si non fecero.

Serm.3. de martyribus. Dominus non dixit: Vade in Orienrem & quære iustitiam: Nauiga vsque ad Occidentem, vt accipias indulgentiam. Dimitte inimico tuo & dimittetur tibi: Nihil à te extra te quære. Ad teipsum & ad conscientiam tuam te Deus dirigit. In te enim posuit quod requirit. Non enim medicamenta vulneribus tuis longè opus habes inquirere, peccatorum tuorum indulgentiam si vis, intus in cellario cordis tui poteris inuenire.

Epist.44. Ad summam, ne te hoc lateat, & in sacrilega conuitia imprudentem trahat, scias à Christianis Catholicis nullum coli mortuorum: nihil denique vt numen adorari, quod sit factum & conditum à Deo, sed vnum ipsum Deum, qui fecit & condidit omnia.

Epist.49. Et idola quidem omni sensu carere quis dubitet? veruntamen quum his locantur sedibus, honorabili sublimitate, vt à precantibus attendantur, ipsa sublimitudine animatorum membrorum atque sensuum, quamuis insensata & exanima, afficiunt infirmos animos, accedente præsertim veneratione multitudinis. Quibus morbidis & pestilentiosis affectibus medetur Scriptura diuina dicens: oculos habent, & non vident, & cætera talia. Hæc enim verba quò magis aperta & populariter vera sunt, eò magis incutiunt salubrem pudorem illis qui cum talibus simulachris, diuinum cum timore cultum exhibent, eáque viuentibus similia venerantes, adorantésque contuentur, eísque velut præsentibus preces allegant, vota persoluunt.

Ibid. Neque illic excusant impij sua sacrilega sacra & simulachra, quod eleganter interpretantur quid quæque significent. Omnis quippe illa interpretatio ad creaturam refertur.

Epist.42. Contra idola faciliùs templa quàm corda claudantur.

De Doctrin. Christiana, lib.3 cap.7. Simulachra sunt siliqua intra dulce tectorium, sonantes lapillos quatit. Non est autem hominum, sed porcorum cibus.

De ciuit. Dei, lib.8. cap.27. Quidam epulas suas.

suas ad Martyrum obsequia deferunt: quod quidem à melioribus Christianis non fit. Nec iisdem Martyribus templa & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus, honoramus sanè memoriam eorum, tanquam sanctorum hominum Dei. Non colimus mortuos in sepulchris. Nos Martyres nostros nec diuinis honoribus colimus.

Lib.22. cap.10. Nobis Martyres non sunt dij. A Sacerdote nominantur: non tamen à Sacerdote inuocantur.

In Psal 96. Sculptilia sunt manifesta idola. Quare iam confundantur omnes qui adorant sculptilia. Erubescant qui adorant lapides. Nos viuum lapidem inuenimus. Lapis noster viuus est, & semper viuit apud Patrem, & pro nobis mortuus reuixit.

Sed extitit nescio quis disputator, qui doctus sibi videbatur, & ait: Non ego illum lapidem colo, nec illud simulachrum, quod est sine sensu: sed adoro quod video, & seruio ei quem non video. Hoc modo reddendo rationem de simulachris suis, diserti sibi videntur, quia non colunt idola & colunt dæmonia. Nos autem qualem Deum habemus? Quum dixisset, Confundantur omnes qui adorant sculptilia: addidit: & qui gloriantur in simulachris suis: ne existerent quasi reddentes rationem de simulachris? & dicerent: non lapidem, sed numina colimus. Spiritus maligni coluntur, superbi sunt. Quum inueneris hominem aliquem sanctum seruum Dei, si volueris illum colere & adorare pro Deo, prohibet te, non vult tibi esse pro Deo: vult tecum esse sub Deo: Paulus & Barnabas hoc fecerunt, &c. volunt vt Deus vnus colatur, vnus adoretur. Sic & omnes Sancti vel Angeli, illius gloriam quærunt quem diligunt. Ad eius cultum, ad eius orationem, ad eius contemplationem rapere & inflammare student: ipsum illis annunciant, non se: quoniam Angeli sunt. Gloriam suam quærunt dæmonia. Respondent, non colimus virtutes Dei magni & ministeria Dei magni. Vtinam ipsos colere velletis, facilè ab ipsis disceretis non illos colere. Audite Angelum doctorem, qui non quærebat nisi gloriam domini sui. Surge, quid facis, inquit, illum adora. Nam & ego conseruus tuus sum & fratrum tuorum. Tunc tibi bonus Angelus irascitur, quando illum colere volueris. Pagani Angelos volunt adorare: Angelos imitentur, & illum adorent qui ab Angelis adoratur. Missus est Angelus ad Cornelium: Cornelius misit ad Petrum adorare Christum dominum Petri, & ipse conseruus Petri.

In Psalm.10.8. Non est iusta oratio, nisi per Christum. Oratio autem quæ non fit per Christum, etiam ipsa fit in peccatum.

Serm. 215. de Tempore. Si adhuc videtis aliquos aut ad fontes aut ad arbores vota reddere: sortilegos etiam & diuinos vel Præcantatores inquirere: Phylacteria etiam diabolica & characteres aut herbas & succos sibi aut suis appendere, quicunque fecerit hoc malum, perdit Baptismi sacramentum.

Serm. 241. de Tempore. Anguria obseruare nolite, nec in itinere positi aliquas auiculas cantantes attendite: nec ex illarum cantu diabolicas diuinationes annuntiare præsumite. Nullus ex vobis obseruet qua die de domo exeat, qua die iterum reuertatur: quia omnes dies Deus fecit. Sternutationes obseruare nolite.

In Ioan. tract.7. Non quando nobis dolet caput, curramus ad præcantatores, ad Sortilegos & remedia vanitatis. Nundum persuadeo Christianis in Christo spem esse ponendam. Perdidit Signum Christi, accepit Signum Diaboli.

Lib.2. de Doctrina Christiana cap.20. Superstitiosum est quicquid institutum est ab hominibus ad facienda & colenda idola. Ex eo genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, aruspicum & augurum libri. Ad hoc genus pertinent omnes Ligaturæ siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis quas characteres vocant: siue in quibusdam rebus suspendendis atque ligandis, &c.

Cap.21. Neque ab hoc genere perniciosæ superstitionis segregandi sunt qui Genethliaci propter natalium dierum considerationes, nunc autem vulgò Mathemathici dicuntur. Ex notatione syderum velle nascentium mores, actus, euenta prædicere magna dementia est.

Cap.23. Fit occulto quodam iudicio diuino, cupidi malarum rerum homines traduntur illudendi & decipiendi illudentibus eos atque decipientibus præuaricatoribus Angelis. Deuteronom.13. 1 Regum 21. &c. Omnes igitur artes huiusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta penitus sunt repudianda & fugienda Christiano. Non enim quia valerent animaduersa sunt, sed animaduertendo atque signando factum est vt valerent.

Contra Faustum Manichæum lib 19. cap.18. Nunquid non obseruant Christiani quod in illa Scriptura est, Non facies tibi idolum & cætera huiusmodi.

Ibidem lib.20. cap.9. Simulachrorum ado-

ratores circa ipsas corporum figuras habent affectum, vt eas ipsas formas in locis honorabilibus sublimatas, quibus tantum obsequium exhiberi vident tanquam deos timeant. Illæ ipsæ interpretationes quibus hæc muta & surda & cæca, & exanima defenduntur, dignius accusantur.

De Ciuit. Dei lib.1.cap 2. Neque homines à simulachro, sed simulachrum ab hominibus seruabatur.

Lib.2 cap 2. Minutos Deos tanquam muscas abegerunt.

Lib 4 cap.31 Laudat illud Varronis, Qui primi simulachra deorum populis posuerunt, illi ciuitatibus suis metum dempserunt, errorem verò addiderunt.

Confessionum, libr.10. cap.51. Esca nos non commendat Deo: & nemo nos iudicat in cibo & potu.

De cura pro mortuis gerenda, cap 13. Sed profectò quod Psalmus personat verum est. Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me. Si ergo dereliquerunt nos patres nostri, quomodo nostris curis & rebus intersunt? Esaias Propheta dicit cap.63. Tu es Pater noster: quia Abraham nos nesciuit, & Israel non cognouit nos. Si tanti Patriarchæ quid erga Populum ex his procreatum ageretur, ignorarunt, quomodo mortui viuorum rebus atque actibus cognoscendis adiuuandisque miscentur, quomodo dicimus eis fuisse consultum qui obierunt antequam venirent mala quæ illorum obitum consecuta sunt, si & post mortem sentiunt, quæcunque in vitæ calamitate contingunt. Hos putamus quietos, quos inquieta vita viuorum sollicitat? Quid est ergo quod piissimo Regi Iosiæ pro magno beneficio promisit Deus, quod esset antè moriturus ne videret mala quæ ventura illi loco & populo minabatur: Ibi ergo sunt spiritus defunctorum vbi non vident quæ eueniunt in ista vita hominibus.

In Epist. Ioan tract.1.cap 2.tom.9. Iesus Christus est Aduocatus, da operam tu ne pecces: si de infirmitate vitæ surrepserit peccatum, continuò displiceat, continuò damna: & quum damnaueris, securus ad iudicem venies: ibi habes Aduocatum, noli timere, ne perdas causam confessionis tuæ. Clama, Aduocatum habemus apud Patrem. Videte Ioannem ecce vir iustus erat & magnus: ille talis vir non dixit, Aduocatum habetis apud Patrem: sed si quis peccauerit, aduocatum inquit, habemus. Non dixit, Habetis: nec me habetis dixit: nec ipsum Christum habetis dixit, sed & Christum posuit, non se: & habemus dixit, non habetis. Maluit se ponere in numero peccatorum, vt haberet aduocatum Christum, quàm ponere se pro Christo aduocatum, & inueniri inter damnandos superbos. Fratres, Iesum Christum iustum ipsum habemus Aduocatum ad Patrem, ipse est propitiatio peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresim non fecit: hoc qui tenuit, schisma non fecit.

In Ioan tract.22. Hoc dicit tibi Saluator tuus, Non est quò eas, nisi ad me: non est quà eas, nisi per me.

De fide & symbolo, cap.7 tomo 3. Simulachrum Deo nefas est Christiano in templo collocare, multò magis in corde nefarium est, vbi verè est templum Dei, si ab errore mundetur.

De vera religione cap 55 tom.1. Non diligamus visibilia spectacula, ne ab ipsa veritate aberrando, & amando vmbras, in tenebras proijciamur. Non sit nobis religio in phantasmatibus nostris. Non sit nobis religio humanorum operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus.

Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si piè vixerunt, non sic habentur vt tales quærant honores: sed illum à nobis coli volunt. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Non sit nobis religio corporum æthereorum atque cælestium. Quod ergo colit summus Angelus, id etiam colendum est ab homine vltimo, quia ipsa hominis natura id non colendo facta est vltima. Non enim aliunde sapiens Angelus, aliunde homo, aliunde ille verax, aliunde homo: sed ab vna incommutabili sapientia & veritate. Naturam humanam ipsa Dei virtus & sapientia consubstantialis Patri suscipere dignatus est, per quam nos doceret id esse homini colendum, quod ab omni creatura intellectuali & rationali colendum est. Hoc etiam optimos Angelos velle credamus, vt vnum cum ipsis colamus Deum. Quare eos honoramus charitate, non seruitute. Nec eis templa construimus. Religet nos ergo Religio vni omnipotenti Deo.

Serm 55.tom 10. Idolum est opus fabri. Si faber idolo sicut dedit figuram, cor daret, ab ipso idolo faber adoraretur. Quomodo enim, ô homo, faber tuus Deus est, sic homo idoli faber est. Quis est Deus tuus? Qui te fecit, quis est? Deus fabri. Qui illud fecit quis est? Deus idoli. Ergo si idolum cor haberet, nonne fabrum adoraret qui illud fecit?

Ibid. Ambula per Christum & peruenis ad Deum: per ipsum vadis, ad ipsum vadis. Noli quæ-

quærere quâ ad illum peruenias præter ipsum, factus est via quâ venias: non tibi dico, quære viam: ipse via ad te venit, surge & ambula moribus, non pedibus. Qui in via non currunt: quantò plus currunt, plus errant. quia à via recedunt.

Epist.119.cap.19. Hoc nimis doleo, quia multa quæ in diuinis libris saluberrima præcepta sunt, minùs curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, vt grauiùs corripiatur qui per octauas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentia sepelierit. Ipsam religionem, quàm paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, seruilibus oneribus premunt, vt tolerabilior sit conditio Iudæorum.

Ibid.c.20. Itaque illud quod scripsisti quosdam fratres ita temperare à carnibus edendis, vt immundos qui comederint arbitrentur, apertissimè contra fidem sanámque doctrinam est. Apostolus detestatus est hanc impiam opinionem: vt diceret 1.Timot.4 Tu ipse lege & recita quibus potes, ne in se irritam faciant gratiam Dei.

Contra Epist Parm. lib.2. cap 8. tomo 7. Si quis Episcopum esse mediator inter populum & Deum dicat, quis eum feret fidelium Christianorum? quis non sicut Antichristum intueretur? Nec mediatorem se facit Apostolus inter Deum & populum, sed rogat vt pro se inuicem orent omnia membra corporis Christi. Nam si esset mediator Paulus, essent vtique & cæteri coapostoli eius, ac si multi mediatores essent, nec ipsius Pauli constaret ratio, qui dixerat, Vnus Deus, vnus Mediator Dei & hominum.

Oratio pro inuicem membrorum omnium adhuc in terra laborantium ascendit ad caput præcessit in cœlum, in quo est propitiatio pro peccatis nostris. Peccatores Deos audit. In omnibus orationibus suis de vno Mediatore securi sunt. Homines enim omnes Christiani inuicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic vnus verusque Mediator est. Apostolus se orationibus fidelium & ipse commendat.

Libro de pastoribus, cap.8. tomo 9. Auxilium meum à Domino. Noli putare iniuriam te facere montibus sanctis, quando dixeris: auxilium meum non à montibus, sed à Domino. Ipsi montes hoc tibi clamant. Mons erat qui clamabat: audio vt vnusquisque vestrûm dicat, Ego sum Pauli, ego Cephæ: leua oculos in istum montem, audi quid dicat, & ne in ipso remaneas: Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? auxilium meum à Domino: non solùm tunc tibi non succensebunt montes: sed si in ipsis spem tuam posueris, contristabuntur. Angelus ab homine adorabatur tanquam leuante oculos in montem, ait ille, se reuocans ad Dominum: Noli facere, ego conseruus tuus sum & fratrum tuorum.

De cura pro mortuis gerenda tomo.4. Curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum magis virorum solatia sunt, quàm subsidia mortuorum.

Ibid.cap.13. & cap.15. Mortui viuorum rebus atque actibus cognoscendis adiuuandisque non miscentur. Rebus viuentium non intersunt animæ mortuorum. Illi sunt quieti, quos inquieta vita viuorum non sollicitat. Promisit Deus Iosiæ, quòd esset antè moriturus, ne videret mala. Ibi ergo sunt spiritus defunctorum, vbi non vident ea quæ eueniunt in ista vita.

De Ciuit.Dei.lib.4. cap 9 & 31. Rectè Varro dixit: Quòd hi qui populis instituerunt simulachra, & metum dempserunt, & errorem addiderunt.

De catech. rudibus. Nónne precandum est cum fide? Num fides absque intelligentia? Quomodo ex animo quid petas, nisi intelligas quod petis?

Serm. 7. de temp Fortasse interrogatis me quid debeatis hodie vouere & reddere. Sunt enim multi qui vouent, alius pallam, alius oleum, alius ceram ad luminaria noctis, alius vt vinum non bibat per aliquot annos, alius vt ieiunium certo tempore faciat, alius vt carnes non comedat. Non est istud votum optimum, nec perfectum: adhuc melius volo. Non eligit Deus nec speciem tuam, nec oleum tuum, nec ieiunium tuum, sed hoc quod te hodie redemit ipsum offer, hoc est, animam tuam, moribus sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuosis: auertendo à malo & conuertendo ad bonum: damnando vitium, amando Deum, diligendo proximum.

De catechizandis rudib. cap.13. tom.4. Sine dubitatione meliùs fit, vbi decenter fieri potest, vt sedens audiat. Longéque consultiùs in quibusdam Ecclesiis transmarinis, non solùm antistites sedentes loquuntur ad populum, sed ipsi etiam populo sedilia subiacent ne quisquam infirmior stando lassatus à saluberrima intentione auertatur, aut etiam cogatur abscedere.

Epist.86. Licet Sabbatho ieiunare. Cupimus decimas pauperibus à Christianis dari, sed

paucissimos inuenimus. Sit vna fides vniuersæ Ecclesiæ, etiam si ipsa fidei vnitas quibusdam diuersis obseruationibus celebratur, quibus nullo modo quod in fide verum est, impeditur. Omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinsecus: illæ autem obseruationes, quæ variè celebrantur, in eius veste intelliguntur. Vnde ibi dicitur. In fimbriis aureis circumamicta varietate. Sed ea quoque vestis ita diuersis celebrationibus varietur, vt non aduersis contentionibus dissipetur.

Ibid. Ego in Euangelicis & Apostolicis literis video præceptum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non inuenio definitum. Die Dominico ieiunare maximum est scandalum, maximè postquam innotuit detestabilis multumque fidei Catholicæ scripturisque diuinis apertissimè contraria hæresis Manichæorum, qui suis auditoribus ad ieiunandum istum tanquam constituerunt legitimum diem, per quod factum est, vt ieiunium diei Dominici horribiliùs haberetur. Nisi fortè aliquis vltra hebdomadam idoneus sit perpetuare ieiunium, vt ieiunio xl. dierum quantum potuerit appropinquet, sicut aliquos fecisse cognouimus. Apostoli solenniter die Dominico non ieiunabant. Sed tunc quamuis die Dominico solita illis ieiunia non fuissent, non erat tamen Ecclesiæ tam insignis offensio si aliqua tali necessitate, qualem Apostolus habuit, die toto Dominico resi ere corpora non curarent. Necessarius sermo qui studij feruentissimi audiebatur ardore, reficiendi corporis causa intertumpendus esse non visus est, præfecturo Apostolo die Dominico, Actorum 20. Sed quoniam non inuenimus, vt iam suprà commemoraui, in Euangelicis & Apostolicis literis quæ ad Noui Testamenti reuelationem propriè pertinent, certis diebus aliquibus euidenter præceptum esse obseruanda esse ieiunia: & ideò res quoque ista, sicut aliæ plurimæ quas enumerare difficile est, inuenit in veste illius filiæ regis, hoc est, Ecclesiæ varietati locum. Indicabo tibi quid mihi de hoc requirenti responderit venerandus Ambrosius, Mediolanensis Episcopus: Vtrùm secundùm morem nostræ ciuitatis esset Sabbatho ieiunandum, an Ecclesiæ Mediolanensis more prandendum. Quando hîc sum, inquit, non ieiuno sabbatho, quando Romæ sum ieiuno sabbatho: & ad quamcumque Ecclesiam veneneritis, eius morem seruate, si pati non vultis scandalum aut facere: hoc responsum secutus sum.

In Psal 29. Si diuinitatem Domini nostri Iesu Christi consideres, in ea non inuenimus causam orandi, nec locum orandi, nec affectum orandi. Nam in principio erat Verbum &c. sed paulò pòst dicit: & Verbum caro factum est. Habes maiestatem ad quam ores, habes Humanitatem quæ pro te oret. Nam hoc dictum est ab Apostolo, etiam post resurrectionem Domini nostri Iesu Christi. Qui sedet, inquit, ad dexteram Dei; qui etiam interpellat pro nobis? Quia Mediator esse dignatus est inter Deum & homines. Quid est Deus? Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Quid sunt homines? Peccatores impij, mortales. Inter illam Trinitatem & hominum infirmitatem & iniquitatem Mediator factus est homo.

HIERONYMVS *de Assumptione Mariæ Virginis, tom.* 4. Cùm magis Deum puerum adorasti. Nullus est honor Virginis alius, nisi quum iure ille honoratur, qui nasci dignatus est ea.

In Esaiam cap. 46. Conducto statuario fecerunt idola, & adorauerunt opera manuum suarum quæ portentur humeris & confixa atque stabilita se non valeant commouere nec prodesse iis à quibus coluntur. Veluti furiosi in ligna impingebatis & lapides. Ad vnius Dei cultum reuertimini.

In 10 *cap Ieremiæ.* Quanta idolorum potentia quæ stare per se nequeunt nisi clauis & malleis compingantur? Fortior ille qui portat quàm illa quæ portantur: imò in illis sensus est, in hoc figura sine sensu. Nolite ergo timere ea quæ nec benefacere possunt, nec malè.

In Psal 113. Ideò dicitur Simulachrum quia ad similitudinem alicuius hominis mortui factum est. Præuidebat Spiritus Sanctus quoniam tum exinde increpati essent, quale responsum darent: quia dicerent illi, Non adoro nec ligneum nec lapideum Deum, sed aureum. Dicit illi, Si aurum & argentum adorasses, non esset talis error. Quæ est ista imago & illa potestas quæ in ipsa est? Dicit illi Diabolus ibi est. Ille dicit, Absit, nolo Diabolum adorare. Quid ergo adoras? Deos meos, illi me saluant, Omnes Dij gentium Dæmonia. Ergo de tuis manibus facis Deum quem adoras? Si bestiam adorasses, licèt malum erat: sed tamen vel oculos habet vel pedes: sed istud quod adoras, nec videt nec audit.

In Ezechielem lib. 4. *cap.* 14. *tomo* 5. Si in aliquo fiducia est, in solo Domino confidamus. Maledictus enim omnis homo qui spem habet in homine, quamuis sancti sint, quamuis Prophetæ. Non oportet confidere in Principibus Ecclesiarum, qui suas tantùm animas, si iusti fuerint, liberabunt.

In decr c.13. qu.2. can in praesenti. Hieronymus è contra, Post mortem orationes non prosunt viuentium. In praesenti seculo scimus siue orationibus siue consiliis inuicem posse nos adiuuari: quum autem ante tribunal Christi venerimus: nec Iob, nec Daniel, nec Nôe rogare posse pro quoquam: sed vnumquemque portare onus suum.

In Ezechielem, lib.4.cap.16. tom 3. Quum tibi idola feceris peruersorum dogmatum, credens in his quae ipsa finxisti, templum Dei intrare non poteris: & simulachra substantiam tuam non habebunt neque erunt in perpetuum.

BERNARDVS *in Apol.* Non locus homines, sed locum homines sanctificant. Omitto oratoriorum immensas altitudines, immoderatas longitudines, sumptuosas depolitiones, &c. visu sumptuosarum sed mirandarum vanitatum accenduntur homines. Regnum Dei non est in vestimentis aut alimentis. Magna abusio quum tanto studio cuculla procuratur. Nónne Helias innoxiè carnem comedit? Abraham carne pauit Angelos. Pro carnibus à quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicant?

Epist.174. Virgo Maria non eget falso honore, veris cumulata honoribus. Non est Virginem honorare, sed eius honori detrahere: festum conceptionis non fuit instituendum.

Sermo 15.in Psalm 91. Cor sponsae est in Vigilibus, sed in Domino fiduciam habens. Minus vigilanter id obseruarunt Corinthij.quum secederent, dicentes: Ego sum Cephae. Quoniam,inquit,in me sperauit,libero eum. Non in vigilibus; non in homine, non in Angelo, sed in me, inquit, sperauit, liberabo eum: nihil boni nisi ex me expectans. Custodia non modò ex me, verùm etiam per me fiat, necesse est.

In Epiphan. dom sermone 3. Herodiana malitia & crudelitas Babylonica est, nascentem velle extinguere religionem. Quicunque resistit iis quae ad salutem pertinent, planè cum Ægyptiis paruulos Israelitici populi necare conatur.

Sermone ad cler. cap 5. Post mortem poenitentia agi non poterit. Sanè vbi nulla fuerit actio, nec satisfactio quidem vlla potest inueniri.

In paruis serm 23. Qui vult venire post me: per me,ad me. Post me,quia veritas sum: per me,quia via sum:ad me,quia vita sum.

Serm 66. in cant. Abstinent ab esu quorundam ciborum: sed haereticè abstinent: non ad domanda vitia,&c.

Serm 75. in cant. Non tibi relinquitur hostia pro peccatis,mortuo in peccatis. Sanguis Christi in terris effusus est,non in inferno.

De praecepto & dispensatione. Haec generalis regula sit vniuersorum quae per se aut propter se nec bona nec mala sunt, vt licitè vel admittantur vel omittantur. Iussa non negligantur: Vbi tamen, Deo contraria non praecipit homo. Nam de quibus Scriptura authentica, nec praeceptor expectandus, nec prohibitor auscultandus est. Iustissimum esse liquet, vt quae pro charitate inuenta fuerunt, pro charitate quoque, vbi expedire videtur vel omittantur vel intermittantur, vel in aliud commodius demutentur. Inuiolabile verò,quod diuinitus promulgatum.

In Apologia, Regula iam non est regula,quae non concordat Euangelio,vel Apostolo: quia non recta. Melius est vt scandalum oriatur, quàm veritas relinquatur.

ORIGENES *aduersus Celsum, lib.1.* Affirmant incantandi periti, eandem incantationem pronuntiatam linguâ suâ propriâ efficere id quod pollicetur: sin transferas in alias quascunque voces, euidenter vim suam perdere: adeo vis ea non in significationibus rerum, sed in ipsis vocum qualitatibus inest. In lege, Leuit.19. Incantatoribus non adhaerebitis, ne ab iis polluamini.

Ibidem, Vbinam inuenit Celsus in Mosaicis literis à Legislatore tradi cultum Angelorum.

Lib 3. Non occultamus veneranda religionis Christianae initia: quandoquid eius candidatis ante omnia contemptum idolorum, omniumque statuarum indimus. Mentemque horum à cultu ac veneratione creaturarum ad Deum attollimus.

In hom 8.de initio decalogi, & in Synodo Parisiensi citato. Sermo Dei vniuersa complectens simul abiurat & abiicit,& non solù n fieri idolum vetat, sed & similitudinem omnium quae in terra sunt & in aquis & in coelo, addit autem & dicit,Non adorabis ea,neque coles.

DE IMAGINIBVS TOLLENDIS

Extat Edictum Philippi Imperatoris promulgatum Constantinopoli, Anno Domini DCC. XIII. Et Synodus Nycoliana anno Domini DCC. XXIII. Et Leonis Isaurici Imperatoris Augusti Edictum publicatum Constantinopoli, anno Domini DCC. XXVI. in quo hec verba: Imaginum picturae formam quandam idolorũ retinent, neq; iis cultum adhibendum esse, ne alioqui, Dei loco imprudentes idola venerentur. *Et Constantini VI. Edictum anno Domini DCCXLI. promulgatum. Et Leonis IV. Caesaris Augusti anno DCCLIV. Et Synodus vniuer-*

salis Constantinopolitana VII. quam numero trecentitriginta Episcopi constituebant, hæc definiuit. Reduxit nos Deus plasmator à corruptrice dæmonum doctrina, nempe ab idolorum cultu & errore : & in spiritu & veritate adorationem nobis dedit. Ecclesiæ decorem videre recusans prædictus ille improbitatis architectus non dubitauit per diuersa tempora & modos varios, humanum genus sibi subijcere. Sub prætextu Christianismi, Idololatriam induxit, proprijs sui sophismatibus eos qui illum respuerent, eò adducens, vt non putarent sibi à creaturis abstinendum, verùm has adorandas & colendas.

Ibid. Exquisita est nostra sententia tum ex Scriptura diuinitus afflata, tum ex Patrum selectorum testimonijs efficacibus, asserentibus piam nostram definitionem. Ioan.4. Deus est spiritus, quicunque Deum adorauerit, in spiritu & veritate adoret. Ioan.1. & 5. Deuter.5. Non facies tibi similitudinem, &c. Rom.1.2. Corinth.5. Et Rom.10. fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.

Eadem & diuini Patres nostri tradunt. Epiphanius : Estote memores, dilecti filij, ne in Ecclesiam imagines inferatis : neque in sanctorum cœmeteriis eas statuatis, sed perpetuò circumferte Deum in cordibus vestris. Quinetiam neque in domo communi tolerentur. Non enim fas est Christianum per oculos suspensum teneri, sed per occupationem mentis. Et Gregorius in versibus suis : flagitium fidem habere in coloribus, non in corde. Iohannes Chrysostomus sic docet : Nos per scripta, sanctorum fruimur præsentia : non sanè corporum ipsorum sed animarum imagines habentes. Et magnus Basilius, Meditatio Scripturarum diuino afflatu, inuestigationem recti dabit. In illis enim vitæ beatorum virorum præscriptæ velut imagines quædam animatæ, secundùm Deum, politica imitatione operum exhibentur. Athanasius dixit. Quomodo miseratione non prosequendi sunt, qui creaturas adorant, quòd illi qui vident non videntibus cultum exhibent : & audientes non audientes orant, precantúrque ? Similiter Amphilochius Iconij Episcopus ita inquit : Non enim nobis Sanctorum corporales vultus coloribus effigiare curæ est : quoniam his opus non habemus, sed politiæ illorum virtutum memores esse debemus. Consentanea his etiam Theodorus Ancyriæ Episcopus sic docet: Sanctorum formas & species ex materialibus coloribus formari, minimè decorum putamus : horum autem virtutes quæ per scripta traditæ sunt, veluti viuas quasdam imagines reficere subinde oportet : ex his enim ad similem imitationem & zelum peruenire possumus. Dicant enim nobis, qui illas erigunt statuas, quænam vtilitas ex illis ad se redit ? an quod qualiscunque recordatio eos habet ex tali speciali contemplatione ? Sed manifestum est quod vana sit eiuscemodi cogitatio, & Diabolicæ deceptionis inuentum. Similiter & Eusebius Pamphili ad Constantiam Augustam, petentem Christi imaginem ad se ab illo mitti, talia dicit : Quoniam de Christi Imagine ad me scripsisti vt tibi mitterem, velim mihi significes quamnam putes Christi Imaginem, vtrùm illam veram & incommutabilem naturæ illius charactere ferentem, aut hanc quam propter nos assumsit, seruilem formam pro nobis induens. Sed sanè de diuina forma non arbitror etiam ego te esse sollicitam, quum fueris ab illo edocta, neminem Patrem cognouisse præter Filium, neque ipsum Filium condignè quempiam cognouisse nisi qui illum genuit Patrem. Et post pauca. Quas dignitates, splendores lucentes & fulgurantes effigiare mortui & inanimatis coloribus & vmbratili pictura posset ? quum neque illius discipuli in monte illum contemplati quiuerint. Igitur si illius carnis figura tantùm ab inhabitante in ea diuinitate accepit potentiam : quid oportet dicere tunc quum mortalitatem exuit & corruptionem abluens formam serui Domini & Dei gloriam transtulit, post mortis scilicet victoriam, post ascensum in cœlos, post cum Patre, regio in throno à dextris consessum, &c.

Hæc igitur ex multis pauca Scripturæ Patrumque testimonia, in hac definitione nostra, parcentes copiæ in nomine sanctæ & supersubstantialis viuificantis Trinitatis, vnanimes nos & eiusdem sententiæ nos, &c. simul existentes vna voce definimus OMNEM IMAGINEM ex quacunque materia improba pictorum arte factam, AB ECCLESIA CHRISTIANORVM reijciendam, veluti alienam & abominabilem.

Rursus decima sexta definitione. Si quis sanctorum omnium ideas in imaginibus inanimatis & mutis materialibus coloribus depingere studeat, cùm vsum nullum afferant, ANATHEMA. Vana enim est excogitatio & diabolicæ insidiationis inuentio. Nonne satius fuerit illorum virtutes & facta quæ per scriptas historias tradita sunt, veluti viuas quasdam imagines in seipso depingere, & ad eadem ista seipsum zelo istiusmodi excitare, quemadmodum sancti Patres nos docuerunt ?

Eadem confirmata fuerunt Edictis Constantini

tini VI. & Leonis IV. Cæsaris Augustini. Atque anno DCCLXXV. *Edicto Christophori & Nicephori Cæsarum Augustorum.*

FRANCFORDIENSIS *Synodus* CAROLO MAGNO *Præsidente: in qua trecenti circiter Episcopi hæresin quæ Feliciana nominatur, condemnarunt: Actáque Nicæni Concilij* II. *Pseudoseptimi in causa* IMAGINVM *infirmarunt. anno Domini* DCCXCIV. *Ex Bibliotheca Petri Pithoei.*

Capite 2. Allata est in modum quæstio de noua Græcorum Synodo quam de adorandis Imaginibus Côstinopoli fecerunt, &c. quam omnes qui supra, sanctissimi Patres omnimodis & adorationem & seruitium respuentes, contempserunt, atque consentientes condemnauerunt.

CAROLI MAGNI, *Regis Francorum & Longobardorum, &c. Capitulare de non adorandis* IMAGINIBVS *Contra Constantini* VII. *Imperatoris Constantinopolitani & Hirenæ matris decretum & Synodum Nycænam* II *Pseudoseptimam Oecumenicam siue Vniuersalem compositum & publicatum in Concilio Francofordiensi, & Hadriano Papa missum anno Domini* DCCXCIV. *Editum ex Bibliotheca & studio Ioannis Tilij Meldensis Episcopi.*

In nomine Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, incipit opus Illustriss. & excellentiss. seu spectabilis viri Karoli, nutu Dei Regis Francorum, Galliam, Germaniam, Italiámque siue harum finitimas prouincias, Domino opitulante, Regentis, contra Synodum quæ in partibus Græciæ pro adorandis Imaginibus stolidè siue arroganter gesta est.

Ecclesia mater nostra pretiosissimo sponsi Christi sanguine redempta, & regeneratione salutaris gurgitis lota & salutifero edulio corporis & haustu sanguinis satiata, & nectarei liquoris vnguine delibuta & per vniuersum Orbem terrarum in pace diffusa aliquando externa, aliquando intestina perpetitur bella, &c.

Aliquantò post Qui cum ea non est adversus eam est: & qui cum ea non colligit, spargit. Huius ergo rei causa loqui compellit, quod non sine quodam animi mœrore prosequimur: quippe qui cum infirmantibus infirmari, & cum scandalizantibus vri, apostolico perdocemur exemplo. Inflammauit igitur ventosæ arrogantiæ inflata ambitio & vanæ laudis insolentissimus appetitus, quosdam Orientalium partium, non solùm Reges, sed etiam Sacerdotes, adeò vt postposita sana sobriáque doctrina & paruipendentes illud Apostolicum, Siquis Euangelizauerit vobis præter id quod Euangelizatum est, etsi Angelus sit, anathema sit: & transgredientes contra Propheticam institutionem terminos maiorum per infames & ineptissimas Synodos Ecclesiæ inferre conantur quod nec Saluator nec Apostoli intulisse noscuntur: & dum sublimare conantur suæ laudis fastigium, magnum adcumulent suis animabus deliquium, descindunt vinculum Ecclesiæ vnitatis.

LEONIS V. *Armeni Imperatoris Constantinopolitani Edictum de abrogandis imaginibus, promulgatum Constantinopoli, anno Domini* DCCCXIV. Non decet ô viri mihi, colere aut venerari vel recipere prorsus aut retinere Imagines: sed tollere illas atque humo allidere: vt quæ manifesta sunt idolorum simulachra. Lex enim quam magnus Moyses Dei digito scriptam olim accepit, disertè ac perspicuè prorsus vetat, ne manufactum quicquam colatur, neue imago vlla eiusue similitudo statuatur: diris eos deuouens qui tale aliquid facere præsumpserint: Cum idolici cultus & solidæ amentiæ sit inuentum, Imagines fingere, diuinúmque illis nomen imponere: quod non modò indecorum, sed absurdum est: Et planè pugnans incircumscriptum circumscribi putare: aut cubiti vnius tabulis eum quem locus nullus capiat, includere. Hæc enim qui antè nos regnarunt Imperatores perperam quum fieri cernerent, Leonem dico & Constantinum & qui ex iisdem natus eis successit, Imagines deijci, earumque cultum explodi iusserunt.

MICHAELIS II. *Imperatoris Constantinopolitani & Theophili Cæsaris epistola de non adorandis imaginibus ad Ludouicum Pium Imperatorem Romanum, Anno Domini* DCCCXXIV. *Edita ex Bibliotheca Petri Pithoëi.* Michael & Theophilus fideles in ipso Deo Imperatores Romanorum, dilecto & honorabili fratri HLudovvico glorioso Regi Francorum & Longobardorum & vocato eorum Imperatori. Notum esse non ambigimus vestræ spiritali dilectioni, scriptum esse, Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Et iterum ait Spiritus S. per sanctiss. Salomonem, per me Reges regnant, & potentes scribunt iustitiam. Et per quendam Prophetam ait, Ego suscitaui eis cum iustitia regem, &c.

Paulò post. Permisit propter quædam peccata subiecti populi sui prouenire quasdam tribulationes, &c. Inuenimus Christianos diuisos & discordantes & plurimos inuenimus Thomæ parricidæ impietatem sequentes, his victus, cæsus, &c. Dignum existimauimus hæc quasi

pacifico amico & spiritali fratri nostro, &, vt credimus, socio gaudij à Deo Imperij nostri manifesta facere quæ nobiscum acta sunt, vt pariter sicut vnius & eiusdémque fidei & religionis cultoribus facere oportet, laudibus & hymnis conlaudemus & glorificemus Saluatorem nostrum Dominum Iesum Christum, &c. Charitas & pax vtramque potestatem secundùm Dominicam vocem potest & seruatrices mandatorum eius efficere. Dixit enim, Qui diligit me, mandata mea custodit: & iterum, In hoc cognoscét omnes quia mihi discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.

Sed & hoc vestræ in Christo amabili dilectioni manifestamus, quia multi de Ecclesiasticis & laicis viris alieni ab Apostolicis traditionibus facti, neque paternos terminos custodientes, facti sunt inuentores malarum rerum. Primum quidem honorificas & viuificas cruces de sacris templis expellebant, & in eadem loca imagines statuebant, ponebántque lucernas coram eis, simul & incensum adolebant, &c. Plerique linteaminibus easdem imagines circundabant, &c.

Propterea statuerunt Orthodoxi Imperatores & doctissimi sacerdotes, locale aduunare Concilium ad Inquisitionem super his habendam, qui in idipsum conuenerunt, sancto Spiritu inspirante. Talia vtique communi consilio fieri prohibuerunt & imagines de humilioribus locis efferri fecerunt: & eas quæ in sublimioribus locis positæ erant vt ipsa pictura pro scriptura haberetur, in suis locis consistere permiserunt, ne ab indoctioribus & infirmioribus adorarentur, sed neque eis lucernas accenderent, neque incensum adolerent, prohibuerunt. Quemadmodum & nos nunc sentimus & tenemus: abjicientes de Ecclesia Christi eos qui huiusmodi malignis inuentionibus student. Propterea quidam illorum qui noluerunt suscipere Concilia localia & à veritate redargui, fugerunt hinc & venerunt ad antiquam ROMAM à Deo conseruatam: iniuriam & calumnias Ecclesiæ inferentes & veræ Religioni detrahentes, quorum pessima verba & blasphemiis plena postponentes, nostra potiùs orthodoxa Gloriæ tuæ manifesta facimus: quia nos Symbolum sanctarum & vniuersalium sex Synodorum quod ab omnibus Orthodoxis Christianis tenetur, non tantùm prædicamus, sed etiam inuiolabiliter corde tenemus: Trinitatem in tribus personis colimus: Vnitatem vnius Diuinitatis naturam confitentes, &c.

Ad finem Epistolæ. Dicit Scriptura, Ejicite malum de medio vestri.

Deut. 21. vt non tantùm in Republica adinuicem concordemus, sed & de magna re quæ ad salutem animæ pertinet, id est, Ecclesiastica & Deo amabilia consentiamus.

Aimoinus de gestis Francorum lib. 4. cap. 112. Rex ad Rhotomagensem ciuitatem legatos Michaelis Imperatoris qui ad eum mittebantur sibi occurrere iussit, &c. Inter cætera ad legationem suam pertinentia, quædam de Imaginum veneratione protulerunt. Quos, cum eorum legatione audita ac responso reddito absolueret, Romam vt se velle dicebant, ducere iussit.

Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus contra Hincmarum Laudunensem Episcopum cap. 20. Auctoritate Francofordiensis Synodi nonnihil repressa est Imaginum veneratio: sed tamen Hadrianus & alij Pontifices in sua opinione perseuerarunt: & mortuo Carolo suarum pupparum cultum vehementiùs promouerunt: adeò vt Ludouicus Caroli filius libro longè acriori insectatus sit imaginum cultum quàm Carolus.

Theodulphus Aurelianensis in Annalibus Francorum anno 766. Et Ado Viennensis Episcopus in Chronicis: & Althelmus Monachus in Annalibus Franc. & Rhegino Prumiensis Chron. lib. 2. dicunt Regem Pipinum habuisse Synodum, alij quidem Salmoniagi villa, alij in Gentiliaco villa, de sanctorum Imaginibus & de Spiritu Sancto quæstione ventilata inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam.

Synodus Parisiensis, excellentissimis ac victoriosissimis, Deóque amabilibus Augustis Dominis HLudovvico & HLudario Serenissimis Imperatoribus. Nos servi ac fidelissimi oratores vestri apud Parisiorum vrbem iuxta præceptum vestræ magnitudinis in vnum conuenimus, &c. Ideò primùm Epistolam Domini Hadriani Papæ quam pridem pro Imaginibus erigendis Constantino Imperatori & Herenæ matre eius ad eorum deprecationem in transmarinis partibus direxit, coram nobis legi fecimus. Et quantum nostræ paruitatis res patuit, sicut iniustè reprehendit illos qui Imagines Sanctorum temerario ausu in illis partibus confringere & penitus abolere præsumserunt; sic indiscretè noscitur fecisse in eo quòd superstitiosè eas adorare iussit. Pro quarum etiam causa, Synodum congregari præcepit, & sua auctoritate sub iureiurando censuit, vt erigerentur & adorarentur, & sanctæ nuncuparentur, cùm eas erigere licitum, adorare verò nefas sit. Inseruit etiam in eadem epistola quædam testimonia sanctorum patrum, quantum nobis datur intelligi, valde absona, & ad rem quæ agebatur minimè pertinentia.

CLAVDII

CLAVDII *Taurinensis Episcopi, Apologeticus de cultu Imaginum & sanctorum adversus Theodo...irum Abbatem, excerptus à Ludouico Imperatore & ad Ioannem Aurelianensem Episcopum missus.* Ego non sectam doceo, qui veritatem teneo, & veritatem proclamo: sed sectas & schismata, & superstitiones atque hæreses, quantum valui, compressi, contriui, expugnaui & expugnare inquantum valeo, Deo auxiliante, non cesso. Hoc autem idcirco peruenit quia postquam coactus suscepi sarcinam pastoralis officij, missus à Pio Principe sanctæ Dei Ecclesiæ Filio Ludouico, veni in Italiam ciuitatem Taurini. Inueni omnes basilicas contra ordinem veritatis, sordibus anathematum & Imaginibus plenas. Et quia quod homines colebant, ego destruere solus cœpi, idcirco aperuerunt omnes ora sua ad blasphemandum me: & nisi adiuuisset me Dominus, viuum deglutissent me. Quum enim distinctè dicatur, non faciendam similitudinem omnium quæ in cœlo sunt, aut quæ in terra, non de solis similitudinibus alienorum Deorum intelligitur dictum, sed & de cœlestibus creaturis.

Dicunt isti contra quos Ecclesiam defendendam suscepimus: Si scribas in pariete vel pingas imagines Petri & Pauli: Iouis & Saturni siue Mercurij, nec isti sunt dij, nec illi Apostoli: nec isti nec illi homines. Ac per hoc nomen mutatur, error tamen & tunc & nunc idem ipse permanet semper. Certè si adorandi fuissent, viui potiùs quàm vt tu posuisti, adorandi esse debuerunt: vbi Dei similitudinem habent, non vbi pecorum, vel quod verius est, lapidum siue lignorum, vita, sensu & ratione carentium. Ex qua re summopere pensandum est: quia si opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda: quanto magis opera manuum hominum adoranda & colenda non sunt prorsus, nec in honore meorum quorum similitudines esse dicuntur? Quia si imago quam adoras Deus non est, quid te ad falsas imagines humilias & inclinas? Quid ad inepta simulachra & figmenta terrena, captiua, corpus incuruas? Rectum te Deus fecit, &c. In supernis Deum quære, vt carere inferis possis ad alta & cœlestia suspensum pectus attolle. Quid te in lapsum mortis cum insensata imagine, quam colis, sternis? Quid ruinam Diaboli per ipsam & cum ipsa cadis? Sublimitatem serua, qua natus es: perseuera talis qualis à Deo factus es.

Illud imaginum adoratores mihi responderunt: Non putamus Imagini quam adoramus aliquid esse diuinum: sed tantummodo pro honore cuius effigies talis, eam veneratione adoramus.

Sed dicunt isti falsæ religionis atque superstitionis cultores, nos ob recordationem Salvatoris nostri, crucem pictam atque in eius honorem imaginatam colimus, veneramur atque adoramus. Quibus nihil aliud placet in Salvatore nostro, nisi quod & impiis placuit, opprobrium passionis & irrisio mortis. Hoc de illo credunt quod & impij homines siue Iudæi siue Pagani: qui eum resurrexisse diffidunt, & non nouerunt de illo aliud cogitare, nisi eum totum & mortuum & semper in passione positum, in corde suo credunt & retinent & non attendunt neque intelligunt, quod ait Apostolus, Etsi noueramus secundum carnem Christum: sed nunc iam non nouimus. Contra quos respondendum est, quia si omne lignum schemate Crucis factum, volunt adorare pro eo quod Christus in cruce pependit: & alia multa illis conueniunt quæ Christus egit per carnem. Vix enim sex horis in cruce pependit, & tamen nouem mensibus lunaribus & super vndecim diebus in vtero Virginis fuit. Adorentur ergo puellæ virgines, quia Virgo peperit Christum. Adorentur & præsepia quia mox natus in præsepio est reclinatus. Adorentur & veteres panni, quia continuò cùm natus esset, pannis veteribus est inuolutus. Adorentur & naues, quia frequenter in nauibus nauigauit. Adorentur asini quia asellum insidendo ad Hierusalem vsque peruenit. Adorentur Agni, quia de illo scriptum est, Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Sed isti peruersorum dogmatum cultores agnos viuos volunt vorare, & in pariete pictos adorare. Adorentur & Leones quia de illo scriptum est: Vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid. Adorentur & petræ, quia quando de cruce est depositus, in saxeo sepulchro est positus, & de illo dicit Apostolus, Petra autem erat Christus. Sed Christus, Petra, Agnus, Leo tropicè, non propriè est dictus: per significantiam non per substantiam. Adorentur & spinæ ruborum, quia exinde spinea corona, tempore passionis, capiti eius imposita est. Adorentur arundines, quia ab eis colaphis à militibus caput eius cæsum est, postremò, adorentur & lanceæ, quia vnus militum lancea latus eius aperuit. Ridiculosa ista omnia sunt, & lugenda potiùs quàm scribenda & contra lapidea corda, non verbi sagittas vel lanceas, sed lapideos projicere ictus. Redite præuaricatores ad cor qui recessistis à veritate: & diligitis vanitatem & estis vani facti. Qui rursum crucifigitis Filium Dei, & ostentui habetis. Et per hoc cateruatim animas miserorum socias

factas dæmonum habetis, alienando eas per nefanda sacrilegia simulachrorum à Creatore suo: habetis eas deiectas & proiectas in damnationem perpetuam.

Ad finem. Teipsum interrogare volo, Si pœnitentiam agere, esse Romam gergere nosti, cur tu tanto tempore animas perdidisti, quas in Monasterio retinuisti, & non eas Romam misisti? &c. Scimus quòd non intellecta Euangelica verba Domini Saluatoris, vbi ait beato Petro Apostolo, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum: propter ista iam dicta Domini verba IMPERITVM hominum genus pro adquirenda vita æterna, postposita omni spiritali intelligentia, volunt pergere Romam: quia si proprietatem verborum Domini subtiliter consideremus, non est Dei dictum: & quodcunque ligaueris in cœlo erit ligatum super terram: & quodcunque solueris in cœlo, erit solutum & in terra, &c. Redite cæci ad lumen vestrum, quod illuminat omnem hominem, Ioan. 1. Qui istud lumen non aspiciendo in tenebris estis, & in tenebris ambulatis & nescitis quò eatis: quia tenebræ obcæcauerunt oculos vestros. Posthæc verò promittenti Deo debet fidelis quisque credere, quantò magis iuranti?

Quinta tua in me obiectio est: displicere tibi dicis eò quod dominus Apostolicus indignatus sit mihi. Hoc dixisti de Paschali Ecclesiæ Romanæ Episcopo. Apostolicus autem dicitur, quasi Apostoli custos. Certè non ille dicendus est Apostolicus, qui in cathedra sedit Apostoli, sed qui Apostolicum implet officium.

ARTI-

ARTICVLI CONFESSIONIS BASILEENSIS.

De quorum ὀρθοδοξίᾳ & veritate, SS. Scripturæ consentanea,

Deo gratiosè fauente,

IN SCHOLA THEOLOGICA Academiæ Basileensis:

PRÆSIDIBVS, ALTERNATIM, S.S. THEOLOGIÆ, Doctoribus & Professoribus ordinariis tribus,

THEODORO ZVINGERO, V. T. Profess. Facult. Theol. p. t. Decano.

SEBASTIANO BECKIO, N. T. Profess. eiusdémque Facultat. Seniore.

IOHANNE BVXTORFIO, Locor. Commun. & Controuersiar. Theolog. iuxtáque Linguæ Sanct. Profess.

Placidâ συζητήσει conferetur,

DISPVTATIONIBVS HEBDOMADARIIS.

Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confeßio ad salutem. Rom. c.10. v.10.

BASILEÆ excudebat GEORGIVS DECKERVS, Academiæ Typographus, An. 1647.

GREGOR. NAZIANZENVS.

Sacra Theologia & Religio res est simplex & nuda; sine magno artificio Diuinis constans testimoniis: quam tamen praue quidam conuertunt in Artem difficillimam.

Lectori Salutem.

BEATVS *Apostolus* Paulus *jubet nos* ἐξαγοράζεσθαι τὸν καιρὸν, redimere occasionem. *Hanc quærit, non negligit, solers industria. Eandem nunc temporis suppeditat seges, nonnihil accrescens, Studiosorum S.S. Theologiæ, quorum cùm vota, atq; sperata studia, nos solicitent ad frequentiores exercitationes, & συζητήσεις Theologicas; haud difficulter eis gratificandum duximus. Ac quia* Confessio *nostra* Basileensis, ὑποτύπωσιν *exhibet* τῶν ὑγιαινόντων *SS.Scripturæ* λόγων; *hanc potiùs, quàm aliam, materiam nunc temporis deligere, operæ pretium duximus. Hæc* κατ' ἐπιτομὴν *pangit præcipua Religionis Christianæ & Reformatæ capita. Hæc testimonium est* συμφωνίας *nostræ cum S.Scriptura, Confeßione Helvetica, aliisq; Confeßionibus Ecclesiarum,* γνησίως *reformatarum. Hanc vmbonis instar, opponimus Diotrephis,* τοῖς ἐξ ἐριθείας, *quibus volupe est, Ecclesiis nostris adspergere varias errorum, hæreseων ac blasphemiarum maculas; quas ruspantur paßim in scriptis particularibus, torquendo ea* ἀμαθέστερον *pro lubitu, insuper habitis Ecclesiarum nostrarum publicis Confeßionibus. Hæc denique* κειμήλιον *est* spirituale ac pretiosum *(quo elogio eam, beatiß. memoriæ Antecessor noster* D.Doct.Ioh.Iacobus Grynæus, *olim in frontispicio cohonestauit) non grandine, sed pondere & virtute æstimandum. Confeßio hæc primùm* διὰ μέλανος, *Ann. M D XXX. in Comitiis Augustanis exhibita: vt coæua sit decantatæ Confeßioni Augustanæ. Subinde, quinquennio nimirum post Reformationem Ecclesiæ nostræ, Ann. M D XXXIV. prælum primùm subiit, cusa semel, iterumq; recusa: diligenter tamen ex Originali archetypo adspersis marginalibus notis & glossis. Postea, nescio quâ versurâ, requiescentibus in Domino,* B.Oecolampadio, *fulgentißimâ Ecclesiæ nostræ lampade, eiusq; vti in* προεστασίᾳ *Ecclesiæ, ita in Doctrina Orthodoxa, fideli & constanti Successore,* Osvvaldo Myconio: *reiterata Germanica editio, inductis atque expunctis marginalibus notis, nudos, ac veluti exarmatos, & ab ingeniis* ἐριστικοῖς, *in variam partem, præsertim de S.Cœna, tortiles exhibuit articulos. Quos nunc placuit, decenti suâ, vti veritate, ita antiquitate, vestitos, omnium oculis, vt veteribus* ἀξιοπίστοις, *manuscripto partim, partim impreßis exemplaribus, optimè*

fide ſubjicere, & Studioſam Iuuentutem ad Theſauri huius, tanquam medulla totius Verbi Dei, diligentem ἐξέτασιν inuitare. Hinc diſtinximus quoque, peculiaribus διαστολαῖς, Diſputationum numerum ac ſeriem. Speramus, quod optamus, bonos & cordatos quoſque, ſuo nutu & adplauſu, optimo noſtro inſtituto fauituros. Deum verò pacis & veritatis oramus, vt cœlitùs affundat ſuam benedictionem, & præclarum hoc Confeſſionis, quàm de nouo iterùm expromimus, depoſitum, in Eccleſia & Academia Baſileenſi in temeratum proporrò conſeruet. Coniugimus vota noſtra pro Eccleſiarum Reformatarum, in Heluetia, Germania, Belgio, Gallia, M. Britannia, Polonia, Vngaria, Tranſyluania, alibiq́; locorum, ſub vexillo Crucis Euangelicæ, contra Satanam, Antichriſtum, eiuſq́; Satellites militantium, pace & tranquillitate. Det nobis omnibus benignus Deus, vt, τὸ ἓν φρονοῦντες, caueamus deinceps ab omni καινοδοξίας & ἑτεροδοξίας fermento, quo paſſim locorum, Satanæ quidèm eiuſq́; miniſtrorum aſtu, aſt Dei iuſto iudicio, turbantur & lacerantur Eccleſiæ. Cuſtodiamus τὴν καλὴν παρακαταθήκην per Spiritum S. qui idem nos quoque per fidem, quam, Maiorum ac Heroum noſtrorum Symbolo præſente, conteſſeramus atque ad poſteritatem noſtram gratulabundi tranſmittimus; ſuâ potentiâ cuſtodiat, ad ſalutem expectatiſſimam, & triumphum ex omnibus hoſtibus noſtris, in aduentu glorioſo, & reuelatione Filij Dei, Domini noſtri IESV CHRISTI. Amen. Perſcript. Baſileæ d. 17. Sept. Ann. Salutis reparat. M. DC. XLVII.

CONFES-

CONFESSIONIS BASILEENSIS

Articulus I.

DE DEO.

DE DEI NATVRA.

Symbolum commune.

CRedimus in DEVM PATREM, in DEVM FILIVM, in DEVM SPIRITVM SANCTVM, Sanctam Diuinam Trinitatem: tres Personas, & vnum æternum omnipotentem Deum, secundùm essentiam & substantiam; & non tres Deos. *

* *Probatur hoc ex multis locis totius Scripturæ Veteris & Noui Testamenti.*

DE CREATIONE ET PROVIDENTIA.

Credimus etiam, DEVM omnia creasse *a* per Verbum suum æternum *b*; id est, per suum vnigenitum Filium: & omnia sustentare ac vegetare *c* per Spiritum suum, id est, Virtute propria, ideóque Deum omnia *d*, sicuti creauit, prouidere & gubernare.

a *Gen.*1. *v.*1 *& seqq.* In principio creauit Deus cœlum & terram, &c.

b *Ioh.*1. *v.*3. Omnia per hunc *Sermonem* facta sunt, & absque eo factum est nihil, quod factum est.

c 1.*Chron* 29. *v.*11.12. Tua est, ô Iehova, magnitudo & potentia, & gloria, & æternitas, imò omnia in cœlo & in terra: tuum est, Iehoua, regnum, vt qui extollis te supra omnia in caput. Nam diuitiæ & gloria à facie tua sunt, & tu dominium habes in omnia: in manu tua vis & potentia, in manu, inquam, tua est, magnificare & corroborare rem quamlibet.

d *Actor.*2. *v.*23. Christum, definito illo consilio & præcognitione deditum, quum accepissetis, manibus sceleratis *cruci* affixum interemistis.

DE PRÆDESTINATIONE.

Hinc confitemur, DEVM, antè quàm Mundum creasset, eos omnes elegisse, quos hæreditate æternæ salutis donare vult. *e*

e *Rom.*8. *v.*29.30. Quos præsciuit, etiam prædestinauit: quos prædestinauit, eos etiam vocauit: quos vocauit, eos etiam iustificauit: quos autem iustificauit, eos etiam glorificauit. *Et cap.*9. *v.*11.12.13. Nondum natis pueris, quum nihil fecissent boni vel mali, vt præstitutum illud Dei, quod est secundùm ipsius electionem, id est, non ex operibus, sed ex vocante, firmum

maneret; dictum est ei: Maior seruiet minori. sicut scriptum est: Iacobum dilexi, Esauum autem odio habui. *Et cap.11. v.5.* Ita igitur & hoc tempore reseruatio secundùm electionem gratuitam facta est. *Et v.7.* Quod requirit Israël, hoc non est adeptus: sed electi adepti sunt, reliqui autem occalluerunt.

Ephes.1.v.4.5.6. Sicut elegit nos in ipso ante iactum Mundi fundamentum, vt simus sancti & inculpati in conspectu eius, cum charitate. Qui prædestinauit nos, quos adoptaret in filios, per Iesum Christum, in sese, pro beneuola voluntate sua; ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, quâ nos gratis sibi acceptos fecit in illo dilecto.

Articulus II.

DE HOMINE.

De Statu tum Innocentiæ, tum Miseriæ Hominis.

Confitemur, HOMINEM ab initio secundùm DEI imaginem *a*, iustitiam & sanctitatem *b* integrè factum. Est autem suâ sponte lapsus in peccatum *c*, per quem lapsum totum Humanum genus corruptum, damnationi obnoxium factum est *d*.

a *Gen.1.v.27.* Creauit Deus Hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit illos.

b *Ephes.4.v.24.* Induite nouum illum Hominem, qui secundùm Deum conditus est, ad iustitiam & sanctitatem veram.

c *Genes.3.v.6.* Vidit Mulier, quòd bona esset arbor ad vescendum, quódque desiderabilis esset oculis & concupiscibilis arbor ad intelligendum: & tulit de fructu ipsius, ac comedit, dedítque etiam Viro suo secum, & comedit.

d *Gen.5.v.3.* Vixit Adam 130. Ann. genuítque ad similitudinem suam, ad imaginem suam, *Filium*, & vocauit nomen eius Seth. *Rom.5. v.12.* Sicut per vnum Hominem peccatum in Mundum introiit, ac per peccatum Mors: & ita in omnes homines Mors peruasit, in quo omnes peccauerunt. *Et postea, v 15.* Vnius illius offensâ multi mortui sunt. *Et v 16.* κρίμα ἐξ ἑνὸς ἁμαρτήσαντος εἰς κατάκριμα. *Id est*, reatus *est*, ex vnius, qui peccauit, offensa, ad condemnationem. *Et v.17.* Per vnam illam offensam mors regnauit per illum vnum. *Et v.18.* δι' ἑνὸς παραπτώματος, εἰς πάντας ἀνθρώπους, εἰς κατάκριμα: per vnam offensam *reatus venit* in omnes homines ad condemnationem. *Et v 19.* Per illam inobedientiam vnius illius Hominis, peccatores constituti sunt multi. *1.Cor.15. v 21.22.* Quia per Hominem Mors, per Hominem quoque Resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. *Ephes.2.v 3.* Eramus natura filij iræ, vt etiam reliqui.

De Peccato originali, & seruo Hominis arbitrio.

Etiámque natura nostra vitiata est, ac in tantam propensionem ad peccandum deuenit *e*: vt nisi eadem per Spiritum Sanctum redintegretur *f*, Homo per se nihil boni faciat, nec velit *g*.

e *Gen.6.v 5.* Vidit Iehoua, quòd multa esset malitia Hominum in terra, & quòd omne figmentum & cogitationes Cordis eius, tantummodo malum esset omni die. *Et cap.8. v.21.* Omnis cogitatio cordis Hominis mala est à pueritia ipsius.

f *Ioan.3 v.5.6.* Respondit Iesus: Amen, amen, dico tibi, nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non potest introire in Regnum Dei. Quod genitum est ex Carne, Caro est: & quod genitum est ex Spiritu, Spiritus est.

g *Rom.*

g *Rom.3.v.10.11.12.* Scriptum est: Non est justus, ne vnus quidem; non est, qui intelligat, qui exquirat Deum: omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat, quod bonum est; non est vsque ad vnum. *Et postea v.23.* Omnes peccauerunt, ac deficiuntur gloria Dei. *Psalm.143.v.2.* Ne congrediaris iudicio cum seruo tuo: nam non esset iustus coram te vllus viuens. *Et v 10.* Doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus: Spiritus tuus bonus deducat me in terra recta. *Ephes.2.v.1.* Eratis mortui in offensis & peccatis. *v.2.* In quibus olim ambulastis, vt est vita Mundi huius, secundùm Principem, cui potestas est aëris, Spiritu ipsius nunc agente in hominibus contumacibus. *v.3.* Inter quos & nos omnes conuersati sumus olim, in cupiditatibus carnis nostræ, facientes, quæ Carni & cogitationibus libebant: eramusque naturâ filij iræ, vt & reliqui. *Et v.5.* Quum in offensis mortui essemus, vnà viuificauit nos cum Christo, *cuius* gratiâ seruati estis.

Articulus III.

DE CVRA DEI PRO NOBIS.

De φιλανθρωπίᾳ DEI erga lapsum genus Humanum.

Ac tametsi Homo per eundem lapsum damnationi obnoxius, & Dei inimicus factus sit *a*: Deus tamen curam generis Humani nunquam deposuit. Testantur hoc Patriarchæ *b*: Promissiones ante & post diluuium *c*: Lex item à Deo per Mosen lata, & Sancti Prophetæ.

a *Roman.5.v.16.* Reatus est ex vna offensa ad condemnationem. *& v.17.* Per vnam illam offensam Mors regnavit per illum vnum. *& v.18.* Per vnam offensam *reatus* venit in omnes homines ad condemnationem, *&c.*

b *Genes.12. v.1. & seqq. & cap.14. v.19.20. & 15. v.1.&c. & alibi commemoratur Dei paterna cura, ac varia benefitia, erga Abrahamum eiúsque familiam.*

c *Genes.3. vers.15.* Inimicitiam pono inter te & Mulierem hanc, & inter semen tuum, & Semen eius: ipsum conteret tibi caput, tu autem conteres ei calcaneum. *Et capit.21. vers.12.* In Isaac vocabitur tibi semen. *Et cap 26. v.3.4.* Tecum ero, & benedicam tibi: quia tibi & semini tuo dabo omnes regiones istas, & præstabo iuramentum illud, quod iuraui Abrahamo Patri tuo. Multiplicabo quoque semen tuum, sicut stellas cœli, dabóque semini tuo omnes regiones istas: & benedicentur in Semine tuo omnes gentes terræ. *& v 24.* Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, propter Abrahamum seruum meum. *Et cap.28. v.13.14.15.* Terram, in qua tu dormis, tibi dabo & semini tuo: eritque semen tuum, sicut puluis terræ. Multiplicaberis enim ad Occidentem, & ad Orientem, & ad Aquilonem, & ad Meridiem: & benedicentur in te omnes familiæ terræ, & in semine tuo. Et ecce ego tecum, & seruabo te, quocunque perrexeris, & reducam te ad terram istam; quia non deseram te, donec fecero, quod loquutus sum tibi.

Articulus IV.

DE CHRISTO VERO DEO, ET VERO HOMINE.

De CHRISTI Persona, Missione in hunc Mundum, & Incarnatione.

Credimus ac confitemur constanter, CHRISTVM nobis tempore ad hos

ordinato, secundùm promissionem Dei, à Patre datum *a*: ac ita æternum Dei Verbum, Carnem factum esse *b*: id est, hunc Filium Dei, Humanæ naturæ in vna Persona vnitum, * nostrum Fratrem factum *c*; quò nos per eum participes fieremus hæreditatis Dei *d*.

a *Matth.1.v* 20 21. Angelus Domini in somno apparuit *Iosepho*, dicens: Iosephe, fili Danidis, ne metue, accipere Mariam vxorem tuam. Nam quod in ea genitum est, ex Spiritu Sancto est. Pariet autem Filium, & vocabis nomen eius Iesum: Ipse enim liberabit populum suum ex peccatis ipsius *Luc.cap.2.v* 10.&c. Angelus dixit *Pastoribus*: Ne metuite. Ecce enim Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit toti populo: natum esse vobis hodie Seruatorem (qui est Christus Dominus) in vrbe Dauidis,&c.

b. *Ioan.1.v* 14. Et sermo ille factus est Caro, & commoratus est inter nos.

c *Philip.2.v* 6.7. *Christus*, quum esset in forma Dei non duxit *esse* rapinam, parem esse cum Deo: sed ipse sese inaniuit, formâ serui acceptâ, similis hominibus factus, & habitu inuentus vt Homo,&c.

d *Matth.6 v.8.* Nouit Pater ille vester, quibus sit vobis opus. *Item v.9.* Sic orate: Pater noster, qui es in cœlis. *Rom 8 v.15.16.17.* Accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba, *i.e.* Pater. Et ille ipse Spiritus testatur vnà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei, quòd si filij, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. *Hebr cap.2.v.*10.11. Decebat, vt ipse, propter quem *sunt* hæc omnia, multos filios in gloriam adducendo, Principem salutis ipsorum per perpessiones consummaret. Nam & sanctificans & sanctificati ex vno sunt omnes: quam ob causam non erubescit eos vocare fratres,&c.

Marginal. * Habemus vnum Patrem, nempe Deum in Christo.

De Redemptione per Christum peracta, in Statu humiliationis, vsque ad eiusdem à mortuis Resuscitationem.

Hunc IESVM CHRISTVM credimus conceptum à Spiritum Sancto, natum ex pura & intemerata Virgine Maria *e*; passum sub Pontio Pilato, crucifixum & mortuum *f* pro peccatis nostris: atque ita vnicâ sui ipsius oblatione, Deo, Patri nostro cœlesti, pro nostris & omnium fidelium peccatis satisfecisse, ac nos cum eo reconciliasse *g*: sicque morte suâ triumphum egisse & vicisse Mundum, Mortem & Inferos *h*. adhæc secundùm carnem sepultum, descendisse ad inferos, & tertiâ die resurrexisse à mortuis *i*.

e *Matth.1.v* 18. Iesu Christi natiuitas ita fuit. Quum Mater eius Maria desponsa esset Iosepho priusquam ipsi conuenissent, inuenta est grauida esse è Spiritu Sancto. *Et postea. v.* 20. Quod in ea genitum est, è Spiritu Sancto est. *Et v.23.* Ecce, Virgo erit grauida, & pariet Filium, & vocabis nomen eius Emmanuel. *Luc.1.v.35.* Angelus dixit *Mariæ*: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi inumbrabit te: propterea *id* etiam, quod nascetur ex sanctum, vocabitur Filius Dei. *Et cap 2.v.7.* Peperit igitur Filium suum primogenitum,&c.

f *Testantur omnes Euangelistæ.*

g *Matth.20.v.28.* Filius Hominis non venit, vt sibi ministretur, sed vt ministret, detque animam suam *in* redemptionis pretium pro multis. *Et cap.26. v.28.* Hoc (*poculum*) est sanguis meus Noui pacti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. *Roman 5 v 6.* 7.8.&c. Christus, quum nullis adhuc viribus essemus, præstituto tempore pro impiis mortuus est, &c. Commendat autem suam erga nos charitatem Deus, eò quòd quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit. *1 Cor.15. v* 3.4. Tradidi vobis in primis, quod accepi; Christum videlicet mortuum esse pro peccatis nostris, secundùm Scripturas: sepultum fuisse, & suscitatum tertiâ die, secundùm Scripturas. *1.Petr.2.v* 24. Qui peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore suo supra lignum illud, vt peccatis mortui, iustitiæ viueremus: cujus vibicibus sanati estis. *Hebr.9. v.14.15.* Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum

æternum

æternum seipsum obtulit inculpabilem Deo, emundabit conscientiam vestram ab operibus mortuis ad colendum Deum viuum? Itaque ob id Noui Mediator est, vt morte ad redemptionem earum transgressionum intercedente, quæ fuerant sub priore pacto, qui vocati erant, promissam æternam hæreditatem acciperent. *Et postea v.26. Christus* semel in consummatione seculorum, ad peccatum per immolationem sui ipsius è medio tollendum, factus est conspicuus. *Et v.28.* Ita & Christus semel oblatus, vt *in seipso* attolleret multorum peccata, secundò absque peccato conspicietur iis, qui ipsum exspectant ad salutem. *Et cap.10 v.10.* qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel *factam. Et v.12.* Hic (*Christus*) vnâ pro peccatis oblatâ in perpetuum victimâ, consedit ad dextram Dei. *Et v.14.* Vnicâ oblatione consummauit in perpetuum eos, qui sanctificantur. *Roman.6. v.10.* Quod mortuus est *Christus*, peccato mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. *1.Petr.3.v.18.* Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis: vt nos adduceret ad Deum, morte quidem affectus Carne, viuificatus autem Spiritu.

h *Iohan.16. v 11. Spiritus Sanctus arguet Mundum* de iudicio, eo quòd Princeps huius Mundi condemnatus sit. *Et v.33.* Confidite, ego vici Mundum: *Philip.2. v.9.10.11.* Deus *Christum* in summam extulit sublimitatem, ac largitus est ei nomen supra omne nomen: vt ad nomen Iesu omne genu *se* flectat, cœlestium ac terrestrium & subterraneorum; omnisque lingua profiteatur, Iesum Christum esse Dominum, ad gloriam Patris. *Col 2.v.14 15. Christus,* deleto, quod aduersum nos *erat*, rituum chirographo, quod, *inquam*, erat nobis subcontrarium, *ipse* verò cruci affixum sustulit è medio: *&* exspoliata imperia ac potestates traduxit palàm, triumphatis illis per eam.

i *1 Corinth.15. vers.4.* &c. *Christus* sepultus est & suscitatus tertiâ die secundùm Scripturas. *Et vers.14.* Si Christus non est suscitatus, vanum *est* præconium nostrum, vana autem *est* etiam fides vestra.

De Ascensione CHRISTI *in Cœlum, Sessione ad dexteram* DEI, *reditu ad iudicium, & emissione* SPIRITVS SANCTI.

His sufficienter comprobatis, (*credimus*,) ipsum corpore & anima in Cœlum ascendisse *k*, ibique sedere ad dextram, id est, in gloria, Dei Patris ipsius cœlestis. Inde venturum esse ad judicandum viuos & mortuos *l*. Præterea Discipulis suis, vt promisit, suum Sanctvm Spiritvm (in quem, sicut & in Patrem, & in Filium, credimus) misisse *m*.

k *Marc 16.v.19* Dominus postquam loquutus esset eis, sursum receptum est in cœlum, & sedit ad dexteram Dei. *Luc.24.v.51* Et factum est, vt dum ipse benediceret eis, disiunctus ab eis, sursùm ferretur in cœlum. *Actor.1 v.9.10.11.* Et quum hæc dixisset, aspicientibus ipsis, eleuatus est, & nubes susceptum eum abstulit ab oculis eorum. Et quum essent intentis in cœlum oculis, eo proficiscente, ecce Viri duo astiterunt illis albo vestitu; qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum: Hic Iesus, qui sursùm receptus est à vobis in cœlum, ita veniet, quemadmodum conspexistis eum proficiscentum in cœlum.

l *Matth.26. v.64.* Ab hoc tempore videbitis Filium Hominis sedentem ad dexteram potentiæ *Dei*, & venientem in nubibus cœli. *Ephes.1.v.20.21.22.* Quam *potentiam Deus* exeruit in Christo, suscitato eo ex mortuis, & *quem* collocauit ad dexteram suam in cœlis: longè supra omne imperium & autoritatem, & dominatum, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, verùm etiam in futuro, & omnia subiecit eius pedibus, eúmque constituit Caput super omnia ipsi Ecclesiæ, &c. *Coloss.3. v 1.* Si surrexistis cum Christo, superna quærite, vbi Christus est, sedens ad dexteram Dei. *Hebr.1. v.13.* Ad quem Angelorum dixit vnquam: Sede ad dexteram meam, vsque dum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum? *Et cap.10.v.12. Christus* vnâ pro peccatis oblatâ in perpetuum victimâ, concedit ad dexteram Dei. *Et cap.12. v.2.* Intuentes in fidei ducem ac consummatorem Iesum, qui pro sibi proposito gaudio tolerauit crucem, ignominiâ contemptâ, & ad dexteram throni Dei consedit.

m *Actor.2.v.1.& seqq.* [illegible] *& fusè describitur effusio Spiritus Sancti, primùm in Apostolos; dehinc, mediante ipsorum praconio, in alios.*

Articulus V.

DE ECCLESIA

De ECCLESIÆ natura, membris ac notis.

Credimus sanctam Christianam Ecclesiam, id est, Communionem Sanctorum, congregationem fidelium in Spiritu *a*; quæ Sancta & Sponsa Christi est *b*: in qua omnes illi Ciues sunt, qui confitentur, IESVM esse CHRISTVM *c*, Agnum Dei, tollentem peccatum Mundi *d*; atque eandem per opera charitatis demonstrant *e*.

a *Matth.16.v.18.* Ego dico tibi: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo meam Ecclesiam: & portæ inferorum non superabunt eam. *Ephes.1.v.22.23. Deus Christum* constituit Caput super omnia ipsi Ecclesiæ: quæ est Corpus ipsius, & complementum eius, qui omnia implet in omnibus. *Et cap.5.v 25.26.27.* Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea: vt eam sanctificaret, ab eo purificatam lauacro aquæ per verbum: vt sisteret eam sibi gloriosam, *id est*, Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed vt sit sancta & inculpata,

b *Iohan.3.v 29.* Qui habet Sponsam, Sponsus est: amicus autem Sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet, propter vocem Sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. *verba sunt Ioan. Baptistæ. 2.Cor.11. v.2.* Affecto vos Dei ardore. Aptaui enim vos, *quos* vni Viro (*vt* Virginem puram) sistam, *nempe* Christo.

c *Ephes.2 v.19.20.* Nempe igitur non ampliùs estis hospites & inquilini, sed conciues Sanctorum, & domestici Dei: superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, existente imo angulari lapide ipso Iesu Christo. *Hebr.12. v.22.23.* Accessistis ad montem Sion, & Ciuitatem Dei viui, Hierosolymam cœlestem, myriadas Angelorum, conuentum vniuersalem & concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis, & Iudicem vniuersorum Deum, & Spiritus iustorum consummatorum, &c.

d *Iohan.1.v.29.* Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum Mundi.

e *Gal.5.v.6.* In Christo Iesu valet fides, per charitatem operans.

De SACRAMENTIS Ecclesiæ.

In hac Ecclesia vsurpantur eadem Sacramenta, videlicet BAPTISMVS, in introitu ad Ecclesiam *f*; & COENA DOMINICA, suo tempore insequentis vitæ, ad testificandum fidem, & fraternam charitatem; sicut in Baptismo promissum est *g*.

f *Matth.3.v.11.* Ego quidem baptizo vos aquâ ad resipiscentiam: is verò, qui ponè me venit, validior me est: cuius non sum dignus, qui soleas portem. Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto & igne. *Et cap.28.v.19.* Profecti discipulos facite omnes gentes, baptizantes eos, in nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Actor.2.v.41.42* Qui ergo libenter receperunt sermonem eius (*Petri*), baptizati sunt: & additæ sunt *Ecclesiæ* die illo animæ quasi ter mille. *Et cap.16.v.15.* Quum Baptizata esset, (*Lydia purpurissa*) & domus eius, &c. *Et v.33. Ipse* verò ([illegible] *&c. Commentariensis*) illis (*Paulo & Silâ*) assumptis, eâ ipsa horâ noctis, lauit *eorum* plagas: & baptizatus est ipse, & omnes *domestici* illius ilicò. *Coloss.2.v.12.* Consepulti *estis Christo* per Baptismum; per quem etiam cum eo suscitati estis per fidem efficacis illius virtutis Dei, qui suscitauit eum ex mortuis.

g *Math.*

g *Matth.26.v.26.* Edentibus autem eis, Iesus, quum accepisset panem, & benedixisset, fregit eum, deditque Discipulis, & ait; Accipite, comedite; hoc est corpus meum. *v.27.* Et accepto poculo, ac gratiis actis, dedit eis, dicens; Bibite ex eo omnes. *v.28.* Hoc enim est sanguis meus Noui pacti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. *v.29.* Dico autem vobis; non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis, vsque ad diem illum, quum ipsum bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

Marc.14.v.22. Et edentibus ipsis, quum accepisset Iesus panem, & benedixisset, fregit, deditque eis, & ait; Accipite, edite: hoc est corpus meum. *v.23.* Et accepto poculo, quum gratias egisset, dedit eis: & biberunt ex eo omnes. *v.24.* Et dicit eis; Hoc est sanguis meus Noui illius pacti, qui pro multis effunditur. *v 25.* Amen dico vobis, non bibam ampliùs ex fructu vitis, vsque ad diem illum, quum ipsum bibam nouum in regno Dei.

Luc.22.v.19. Et acceptum panem, quum gratias egisset, fregit, & dedit eis, dicens; Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in mei commemorationem. *v.20.* Itidem etiam *dedit eis* poculum, postquam cœnasset, dicens; Hoc poculum *est* Novum illud pactum per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur.

1.Cor.11. v 23. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: Dominum Iesum, eâ nocte, quâ proditus est, accepisse panem: *v.24.* & gratiis actis fregisse, ac dixisse; Accipite, edite: hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur: hoc facite ad mei commemorationem. *v.25.* Itidem & poculum, postquam cœnasset, dicendo; Hoc poculum est Novum illud pactum per meum sanguinem: hoc facite, quotiescunque biberitis, ad mei commemorationem. *v.26.* Quotiescunque enim edederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiatis, vsque quò venerit.

De Pace Ecclesiæ, & conseruanda eius Vnitate contra Sectas.

CHRISTI Ecclesia omnem operam impendit, vt vincula pacis & dilectionis in vnitate tueatur *h*. ideóque cùm Sectis & Ordinum regulis, ad discrimen dierum, ciborum, vestium & cæremoniarum, compositjs, nullo modo communicat.

h *Roman.12. v.9.* Charitas *esto* minimè simulata. *Estote* abhorrentes à malo, agglutinati bono. *v.10.* Fraternâ charitate alij ad alios amandos propensi: honore alij aliis præeuntes. *Iohan.15.v 12.* Hoc est præceptum illud meum, vt diligatis alij alios, prout dilexi vos. *Et v.* 17. Hæc præcipio vobis, vt diligatis alij alios. *1 Iohan.3. v 11.* Hæc est denuntiatio, quam audiuistis à principio, vt diligamus alij alios. *Et v.* 14. Nos scimus, nos translatos esse ex morte ad vitam, quia diligimus fratres: qui non diligit fratrem, manet in morte, &c. *Et v.* 16. Per hoc nouimus charitatem Dei, quòd ille animam suam pro nobis posuit: nos igitur debemus pro fratribus animas ponere. *Et v.23.* Hoc est eius (*Dei*) præceptum, vt credamus nomini Filij eius Iesu Christi, & diligamus alij alios, sicut præcepit nobis. *Et cap.4.v.7.* Dilecti, diligamus alij alios. Nam charitas ex Deo est: quisquis diligit, ex Deo natus est, & nouit Deum. *v.8* Qui non diligit, non nouit Deum. Nam Deus est charitas. *Et v.20.* Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem vidit, Deum, quem non vidit, quomodo potest diligere? *v.21.* Et hoc præceptum habemus ab eo, vt, qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

Articulus VI.

DE COENA DOMINI.

De SACRÆ COENÆ *Institutione.*

Confitemur, DOMINVM IESVM SANCTAM suam COENAM

instituisse, ad memorandam sanctam suam passionem, cum gratiarum actione *a*; atque ad testificandam Christianam charitatem, cum vera fide *b*.

a *Luc.22.v.19.* Et acceptum panem, quum gratias egisset, fregit & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in mei commemorationem. *1.Corinth.11. v.23. & seqq. Videantur testimonia hæc superiùs recitata, pag.11. lit. g unà cum reliquorum Euangelistarum narratione de Institutione S.Cœnæ.*

b. *1.Corinth.10 vers.16.* Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio Sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? *v.17.* Quoniam vnus est Panis, vnum Corpus nos illi multi sumus; nam omnes ex vno illo Pane participamus.

De SACRÆ COENÆ Dispensatione per collationem cum BAPTISMO.

* Et sicut in BAPTISMO (in quo nobis ablutio à peccatis, quæ tamen à solo PATRE, FILIO & SPIRITV SANCTO perficitur, per Ministrum offertur) vera Aqua manet: ita etiam in COENA DOMINI (in qua nobis, cum Pane & Vino Cœnæ, conjunctis Verbis Cœnæ, verum Corpus & verus Sanguis CHRISTI, per Ministrum Ecclesiæ præfiguratur & offertur) Panis & Vinum manet.

Marginal * Firmum simile contrà Aduersarios veritatis.

De SACRÆ COENÆ Communione.

Credimus autem firmiter, ipsummet CHRISTVM cibum esse *c* credentium, * animarum ad vitam æternam; & nostras animas, per veram fidem in crucifixum CHRISTVM, Carne & Sanguine CHRISTI cibari & potari **: ita vt nos, Corporis ipsius, tanquam vnici nostri Capitis, membra, in eo; & ipse in nobis viuat *d*: qui in nouissimo die, per eum & in eo, in æternum gaudium & beatitudinem resurgemus. *e*

c *Ioan 6 v.35* Ego sum Panis ille vitæ, qui venit ad me, nequaquam esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam. *Et v 47.* Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. *v 48* Ego sum Panis ille vitæ. *Et v 50.* Hic est Panis ille, qui è cœlo descendit, vt qui edit ex eo, non moriatur. *v 51.* Ego sum Panis ille viuus, qui è cœlo descendi: si quis ederit ex hoc Pane, viuet in æternum. Panis autem, quem ego dabo, Caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. *Et v.53.* Dixit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, nisi ederitis Carnem Filij Hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *vers.54.* Qui edit Carnem meam, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam: & ego suscitabo ipsum in vltimo illo die. *v.55.* Caro enim mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus. *v.56.* Qui edit meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo. *v 57.* Sicut misit me viuens ille Pater, & ego viuo per Patrem: ita etiam, qui ederit me, viuet ipse quoque per me. *v 58.* Hic est Panis ille, qui de cœlo descendit: non prout comederunt Patres vestri manna, & mortui sunt: qui ederit hunc Panem, viuet in æternum.

d *Ephes 1.v 22. Deus* omnia subjecit eius (*Christi*) pedibus, eúmque constituit Caput super omnia ipsi Ecclesiæ; *v 23* quæ est Corpus ipsius, & complementum eius, qui omnia implet in omnibus. *Et cap.4. v 15.* Sincerè nos gerentes cum charitate, prorsus adolescamus in eum, qui est Caput, *nempe* Christus. *Et cap.5. v.23.* Vir est caput Vxoris, vt & Christus est Caput Ecclesiæ: & is est, qui salutem dat Corpori. *Coloss.1.v.18. Christus* est Caput corporis, *id est*, Ecclesiæ: estque *etiam* principium & primogenitus ex mortuis, vt inter omnes primas teneat. *v.19.* Quoniam libuit *Patri*, vt omnis plenitudo in eo habitaret.

e. *Iohan.*

e. *Ioan.*11. *v.*25. Dicit ei (*Marthæ*) Iesus. Ego sum resurrectio & vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet : *v.*26. Et quisquis viuit, & credit in me, non morietur in æternum.

Marginalia * Spiritualis namque cibus est ; ideóque fideli animâ percipi necesse habet.
** Id est, animæ saturæ, fortes, potentes, pace & tranquillitate fruentes, hilares & ad omnia alacres, redduntur ; sicut à corporali cibo corpus : itaque Homo spirituale membrum, spiritualis Corporis Christi, efficitur.

De Præsentia Christi in S. Cœna.

Ideò confitemur, CHRISTVM in sua SACRA COENA, omnibus verè credentibus præsentem esse. *

Marginal. * Sacramentaliter nimirum, & per memorationem fidei : quæ Hominis mentem in cœlum attollit; nec Christum, secundum Humanitatem, à Dextra Dei detrahit.

De Erroribus circa S. Cœnam : ac nominatim, de Ενaρτώσει, seu Impanatione Corporis Christi.

Non includimus autem naturale, verum & substantiale corpus CHRISTI, ex pura Virgine natum, pro nobis passum, & quod in Cœlum ascendit *f*, in DOMINI Panem & Vinum.

f *Act.*1. *vers.*9. Et quum hæc dixisset (*Iesus*,) aspicientibus ipsis, (*Apostolis*) eleuatus est: & nubes susceptum eum abstulit ab oculis eorum, *vers.*10. Et ipsi, eo proficiscente, intentis erant in cœlum oculis. *Et c.*3. *v.*21. Quem oportet cœli capiant vsque ad tempora restitutionis omnium. *Et c.*7. *v.*55. Quum autem esset (*Stephanus*) plenus Spiritu Sancto, intentis in cœlum oculis, vidit gloriam Dei, & Iesum adstantem ad dextram Dei. *vers.*56. Et ait: Ecce conspicio cœlos apertos, & Filium illum Hominis adstantem ad dextram Dei. *Coloss.* 3. *vers.*1.2. Si resurrexistis cum Christo, superna quærite, vbi Christus est, ad dextram Dei sedens. *v.*2. Superna satagite, non terrestria. *Hebr.*1. *v* 3. *Christus* purificatione peccatorum nostrorum, per seipsum factâ, sedit ad dextram Maiestatis illius ἐν ὑψηλοῖς, in *locis* excelsissimis. *Et cap.*10. *v.*19. Habemus, Fratres, libertatem ingrediendi Sacrarium, *id est, cœlum*, per sanguinem Iesu : *v.*20. eâ viâ, quam dedicauit nobis recentem & viuam, per velum, hoc est, per Carnem suam.

De Adoratione Christi in Signis S. Cœnæ.

Itaque nec adoramus CHRISTVM in Signis Panis & Vini ; quæ communiter Sacramenta Corporis & Sanguinis CHRISTI vocamus : sed in cœlis ad Dextram DEI PATRIS, vnde venturus est ad iudicandum viuos & mortuos *g*.

g. 2. *Timoth.*4. *v.*1. Obtestor *te* ego in conspectu Dei & Domini Iesu Christi, qui iudicaturus est viuos & mortuos in illustri illo suo aduentu, & regno suo.

Articulus VII.

DE VSV EXCOMMVNICATIONIS.

De potestate, fine, vsu & exercitio Excommunicationis.

Enimvero, quoniam zizania sese Ecclesiæ CHRISTI immiscent: etiam CHRISTVS suæ Ecclesiæ potestatem dedit, zizania huiusmodi, si quando illa se, per intolerabilia scelera & peccata, contra Domini præcepta, exerant, auerruncandi *a*: quò Ecclesia speciem suam, quantum fieri potest, sine macula retineat. Qua de causa nos EXCOMMVNICATIONIS vsum in Ecclesia nostra retinemus.

a *Matth.*18. *v.*15. Si verò peccauerit in te Frater tuus, ito & argue eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es Fratrem tuum, *v.*16. Si verò te non audierit, assume tecum adhuc vnum aut duos: vt ex ore duorum aut trium stabile sit omne verbum. *v.* 17. Quòd si neglexerit eos audire, dic Ecclesiæ: quòd si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi, velut qui *est* ethnicus & publicanus. *v.*18. Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata in cœlo: & quæcunque solueritis in terra, erunt soluta in cœlo, 1.*Cor.*5.*v.*3. Enimverò ego, vt absens corpore, præsens autem Spiritu, iam vt præsens iudicaui, vt is, qui hoc ita perpetrauit, (*incestuosus nempè, cuius fit mentio*, *v.*1.) *v.* 4. vobis & meo Spiritu, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis, cum potestate Domini nostri Iesu Christi: *v.*5. eiusmodi, *inquam, Homo* tradatur Satanæ, ad interitum Carnis, vt Spiritus saluus sit die illo Domini Iesu. 2.*Thess.*3. *v.*6. Denunciamus vobis, Fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subducatis vos ab omni Fratre, qui inordinatè ambulat, & non ex tradita doctrina, quam accepit à nobis. *Et v.*14. Quòd si quis non auscultat nostro per epistolam sermoni, hunc notate: & ne commercium habete cum eo, vt erubescat. 1.*Tim.*1. *v.*19. Retine fidem & bonam conscientiam, quâ expulsâ, nonnulli naufragium fecerunt. *v.* 20. ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt castigati discant non blasphemare.

Non autem excommunicat Ecclesia Christi, nisi emendationis gratiâ. Quapropter etiam excommunicatos, posteaquàm à scandalosa vita sua destiterint, seséque emendarint, cum gaudio in gratiam recipit *b*.

b 2.*Corinth.*2. *v.*6. Sufficit istiusmodi *Homini* (*qualis fuit incestuosus*, 1.*Cor.*5. *v.*1.) ista increpatiò, à pluribus *profecta*. *v.*7. Vt è contrario potiùs aliquid *ei* condonetis, cùmque consolemini, ne quo modo redundanti tristitia absorbeatur *Vir* huiusmodi. *v.*8. Quapropter precor vos, vt ratam faciatis in illum charitatem. *v.*9. Nam in hunc finem etiam scripsi, vt cognoscerem probationem vestri, *id est*, an ad omnia obedientes sitis. *v.*10. Cui verò quidpiam condonatis, & ego *condono*. Nam & ego, si quid condonaui, cui condonaui, propter vos *id feci*, in conspectu Christi, vt ne superemur à Satana. *v.*11. Non enim illius machinationes ignoramus. 1.*Timoth.*1. *v.*20. Hymenæum & Alexandrum tradidi Satanæ, vt castigati discant non blasphemare.

ARTICV-

Articulus VIII.

DE MAGISTRATV.

De Magistratus Potestate, à Deo ordinata, & Officio, ad Dei gloriam, & Hominum salutem, administrando.

Præterea DEVS MAGISTRATVI, Ministro suo, gladium, & summam externam potestatem, Bonis ad defensionem; Malis ad vindictam & pœnam delegauit *a*. Quidlibet igitur CHRISTIANVS MAGISTRATVS, (in quorum numero & nos esse cupimus) omnes vires eò dirigere debet: vt apud fidei suæ commissos, Nomen DEI sanctificetur, Regnum ipsius propagetur, ipsiúsque voluntati, cum seria extirpatione scelerum viuatur. *

a *Rom.*13. *v.*1. Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta esto. Non enim est potestas, nisi à Deo, & quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinatæ. *v.*2. Itaque quisquis *se* opponit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi condemnationem adferent. *v.*3. Nam Magistratus non sunt terrori bonis operibus, sed malis. Vis autem non terreri potestate, quod bonum est, facito, & laudem ab ipsa obtinebis. *v.*4. Dei enim Minister est, tuo bono. Quòd si feceris, quod malum est, metue: non enim frustrà gladium gerit. Nam Dei Minister est, vltor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit. 1. *Petr.*2. *v.*13. Subiecti estote cuiuis humanæ ordinationi, propter Dominum: siue Regi, vt supereminenti: *v.*14. siue Præsidibus, vt qui per eum mittantur: tum ad vltionem facinorosorum, tum ad laudem benè agentium. *v.*15. Quoniam ita est voluntas Dei, vt benè agendo, os obstruatis insipientium Hominum ignorantiæ. *v.*16. vt liberi, ac non veluti malitiæ velamen habentes libertatem, sed vt servi Dei. *Et v.*17. Deum timete, Regem honorate.

Marginal. * Hoc officium Magistratui quoque Gentili semper iniunctum fuit: quantò magis Christiano Magistratui commendatum esse debet, vt vero Dei vicario?

Articulus IX.

DE FIDE ET OPERIBVS.

De Iustificatione nostra coram Deo, ac nominatim Remissione peccatorum, per Fidem: oppositè, ad Iustificationem ex Operibus.

Confitemur Remissionem peccatorum per Fidem in IESVM CHRISTVM crucifixum *a*. Et quamuis hæc Fides per Opera charitatis, se sine intermissione exercet, exerit, atque ita probatur: attamen iustitiam & satisfactionem pro peccatis nostris, non tribuimus Operibus, quæ Fidei fructus sunt; sed tantùm veræ fiduciæ & fidei, in effusum sanguinem AGNI DEI *b*.

a *Matth.*20. *v.*28. Filius Hominis non venit, vt sibi ministretur, sed vt ministret, détque

animam suam *in* redemptionis pretium pro multis. *Repetuntur eadem verba*, *Marc.*10. *v.*45. *Postea v.*52. Iesus dixit ei (*cæco.*) Abi: fides tua te seruauit. *Luc.*7. *v.*48. Dixit *Iesus Mulieri:* Remissa sunt tibi peccata. *Et v.*50. Dixit ad mulierem illam: Fides tua te seruauit: vade cum pace. *Iohan.*3 *v.*15. Quisquis credit in eum (*Christum filium Hominis*, *v.*14.) non pereat, sed habet vitam æternam. *v* 16. Ita enim Deus dilexit Mundum, vt Filium suum, vnigenitum illum, dederit, vt, quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, *Et v.*36. Qui credit in Filium habet vitam æternam, &c. *Et cap.*5. *vers.*24. Amen, amen, dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transiuit à morte in vitam. *Et cap* 6. *vers.*28. Dixerunt *Iudæi* ad *Christum*: Quid faciemus, vt operemur operibus Dei? *vers.*29. Respondit Iesus & dixit eis: Hoc est illud opus Dei, vt credatis in *eum*, quem ille misit. *Et vers.*35. Qui credit in me, *panem illum vitæ*, non sitiet vnquam. *Et vers.*40. Hæc est voluntas eius, qui misit me, vt quisquis conspicit Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & suscitem ipsum ego vltimo illo die. *Et v.*47. Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. *Roman.*3 *v* 21.22. Iustitia Dei patefacta est absque Lege, (*scil in Euangelio*) iustitia, inquam, Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes, qui credunt. *Et v.*24. Iustificamur gratis, *id est*, eius gratiâ, per redemptionem factam in Iesu Christo. *v* 25. Quem proposuit Deus placamentum per fidem, in sanguine ipsius, ad demonstrationem iustitiæ suæ, prætereundo peccata, quæ antecesserunt, in *illa* Dei tolerantia: *v.*26. ad demonstrationem iustitiæ suæ, præsenti tempore: vt sit ipse iustus & iustificans eum qui *est* ex fide Iesu, *v.*27. Vbi igitur gloriatio? exclusa est. Per quam legem? Operum? Non: sed per legem *Fidei. v.*28. Colligimus igitur, fide iustificari Hominem, absque operibus Legis. *Eadem doctrina exemplo Abrahami, Patris credentium, vrgetur toto sequente Capite* 4. *Et cap.*10. *v.*4 Finis Legis est Christus, ad iustitiam cuiuis credenti, *v.*5. Moses enim describit iustitiam, quæ est ex Lege, *dicens*: qui præstiterit ea, viuet per illa. *v.*6. At quæ ex Fide est iustitia, ita dicit: Ne dixeris in corde tuo; quis ascendet in cœlum? hoc est, Christum ex alto deducere. *v.*7. aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum ex mortuis reducere. *v* 8. Sed quid dicit? Prope te verbum est in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est verbum illud fidei, quod prædicamus. *v.*9. *Nempe*, si professus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus eum suscitauit ex mortuis, seruaberis. *v.*10. Nam corde creditur ad iustitiam, fit autem ore confessio ad salutem, *v.*11. Dicit enim Scriptura: Quisquis credit in eum, non pudefiet. *Gal.*2. *v.*16. Scientes, non iustificari Hominem ex operibus Legis, sed per fidem Iesu Christi. Etiam nos in Christum Iesum credidimus, vt iustificaremur ex fide Christi. & non ex operibus Legis: propterea, quòd non iustificabitur ex operibus Legis vlla caro. *Sic vbique.*

b *Roman.*3. *v.*27.28. *Vide in paragrapho præcedente lit a. Gal* 2 *v* 16. *Vide ibid Et v* 21. Si per Legem est iustitia, igitur Christus sine causa mortuus est. *Ephes.*2. *v* 8. Gratiâ eo estis seruati per fidem: (& hoc non ex vobis, Dei donum est.) *v.*9. non ex operibus, vt ne quis glorietur. *Et v.*13. Qui procul eratis, propinqui facti estis, per sanguinem Christi. *v.*14. Ipse enim est pax nostra, qui septum, *id est*, inimicitias soluit in carne sua, *v* 16. nosque reconciliauit Deo per crucem, peremptis inimicitiis per eam.

De iustitia vera ac sola, quâ iustificamur, quæ est non nisi in Christo.

Ingenuè enim profitemur, nobis in CHRISTO, qui est nostra iustitia, sanctitas, redemptio, via, veritas, sapientia & vita, omnia dono data esse *c*.

c 1.*Corinth.*1. *v* 30. Christus Iesus factus est nobis sapientia à Deo, iustitiáque & sanctificatio & redemptio, *v.*31. Vt *fiat* sicut scriptum est; Qui gloriatur, in Domino gloriatur. *Iohan.*14. *v.*6. Dicit ei (*Thomæ*) Iesus: Ego sum via illa, veritas & vita illa. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. *Rom.*8. *v.*32. Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; quomodo non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur?

De operum bonorum fine & vſu.

Fiunt itaque Opera fidelium, non vt ſatisfaciant pro peccatis ſuis : ſed ſolummodò, vt his DEO DOMINO noſtro, pro maximis beneficiis, nobis in CHRISTO exhibitis, ſe aliquo modo gratos eſſe declarent *d*. *

d *Eph 2. v 9. 10.* Non ex operibus *ſeruati eſtis*, vt ne quis glorietur. Nam ipſius ſumus opus, conditi in Chriſto Ieſu ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in iis ambulemus.

Marginal. * Gratitudo conſiſtit in remuneratione acceptorum beneficiorum. Deo autem nihil rependi poteſt : quia nullius indiget. Reſpicimus ergò in ea, quæ à nobis requirit. Hæc ſunt Fides & opera Charitatis : Fidem poſtulat ſibi ipſi ; Charitatem proximo.

Articulus X.

DE NOVISSIMO DIE.

De Nouiſſimæ diei IVDICIO, connexâ RESVRRECTIONE MORTVORVM, eorumdemq́ æterna partim Felicitate, partim Condemnatione.

Credimus VLTIMVM IVDICIVM fore: in quo Caro noſtra reſurget, & quilibet, prout in hac vita egit, à CHRISTO Iudice recipiet *a* : videlicet, Vitam æternam, ſi ex vera fide, ſincera dilectione, fructus fidei, qui ſunt opera iuſtitiæ, edidit ; & æternum Ignem ; ſi abſque fide, ſine charitate, bonum * vel malum patrauit *b*.

a *Matth 24 v 30.* Tunc apparebit ſignum Filij hominis in cœlo, & tunc omnes tribus terræ plangent, & videbunt Filium Hominis venientem in nubibus cœli, cum potentia & gloria multa. &c. *Et c. 25 v 31.* Quum autem venerit Filius hominis cum gloria ſua, & omnes ſancti Angeli cum eo, tunc ſedebit in throno gloriæ ſuæ. *v. 32.* Et congregabuntur coram eo omnes Gentes, & ſeparabit eos, alios ab aliis ; vt Paſtor ſeparat oues ab hœdis. *v. 33.* Et ſtatuet oues quidem, ad dexteram ſuam ; hædos autem ad ſiniſtram. v. 34. Tunc dicet Rex iis, qui ad dextram ipſius *erunt* : Adeſte benedicti Patris mei, poſſidete Regnum, paratum vobis à iacto Mundi fundamento. *v 35* Eſuriui enim, & dediſtis mihi, quod ederim : ſitiui, & dediſtis mihi potum : peregrinus eram, & collegiſtis me: *v. 36* nudus & amiciuiſtis me: ægrotus, & inuiſiſtis me : in carcere eram, & veniſtis ad me. *verſ 37.* Tunc reſpondebunt ei iuſti, dicentes : Domine, quando te vidimus eſurientem, & aluimus ? aut ſitientem, & dedimus tibi potum? *v 38.* Quando autem te vidimus peregrinum, & collegimus te ? aut nudum, & amiciuimus? *v 36.* aut, quando te vidimus ægrotum, aut in carcere ; & venimus ad te ? *v. 40.* Et reſpondens Rex dicet eis : Amen, dico vobis, quatenus id feciſtis vni ex iſtis fratribus meis minimis, mihi feciſtis *v 41.* Tunc dicet etiam iis, qui ad ſiniſtram *erunt* : Execrandi, abite à me, in ignem illum æternum, paratum Diabolo & Angelis eius. *verſ. 42.* Eſuriui enim, & non dediſtis mihi, *quod* ederem : ſitiui, & non dediſtis mihi potum : *verſ. 43.* peregrinus eram, & non collegiſtis me : nudus, & non amiciuiſtis me : ægrotus & in carcere *eram*, & non inuiſiſtis me. *verſ. 44.* Tunc ipſi quoque reſpondebunt ei, dicentes : Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut peregrinum, aut nudum, aut ægrotum, aut in carcere : & non miniſtrauimus tibi ? *v. 45.* Tunc reſpondebit eis, dicens : Amen, dico vobis, quatenus *id* non feciſtis vni ex iſtis minimis, nec mihi feciſtis. *v. 46.* & abibunt iſti in ſupplicium æternum : Iuſti verò ad vitam æternam. *2. Tim. 4. v. 1.* Obteſtor te, in conſpectu Dei, &

Domini Iesu Christi, qui iudicaturus est viuos & mortuos, in illustri suo aduentu, & regno suo. *Et v.*8. Quod reliquum est, reposita mihi est iustitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, iustus Iudex, non solùm autem mihi, sed & omnibus, qui expetiverint illum ipsius adventum.

b *Roman.*2.*v.*5. Sed pro duritia tua & corde, quod resipiscere nescit, thesaurizas tibi ipsi iram, in diem iræ & patefactionis iusti iudicij Dei: *v.*6. Qui reddet vniquique secundùm opera ipsius: *v.*7. iis quidem, qui, secundùm patientem exspectationem, quærunt boni operis gloriam & honorem, & immortalitatem, vitam æternam. *v.*8 Litigiosis verò, & veritati quidem non obedientibus, obedientibus autem iniustitiæ, *erit* excandescentia & ira. *v.*9. afflictio, *inquam, erit* & angustia aduersùm omnem animam Hominis, perpetrantis malum, tum Iudæi inprimis, tum etiam Græci. *v* 10. gloria verò, & honor, & pax *erit* cuiuis operanti bonum, tum Iudæo inprimis, tum & Græco, &c. 2.*Cor.*5 *v.*10. Omnes nos comparere oportet coram tribunali Christi, vt vnusquisque reportet, quæ in corpore *fecerit* congruenter ad id, quod fecerit, siue bonum, siue malum.

Marginal. * Bonum, intellige, secundùm iudicium & opinionem hominum.

Articulus XI.

DE PRÆCEPTIS ET NON PRÆCEPTIS.

De Αὐτονομίᾳ, *siue Imperio, in Conscientias, soli* CHRISTO *in Ecclesia relinquendo.*

Confitemur, quòd, quemadmodum nemo mandare potest ea, quæ CHRISTVS non mandauit: ita etiã nemo prohibere possit, quæ ipse non prohibuit *a*.

a *Scriptum est enim*: Ipsum audite. *Matth.*17 *v.*5. *Luc.*9.*v.*35. Vox extitit è nube, dicens: Hic est Filius ille meus dilectus, ipsum audite. *Deut.*18.*v.*18. Prophetam suscitabo illis de medio fratrum suorum, sicut tu, & ponam verba mea in ore eius, & loquetur eis omnia, quæ præcepero illi. *v.*19 Erit autem, quicunque non audierit verba mea, quæ loquetur in nomine meo, ego requiram ab eo. *Act.*7.*v* 37 Hic est Moses ille, qui dixit filiis Israël, Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester è fratribus vestris, sicut me: ipsum audietis.

De inanitate Præceptorum Pontificiorum, ac, nominatim de Confessione auriculari, Ieiunio quadragesimali, & festis Pontificiis.

Ob hanc causam nos Auricularem confessionem, Ieiunium quadragesimale, Sanctorum ferias, & quæ eius generis ab hominibus exorta sunt, pro non præceptis habemus.

De Interdictorum Pontificiorum ac nominatim, de Cœlibatu Sacerdotum

Sicut contrà, Ministrorum matrimonium non prohibitum, scimus.

De illicitis Permissionibus Papanis, atque in specie, de Cultu religioso Sanctorum; & de fabrica & cultu Imaginum.

Et adhuc multò minùs permittere quisquam potest, quod Deus prohibuit *.

Itaque

Itaque cultum & inuocationem demortuorum Sanctorum **, venerationem & exstructionem Imaginum, & id genus, improbamus.

Marginal. Deus dixit: *Ego Iehoua Deus vester. Leu.18.v.2. & Deut.10.v.17. Iehoua, Deus vester, & Deus Deorum, & Dominus Dominorum, Deus magnus, fortis & terribilis, &c.* Quis igitur inter ipsius creaturas concedere posset, quæ ipse prohibuit?

** Sanctos alioqui fatemur coram Deo esse, & cum Christo regnare in æternum; propterea, quòd Christum agnouerunt, & tum operibus, tum verbis, confessi sunt, esse suum Saluatorem, redemptionem & iustitiam, sine vllo humani meriti additamento. Hinc laudamus & commendamus ipsos, tanquam eos, qui gratiam à Deo consecuti, & iam hæredes Regni æterni facti sunt: hoc tamen omne ad gloriam Dei & Christi referentes.

De licitis Interdictis Papanis, atque, in specie, de carnium esu.

Et rursus interdicere nemo potest, quæ DEVS concessit. Cibis itaque cum gratiarum actione vti, nullo modo interdictum existimamus *b*.

b 1.*Timoth.4.v.1.* Spiritus autem disertè dicit, fore, vt posterioribus temporibus descifcant quidam à fide, attenti Spiritibus deceptoribus ac doctrinis Dæmoniorum, *v.2* per hypocrisin falsiloquorum, quorum conscientia cauterio resecta est: *v 3.* prohibentium contrahere matrimonium, *iubentium* abstinere à cibis, quos Deus condidit, ad participandum cum gratiarum actione, fidelibus, & iis, qui norunt veritatem. *v.4* Nam quicquid condidit Deus, bonum *est*, nec quicquam rejiciendum est, si cum gratiarum actione sumatur. *v.5.* Sanctificatur enim per verbum Dei & preces.

Articulus IX.

CONTRA ERRORES ANABAPTISTARVM.

De PÆDOBAPTISMO in specie.

Clarè protestamur, nos peregrinas & erroneas doctrinas, quas turbarum Spiritus inter alias damnatas & prauas opiniones proferunt, rejicere & damnare, vt quum dicunt: Infantes (quos nos, iuxta Apostolorum & primitiuæ Ecclesiæ consuetudinem *a*, & ex eo, quòd Baptismus loco Circumcisionis est *b*, baptizari facimus) minimè baptizandos esse.

a *Actor.2.v.38.* Petrus ait: Resipiscite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomen Iesu Christi, in remissionem peccatorum: & accipietis donum Spiritus Sancti. *v.39.* Vobis enim *facta est* promissio, & liberis vestris, & omnibus longè pòst futuris, quoscunque videlicet aduocauerit Dominus Deus noster. *Et cap.16.v.33. Ipse* verò (*Commentariensis in vrbe Philipp.*) illis assumptis eâ ipsâ horâ noctis, lauit *eorum* plagas: & baptizatus est ipse, & omnes *domestici* illius ilicò. 1.*Cor.1.v.16.* Baptizaui (*ait Paulus*) etiam Stephani familiam.

b *Col.2 v.11.* In quo (*Christo*) circumcisi estis circumcisione, quæ fit sine manibus, exuendo corpus peccatorum carnis per circumcisionem Christi: *v. 12.* & consepulti per Baptismum, per quem etiam cum eo suscitati estis, & per fidem efficacis illius virtutis Dei, qui suscitavit eum ex mortuis, &c.

OBSERV. *Allegata & exscripta hæc testimonia, in Germanicis exemplaribus, vel m.s. vel impressis non extant. Quia tamen olim Latinæ editioni adscripta fuêre in margine, & Pædobaptismo confirmando inseruiunt, eradere noluimus.*

De IVREIVRANDO Christianorum.

In nullo item casu jurandum esse; etsi gloria DEI, & charitas Proximi, id requirant. *

Marginal. * Suo tempore iuramento vti licet. Deus enim ius hoc in Veteri Testamento; & in Nouo Christus non prohibuit; imò Christus & Apostoli ipsi iurarunt.

De MAGISTRATV Christiano.

Et MAGISTRATVS CHRISTIANOS esse non posse. *

Marginal. *. Magistratus tum bonum Magistrum agit, quando verè Christianus est.

De reliquis Anabaptistarum fanaticis erroribus, in genere.

Cum omnibus aliis doctrinis, quæ sanæ & puræ doctrinæ IESV CHRISTI aduersantur è diametro, non solùm non recipere; sed, vt abominationes & blasphemias, rejicere & damnare.

De Colophone CONFESSIONIS BASILEENSIS, quam non nisi SCRIPTVRÆ SACRÆ, tanquam vnicæ & perfectæ Fidei regulæ, Iudicio submittimus: cum pollicitatione emendationis, si, quocunque in Articulo eam ἀντίγραφον esse, demonstratum fuerit.

Postremò, hanc nostram CONFESSIONEM Iudicio SACRÆ BIBLICÆ SCRIPTVRÆ subiicimus: eóque pollicemur, si ex prędictis Scripturis in melioribus instituamur; nos omni tempore DEO & SACROSANCTO IPSIVS VERBO, maxima cùm gratiarum actione, obsecuturos esse.

Οὐκ ἐν τῷ μέγα τὸ εὖ, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα.

REGI SECVLORVM INCORRVPTIBILI, IMMORTALI, INVISIBILI, SOLI SAPIENTI DEO PATRI, FILIO ET SPIRITV SANCTO SIT HONOR ET GLORIA IN SECVLA SECVLORVM. AMEN.

IVDI-

IVDICIVM SYNODI NATIONALIS

REFORMATARVM ECCLESIARVM BELGICARVM, HABITÆ DORDRECHTI anno 1618. & 1619.

CVI PLVRIMI INSIGNES THEOLOGI Reformatarum Ecclesiarum interfuerunt: de quinque doctrinæ capitibus in Ecclesiis Belgicis controuersis.

EX ACTIS EIVS SYNODI.

IVDICIVM SYNODI NATIONALIS REFORMATARVM ECCLESIARVM BELGICARVM, HABITÆ DORDRECHTI anno 1618. & 1619.

CVI PLVRIMI INSIGNES THEOLOGI Reformatarum Ecclesiarum interfuerunt, de quinque doctrinæ capitibus in Ecclesiis Belgicis controuersis. Ex Actis eius Synodi.

SESSIONE CXXXIX.

XXV. *Aprilis, die Iouis ante meridiem.*

PRælectum fuit & examinatum Procemium quod Canonibus Synodicis, de quinque Remonstrantium Articulis, præfigendum putabatur.

SESSIONE CXL.

Eodem die post meridiem.

EAdem Sessione prælectum fuit breuius Procemium, quod iisdem Canonibus præfigeretur, idemque mutatis nonnullis, quæ in illo obseruata fuerant, à Synodo est approbatum: quod hîc subjicitur.

PRÆFATIO.

In nomine Domini & Servatoris nostri Iesu Christi. AMEN.

INter plurima, *quæ Dominus & Servator noster Iesus Christus militanti suæ Ecclesiæ in hac ærumnosa peregrinatione dedit solatia, meritò celebratur illud, quod ei ad Patrem suum in cœleste sanctuarium abiturus, reliquit:* Ego, *inquiens*, sum vobiscum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. *Huius suauissimæ promissionis veritas elucet in omnium temporum Ecclesia: quæ quum non solùm aperta inimicorum violentia & Hæreticorum impietate, sed etiam operta seductorum astutia inde ab initio fuerit*

oppugnata, sanè si vnquam salutari promissæ suæ præsentiæ præsidio eam destituisset Dominus, pridem aut vi Tyrannorum fuisset oppressa, aut fraude impostorum in exitium seducta. Sed bonus ille Pastor, qui gregem suum, pro quo animam suam posuit, constantissimè diligit, persecutorum rabiem tempestiuè semper & exsertâ sæpe dextera, miraculosè repressit, & seductorum vias tortuosas ac consilia fraudulenta detexit atque dissipauit: vtroque se in Ecclesia sua præsentissimum esse demonstrans. Huius rei illustre documentum exstat in Historiis piorum Imperatorum, Regum & Principum, quos Filius Dei in subsidium Ecclesiæ suæ toties excitauit, sancto domus suæ zelo accendit, eorúmque opera non tantùm Tyrannorum furores compescuit, sed etiam Ecclesiæ cum falsis Doctoribus, Religionem variè adulterantibus conflictanti, sanctarum Synodorum remedia procurauit, in quibus fideles Christi serui conjunctis precibus, consiliis & laboribus, pro Ecclesia & Veritate Dei fortiter steterunt, Satanæ ministris, licet in Angelos lucis se transformantibus, intrepidè se opposuerunt, errorum & discordiæ semina sustulerunt, Ecclesiam in Religionis puræ concordia conseruarunt, & sincerum Dei cultum ad posteritatem illibatum transmiserunt.

Simili beneficio fidelis noster Servator, Ecclesiæ Belgicæ, annos aliquam multos afflictissimæ, gratiosam suam præsentiam hoc tempore testatus est. Hanc enim Ecclesiam à Romani Antichristi Tyrannide & horribili Papatus idololatria potenti Dei manu vindicatam, in belli diuturni periculis toties miraculosè custoditam, & in veræ Doctrinæ atque disciplinæ concordia ad Dei sui laudem, admirabile Reipub. incrementum, totiúsque Reformati Orbis gaudium efflorescentem, Iacobus Arminius eiúsque sectatores, nomen Remonstrantium *præ se ferentes, variis tam veteribus quàm nouis erroribus, primùm tectè, deinde apertè tentarunt, & scandalosis dissensionibus ac schismatibus pertinaciter turbatam, in tantum discrimen adduxerunt, vt florentissima Ecclesia, nisi Seruatoris nostri miseratio opportunè interuenisset, horribili dissidiorum & schismatum incendio tandem conflagrasset. Benedictus autem sit in secula Dominus, qui postquam ad momentum faciem suam à nobis (qui multis modis iram & indignationem eius prouocaveramus) abscondisset, vniuerso Orbi testatum fecit, se fœderis sui non obliuisci, & suspiria suorum non spernere. Cùm enim vix vlla remedij spes humanitus appareret, Illustrissimis & Præpotentibus Belgij Fœderati Ordinibus Generalibus hanc mentem inspirauit, vt, consilio & directione Illustrissimi & Fortissimi Principis Arausicani, legitimis mediis, quæ ipsorum Apostolorum, &, quæ eos secutæ, Ecclesiæ Christianæ exemplis longo temporum decursu sunt comprobata, & magno cum fructu in Ecclesia etiam Belgica antehac vsurpata, sæuientibus hisce malis obuiam ire decreuerint, Synodúmque, ex omnibus, quibus præsunt, Prouinciis, authoritate sua, Dordrechtum conuocarint, expetitis ad eam & fauore Serenissimi ac Potentissimi Magnæ Britanniæ Regis Iacobi, & Illustrissimorum Principum, Comitum, & Rerumpublicarum, impetratis plurimis grauissimis Theologis, vt communi tot Reformatæ Ecclesiæ Theologorum judicio, ista Arminij, eiúsque sectatorum, dogmata accuratè, & ex solo Dei verbo, diiudicarentur, vera Doctrina stabiliretur, & falsa rejiceretur, Ecclesiisq; Belgicis concordia, pax & tranquillitas, diuina benedictione, restitueretur. Hoc est illud Dei beneficium, in quo exultant Ecclesiæ Belgicæ, & fideles Seruatoris sui miserationes humiliter agnoscunt, ac gratè prædicant.*

Hæc igitur veneranda Synodus (præuia per summi Magistratus authoritatem, in omnibus Belgicis Ecclesiis, ad iræ Dei deprecationem & gratiosi auxilij implorationem, precum & jejunij indictione & celebratione) in nomine Domini, Dordrechti congregata, diuini Numinis & Salutis Ecclesiæ accensa amore, & post inuocatum Dei nomen, sancto iuramento obstricta, se solam Scripturam sacram pro iudicij norma habituram, & in caussa huius cogni-
tione

tione & iudicio, bona integráque conſcientia verſaturam eſſe, hoc egit ſeduld, magnáque patientia, vt præcipuos horum Dogmatum Patronos, coram ſe citatos induceret ad ſententiam ſuam de Quinque notis doctrinæ Capitibus, ſententiæque rationes pleniùs exponendas. Sed cùm Synodi iudicium repudiarent, atque ad interrogata, eo, quo æquum erat, modo reſpondere detractarent, neque Synodi monitiones, nec Generoſorum atque Ampliſsimorum Ordinum Generalium Delegatorum mandata, imò ne ipſorum quidem Illuſtriſsimorum & Præpotentum D.D. Ordinum Generalium imperia, quicquam apud illos proficerent, aliam viam eorundem Dominorum iuſſu, & ex conſuetudine iam olim in Synodis antiquis recepta, ingredi coacta fuit; atque ex Scriptis, Confeſsionibus ac Declarationibus, partim antea editis, partim etiam huic Synodo exhibitis, examen illorum Quinque Dogmatum inſtitutum eſt. Quod cùm iam per ſingularem Dei gratiam, maxima diligentia, fide, ac conſcientia, omnium & ſingulorum conſenſu abſolutum ſit: Synodus hæc ad Dei gloriam, & vt veritatis ſalutaris integritati, conſcientiarum tranquillitati, & paci ac ſaluti Eccleſiæ Belgicæ conſulatur, ſequens Iudicium, quo & vera verbóque Dei conſentanea, de prædictis quinque Doctrinæ Capitibus, ſententia exponitur, & falſa verbóque Dei diſſentanea rejicitur, ſtatuit promulgandum.

PRIMVM DOCTRINÆ CAPVT

DE

DIVINA PRÆDESTINATIONE.

Articulus primus.

CVM omnes homines in Adamo peccaverint, & rei ſint facti maledictionis & mortis æternæ, Deus nemini feciſſet iniuriam, ſi vniuerſum genus humanum in peccato & maledictione relinquere, ac propter peccatum damnare voluiſſet, iuxta illa Apoſtoli, *Totus mundus eſt obnoxius condemnationi Dei,* Rom.3.19. *Omnes peccauerunt & deſtituuntur gloria Dei,* verſ. 23. Et, *Stipendium peccati mors eſt,* Rom.6.23.

II.

Verùm in hoc manifeſtata eſt charitas Dei, quòd Filium ſuum vnigenitum in mundum miſit, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. 1.Iohan.4.9. Iohan.3.16.

III.

Vt autem homines ad fidem adducantur, Deus clementer lætiſsimi huius nuntij præcones mittit, ad quos vult & quando vult, quorum miniſterio homines ad reſipiſcentiam, & fidem in Chriſtum crucifixum vocantur: *Quomodo enim credent in eum, de quo non audierint? quomodo autem audient abſq; prædicante? quomodo prædicabunt, niſi fuerint miſsi?* Rom.10.14.15.

IV.

Qui huic Euangelio non credunt, super eos manet ira Dei. Qui verò illud recipiunt, & Seruatorem Iesum vera ac viua fide amplectuntur, illi per ipsum ab ira Dei & interitu liberantur, ac vita æterna donantur.

V.

Incredulitatis istius, vt & omnium aliorum peccatorum, causa seu culpa neutiquam est in Deo, sed in homine. Fides autem in Iesum Christum, & salus per ipsum, est gratuitum Dei donum, sicut scriptum est, *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est*, Ephes.2.8. Item, *Gratis datum est nobis in Christum credere*, Philip.1.29.

VI.

Quòd autem aliqui in tempore fide à Deo donantur aliqui non donantur, id ab æterno ipsius decreto prouenit; *Omnia enim opera sua nouit ab æterno*: Act.15.18. Ephes.1.11. secundùm quod decretum electorum corda, quantumvis dura, gratiosè emollit, & ad credendum inflectit, non-electos autem iusto iudicio suæ malitiæ & duritiæ relinquit. Atque hîc potissimùm sese nobis aperit profunda, misericors pariter & iusta hominum æqualiter perditorum discretio; siue Decretum illud *Electionis & Reprobationis* in verbo Dei reuelatum. Quod vt peruersi, impuri, & parum stabiles, in suum detorquent exitium, ita sanctis & religiosis animabus ineffabile præstat solatium.

VII.

Est autem Electio immutabile Dei propositum, quo ante jacta mundi fundamenta ex vniuerso genere humano, ex primæua integritate in peccatum & exitium sua culpa prolapso, secundùm liberrimum voluntatis suæ beneplacitum, ex mera gratia, certam quorundam hominum multitudinem, aliis nec meliorum, nec digniorum, sed in communi miseria cum aliis iacentium, ad salutem elegit in Christo, quem etiam ab æterno Mediatorem & omnium Electorum Caput, salutisque fundamentum constituit, atque ita eos ipsi saluandos dare & ad eius communionem per Verbum & Spiritum suum efficaciter vocare ac trahere, seu vera in ipsum fide donare, iustificare, sanctificare, & potenter in Filij sui communione custoditos tandem glorificare decreuit, ad demonstrationem suæ misericordiæ, & laudem diuitiarum gloriosæ suæ gratiæ, sicut scriptum est, *Elegit nos Deus in Christo, ante iacta mundi fundamenta, vt essemus sancti & inculpati in conspectu eius, cum charitate; qui prædestinauit nos quos adoptaret in filios, per Iesum Christum, in sese, pro beneplacito voluntatis suæ, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis sibi acceptos fecit in illo Dilecto*. Ephes.1.4.5.6. Et alibi, *Quos prædestinauit, eos etiam vocauit, & quos vocauit, eos etiam iustificauit, quos autem iustificauit, eos etiam glorificauit*, Rom.8.30.

VIII.

Hæc Electio non est multiplex, sed vna & eadem omnium salvandorum in Vetere & Nouo Testamento, quandoquidem Scriptura vnicum prædicat beneplacitum,

neplacitum, propositum,& consilium voluntatis Dei, quo nos ab æterno elegit ad gratiam,& ad gloriam,& ad salutem,& ad viam salutis,quam præparauit,vt in ea ambulemus.

IX.

Eadem hæc Electio facta est non ex præuisa fide, fideique obedientia, sanctitate,aut alia aliqua bona qualitate & dispositione, tanquam causa seu conditione in homine eligendo prærequisita,sed ad fidem, fideique obedientiam, sanctitatem,&c. Ac proindè Electio est fons omnis salutaris boni: vnde fides, sanctitas & reliqua dona salvifica,ipsa denique vita æterna, vt fructus & effectus eius profluunt, secundùm illud Apostoli, *Elegit nos* (non quia eramus,sed) *vt essemus sancti, & inculpati in conspectu eius in charitate,* Ephes.1.4.

X.

Causa verò huius gratuitæ Electionis, est solum Dei beneplacitum, non in eo consistens, quòd certas qualitates, seu actiones humanas,ex omnibus possibilibus,in salutis conditionem elegit; sed in eo, quòd certas quasdam personas ex communi peccatorum multitudine sibi in peculium adsciuit, sicut scriptum est, *Nondum natis pueris, cùm neque boni quippiam fecissent, neque mali, &c. dictum est,* (nempe Rebeccæ) *Maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau odio habui.* Rom.9.11.12.13. Et, *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam,* Act.13.48.

XI.

Atque vt Deus ipse est sapientissimus, immutabilis, omniscius & omnipotens: ita Electio ab ipso facta, nec interrumpi,nec mutari,reuocari,aut abrumpi,nec Electi abjici, nec numerus eorum minui potest.

XII.

De hac æterna & immutabili sui ad salutem Electione,Electi suo tempore, variis licèt gradibus & dispari mensura, certiores redduntur,non quidem arcana & profunditates Dei curiosè scrutando, sed fructus Electionis infallibiles,in Verbo Dei designatos,vt sunt vera in Christum fides, filialis Dei timor, dolor de peccatis secundùm Deum,esuries & sitis iustitiæ,&c.in sese cum spirituali gaudio & sancta voluptate obseruando.

XIII.

Ex huius Electionis sensu & certitudine, filij Dei maiorem in dies sese coram Deo humiliandi, abyssum misericordiarum eius adorandi, seipsos purificandi, & eum qui ipsos prior tantopere dilexit, vicissim ardenter diligendi, materiam desumunt: tantùm abest,vt hac Electionis doctrina atque eius meditatione in mandatorum diuinorum obseruatione segniores, aut carnaliter securi reddantur. Quod iis iusto Dei iudicio solet accidere, qui de Electionis gratia,vel temerè præsumentes,vel otiosè & protervè fabulantes, in viis Electorum ambulare nolunt.

XIV.

Vt autem hæc de diuina Electione doctrina, ſapientiſsimo Dei conſilio, per Prophetas, Chriſtum ipſum, atque Apoſtolos, ſub Veteri æquè atque ſub Nouo Teſtamento, eſt prædicata, & ſacrarum deinde literarum monumentis commendata: ita & hodie in Eccleſia Dei, cui ea peculiariter eſt deſtinata, cum ſpiritu diſcretionis, religioſè & ſanctè, ſuo loco & tempore, miſſa omnia curioſa viarum Altiſsimi ſcrutatione, eſt proponenda, idque ad ſanctiſsimi nominis Diuini gloriam, & viuidum populi ipſius ſolatium.

XV.

Cæterùm æternam & gratuitam hanc Electionis noſtri gratiam eo vel maximè illuſtrat, nobiſque commendat Scriptura ſacra, quod porrò teſtatur, non omnes homines eſſe electos, ſed quoſdam non electos, ſiue in æterna Dei Electione præteritos; quos, ſcilicet, Deus ex liberrimo, iuſtiſsimo, irreprehenſibili, & immutabili beneplacito decreuit in communi miſeria, in quam ſe ſua culpa præcipitarunt, relinquere, nec ſaluifica fide & conuerſionis gratia donare: ſed in viis ſuis, & ſub iuſto, iudicio relictos, tandem non tantùm propter infidelitatem; ſed etiam cætera omnia peccata, ad declarationem iuſtitiæ ſuæ damnare & æternùm punire. Atque hoc eſt decretum *Reprobationis* quod Deum neutiquam peccati authorem (quod cogitatu blaſphemum eſt) ſed tremendum, irreprehenſibilem, & iuſtum iudicem ac vindicem conſtituit.

XVI.

Qui viuam in Chriſtum fidem, ſeu certam cordis fiduciam, pacem conſcientiæ, ſtudium filialis obedientiæ, gloriationem in Deo per Chriſtum, in ſe nondum efficaciter ſentiunt, mediis tamen, per quæ Deus iſta ſe in nobis operaturum promiſit, vtuntur, ij ad Reprobationis mentionem non conſternari, nec Reprobis accenſere, ſed in vſu mediorum diligenter pergere, ac horam vberioris gratiæ ardenter deſiderare, & reuerenter humiliterque expectare debent. Multò autem minùs doctrina de Reprobatione terreri debent ij, qui cùm ſeriò ad Deum conuerti, ei vnicè placere, & è corpore mortis eripi deſiderant, in via tamen pietatis & fidei eouſque, quò volunt, peruenire nondum poſſunt; ſiquidem linum fumigans ſe non extincturum, & arundinem quaſſatam ſe non fracturum, promiſit miſericors Deus. Iis autem hæc Doctrina meritò terrori eſt, qui Dei & Seruatoris Ieſu Chriſti obliti, mundi curis, & carnis voluptatibus ſe totos manciparunt, quamdiu ad Deum ſeriò non conuertuntur.

XVII.

Quandoquidem de voluntate Dei, ex verbo ipſius nobis eſt iudicandum, quod teſtatur liberos fidelium eſſe ſanctos, non quidem natura, ſed beneficio fœderis gratuiti, in quo illi cum parentibus comprehenduntur, pij parentes de Electione & ſalute ſuorum liberorum, quos Deus in infantia ex hac vita euocat, dubitare non debent.

XVIII.

XVIII.

Adversus hanc gratuitæ Electionis gratiam, & iustæ Reprobationis seueritatem obmurmuranti, opponimus hoc Apostolicum, *O homo! tu quis es, qui ex aduerso respondeas Deo?* Rom.9.20. Et illud Servatoris nostri, *An non licet mihi quod volo facere in meis?* Matth.20.15. Nos verò hæc mysteria religiosè adorantes, cum Apostolo exclamamus: *O profunditatem diuitiarum, tum sapientiæ, tum cognitionis Dei! Quàm imperscrutabilia sunt Dei iudicia, & eius viæ imperuestigabiles! Quis enim cognouit mentem Domini? Aut quis fuit ei à consiliis? Aut quis prior dedit ei, vt reddatur ei? Nam ex eo, & per eum, & in eo sunt omnia. Ipsi sit gloria in secula.* AMEN. Rom.11.33.34.35.36.

REIECTIO

Errorum, quibus Ecclesiæ Belgicæ sunt aliquamdiu perturbatæ.

Exposita doctrina Orthodoxa de Electione & Reprobatione, Synodus rejicit Errores eorum,

QVI docent, *Voluntatem Dei de seruandis crediturus, & in fide fideique obedientia perseueraturis, esse totum & integrum Electionis ad salutem Decretum, nec quicquam aliud de hoc Decreto in verbo Dei esse reuelatum.* Hi enim simplicioribus imponunt, & Scripturæ sacræ manifestè contradicunt, testanti, Deum non tantùm seruare velle credituros, sed etiam certos quosdam homines ab æterno elegisse, quos præ aliis, in tempore, fide in Christum & perseuerantia donaret, sicut scriptum est, *Manifestum feci Nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.* Iohan.17.6. Item, *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* Act.13.48. Et, *Elegit, nos ante iacta mundi fundamenta, vt essemus sancti, &c.* Ephes.1.4.

II.

Qui docent, *Electionem Dei ad vitam æternam, esse multiplicem; aliam generalem & indefinitam; aliam singularem & definitam: & hanc rursum vel incompletam, reuocabilem, non peremptoriam, siue conditionatam: vel completam, irreuocabilem, peremptoriam, seu absolutam.* Item, *Aliam Electionem esse ad fidem, aliam ad salutem: ita vt Electio ad fidem iustificantem, absque Electione peremptoria ad salutem esse possit.*

Hoc enim est humani cerebri commentum extra Scripturas excogitatum, doctrinam de Electione corrumpens, & auream hanc salutis catenam dissoluens: *Quos prædestinauit, eos etiam vocauit, & quos vocauit, eos etiam iustificauit, quos autem iustificauit, eos etiam glorificauit*, Rom.8.30.

III.

Qui docent, *Dei beneplacitum ac propositum, cuius Scriptura meminit in doctrina Ele-*

ctionis, non consistere in eo, quòd Deus certos quosdam homines præ aliis elegerit, sed in eo, quòd Deus ex omnibus possibilibus conditionibus [inter quas etiam sunt opera legis] siue ex omnium rerum ordine, actum fidei, in sese ignobilem, & obedientiam fidei imperfectam, in salutis conditionem elegerit; eámque gratiosè pro perfecta obedientia reputare, & vitæ æternæ præmio dignam censere voluerit. Hoc enim errore pernicioso, beneplacitum Dei & meritum Christi eneruatur, & homines inutilibus quæstionibus à veritate iustificationis gratuitæ, & simplicitate Scripturarum auocantur, illúdque Apostoli falsi arguitur, *Deus nos vocauit vocatione sancta: Non ex operibus, sed ex suo proposito & gratia, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora seculorum*, 2.Tim.1.9.

IV.

Qui docent, *In Electione ad fidem hanc conditionem prærequiri, vt homo lumine naturæ rectè vtatur, sit probus, paruus, humilis, & ad vitam æternam dispositus, quasi ab istis Electio aliquatenus pendeat.* Pelagium enim sapiunt, & minimè obscurè falsi insimulant Apostolum, scribentem, *Versati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni & cogitationibus libebant, eramúsque natura filij iræ, vt & reliqui. Sed Deus, qui diues est misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, etiam nos cùm in offensis mortui essemus, vnà viuificauit cum Christo, cuius gratia estis seruati, vnáque suscitauit, vnáque collocauit in cœlis in Christo Iesu: vt ostenderet in seculis superuenientibus illas opes suæ gratiæ, pro sua erga nos benignitate in Christo Iesu. Gratia enim estis seruati per fidem, (& hoc non ex vobis, Dei donum est) non ex operibus, vt ne quis glorietur:* Ephes.2.3.4.5.6.7.8.9.

V.

Qui docent, *Electionem singularium personarum ad salutem incompletam & non peremptoriam factam esse ex præuisa fide, resipiscentia, sanctitate & pietate inchoata, aut aliquandiu continuata: completam verò & peremptoriam ex præuisa fidei, resipiscentia, sanctitatis & pietatis finali perseuerantia: Et hanc esse gratiosam & Euangelicam dignitatem, propter quam qui eligitur, dignior sit illo qui non eligitur: ac proinde Fidem, Fidei Obedientiam, Sanctitatem, Pietatem & Perseuerantiam non esse fructus siue effectus Electionis immutabilis ad gloriam, sed conditiones, & causas sine quibus non, in eligendis completè prærequisitas, & præuisas, tanquam præstitas.* Id quod toti Scripturæ repugnat, quæ hæc & alia dicta passim auribus & cordibus nostris ingerit: *Electio non est ex operibus, sed ex vocante.* Rom.9.v.11. *Credebant quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* Actor.13.48. *Elegit nos in semetipso vt sancti essemus* Ephes.1.4. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Ioh.15.16. *Si ex gratia, non ex operibus.* Rom.11. v.6. *In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexit nos, & misit Filium suum*, 1.Iohan.4.10.

VI.

Qui docent, *Non omnem Electionem ad salutem immutabilem esse, sed quosdam electos, nullo Dei decreto obstante, perire posse & æternùm perire.* Quo crasso errore & Deum mutabilem faciunt, & consolationem piorum de Electionis suæ constantia subvertunt, & Scripturis sacris contradicunt, docentibus, *Electos non posse seduci.* Matth.24. v.24. *Christum datos sibi à Patre non perdere.* Iohan.6. v.39. *Deum quos prædestinauit, vocauit & iustificauit, eos etiam glorificare.* Rom.8. v.30.

VII.

Qui docent, *Electionis immutabilis ad gloriam nullum in hac vita esse fructum, nullum sensum, nullam certitudinem, nisi ex conditione mutabili & contingente.* Præterquam enim quòd absurdum sit ponere certitudinem incertam, adversantur hæc experientiæ Sanctorum, qui cum Apostolo ex sensu Electionis sui exultant, Deique hoc beneficium celebrant, qui *gaudent*, cum Discipulis, secundùm Christi admonitionem, *quòd nomina sua scripta sunt in cœlis*. Luc.10.20. qui sensum denique Electionis ignitis tentationum Diabolicarum telis opponunt, quærentes, *Quis intentabit crimina adversus electos Dei?* Rom.8.33.

VIII.

Qui docent, *Deum neminem ex mera justa sua voluntate decreuisse in lapsu Adæ & in communi peccati & damnationis statu relinquere, aut in gratia ad fidem & conuersionem necessaria communicatione præterire.* Stat enim illud, *Quorum vult, miseretur, quos vult, indurat.* Rom.9. v.18. Et illud, *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum.* Matth.13.v.11. Item, *Glorifico te, Pater, Domine cœli & terræ, quòd hæc occultaueris sapientibus & intelligentibus, & ea detexeris infantibus: Etiam, Pater, quia ita placuit tibi.* Matth.11.25.26.

IX.

Qui docent, *Causam cur Deus ad hanc potiùs, quàm ad aliam gentem Euangelium mittat, non esse merum & solum Dei beneplacitum, sed quòd hæc gens melior & dignior sit ea, cui Euangelium non communicatur.* Reclamat enim Moses, populum Israeliticum sic alloquens, *Et Iehouæ Dei sunt cœli, & cœli cœlorum, terra & quicquid est in ea; Tantum in majores tuos propensus fuit amore Iehoua, diligendo eos: vnde selegit semen eorum post eos: vos, inquam, præ omnibus populis, sicut est hodie.* Deut.10.14.15. Et Christus: *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes illæ, quæ in vobis factæ sunt, in sacco & cinere olim pœnitentiam egissent.* Matth.11.21.

SECVNDVM DOCTRINÆ CAPVT,

DE MORTE CHRISTI *ET* HOMINVM PER EAM REDEMPTIONE.

Articulus primus.

DEVS non tantùm est summè misericors, sed etiam summè iustus. Postulat autem eius justitia (prout se in verbo reuelauit) vt peccata nostra, aduersus infinitam eius Maiestatem commissa, non tantùm temporalibus, sed etiam æternis, tum animi, tum corporis pœnis, puniantur: quas pœnas effugere non possumus, nisi iustitiæ Dei satisfiat.

II.

Cùm verò ipsi satisfacere, & ab ira Dei nos liberare non possimus, Deus ex immensa misericordia Filium suum vnigenitum nobis sponsorem dedit, qui, vt pro nobis satisfaceret, peccatum & maledictio in cruce pro nobis, seu vice nostra, factus est.

III.

Hæc Mors Filij Dei est vnica & perfectissima pro peccatis victima & satisfactio, infiniti valoris & pretij, abundè sufficiens ad totius mundi peccata expianda.

IV.

Ideo autem hæc Mors tanti est valoris & pretij, quia persona, quæ eam subijt, non tantùm est verus & perfectè sanctus homo, sed etiam vnigenitus Dei Filius, eiusdem æternæ & infinitæ cum Patre & Spiritu Sancto essentiæ, qualem nostrum Servatorem esse oportebat. Deinde, quia mors ipsius fuit coniuncta cum sensu iræ Dei & maledictionis, quam nos peccatis nostris eramus commeriti.

V.

Cæterùm promissio Euangelij est, vt quisquis credit in Christum crucifixum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quæ promissio omnibus populis & hominibus, ad quos Deus pro suo beneplacito mittit Euangelium, promiscuè & indiscriminatim annuntiari & proponi debet cum resipiscentiæ & fidei mandato.

VI.

Quòd autem multi per Euangelium vocati non resipiscunt, nec in Christum credunt, sed in infidelitate pereunt, non fit hostiæ Christi in cruce oblatæ defectu, vel insufficientia, sed propria ipsorum culpa.

VII.

Quotquot autem verè credunt, & per mortem Christi à peccatis & interitu liberantur ac seruantur, illis hoc beneficium, ex sola Dei gratia, quam nemini debet, ab æterno ipsis in Christo data, obtingit.

VIII.

Fuit enim hoc Dei Patris liberrimum consilium, & gratiosissima voluntas atque intentio, vt mortis pretiosissimæ Filij sui viuifica & saluifica efficacia sese exereret in omnibus electis, ad eos solos fide iustificante donandos, & per eam ad salutem infallibiliter perducendos: hoc est, voluit Deus, vt Christus per sanguinem crucis (quo nouum fœdus confirmauit) ex omni populo, tribu, gente, & lingua, eos omnes & solos, qui ab æterno ad salutem electi, & à Patre ipsi dati sunt, efficaciter redimeret, fide (quam, vt & alia Spiritus

Sancti saluafica dona, ipsis morte sua acquisivit) donaret, ab omnibus peccatis, tum Originali, tum Actualibus, tam post, quàm ante fidem commissis sanguine suo mundaret, ad finem vsque fideliter custodiret, tandémque absque omni labe & macula gloriosos coram se sisteret.

IX.

Hoc consilium, ex æterno erga electos amore profectum ab initio mundi in præsens vsque tempus, frustra obnitentibus inferorum portis, potenter impletum fuit, & deinceps quoque implebitur: ita quidem vt electi suis temporibus in vnum colligantur, & semper sit aliqua credentium Ecclesia in sanguine Christi fundata; quæ illum Seruatorem suum, qui pro ea, tanquam sponsus pro sponsa, animam suam in cruce exposuit, constanter diligat, perseueranter colat, atque hîc & in omnem æternitatem celebret.

REIECTIO ERRORVM.

Exposita doctrina Orthodoxa, rejicit Synodus Errores eorum,

I.

QVi docent, *Quòd Deus Pater Filium suum in mortem crucis destinauerit, sine certo ac definito consilio quenquam nominatim saluandi, adeo vt impetrationi mortis Christi sua necessitas, vtilitas, dignitas sarta tecta, & numeris suis perfecta, completa atque integra constare potuisset, etiamsi impetrata redemptio nulli indiuiduo vnquam actu ipso fuisset applicata.* Hæc enim assertio, in Dei Patris sapientiam meritumque Iesu Christi contumeliosa, & Scripturæ contraria est. Sic enim ait Servator: *Ego animam pono pro ouibus, & agnosco eas.* Iohan. 10. vers. 15. 27. Et de Servatore, Esaias Propheta: *Cùm posuerit se sacrificium pro reatu, videbit semen, prolongabit dies, & voluntas Iehouæ in manu eius prosperabitur.* Esa. 53. 10. Denique, Articulum Fidei, quo Ecclesiam credimus, evertit.

II.

Qui docent, *Non fuisse hunc finem mortis Christi, vt nouum gratiæ fœdus suo sanguine reipsa sanciret, sed tantùm, vt nudum jus Patri acquireret, quodcumque fœdus, vel gratiæ, vel operum, cum hominibus denuo ineundi.* Hoc enim repugnat Scripturæ, quæ docet, Christum *melioris*, id est, noui *fœderis sponsorem & mediatorem factum esse.* Heb. 7. 22. Et, *Testamentum in mortuis demum ratum esse.* Hebr. 9. 15. 17.

III.

Qui docent, *Christum per suam satisfactionem, nullis certò meruisse ipsam salutem & fidem, qua hæc Christi satisfactio ad salutem efficaciter applicetur, sed tantùm Patri*

acquisiuisse potestatem vel plenariam voluntatem, de nouo cum hominibus agendi, & nouas quascunque vellet conditiones præscribendi, quarum præstatio à libero hominis arbitrio pendeat, idque ideo fieri potuisse, vt vel nemo, vel omnes eas implerent. Hi enim de morte Christi nimis abjectè sentiunt, primarium fructum seu beneficium per eam partum, nullatenus agnoscunt, & Pelagianum errorem ab inferis reuocant.

IV.

Qui docent, *Fœdus illud nouum Gratiæ, quod Deus Pater, per mortis Christi interuentum cum hominibus pepigit, non in eo consistere, quòd per fidem quatenus meritum Christi apprehendit, coram Deo iustificemur & saluemur; sed in hoc, quòd Deus, abrogata perfectæ obedientiæ legalis exactione, fidem ipsam & fidei obedientiam imperfectam, pro perfecta Legis obedientia reputet, & vitæ æternæ præmio gratiosè dignam censeat.* Hi enim contradicunt Scripturæ, *Iustificantur gratis, eius gratia, per redemptionem factam in Iesu Christo, quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine eius.* Rom. 3. v. 24. 25. Et cum impio Socino, nouam & peregrinam hominis coram Deo Iustificationem, contra totius Ecclesiæ consensum, inducunt.

V.

Qui docent, *Omnes homines in statum reconciliationis & gratiam fœderis esse assumptos, ita vt nemo propter peccatum originale sit damnationi obnoxius aut damnandus, sed omnes ab istius peccati reatu sint immunes.* Hæc enim sententia repugnat Scripturæ affirmanti, *nos naturâ esse filios iræ.*

VI

Qui impetrationis & applicationis distinctionem vsurpant, vt incautis & imperitis hanc opinionem instillent: *Deum, quantum ad se attinet, omnibus hominibus ex æquo ea beneficia voluisse conferre, quæ per mortem Christi acquiruntur, quòd autem quidam præ aliis participes fiant remissionis peccatorum, & vitæ æternæ, discrimen illud pendere ex libero eorum arbitrio se ad gratiam indifferenter oblatam applicante: non autem ex singulari misericordiæ dono efficaciter in illis operante, vt præ aliis gratiam illam sibi applicent.* Nam isti, dum simulant se distinctionem hanc sano sensu proponere, populo perniciosum Pelagianismi venenum conantur propinare.

VII.

Qui docent, *Christum pro iis quos Deus summè dilexit & ad vitam æternam elegit, mori nec potuisse, nec debuisse, nec mortuum esse, cùm talibus morte Christi non sit opus.* Contradicunt enim Apostolo dicenti: *Christus dilexit me, & tradidit seipsum pro me.* Galat. 2. vers. 20. Item, *Quis est, qui crimina intentet adversus Electos Dei? Deus est is, qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus est, qui mortuus est,* Rom. 8. vers. 33. nimirum, pro illis. Et Saluatori asseueranti, *Ego pono animam meam pro ouibus meis,* Iohan. 10. vers. 15. Et, *Hoc est præceptum meum, vt diligatis alij alios sicut ego dilexi vos; Maiorem dilectionem nemo habet, quàm vt ponat animam suam pro amicis.* Iohann. 15. vers. 12. 13.

TER-

TERTIVM ET QVARTVM
Doctrinæ caput,

DE HOMINIS CORRVPTIONE ET CONVERSIONE AD DEVM,
cuiúsque modo.

Articulus primus.

HOmo ab initio ad imaginem Dei conditus, vera & salutari sui Creatoris & rerum spiritualium notitia in mente, & justitia in voluntate & corde, puritate in omnibus affectibus exornatus, adeoque totus sanctus fuit: sed diaboli instinctu, & libera sua voluntate à Deo desciscens, eximiis istis donis seipsum orbauit: atque è contrario eorum loco cœcitatem, horribiles tenebras, vanitatem ac peruersitatem iudicij in mente, malitiam, rebellionem, ac duritiem, in voluntate, & corde, impuritatem denique in omnibus affectibus contraxit.

II.

Qualis autem post lapsum fuit homo, tales & liberos procreauit, corruptus nempe corruptos: corruptione ab Adamo in omnes posteros, solo Christo excepto, non per imitationem (quod Pelagiani olim voluerunt) sed per vitiosæ naturæ propagationem, iusto Dei iudicio, deriuata.

III.

Itaque omnes homines in peccato concipiuntur, & filij iræ nascuntur, inepti ad omne bonum salutare, propensi ad malum, in peccatis mortui, & peccati servi & absque Spiritus Sancti regenerantis gratia, ad Deum redire, naturam deprauatam corrigere, vel ad eius correctionem se disponere nec volunt, nec possunt.

IV.

Residuum quidem est post lapsum in homine lumen aliquod naturæ, cuius beneficio ille notitias quasdam de Deo, de rebus naturalibus, de discrimine honestorum & turpium retinet, & aliquod virtutis ac disciplinæ externæ studium ostendit: Sed tantum abest vt hoc naturæ lumine ad salutarem Dei cognitionem peruenire, & ad eum se conuertere possit, vt nequidem eo in naturalibus ac ciuilibus rectè vtatur. Quinimo qualecunque id demum

ſit, id totum variis modis contaminet,atque in iniuſtitia detineat. Quod dum facit, coram Deo inexcuſabilis redditur.

V.

Quæ luminis naturæ eadem hîc Decalogi per Moſen à Deo Iudæis peculiariter traditi eſt ratio. Cùm enim is magnitudinem quidem peccati retegat,eiuſque hominem magis ac magis reum peragat, ſed nec remedium exhibeat, nec vires emergendi ex miſeria conferat, adeoque per carnem infirmatus tranſgreſſorem in maledictione relinquat, non poteſt homo per eum ſalutarem gratiam obtinere.

VI.

Quod igitur nec lumen naturæ,nec lex poteſt , id Spiritus Sancti virtute præſtat Deus,per ſermonem,ſiue Miniſterium reconciliationis,quod eſt Euangelium de Meſſia , per quod placuit Deo homines credentes, tam in Veteri quàm in Nouo Teſtamento, ſeruare.

VII.

Hoc voluntatis ſuæ myſterium Deus in Veteri Teſtamento paucioribus patefecit; in Nouo Teſtamento pluribus,ſublato iam populorum diſcrimine, manifeſtat.Cuius diſpenſationis cauſſa,non in gentis vnius præ alia dignitate, aut meliore luminis naturæ vſu,ſed in liberrimo beneplacito, & gratuita dilectione Dei eſt collocanda. Vnde illi,quibus præter & contra omne meritum tanta fit gratia,eam humili & grato corde agnoſcere,in reliquis autem, quibus ea gratia non fit,ſeueritatem & iuſtitiam iudiciorum Dei cum Apoſtolo adorare,nequaquam verò curioſè ſcrutari debent.

VIII.

Quotquot autem per Euangelium vocantur,ſeriò vocantur. Seriò enim & veriſſimè oſtendit Deus verbo ſuo,quid ſibi gratum ſit: nimirum,vt vocati ad ſe veniant. Seriò etiam omnibus ad ſe venientibus & credentibus requiem animarum & vitam æternam promittit.

IX.

Quòd multi per Miniſterium Euangelij vocati, non veniunt, & non conuertuntur, huius culpa non eſt in Euangelio, nec in Chriſto per Euangelium oblato,nec in Deo per Euangelium vocante,& dona etiam varia iis conferente,ſed in vocatis ipſis,quorum aliqui verbum vitæ non admittunt ſecuri, alij admittunt quidem, ſed non in cor immittunt: ideoque poſt euanidum fidei temporariæ gaudium reſiliunt: alij ſpinis curarum & voluptatibus ſæculi ſemen verbi ſuffocant, fructúſque nullos proferunt. Quòd Servator noſter ſeminis parabolâ docet, Matth. cap.13.

X.

Quòd autem alij, per Miniſterium Euangelij vocati veniunt & conuertuntur

tuntur, id non eſt adſcribendum homini, tanquam ſeipſum per liberum arbitrium ab aliis pari vel ſufficiente gratia ad fidem & conuerſionem inſtructis diſcernenti, (quod ſuperba Pelagij hæreſis ſtatuit) ſed Deo; qui vt ſuos ab æterno in Chriſto elegit, ita eoſdem in tempore efficaciter vocat, fide & reſipiſcentia donat, & è poteſtate tenebrarum erutos, in Filij ſui regnum transfert; vt virtutes eius, qui ipſos è tenebris in admirandam hanc lucem vocauit, prædicent, & non in ſe, ſed in Domino glorientur, Scriptura Apoſtolica paſsim id teſtante.

XI.

Cæterùm quando Deus hoc ſuum beneplacitum in electis exequitur, ſeu veram in iis conuerſionem operatur, non tantùm Euangelium illis externè prædicari curat, & mentem eorum per Spiritum Sanctum potenter illuminat, vt rectè intelligant & diiudicent quæ ſunt Spiritus Dei; ſed eiuſdem etiam Spiritus regenerantis efficacia ad intima hominis penetrat, cor clauſum aperit, durum emollit, præputiatum circumcidit, voluntati nouas qualitates infundit, facitque eam ex mortua viuam, ex mala bonam, ex nolente volentem, ex refractaria morigeram, agitque & roborat eam; vt, ceu arbor bona, fructus bonarum actionum proferre poſsit.

XII.

Atque hæc eſt illa tantopere in Scripturis prædicata regeneratio, noua creatio, ſuſcitatio è mortuis, & viuificatio, quam Deus ſine nobis, in nobis operatur. Ea autem neutiquam fit per ſolam forinſecus inſonantem doctrinam, moralem ſuaſionem, vel talem operandi rationem, vt poſt Dei (quoad ipſum) operationem, in hominis poteſtate maneat regenerari vel non regenerari, conuerti vel non conuerti; ſed eſt planè ſupernaturalis, potentiſsima ſimul & ſuauiſsima, mirabilis, arcana, & ineffabilis operatio, virtute ſua, ſecundùm Scripturam (quæ ab Authore huius operationis eſt inſpirata) nec creatione, nec mortuorum reſuſcitatione minor, aut inferior; adeò vt omnes illi, in quorum cordibus admirando hoc modo Deus operatur, certò, infaillibiliter, & efficaciter regenerentur, & actu credant. Atque tum voluntas iam renouata, non tantùm agitur & mouetur à Deo, ſed à Deo acta, agit & ipſa. Quamobrem etiam homo ipſe per gratiam iſtam acceptam, credere & reſipiſcere, rectè dicitur.

XIII.

Modum huius operationis fideles in hac vita planè comprehendere non poſſunt; in eo interim acquieſcentes, quòd per iſtam Dei gratiam, ſe corde credere, & Servatorem ſuum diligere, ſciant ac ſentiant.

XIV.

Sic ergo fides Dei donum eſt, non eò quòd à Deo hominis arbitrio offeratur, ſed quòd homini reipſa conferatur, inſpiretur, & infundatur. Non etiam quòd Deus potentiam credendi tantùm conferat, conſenſum verò ſeu actum credendi ab hominis deinde arbitrio exſpectet, ſed quòd & velle credere, &

ipsum credere in homine is efficiat, qui operatur & velle & facere, adeoque omnia operatur in omnibus.

XV.

Hanc gratiam Deus nemini debet. Quid enim debeat ei, qui prior dare nihil potest, vt ei retribuatur? Imo quid debeat ei, qui de suo nihil habet, præter peccatum & mendacium? Qui ergo gratiam illam accipit, soli Deo æternas debet & agit gratias; Qui illam non accipit, is aut hæc spiritualia omnino non curat, & in suo sibi placet: aut securus se habere inaniter gloriatur, quod non habet. Porrò de iis, qui externè fidem profitentur, & vitam emendant, optimè secundùm exemplum Apostolorum iudicandum & loquendum est: penetralia enim cordium nobis sunt incomperta. Pro aliis autem qui nondum sunt vocati, orandus est Deus, qui, quæ non sunt, vocat tanquam sint. Neutiquam verò aduersus eos est superbiendum, ac si nosmetipsos discreuissemus.

XVI.

Sicuti verò per lapsum homo non desiit esse homo, intellectu & voluntate præditus, nec peccatum, quod vniuersum genus humanum peruasit, naturam generis humani sustulit, sed deprauauit, & spiritualiter occidit: ita etiam hæc diuina regenerationis gratia, non agit in hominibus tanquam truncis & stipitibus, nec voluntatem eiusque proprietates tollit, aut inuitam violenter cogit, sed spiritualiter viuificat, sanat, corrigit, suauiter simul ac potenter flectit: vt vbi antea plenè dominabatur carnis rebellio & resistentia, nunc regnare incipiat prompta, ac sincera Spiritus obedientia; in quo vera & spiritualis nostræ voluntatis instauratio & libertas consistit. Qua ratione, nisi admirabilis ille omnis boni opifex nobiscum ageret, nulla spes esset homini surgendi è lapsu per liberum arbitrium, per quod se, cùm staret, præcipitauit in exitium.

XVII.

Quemadmodum etiam omnipotens illa Dei operatio, qua vitam hanc nostram naturalem producit & sustentat, non excludit, sed requirit vsum mediorum, per quæ Deus pro infinita sua sapientia & bonitate virtutem istam suam exercere voluit; ita & hæc prædicta supernaturalis Dei operatio, qua nos regenerat, neutiquam excludit, aut euertit vsum Euangelij, quod sapientissimus Deus in semen regenerationis, & cibum animæ ordinauit. Quare, vt Apostoli, & qui eos secuti sunt Doctores, de gratia hac Dei ad eius gloriam, & omnis superbiæ depressionem, piè populum docuerunt, neque tamen interim sanctis Euangelij monitis, sub Verbi, Sacramentorum, & Disciplinæ exercitio, eum continere neglexerunt: sic etiamnum, absit, vt docentes aut discentes in Ecclesia Deum tentare præsumant, ea separando, quæ Deus pro suo beneplacito voluit esse coniunctissima: per monita enim confertur gratia, & quo nos officium nostrum facimus promptiùs; hoc ipso Dei in nobis operantis beneficium solet esse illustrius, rectissimeque eius opus procedit, cui soli omnis, & mediorum, & salutaris eorum fructus atque efficaciæ debetur gloria in secula. Amen.

RE-

REIECTIO ERRORVM.

Expoſita doctrina Orthodoxa, Synodus rejicit Errores eorum,

I.

QVi docent, *Propriè dici non poſſe, quòd peccatum originis per ſe ſufficiat toti generi humano condemnando, aut temporales & aeternas pœnas promerendo.* Contradicunt enim Apoſtolo, dicenti, Rom.5.v.12. *Per vnum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors tranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Et verſ.16. *Reatus ex vno introiit ad condemnationem.* Item, Rom.6. verſ.23. *Peccati ſtipendium mors eſt.*

II.

Qui docent, *Dona ſpiritualia, ſiue habitus bonos, & virtutes, vt ſunt bonitas, ſanctitas, juſtitia, in voluntate hominis, cùm primùm crearetur, locum habere non potuiſſe, ac proinde nec in lapſu ab ea ſeparari.* Pugnat enim hoc cum deſcriptione imaginis Dei, quam Apoſtolus ponit, Epheſ.4. verſ.24. vbi illam deſcribit ex juſtitia & ſanctitate, quæ omnino in voluntate locum habent.

III.

Qui docent, *Dona ſpiritualia non eſſe in morte ſpirituali ab hominis voluntate ſeparata, cùm ea in ſeſe nunquam corrupta fuerit, ſed tantùm per tenebras mentis, & affectuum inordinationem impedita: quibus impedimentis ſublatis, liberam ſuam facultatem ſibi inſitam exerere, id eſt, quodvis bonum ſibi propoſitum, ex ſe aut velle, ſiue eligere; aut non velle, ſiue non eligere poſſe.* Nouum hoc & erroneum eſt, atque eò facit vt extollantur vires liberi arbitrij, contra Ieremiæ Prophetæ dictum, c.17.v.9. *Fraudulentum eſt cor ipſum ſupra omnia & peruerſum.* Et Apoſtoli, Epheſ.2.3. *Inter quos* (homines contumaces) *& nos omnes conuerſati ſumus olim in cupiditatibus carnis noſtræ, facientes voluntates carnis ac cogitationum.*

IV.

Qui docent, *Hominem irregenitum non eſſe propriè, nec totaliter in peccatis mortuum, aut omnibus ad bonum ſpirituale viribus deſtitutum, ſed poſſe juſtitiam vel vitam eſurire ac ſitire, ſacrificiumq; ſpiritus contriti, & contribulati, quod Deo acceptum eſt, offerre:* Aduerſantur enim hæc apertis Scripturæ teſtimoniis, Epheſ.2.1.5. *Eratis mortui in offenſis & peccatis,* & Gen.6.5.& 8.21. *Imaginatio cogitationum cordis hominis, tantummodo mala eſt omni die.* Adhæc liberationem ex miſeria & vitam eſurire ac ſitire, Deoque ſacrificium ſpiritus contriti offerre, regenitorum eſt, & eorum qui beati dicuntur, Pſ.51.19.& Matth.5.6.

V.

Qui docent, *Hominem corruptum & animalem, gratia communi, quæ ipſis eſt lumen naturæ, ſiue donis poſt lapſum relictis, tam rectè vti poſſe, vt bono iſto vſu maiorem gratiam, puta Euangelicam, ſiue ſalutarem, & ſalutem ipſam gradatim obtinere poſſit. Et hac ratione*

Deum se ex parte sua paratum ostendere, ad Christum omnibus reuelandum, quandoquidem media ad Christi reuelationem, fidem, & resipiscentiam necessaria, omnibus sufficienter & efficaciter administret. Falsum enim hoc esse, præter omnium temporum experientiam, Scriptura testatur. Ps.147.19.20. *Indicat verba sua Iacobo, statuta sua & iura sua Israeli, non fecit ita vlli genti, & iura ista non nouerunt.* Actor.14.16. *Deus siuit præteritis ætatibus, omnes gentes suis ipsarum viis incedere.* Actor.16.6.7. *Prohibiti sunt* (Paulus cum suis) *à Spiritu Sancto loqui sermonem Dei in Asia.* Et, *Quum venissent in Mysiam, tentabant ire versus Bythiniam, sed non permisit eis Spiritus.*

VI.

Qui docent, *In vera hominis conuersione, non posse nouas qualitates, habitus, seu dona in voluntatem eius à Deo infundi, atque adeo fidem, qua primùm conuertimur, & à qua fideles nominamur, non esse qualitatem seu donum à Deo infusum: sed tantùm actum hominis, neque aliter donum dici posse, quàm respectu potestatis ad ipsam perueniendi.* Contradicunt enim hæc sacris Literis, quæ testantur Deum nouas qualitates fidei obedientiæ, ac sensus amoris sui, cordibus nostris infundere. Ier.31.33. *Indam legem meam menti eorum, ac cordi eorum inscribam eam.* Esa.44. vers.3. *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam; effundam Spiritum meum super semen tuum.* Rom.5.5. *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis:* Repugnant etiam continuæ praxi Ecclesiæ, sic apud Prophetam orantis, *Conuerte me Domine, & conuertar,* Ier.31.v.18.

VII.

Qui docent, *Gratiam, quâ conuertimur ad Deum, nihil aliud esse quàm leuem suasionem: seu* (vt alii explicant) *nobilissimum agendi modum in conuersione hominis, & naturæ humanæ conuenientissimum esse, qui fiat suasionibus; nihilque obstare quominus vel sola moralis gratia, homines animales reddat spirituales; imò Deum non aliter quàm morali ratione consensum voluntatis producere: atque in eo consistere operationis diuinæ efficaciam, quâ Satanæ operationem superet, quòd Deus æterna bona, Satan autem temporaria promittat.* Omnino enim hoc Pelagianum est: & vniuersæ Scripturæ contrarium, quæ præter hunc etiam alium, & longè efficaciorem ac diuiniorem Spiritus Sancti agendi modum, in hominis conuersione agnoscit. Ezech.36.26. *Dabo vobis cor nouum & spiritum nouum dabo in medio vestri, & auferam cor lapideum, dabóque cor carneum.*

VIII.

Qui docent; *Deum in hominis regeneratione eas suæ omnipotentiæ vires non adhibere, quibus voluntatem eius ad fidem & conuersionem potenter & infallibiliter flectat: Sed positis omnibus gratiæ operationibus, quibus Deus ad hominem conuertendum vtitur, hominem tamen Deo, & Spiritui regenerationem eius intendenti, & regenerare ipsum volenti, ita posse resistere, & actu ipso sæpe resistere, vt sui regenerationem prorsus impediat, atque adeo in ipsius manere potestate, vt regeneretur, vel non regeneretur.* Hoc enim nihil aliud est, quàm tollere omnem efficaciam gratiæ Dei in nostri Conuersione, & actionem Dei omnipotentis subjicere voluntati hominis, idque contra Apostolos, qui docent: *Nos credere pro efficacitate fortis roboris Dei.* Ephes.1.19. Et, *Deum bonitatis suæ gratuitam benevolentiam & opus fidei potententer in nobis complere,* 2. Thess.1.11. Item, *Diuinam ipsius vim omnia nobis donasse, quæ ad vitam & pietatem pertinent,* 2.Petr.1.3.

IX.

IX.

Qui docent, *Gratiam & liberum arbitrium esse caussas partiales simul concurrentes ad Conuersionis initium; nec gratiam ordine causalitatis, efficientiam voluntatis antecedere*, id est, *Deum non priùs hominis voluntatem efficaciter juvare ad Conuersionem, quàm voluntas ipsa hominis se mouet ac determinat.* Hoc enim dogma Ecclesia prisca in Pelagianis iam olim condemnauit,ex Apostolo Rom.9.16.*Non est volentis nec currentis,sed Dei miserentis,&* 1.Cor.4.7.*Quis te discernit?* &.*Quid habes,quod non acceperis?* Item, Phil. 2.13 *Deus est qui in vobis operatur ipsum velle & perficere pro suo beneplacito.*

QVINTVM DOCTRINÆ CAPVT,

DE

PERSEVERANTIA SANCTORVM.

Articulus primus.

QVos Deus secundùm propositum suum, ad communionem Filij sui Domini nostri Iesu Christi, vocat, & per Spiritum Sanctum regenerat, eos quidem & à peccati dominio & seruitute, non autem à carne, & corpore peccati,penitus in hac vita liberat.

I.

Hinc quotidiana infirmitatis peccata oriuntur,& optimis etiam Sanctorum operibus næui adhærescunt:quæ illis perpetuam sese coram Deo humiliandi, ad Christum crucifixum confugiendi, carnem magis ac magis, per Spiritum precum & sancta pietatis exercitia, mortificandi, & ad perfectionis metam suspirandi, materiam suggerunt: tantisper dum hoc mortis corpore soluti, cum Agno Dei in cœli regnent.

III.

Propter istas peccati inhabitantis reliquias, & mundi insuper ac Satanæ tentationes, non possent conuersi in ista gratia perstare, si suis viribus permitterentur. Sed fidelis est Deus, qui ipsos in gratia semel collata misericorditer confirmat,& in eadem vsque ad finem potenter conseruat.

IV.

Etsi autem illa potentia Dei, verè fideles in gratia confirmantis & conseruantis,maior est; quàm quæ à carne superari possit; non semper tamen conuersi ita à Deo aguntur & mouentur,vt non posint in quibusdam actionibus particularibus à ductu gratiæ, suo vitio, recedere, & à carnis concupiscentiis seduci,iisque obsequi. Quapropter ipsis perpetuò est vigilandum & orandum, ne in tentationes inducantur. Quod cùm non faciunt, non solùm à carne, mundo, & Satanâ, in peccata etiam grauia & atrocia abripi possunt, verùm etiam interdum iusta Dei permissione abripiuntur. Quod tristes Dauidis,Petri,aliorúmque Sanctorum lapsus, in S.Scriptura descripti,demonstrant.

V.

Talibus autem enormibus peccatis Deum valde offendunt, reatum mortis incurrunt, Spiritum Sanctum contriſtant, fidei exercitium interrumpunt, conſcientiam grauiſsimè vulnerant, ſenſum gratiæ nonnunquam ad tempus amittunt: donec per ſeriam reſipiſcentiam in viam reuertentibus paternus Dei vultus rurſum affulgeat.

VI.

Deus enim, qui diues eſt miſericordiâ, ex immutabili electionis propoſito, Spiritum Sanctum, etiam in triſtibus lapſibus, à ſuis non prorſus aufert; nec eouſq; eos prolabi ſinit, vt gratia Adoptionis, ac Iuſtificationis ſtatu excidant, aut peccatum ad mortem, ſiue in Spiritum Sanctum committant, & ab eo penitus deſerti, in exitium æternum ſeſe præcipitent.

VII.

Primò enim in iſtis lapſibus conſeruat in illis ſemen illud ſuum immortale, ex quo regeniti ſunt, ne illud pereat aut excutiatur. Deinde, per Verbum & Spiritum ſuum, eos certò & efficaciter renouat ad pœnitentiam, vt de admiſsis peccatis ex animo & ſecundùm Deum doleant, remiſsionem in ſanguine Mediatoris, per fidem, contrito corde, expetant, & obtineant, gratiam Dei reconciliati iterum ſentiant, miſerationes per fidem eius adorent, ac deinceps ſalutem ſuam cum timore & tremore ſtudioſiùs operentur.

VIII.

Ita non ſuis meritis, aut viribus; ſed ex gratuita Dei miſericordia id obtinent, vt nec totaliter fide & gratia excidant, nec finaliter in lapſibus maneant aut pereant. Quod quoad ipſos, non tantùm facilè fieri poſſet, ſed & indubiè fieret; reſpectu autem Dei, fieri omnino non poteſt: cùm nec conſilium ipſius mutari, promiſsio excidere, vocatio ſecundùm propoſitum reuocari, Chriſti meritum, interceſsio, & cuſtodia irrita reddi, nec Spiritus Sancti obſignatio fruſtranea fieri, aut deleri poſsit.

XI.

De hac electorum ad ſalutem cuſtodia, vereque fidelium in fide perſeuerantia, ipſi fideles certi eſſe poſſunt, & ſunt, pro menſura fidei, qua certò credunt ſe, eſſe & perpetuò manſuros vera & viua Eccleſiæ membra, habere remiſsionem peccatorum, & vitam æternam.

X.

Ac proinde hæc certitudo non eſt ex peculiari quadam reuelatione, præter aut extra Verbum facta, ſed ex fide promiſsionum Dei, quas in Verbo ſuo copioſiſsimè in noſtrum ſolatium reuelauit: ex teſtimonio *Spiritus Sancti teſtantis cum Spiritu noſtro nos eſſe Dei filios & hæredes*. Rom.8.16. Denique ex ſerio & ſancto bonæ conſcientiæ & bonorum operum ſtudio. Atque hoc ſolido obtinendæ victoriæ ſolatio, & infallibili æternæ gloriæ arrha, ſi in hoc mundo Electi Dei deſtituerentur, omnium hominum eſſent miſerrimi.

XI.

XI.

Interim teſtatur Scriptura fideles in hac vita cum variis carnis dubitationibus conflictari, & in graui tentatione conſtitutos, hanc fidei plerophoriam, ac perſeuerantiæ certitudinem, non ſemper ſentire. Verùm Deus, Pater omnis conſolationis, *ſupra vires tentari eos non ſinit: ſed cum tentatione præſtat euaſionem*. 1. Cor. 10.13. ac per Spiritum Sanctum perſeuerantiæ certitudinem in iiſdem rurſum excitat.

XII.

Tantùm autem abeſt, vt hæc perſeuerantiæ certitudo, verè fideles ſuperbos, & carnaliter ſecuros reddat, vt è contrario humilitatis, filialis reuerentiæ, veræ pietatis, patientiæ in omni lucta, precum ardentium conſtantiæ in cruce & veritatis confeſsione, ſolidique in Deo gaudij vera ſit radix: & conſideratio iſtius beneficij ſit ſtimulus ad ſerium & continuum gratitudinis & bonorum operum exercitium ; vt ex Scripturæ teſtimoniis & Sanctorum exemplis conſtat.

XIII.

Neque etiam in iis, qui à lapſu inſtaurantur, laſciuiam aut pietatis incuriam procreat redeuiua perſeuerantiæ fiducia; ſed multo maiorem curam, de viis Domini ſollicitè cuſtodiendis, quæ præparatæ ſunt, vt in illis ambulando perſeuerantiæ ſuæ certitudinem retineant, ne propter paternæ benignitatis abuſum propitij Dei facies, (cuius contemplatio piis vitâ dulcior, ſubductio morte acerbior) denuo ab ipſis auertatur, & ſic in grauiores animi cruciatus incidant.

XIV.

Quemadmodum autem Deo placuit, opus hoc ſuum gratiæ per prædicationem Euangelij in nobis inchoare, ita per eiuſdem auditum, lectionem, meditationem, adhortationes, minas, promiſſa, nec non per vſum Sacramentorum, illud conſeruat, continuat, & perficit.

XV.

Hanc de verè credentium ac Sanctorum Perſeuerantia, eiúſque certitudine, doctrinam, quam Deus ad nominis ſui gloriam, & piarum animarum ſolatium, in Verbo ſuo abundantiſsimè reuelauit, cordibúſque fidelium imprimit, caro quidem non capit, Satanas odit, mundus ridet, imperiti & hypocritæ in abuſum rapiunt, ſpiritúſque erronei oppugnant; ſed Sponſa Chriſti, vt inæſtimabilis pretij theſaurum, tenerrimè ſemper dilexit, & conſtanter propugnauit: quod vt porrò faciat procurabit Deus aduerſus quem nec conſilium valere, nec robur vllum præualere poteſt. Cui ſoli Deo, Patri, Filio & Spiritui Sancto, ſit honos & gloria in ſempiternum. Amen.

REIECTIO ERRORVM
Circa Doctrinam
DE
PERSEVERANTIA SANCTORVM.

Expoſita doctrina Orthodoxa, rejicit Synodus Errores eorum,

I.

QVi docent, *Perſeuerantiam verè fidelium, non eſſe effectum Electionis, aut donum Dei, morte Chriſti partum, ſed eſſe conditionem noui fœderis, ab homine ante ſui Electionem ac Iuſtificationem* (vt ipſi loquuntur) *peremptoriam, libera voluntate præſtandam.* Nam ſacra Scriptura teſtatur, eam ex electione ſequi, & vi mortis, reſurrectionis, & interceſsionis Chriſti Electis donari, Rom.11.7. *Electio aſſecuta eſt, reliqui occalluerunt.* Item Rom.8.32. *Qui proprio Filio non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit ipſum, quomodo non cum eo nobis omnia donabit? Quis intentabit crimina aduerſus Electos Dei? Deus eſt, qui iuſtificat. Quis eſt, qui condamnet? Chriſtus is eſt, qui mortuus eſt, imò qui etiam reſurrexit, qui etiam ſedet ad dexteram Dei, qui etiam intercedit pro nobis. Quis nos ſeparabit à dilectione Chriſti?*

II.

Qui docent, *Deum quidem hominem fidelem ſufficientibus ad perſeuerandum viribus inſtruere, ac paratum eſſe eas in ipſo conſeruare, ſi officium faciat: poſitis tamen illis omnibus, quæ ad perſeuerandum in fide neceſſaria ſunt, quæque Deus ad conſeruandam fidem adhibere vult pendere ſemper à voluntatis arbitrio, vt perſeueret, vel non perſeueret.* Hæc enim ſententia manifeſtum Pelagianiſmum continet: & homines, dum vult facere liberos, facit ſacrilegos, contra perpetuum Euangelicæ doctrinæ conſenſum, quæ omnem gloriandi materiam homini adimit, & huius beneficij laudem ſoli diuinæ gratiæ tranſcribit: & contra Apoſtolum, teſtantem, *Deum eſſe qui confirmabit nos vſque in finem inculpatos in die Domini noſtri Ieſu Chriſti*, 1.Cor.1.8.

III.

Qui docent, *Verè credentes & regenitos non tantùm poſſe à fide iuſtificante, item gratia & ſalute totaliter & finaliter excidere, ſed etiam reipſa non rarò ex iis excidere, atque in æternum perire.* Nam hæc opinio ipſam Iuſtificationis ac Regenerationis gratiam, & perpetuam Chriſti cuſtodiam irritam reddit, contra diſerta Apoſtoli Pauli verba, Rom.5.9. *Si Chriſtus pro nobis mortuus eſt, quum adhuc eſſemus peccatores, multo igitur magis, iam iuſtificati ſanguine eius, ſeruabimur per ipſum ab ira.* Et contra Apo-

Apoſtolum Iohannem, Iohan.3.9. *Omnis qui natus eſt ex Deo,non dat operam peccato: quia ſemen eius in eo manet,nec poteſt peccare, quia ex Deo genitus eſt.* Nec non contra verba Ieſu Chriſti, Iohan.10.28.29. *Ego vitam æternam do ouibus meis,& non peribunt in æternum,nec rapiet eas quiſquam de manu mea; Pater meus, qui mihi eas dedit, maior eſt omnibus,nec vllus poteſt eas rapere de manu Patris mei.*

IV.

Qui docent, *Verè fideles ac regenitos poſſe peccare peccato ad mortem, vel in Spiritum Sanctum*: Quum idem Apoſtolus Iohan. cap.5. poſtquam verſ.16.17. peccantium ad mortem meminiſſet, & pro iis orare vetuiſſet,ſtatim verſ.18. ſubjungat: *Scimus quòd quiſquis natus eſt ex Deo,non peccat* (nempe illo peccati genere) *ſed qui genitus eſt ex Deo, conſeruat ſeipſum,& malignus ille non tangit eum.*

V.

Qui docent, *Nullam certitudinem futuræ perſeuerantiæ haberi poſſe in hac vita,abſque ſpeciali reuelatione.* Per hanc enim doctrinam verè fidelium ſolida conſolatio in hac vita tollitur,& Pontificiorum dubitatio in Eccleſiam reducitur.Sacra verò Scriptura paſſim hanc certitudinem,non ex ſpeciali & extraordinaria reuelatione, ſed ex propriis filiorum Dei ſignis, & conſtantiſsimis Dei promiſſionibus petit. Imprimis Apoſtolus Paulus,Rom.8.39. *Nulla res creata poteſt nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu, Domino noſtro.* Et Iohannes, Epiſt.1. cap.3.34 *Qui ſeruat mandata eius, in eo manet, & ille in eo: & per hoc nouimus ipſum in nobis manere ex Spiritu, quem dedit nobis.*

IV.

Qui docent, *Doctrinam de perſeuerantia ac ſalutis certitudine, ex natura & indole ſua, eſſe carnis puluinar, & pietati, bonis moribus,precibus,aliiſque ſanctis exercitiis noxiam: Contrà verò de ea dubitare, eſſe laudabile.* Hi enim demonſtrant ſe efficaciam diuinæ gratiæ,& inhabitantis Spiritus S. operationem ignorare: & contradicunt Apoſtolo Iohanni contrarium diſertis verbis affirmanti,Epiſt.1.cap.3.2.3. *Dilecti mei,nunc filij Dei ſumus, ſed nondum patefactum eſt id quod erimus. Scimus autem fore, vt quum ipſe patefactus fuerit ſimiles ei ſimus, quoniam videbimus eum,ſicuti eſt. Et quiſquis habet hanc ſpem in eo,purificat ſeipſum, ſicut & ille purus eſt.* Hi præterea Sanctorum tam Veteris quàm Noui Teſtamenti exemplis redarguuntur, qui licèt de ſua perſeuerantia & ſalute eſſent certi,in precibus tamen, aliiſque pietatis exercitiis, aſſidui fuerunt..

VII.

Qui docent, *Fidem temporariorum à juſtificante & ſaluifica fide non differre, niſi ſola duratione.* Nam Chriſtus ipſe Matth.13.20.& Luc.8.13. ac deinceps,triplex præterea inter temporarios & veros fideles diſcrimen manifeſtò conſtituit,quum illos dicit ſemen recipere in terra petroſa, hos in terra bona, ſeu corde bono: illos carere radice,hos radicem firmam habere: illos fructibus eſſe vacuos,hos fructum ſuum diuerſa menſura,conſtanter ſeu perſeueranter,proferre.

VIII.

Qui docent, *Non eſſe abſurdum, hominem priore regeneratione extincta, iterato, imò*

sæpius renasci. Hi enim per hanc doctrinam negant seminis Dei, per quod renascimur, incorruptibilitatem: adversus testimonium Apostoli Petri, Epist.1. cap.1.23. *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili.*

IX.

Qui docent, *Christum nunquam rogasse pro infallibili credentium in fide Perseuerantia.* Contradicunt enim ipsi Christo, dicenti, Luc.22.32. *Ego rogaui pro te, Petre, ne deficiat fides tua:* Et Evangelistæ Iohanni, testanti, Ioh.17.20. Christum non tantùm pro Apostolis, sed etiam pro omnibus, per sermonem ipsorum credituris, orasse: vers.11. *Pater Sancte, conserua eos in nomine tuo:* Et vers.15. *Non oro vt eos tollas è mundo, sed vt conserues eos à malo.*

CONCLVSIO.

Atque hæc est perspicua, simplex, & ingenua Orthodoxæ de quinque Articulis in Belgio controuersis doctrinæ declaratio; & Errorum, quibus Ecclesiæ Belgicæ aliquamdiu sunt perturbatæ, reiectio: quam Synodus ex verbo Dei desumptam, & Confessionibus Reformatarum Ecclesiarum consentaneam esse iudicat. Vnde liquidò apparet eos, quos id minimè decuit, citra omnem veritatem, æquitatem, & charitatem populo inculcatum voluisse.

Doctrinam Ecclesiarum Reformatarum de Prædestinatione & annexis ei capitibus, proprio quodam genio atque impulsu, animos hominum ab omni pietate & religione abducere. Esse carnis & diaboli puluinar, arcémque Satanæ, ex qua omnibus insidietur, plurimos sauciet, & multos tum desperationis, tum securitatis iaculis lethaliter configat: Eandem facere Deum authorem peccati, iniustum, Tyrannum, Hypocritam; nec aliud esse quàm interpolatum Stoicismum, Manicheismum, Libertinismum, Turcismum: Eandem reddere homines carnaliter securos: quippe ex ea persuasos Electorum saluti, quomodocumque viuant, non obesse, ideóque eos securè atrocissima quæque scelera posse perpetrare: Reprobis ad salutem non prodesse, si vel omnia Sanctorum opera verè fecerint: Eadem doceri, Deum nudo puróque voluntatis arbitrio, absque omni vllius peccati respectu, vel intuitu, maximam mundi partem ad æternam damnationem prædestinasse & creasse: Eodem modo, quo electio est fons & causa fidei ac bonorum operum, reprobationem esse causam infidelitatis & impietatis: Multos fidelium infantes ab vberibus matrum innoxios abripi & tyrannicè in gehennam præcipitari, adeò vt iis nec Baptismus, nec Ecclesiæ in eorum Baptismo preces, prodesse queant. Et quæ eius generis sunt alia plurima, quæ Ecclesiæ Reformatæ non solùm non agnoscunt, sed etiam toto pectore detestantur. Quare quotquot nomen Servatoris nostri Iesu Christi piè inuocant, eos Synodus hæc Dordrechtana per nomen Domini obtestatur, vt de Ecclesiarum Reformatarum fide, non ex coacervatis hinc inde calumniis, vel etiam priuatis nonnullorum, tum Veterum, tum Recentium Doctorum dictis, sæpe etiam aut mala fide citatis, aut corruptis, & in alienum sensum detortis, sed ex publicis ipsarum Ecclesiarum Confessionibus, & ex hac Orthodoxæ doctrinæ declaratione, vnanimi omnium & singulorum totius Synodi membrorum consensu firmata, iudicent. Calumniatores deinde ipsos seriò monet, viderint quàm graue Dei iudicium sint subituri, qui contra tot Ecclesiarum Confessiones, falsum testimoniū dicunt, conscientias infirmorum turbant, multísque verè fidelium societatem suspectam redere satagunt.

Postremò,

Postremò, hortatur hæc Synodus omnes in Euangelio Christi Symmystas, vt in huius doctrinæ pertractatione, in Scholis atque in Ecclesiis, piè & religiosè versentur, eam tum lingua, tum calamo, ad diuini nominis gloriam, vitæ sanctitatem, & consternatorum animorum solatium accommodent, cum Scriptura secundùm fidei analogiam non solùm sentiant, sed etiam loquantur; à phrasibus denique iis omnibus abstineant, quæ præscriptos nobis genuini sanctarum Scripturarum sensus limites excedunt, & proteruis sophistis iustam ansam præbere possint, doctrinam Ecclesiarum Reformatarum suggillandi, aut etiam calumniandi. Filius Dei Iesus Christus, qui ad dextram Patris sedens dat dona hominibus, sanctificet nos in veritate, eos, qui errant adducat ad veritatem, calumniatoribus sanæ doctrinæ ora obstruat, & fidos verbi sui Ministros Spiritu sapientiæ & discretionis instruat, vt omnia ipsorum eloquia ad gloriam Dei, & ædificationem auditorum, cedant. Amen.

Ita nos sentire & judicare, manuum nostrarum subscriptione testamur.

Iohannes Bogermannus, Pastor Ecclesiæ Leouerdiensis, & Synodi Præses. Iacobus Rolandus, Pastor Ecclesiæ Amstelodamensis, & Præsidis Assessor. Hermannus Faukelius, Pastor Ecclesiæ Middelburgensis, & Præsidis Assessor. Sebastianus Damman, Pastor Ecclesiæ Zutphaniensis, & Synodi Scriba. Festus Hommius, Pastor Ecclesiæ Leydensis, & Synodi Scriba.

Ex Magna BRITANNIA.

Georgius, Episcopus Landauensis. Iohannes Dauenantius, Presbyter: Doctor ac Sacræ Theologiæ publicus Professor in Academia Cantabrigiensi, & Collegij Reginalis ibidem Præses. Samuel VVardus, Presbyter: SS. Theologiæ Doctor, Archidiaconus Tauntonnensis, & Collegij Sidneyani in Academia Cantabrigiensi Præfectus. Thomas Goadus, Presbyter: SS. Theologiæ Doctor, Cathedralis Ecclesiæ Paulinæ Londinensis Præcentor. Gualterus Balcanquallus, Scoto-Britannus, Presbyter, S. Theologiæ Baccalaureus.

Ex Palatinatu ELECTORALI.

Abrahamus Scultetus, S. Theologiæ Doctor & Professor in Academia Heydelbergensi. Paulus Toffanus, S. Theologiæ Doctor, & Consiliarius in Senatu Ecclesiastico inferioris Palatinatus. Henricus Alting. S. Theologiæ Doctor, & Professor in Academia Heydelbergensi.

Ex HASSIA.

Georgius Cruciger, S. Theologiæ Doctor, Professor, & pro tempore Rector Academiæ Marpurgensis. Paulus Steinius, Concionator Aulicus & S. Theologiæ in Collegio Nobilitatis Adelphico Mauritiano Professor Cassellis. Daniel Angelocrator Ecclesiæ Marpurgensis Pastor & vicinarum ad Lanum & Æderam Superintendens. Rodolphus Goclenius, Senior, Philosophiæ purioris in Academia Marpurgensi Antecessor primarius, & nunc Decanus.

Ex HELVETIA.

Iohannes Iacobus Breytingerus, Ecclesiæ Tigurinæ Pastor. Marcus Rutimeyerus, S. Theologiæ Doctor, & Ecclesiæ Bernensis Minister. Sebastianus Beckius, SS. Theologiæ Doctor & Noui

Baillivus Zuyd-Hollandiæ, Senior Ecclesiæ Dordrechtanæ. Iohannes de Laet, Senior Ecclesiæ Leydensis.

EX HOLLANDIA BOREALI,

Iacobus Triglandius, Pastor Ecclesiæ Omstelodamensis. Abrahamus à Doreslaer. Pastor Ecclesiæ Enchusanæ, Samuel Bartholdus, Pastor Ecclesiæ Monachodamensis. Theodorus Heyngius, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis. Dominicus ab Heemskerck, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis.

EX ZELANDIA,

Godefridus Vdemannus, Pastor Ecclesiæ Ziriczeanæ. Cornelius Regius, Ecclesiæ Goesanæ Pastor. Lambertus de Riicke, Ecclesiæ Bergizomianæ Pastor. Iosias Vosbergius, Senior Ecclesiæ Middelburgensis. Adrianus Hofferus, vrbis Ziriczeæ Senator, & Ecclesiæ ibidem Senior.

EX PROVINCIA VLTRAIECTINA.

Iohannes Dibbezius, Pastor Dordracenus, Synodi Orthodoxæ Vltraiectinæ Deputatus. Arnoldus Oortcampius, Ecclesiæ Amersfortianæ Pastor.

EX FRISIA,

Florentius Ioannis, Iesu Christi crucifixi Servus in Ecclesia Snecana. Philippus Danielis Elisbemius, Pastor Ecclesiæ Harlingensis. Kempo Harinxma à Donia, Senior Ecclesiæ Laquerdiensis. Tacitus ab Aysma, Senior Ecclesiæ in Buirgirdt, Hichtum, & Hartvvadt.

EX TRANSISVLANIA,

Casparus Sibellius, Pastor Ecclesiæ Dauentriensis. Hermannus Wiferding. Ecclesiæ Svvollanæ in Euangelio Christi Minister. Hieronymus Vogelius, Hasseltanæ Ecclesiæ Pastor, tempore deputationis inseruiens Ecclesiæ Orthodoxæ Campensi. Iohannes Langius, Ecclesiastes Vollenhovianus. Wilhelmus à Broickhuysen ten Doerne, tanquam Senior deputatus. Iohannes à Lauvvick, tanquam Senior deputatus.

Ex Ciuitate GRONINGENSI, & Omlandiis.

Cornelius Hillenius, Seruus Iesu Christi in Ecclesia Groningana. Georgius Placius, Pastor Ecclesiæ Appingadammonensis. Wolfgangus Agricola, Pastor Ecclesiæ Bedumanæ. Wigboldus Homerus, Ecclesiæ Midvvoldanæ Pastor. Egbertus Halbes, Ecclesiæ Groninganæ Senior. Iohannes Rufelaert, Senior Ecclesiæ Stedumanæ.

EX DRENTIA.

Themo ab Asscheberg, Pastor Ecclesiæ Meppelensis. Patroclus Romelingius, Pastor Ecclesiæ Rhuinensis.

Ex Ecclesiis GALLO-BELGICIS,

Daniel Colonius, Pastor Ecclesiæ Leydensis, & Regens Collegij Gallo-Belgici in Academia Leydensi. Ioannes Crucius, Pastor Ecclesiæ Haerlemensis. Iohannes Doucherus, Pastor Ecclesiæ Flissinganæ. Ieremias de Pours, Ecclesiæ Gallo-Belgicæ Middelburgensis Pastor. Euerardus Beckerus, Senior Ecclesiæ Gallo-Belgicæ Middelburgensis. Petrus Pontanus, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis.

Hæc omnia de quinque Doctrinæ Capitibus Controuersis suprà comprehensis,ita esse gesta,testamur,Illustrissimorum ac Præpotentum DD. Ordinum Generalium ad hanc Synodum Deputati , manuum nostrarum subsignatione.

EX GELDRIA,

Martinus Gregorij, D. Consiliarius Ducatus Geldriæ, & Comitatus Zutphaniæ. Henricus van Essen, Consiliarius Ducatus Geldriæ,& Comitatus Zutphaniæ.

EX HOLLANDIA,

Walravus de Brederode. Hugo Muys van Holy. Iacobus Boelius. Gerardus de Nieuburch.

EX ZELANDIA,

Simon Scotto Consiliarius & Secretarius Ciuitatis Middelburgensis. Iacobus Campe, Ordinum Zelandiæ Consiliarius.

EX PROVINCIA VLTRAIECTINA.

Fredericus van Zuylen van Nyevelt. Wilhelmus van Hardervelt.

EX FRISIA,

Ernestus ab Aylva, Ordinum Frisiæ Consiliarius, Orientalis Dongriæ Grietmannus. Ernestus ab Harinxma Consiliarius Primarius in Curia Provinciali Frisiæ.

EX TRANSISVLANIA,

Henricus Hagen.

EX CIVITATE GRONINGENSI ET OMLANDIIS,

Hieronymus Isbrants. I. V. D. Edzardus Iacobus Clant à Stedum.
Et Illustribus ac Amplißimis DD. Delegatis à Secretis, Daniel Heyensius.

SESSIONE CXXXVII.

XXIV. Aprilis, die Mercurij ante meridiem.

ABsolutis hunc in modum iis quæ spectarent ad doctrinam, prælecta est iudicij Synodici de Remonstrantibus formula : Eorum imprimis, qui ad hanc Synodum Citati contumaciæ crimine se toties obstrinxerant. Qua de re audita sunt iudicia.

SESSIONE CXXXVIII.

Eodem die post meridiem.

FOrmula superior ex singulorum suffragiis paululum immutata, denuò prælecta, tandemque omnibus est approbata : nisi quòd inter exteros essent,qui quæstiones illas personales,extra iurisdictionem suam esse existimarent. Cuius formulæ hoc est exemplar.

SENTEN-

SENTENTIA SYNODI,

De Remonstrantibus.

EXPLICATA hactenus, & asserta, per Dei gratiam, Veritate; erroribus reiectis, & damnatis; abstersis iniquis calumniis; Synodus hæc Dordrechtana (quæ ipsi porrò cura superest) seriò, obnixè, & pro autoritate, quam ex Dei verbo in omnia suarum Ecclesiarum membra obtinet, in Christi nomine rogat, hortatur, monet, atque iniungit omnibus & singulis in Fœderato Belgio Ecclesiarum Pastoribus, Academiarum, & Scholarum Doctoribus, Rectoribus, & Magistris, atque adeò omnibus in vniuersum, quibus vel animarum cura, vel iuuentutis disciplina est demandata, vt missis quinque notis Remonstrantium Articulis, qui & erronei sunt, & mera errorum latibula, hanc sanam veritatis salutaris doctrinam, ex purissimis verbi diuini fontibus haustam, sinceram & inuiolatam, pro viribus & munere suo, conseruent: illam populo & iuuentuti fideliter & prudenter proponant & explicent: vsumque eius suauissimum atque vtilissimum, tum in vita, tum in morte, diligenter declarent: errantes ex grege, secus sentientes, & opinionum nouitate abreptos, veritatis euidentia mansuetè erudiant, si quando det ipsis Deus resipiscentiam, ad agnoscendam veritatem: vt saniori menti redditi, vno Spiritu, ore, fide, charitate, Ecclesiæ Dei, & Sanctorum communioni, denuo accedant; atque tandem coalescat vulnus Ecclesiæ & fiat omnium eius membrorum cor vnum & anima vna in Domino.

At verò, quia nonnulli è nobis egressi, sub titulo *Remonstrantium*, (quod nomen *Remonstrantium* vt & *Contra-Remonstrantium*, Synodus perpetua obliuione delendum censet) studiis & consiliis priuatis, modis illegitimis, disciplina & ordine Ecclesiæ violata, atque Fratrum suorum monitionibus & iudiciis contemptis, Belgicas Ecclesias antea florentissimas, in fide & charitate coniunctissimas, in his Doctrinæ capitibus, grauiter & periculosè admodum turbarunt: errores noxios & veteres reuocarunt, & nouos procuderunt, publicè & priuatim, voce ac scriptis, in vulgus sparserunt, & acerrimè propugnarunt: Doctrinam, hactenus in Ecclesiis receptam, calumniis & contumeliis enormibus insectandi, nec modum, nec finem fecerunt: scandalis, dissidiis, conscientiarum scrupulis, & exagitationibus, omnia passim compleuerunt: quæ certè grauia in fidem, in charitatem, in bonos mores, in Ecclesiæ vnitatem & pacem, peccata, cùm in nullo homine tolerari iustè

possint, in Pastoribus censura seuerissima ab omni æuo in Ecclesia vsurpata, necessariò animaduerti debent; Synodus, inuocato Dei sancto nomine, suæ autoritatis ex verbo Dei probè conscia, omnium legitimarum, tum Veterum rum Recentium Synodorum vestigiis insistens, & Illustrissimorum DD. Ordinum Generalium autoritate munita, Declarat atque Iudicat, Pastores illos, qui partium in Ecclesia ductores, & errorum doctores sese præbuerunt, corruptæ Religionis, scissæ Ecclesiæ vnitatis, & grauissimorum scandalorum; Citatos verò ad hanc Synodum, intolerandæ insuper aduersus supremi Magistratus in hac Synodo publicata decreta, ipsámque hanc venerandam Synodum peruicaciæ reos & conuictos teneri. Quas ob causas, primò Synodus prædictis Citatis omni Ecclesiastico munere interdicit, eosque ab officiis suis abdicat, & Academicis functionibus etiam indignos esse iudicat donec per seriam resipiscentiam, dictis, factis, studiis contrariis abundè comprobatam, Ecclesiæ satisfaciant, & cum eadem verè & plenè reconcilientur, atque ad eius communionem recipiantur: quod nos in ipsorum bonum & totius Ecclesiæ gaudium vnicè in Christo Domino nostro exoptamus. Reliquos autem, quorum cognitio ad Synodum hanc Nationalem non deuenit, Synodis Prouincialibus, Classibus, & Presbyteriis, ex ordine recepto, committit: quæ omni studio procurent ne quid Ecclesia detrimenti vel in præsens capere, vel in posterum metuere possit. Errorum istorum sectatores spiritu prudentiæ discriminent: refractarios, clamosos, factiosos, turbatores, quàm primùm officiis Ecclesiasticis, & Scholasticis, quæ sunt suæ cognitionis & curæ, abdicent: eoque nomine monentur, vt nulla interiecta mora, post acceptum huius SYNODI NATIONALIS Iudicium: impetrata ad hoc Magistratus autoritate, conueniant, ne lenitudine malum inualescat & roboretur. Ex infirmitate, & vitio temporum lapsos, vel abreptos, & in leuioribus fortè hæsitantes, aut etiam dissentientes, modestos tamen, sedatos, vitæ inculpatæ, dociles, omni lenitate, charitatis officiis, patientia, ad veram atque perfectam concordiam cum Ecclesia, prouocent: ita tamen, vt diligenter sibi caueant, ne quemquam ad sacrum Ministerium admittant, qui doctrinæ hisce Synodicis Constitutionibus declaratæ subscribere, eámque docere recuset: neminem etiam retineant, cuius manifesta dissensione, doctrina in hac Synodo tanto consensu comprobata violari, & pastorum concordia, Ecclesiarumque tranquillitas denuo turbari queat. Præterea Veneranda hæc Synodus seriò monet Ecclesiasticos omnes cœtus, vt inuigilent diligentissimè in greges sibi commissos, omnibus subnascentibus in Ecclesia nouitatibus maturè obuiam eant, eásque tanquam zizania ex agro Domini euellant: attendant Scholis & Scholarum Moderatoribus, ne qua ex priuatis sententiis & prauis opinionibus iuuentuti instillatis, postmodum Eclesiæ & Reipublicæ pernicies denuò creetur. Denique, Illustrissimis & Præpotent. DD. Fœderati Belgij Ordinibus Generalibus, gratiis reuerenter actis, quòd tam necessario & opportuno tempore, afflictis & labentibus Ecclesiæ rebus Synodi remedio clementer succurrerit, probos & fideles Dei seruos in suam tutelam receperint, pignus omnis benedictionis & præsentiæ diuinæ,

Verbi

Verbi nempe ipſius veritatem, in ſuis ditionibus ſanctè & religiosè conſeruatam voluerint: nulli labori, nullis ſumptibus ad tantùm opus promouendum & perficiendum pepercerint: pro quibus eximiis officiis largiſsimam à Domino & publicè & priuatim, & ſpiritualem & temporalem, remunerationem toto pectore Synodus comprecatur. Eoſdem porrò Dominos clementiſſimos obnixè & demiſsè rogat, vt hanc ſalutarem doctrinam, fideliſsimè ad Verbum Dei & reformatarum Eccleſiarum conſenſum à Synodo expreſſam, in ſuis Regionibus ſolam & publicè audiri velint & iubeant: arceant ſuborientes omnes hæreſes & errores, ſpiritus inquietos & turbulentos compeſcant: veros & benignos Eccleſiæ nutritios ac tutores ſeſe probare pergant: in perſonas ſupradictas ſententiam, pro iure Eccleſiaſtico, patriis legibus confirmato, ratam eſſe velint, & autoritatis ſuæ adiecto calculo, Synodicas Conſtitutiones immotas & perpetuas reddant.

NOMINE ET IVSSV SYNODI.

Sebaſtianus Damman, Synodi Scriba.
Feſtus Hommius Eccleſ. Leydenſis Paſtor, & Synodi Nat. Actuarius.
In teſtimonium Actorum, Daniel Heinſius.

Atque hanc quidem ſententiam Synodicam Illuſtriſſ. ac Præpotentes DD. Ordines Generales poſtea approbarunt in hunc modum.

APPROBATIO

Illuſtriſſimorum ac Præpotentum Dominorum Ordinum Generalium.

ORdines Generales Fœderati Belgij, omnibus, qui haſce viſuri aut lecturi ſunt, Salutem. Notum facimus, Quum ad tollendas triſtes & noxias illas controuerſias, quæ aliquot abhinc annis cum magno Reipublicæ detrimento, & pacis Eccleſiarum perturbatione, exortæ ſunt ſuper quinque notis Doctrinæ Chriſtianæ Capitibus, eorumque appendicibus, viſum nobis fuerit, ex ordine in Eccleſia Dei, ipſaque adeo Belgica, antehac vſitato, Dordrechtum conuocare Synodum Nationalem omnium Eccleſiarum Fœderati Belgij; vtque illa maximo cum fructu & Reipublicæ emolumento celebrari poſſet, non ſine graui moleſtia, magniſque impenſis, ad eandem expetiuerimus & impetrauerimus complures præſtantiſsimos, doctiſsimos, & celeberrimos Reformatæ Eccleſiæ Theologos exteros, vti ex prædictæ Synodi Decretorum ſubſcriptione, poſt ſingula doctrinæ Capita videre eſt: Delegatis inſuper ex ſingulis Prouinciis ad eiuſdem directionem noſtris Deputatis, qui in eadem ab initio vſque ad finem præſentes curam gererent, vt omnia ibidem in timore Dei, & recto ordine, ex ſolo Dei verbo ſincerè noſtræ intentioni congruenter, poſſent pertractari. Cumque prædicta hæc Synodus ſingulari Dei benedictione, tanto omnium & ſingulorum, tam exterorum, quam Belgicorum, conſenſu, de prædictis quinque Doctrinæ Capitibus, eorumque Doctoribus iam iudicarit, nobiſque conſultis & conſentientibus ſexto Maij proximè præterito, Decreta & ſententiam hiſce præfixa,

promulgarit: NOS, vt exoptati fructus ex magno & sancto hoc opere (quale nunquam antehac Ecclesiæ Reformatæ viderunt,) ad Ecclesias harum regionum redundare queant, quandoquidem nihil nobis æquè cordi & curæ est, quàm gloria Sanctissimi Nominis Diuini, quàm conseruatio & propagatio veræ Reformatæ Christianæ Religionis (quæ fundamentum est prosperitatis & vinculum vnionis Fœderati Belgij) quàm concordia, tranquillitas, & pax Ecclesiarum, quæ sunt in hisce regionibus, cum omnibus exteris Reformatis Ecclesiis, à quibus nos separare nec debuimus, nec potuimus: Visis, cognitis, & maturè examinatis atque expensis, prædicto Iudicio & Sententia Synodi, ista plenè in omnibus approbauimus, confirmauimus, & rata habuimus, approbamus, confirmamus, & rata habemus per præsentes: Volentes ac statuentes, vt nulla alia Doctrina de quinque prædictis doctrinæ Capitibus in Ecclesiis harum regionum doceatur aut propagetur, præter hanc, quæ prædicto Iudicio sit conformis atque consentanea: Mandantes atque imperantes omnibus Ecclesiasticis cœtibus, Ecclesiarum Ministris SS. Theologiæ Professoribus & Doctoribus, Collegiorum Regentibus, omnibusque in vniuersum & singulis, quos hæc aliquatenus concernere queant aut attingere, vt in suorum Ministeriorum & functionum exercitio eadem in omnibus fideliter & sincerè sequantur, iisque conuenienter sese gerant. Vtque bonæ nostræ intentioni plenè ac per omnia vbique possit satisfieri, denunciamus & mandamus Ordinibus, Gubernatoribus, Deputatis Ordinum, Consiliariis & Ordinibus Deputatis Prouinciarum Geldriæ, & Comitatus Zutph. Holland. & Westfrisiæ, Zelandiæ, Vltraiecti, Frisiæ, Transisulaniæ, Ciuitatis Groningæ & Omlandiarum, omnibusque aliis Officiariis, Iudicibus, & Iustitiariis, vt prædicti Iudicij Synodi, eorumque quæ inde dependent, obseruationem promoueant & tueantur, ac promouere & tueri faciant, adeo vt nullam in hisce mutationem aut ipsi faciant, aut ab aliis vllo modo fieri permittant: Quoniam ad promouendam Dei gloriam, securitatem & salutem status harum Regionum, tranquillitatem & pacem Ecclesiæ, ita fieri debere iudicamus. Actum sub nostro Sigillo, Signatione Præsidis, & subscriptione nostri Graphiarij, Hagæ Comitis, secundo Iulij, Anno millesimo sexcentesimo & decimo nono, Signatum erat

A. Ploos. vt

Et inferiùs,

Ex mandato prædictorum, Præpotentum Dominorum Ordinum Generalium.

Subscriptum: *C. Aerssen*

Eratque spatio impressum prædictum Sigillum in cera rubra.

Quemadmodum verò Confessio fidei Ecclesiarum in Belgio reformatarum, ab omnibus & singulis consentientibus suffragiis probata est, tanquam consentiens

ſentiens diuinæ veritati in S.Scripturis expreſſæ & Confeſsionibus aliarum Eccleſiarum : Et iam anno 1583. in Synodo Nationali Eccleſiarum Gallicarum in vrbe Vitriacenſi habita, ſolenniter fuerat approbata ; & ad ſacram Doctrinæ vnionem, pro qua Deo gratias egerunt, teſtandam, Gallicarum Eccleſiarum reformatarum Confeſsioni ſimiliter Belgicarum Eccleſiarum Delegati ſubſcripſerunt. Ita etiam in Gallicarum Eccleſiarum Nationali Synodo Aleſenſi anno 1620. Synodi Dordrechtanæ Canones lecti fuerunt & expenſi ſigillatim atque attentè communique omnium & ſingulorum conſenſu probati ſunt,tanquam conformes Dei Verbo,& Confeſsioni Eccleſiarum Gallicarum, prudenter & purè admodum ſcripti, aptiſsimique ad falſam doctrinam eliminandam, & veram cum tranquillitate conſeruandam iudicati ſunt ab omnibus & ſingulis, quà ſimul iurarunt eos à ſe probari & pro virili vſque ad extremum vitæ ſpiritum in ea Doctrina defendenda perſtituros. Conſtitutum fuit inſuper & ab omnibus Synodis Prouincialibus & Academiarum Profeſſoribus vt & nunc & ab omnibus deinceps ad ſacrum Miniſterium & quodcunque munus Academicum admittendis iuramento comprobentur & ſubſcribantur.

Proximè ſecuta Synodus Nationalis Eccleſiarum Gallicarum Carentonenſis anno 1623. idem expreſsè confirmauit.

CYRILLI PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI

Confeſſio Chriſtianæ fidei.

CYRILLVS Patriarcha Conſtantinopolitanus, Anno 1630. *Doctrinæ Chriſtianæ ſummam, fidei ſuæ Confeſſionem Latinè à ſe conſcriptam Illuſtri viro Domino Cornelio Hagæ illuſtriſſimorum Belgij Fœderati Ordinum ad Turcicam Portam Legato tradidit. Poſtea eandem idiomate Græco ſacræ Scripturæ auctoritatibus munitam, & auctario quæſtiuncularum locupletatam exhibuit. Eámque coram Legato Gallico aliiſque, ſuam eſſe Profeſſus eſt Patriarcha, atque in ea fidei ſuæ profeſſione conſtans permanſit quandiu vixit. Idem Illuſtris Vir eandem ex ipſius conſenſu & voto, vt Orbi Chriſtiano communicaretur Geneuam miſit, vt typis vulgaretur: & vt fides certa eſſet apud omnes,* αὐτόγραφον *miſit, cuius viſendi omnibus cupidis facultas eſſet. Græcè & Latinè excuſa eſt, Geneuæ & Tiguri quæ in omnium manibus verſatur. Hìc Latina Editione contenti fuimus.*

ORIENTALIS CONFESSIO

CHRISTIANÆ FIDEI.

In Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.

CYrillus Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſciſcitantibus intelligere de Religione Eccleſiæ Orientalis, id eſt Græcæ, quid credamus videlicet, quidque ſentiamus de Articulis Orthodoxæ fidei, nomine omnium Chriſtianorum communiter, exponit breuem iſtam Confeſsionem, vt ſit in teſtimonium coram Deo & totâ Eccleſiâ ſine ſimulatione, & bonâ conſcientiâ.

Caput primum.

CRedimus *vnum verum Deum* Omniptentem & Infinitum, Trinum in Perſonis, *Patrem, Filium & Spiritum Sanctum.* Patrem ingenitum, Filium genitum

tum à Patre ante ſæcula, Patri conſubſtantialem; Spiritum Sanctum à Patre per Filium procedentem, eandem habentem eſſentiam quam Pater & Filius: iſtas tres Perſonas in vna eſſentia appellamus *SS.Trinitatem*, ſemper benedicendam, glorificandam, atque ab omni creatura adorandam.

II.

Credimus *Scripturam ſacram* eſſe θεόδοτον (id eſt, à Deo traditam) habereque authorem Spiritum Sanctum; non alium, cui habere debemus fidem indubitatam: ſcriptum enim eſt, Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui bene facitis attendere, quaſi lucernæ ſplendenti in caliginoſo loco. Propterea eius *authoritatem* eſſe ſuperiorem Eccleſiæ authoritate: nimis enim differens eſt, loqui Spiritum Sanctum & linguam humanam, quum iſta poſsit per ignorantiam errare, fallere & falli, Scriptura verò diuina nec fallitur, nec errare poteſt, ſed eſt infallibilis ſemper & certa.

III.

Credimus Deum Opt. Max. ante mundi originem ſuos *Electos* ad gloriam *prædeſtinaſſe* ſine reſpectu ad illorum opera, nullamque cauſam impulſiuam ad iſtam electionem aliam eſſe, niſi beneplacitum & diuinam miſericordiam: ſimiliter, ante conſtitutionem huius ſeculi, *reprobaſſe* quos reprobauit, cuius reprobationis, ſi reſpexeris abſolutum ius Dei, voluntatem Dei eſſe cauſſam, ſi autem ius ordinatum reſpexeris, Iuſtitiam Dei eſſe cauſſam: miſericors enim eſt Dominus & iuſtus.

IV.

Credimus Deum Trinum, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum eſſe *Creatorem* viſibilium & inuiſibilium. Inuiſibilia vocamus Angelos, viſibilia cœlum, & quæ ſub cœlo: & quia bonus eſt Creator naturâ, omnia creauit bona, nec vnquam malum poteſt facere, & ſi quid malum eſt, illud eſſe diaboli & hominis. Debet enim eſſe nobis certa regula, quòd Deus author non eſt mali, nec culpa iuſta ratione poteſt ei imputari.

V.

Credimus omnia gubernari per Dei *Prouidentiam*, quam adorare & non inveſtigare debemus, quum ſit ſupra captum noſtrum, neque rationes ipſius poſſimus certè à nobiſmet ipſis intelligere: in quâ materiâ ſentimus ſilentium, in humilitate potiùs amplexandum, quàm plura loqui quæ non ædificant.

VI.

Credimus primum hominem à Deo creatum, cecidiſſe in Paradiſo; quia neglecto diuino præcepto, ſerpentis fraudulento obtemperauit conſilio, indéque *originale* pullulaſſe *peccatum* poſteritati, ita vt nemo ſecundùm carnem naſcatur qui non portet hoc pondus, fructuſque ſuos in hâc vitâ non ſentiat.

VII.

Credimus Filium Dei, Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, ſe exinaniſſe, hoc

eſt,in ſua hypoſtaſi humanam aſſumpſiſſe naturam,Spiritu Sancto conceptum, factumque hominem in ventre ſemper Virginis Mariæ, natumque, paſſum, ſepultum & reſurrectione glorificatum, ſalutem & gloriam omnibus fidelibus peperiſſe,quem expectamus venturum viuos & mortuos iudicare.

VIII.

Credimus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum *ſedere in dextra Patris*, ibique pro nobis interpellare, & intercedere, ſolum officio fungentem veri & legitimi *Pontificis & Mediatoris* indeque ſolum curam gerere ſuorum & præeſſe Eccleſiæ,ipſam variis benedictionibus ornando, fœcundando.

IX.

Credimus ſine *fide* neminem poſſe *ſaluari*. Fidem autem eam vocamus,quæ eſt in Ieſu Chriſto iuſtificans, quam vita & mors Chriſti Domini peperit, Euangelium prædicat,& ſine quâ nemo poteſt placere Deo.

X.

Credimus Eccleſiam quæ vocatur *Catholica*, fideles in Chriſto continere vniuerſaliter, qui vel defuncti in Patria ſunt, vel adhuc in via peregrinantur, cuius *Eccleſia caput*, quia homo mortalis eſſe nullá ratione poteſt, ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſolus caput eſt, ipſeque clauum totius regiminis Eccleſiæ in manu tenet: ſed quoniam in via particulares Eccleſiæ viſibiles ſunt, & in ordine vnaquæque habet vnum primum, ipſum non eſſe propriè vocandum caput particularis illius Eccleſiæ,ſed impropriè,& hoc,quia in ipſa membrum eſt principale.

XI.

Credimus *membra Eccleſiæ* Catholicæ eſſe ſanctos ad vitam æternam electos, à quorum conſortio excludi hypocritas, quamuis in particularibus Eccleſiis miſtæ cum tritico paleæ inueniantur.

XII.

Credimus *Spiritu Sancto* ſanctificari & *doceri Eccleſiam* in via, ipſe enim eſt verus Paracletus, quem mittit Chriſtus à Patre, vt doceat Veritatem, tenebraſque excutiat à mentibus fidelium. Certum enim eſt quòd *Eccleſia in via errare* poteſt falſum pro vero eligendo, à quo errore ſolius Spiritus Sancti lumen & doctrina nos liberat, non mortalis hominis, quamuis mediante opera miniſtrantium Eccleſiæ hoc poſsit fieri.

XIII.

Credimus *hominem iuſtificari per fidem*,non ex operibus. Quum autem dicimus *per fidem*, intelligimus fidei correlatiuum, quod eſt *Iuſtitia Chriſti*, quam fides apprehendit, nobiſque applicat ad ſalutem: hoc autem optimè, ſineque operum præiudicio ſtare cognouimus: Nam & *Opera* non eſſe negligenda, eſſeque media neceſſaria & fidei noſtræ teſtimonia ad vocationis noſtræ confirmationem, Veritas ipſa nos docet. Ipſa verò per ſe eſſe ſufficientia hominem ſaluare,

ſaluare, in Tribunalique Chriſti comparere poſſe, vt *ex condigno* ſalutem retribuant, hoc eſſe falſum teſtatur humana fragilitas: at *Chriſti Iuſtitia* applicata reſipiſcentibus, ſola iuſtificat atque ſaluat fidelem.

XIV.

Credimus *liberum arbitrium* in non renatis eſſe mortuum, quia nihil boni poſſunt facere & quicquid faciunt eſſe peccatum, in renatis verò eſſe per gratiam Spiritus S. arbitrium excitatum, & operatur quidem, ſed non ſine gratiæ auxilio. Ergo vt homo faciat bonum, præuenit gratia arbitrium, quod ſine gratia inuenitur eſſe vulneratum, vt à latronibus ille qui deſcendebat ab Hieruſalem, ita vt nihil ex ſe vel poſsit vel faciat.

XV.

Credimus Euangelica *Sacramenta* eſſe in Eccleſia quæ Dominus inſtituit in Euangelio, & ipſa eſſe *duo*: ampliorem numerum Sacramentorum non habemus, quia Inſtitutor non plura tradidit. Porrò conſtare verbo & elemento, eſſeque ſignacula promiſsionum Dei, & conferre gratiam non dubitamus: vt autem Sacramentum ſit integrum, opus eſſe vt concurrat res terrena, & actio externa, cum vſu rei terrenæ à Chriſto Domino inſtituto, atque cum vera fide coniuncto, quia *fidei* defectus præiudicat integritati Sacramenti.

XVI.

Credimus *Baptiſmum* eſſe Sacramentum à Domino inſtitutum, quem niſi quis ſuſceperit, communionem non habet cum Chriſto, cuius ex morte, ſeputura & glorioſa reſurrectione promanat tota virtus & efficacia Baptiſmi; ideò ea forma quâ Dominus præcepit in Euangelio Baptizatis, certi ſumus quòd remittantur peccata tum originale tum actualia, ita vt quiqui abluti fuerint *in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti* regenerati, mundati, atque iuſtificati ſint. De *iteratione* autem non habemus mandatum, vt iteretur Baptiſmus, ideo abſtinendum eſſe ab hoc inconuenienti.

XVII.

Credimus alterum Sacramentum à Domino inſtitutum eſſe illud quod vocamus *Euchariſtiam*. Nocte enim quâ tradebat ſemetipſum, accipiens panem & benedicens, dicebat Apoſtolis; Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum: & accepto calice gratias agens, dicebat; Bibite ex hoc omnes, hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effunditur, hoc facite in meam commemorationem, & addit Paulus, quotieſcumque enim comederitis panem hunc, & calicem hunc biberitis, mortem Domini annuntiabitis: Iſta eſt ſimplex, vera & legitima huius mirabilis ſacramenti inſtitutio, in cuius adminiſtratione *præſentiam veram realem* Chriſti Domini confitemur & profitemur, at illam quam *Fides* nobis offert, non autem quam excogitata docet *transſubſtantiatio*. Credimus enim fideles corpus Chriſti manducare in Cœna Domini, non dente materiali terendo, ſed animæ ſenſu percipiendo, quum corpus Chriſti non ſit illud quod oculis in Sacramento ſeſe offert, ſed illud quod *ſpiritualiter Fides* apprehendit, nobiſque

præbet: vnde verum eſt, ſi credimus, manducamus & participamus: ſi non credimus, omni fructu deſtituimur: conſequenter calicem bibere in Sacramento, eſſe ſanguinem verum Domini noſtri *Ieſu Chriſti* communicare, eo modo ſicut & de corpore aſſeruimus: Inſtitutor enim ſicut de ſuo corpore, ita de ſuo ſanguine mandauit, quod mandatum lacerari nec mutilari debet pro libito humani arbitrij, imò ſeruari debet inſtitutio prout nobis tradita eſt. Vbi ergo participauerimus dignè, & communicauerimus integrè corpus & ſanguinem Chriſti in Sacramento, fatemur eſſe iam nos reconciliatos, capiti noſtro vnitos & *συσσώμους*, cum certa ſpe & cohæredes futuros in regno.

XVIII.

Credimus *defunctorum animas* eſſe vel in beatitudine, vel in damnatione, prout quiſque geſſerit: migrantes enim ex corporibus illico ad Chriſtum, vel in infernum migrare: quia qualis vnuſquiſque in morte inuenitur, talis iudicatur, poſt hanc vitam nulla eſt facultas reſipiſcentiæ, in hac vita tempus eſt gratiæ, ideo qui hîc iuſtificantur, nullam ampliùs poſthac ſubibunt pœnam: qui autem non iuſtificati moriuntur, in pœnas deſtinantur æternas. Ex quo patet commentum *de Purgatorio* non eſſe admittendum, ſed in veritate ſtatuendum, vnumquemque debere in hoc ſæculo reſipiſcere, remiſsionémque peccatorum per Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum* impetrare, ſi ſaluus eſſe voluerit. Et hic finis ſit.

Compendioſam iſtam Confeſsionem noſtram futuram conicctûramus in ſignum contradictionis apud illos, quibus placet nos calumniari & iniuſtè perſequi. At nos confidimus in Domino noſtro Ieſu Chriſto, & ſperamus quòd cauſſam ſuorum fidelium non relinquet, neque virgam malignorum ſuper ſortem iuſtorum.

Superiorem Confeſsionem à nobis Latinè primò conſcriptam, nunc quidem noſtra lingua de verbo ad verbum expreſsimus, vt in Latino habetur exemplari & archetypo, in quo quum rem in compendium contraxerimus, amplum adeò, & vt tempus ac neceſsitas poſtulaſſent, tractatum non exhibuimus, verùm hæc in futurum reiecimus: breui, enim diuino fauente numine, curabimus vt omnes fidem noſtram, illam ipſam eſſe agnoſcant quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus tradidit, Apoſtoli prædicarunt, & Orthodoxa docuit Eccleſia. Quapropter quum Orthodoxi quidam quid de particularibus quibuſdam articulis ſentiamus nos impræſentiarum interrogarint, noſtramque ſuper hac re ſententiam expetierint, ea quæ ſequuntur, ſuperioribus, vti videtis, anneſtimus.

Interrogatio prima.

An S.Scriptura communiter ab omnibus Chriſtianis legi debeat.

Reſponſio.

Fideles omnes Chriſtiani S.Scripturæ ſi non omnia, at ea ſaltem quæ in ea cognitu neceſſaria ſunt, noſſe, credere, confiteri ac profiteri debent: neque enim aliunde quàm à S.Scriptura diſcere poſſumus, eam videlicet aut legentes aut ab ore fidelium virorum ſincerè eam enarrantium excipientes; quemadmodum.

dum enim ſacræ Scripturæ auditorem eſſe nulli Chriſtiano prohibitum, ſic nullus eius lectione arcendus eſt,prope enim eſt verbum in ore illorum & in corde illorum. Idcirco fideli Chriſtiano,cuiuſcunque tandem ſit ordinis ac conditionis, manifeſta infertur iniuria, dum ſacræ Scripturæ auditione vel lectione priuatur & arcetur. Vnum enim idémque animam eſurientem cibo ſpirituali vel priuare vel quo minus attingat & deguſtet prohibere.

Interrogatio ſecunda.

An perſpicua ſit,ſeu intellectu facilis Scriptura Chriſtianis lectoribus?

Reſponſio.

MVltas quidem & multis in locis ſacræ Scripturæ ſiue literalem ſenſum ſpectes ſiue dictiones, difficultates ineſſe certum eſt, quæ verò complectitur fidei dogmata, à Spiritu Sancto regeneratis & illuminatis perſpicua & plana eſſe.Vnde manifeſtum fit, lectorem ſæpe quidem poſſe in aliquam difficultatem incidere,ſed à Spiritu Sancto illuminatum ab eadem Scripturâ,ſi analogicè & dictiones & literalem ſenſum inter ſe compoſuerit & contulerit, cùm ſolutionem, tum ſimul rectam ac veram intelligentiam aſſequi valere, eo quòd Scriptura lucerna ſit ac lumen quod fidelium mentem illuminat ac tenebras fugat.

Interrogatio tertia.

Quoſnam libros Scripturæ nomine dignaris?

Reſponſio.

SAcram Scripturam Canonicos omnes libros appellamus, quos tanquam fidei ac ſalutis noſtræ regulam accepimus atque adeo retinemus, eaque potiſſimùm de cauſſa quòd diuinitus inſpiratam nobis ſuggerant doctrinam, quæ tum ad inſtitutionem, tum ad illuminationem & perfectionem illius qui ad fidem accedit ſufficiat: hunc verò Canonicorum librorum numerum eſſe credimus, quem Laodicenſis Synodus pronuntiauit, & quem Catholica & Orthodoxa Chriſti Eccleſia à Spiritu Sancto illuminata in hunc vſque diem confitetur. At ij, quos Apocryphos appellamus, hoc propterea cognomine inſigniuntur, quòd eandem à Spiritu Sancto authoritatem & approbationem non acceperint, quam qui propriè & citra controuerſiam pro Canonicis habentur, quorum ex numero ſunt, Pentateuchus, Hagiographa ac Prophetæ, quos Laodicenſis Synodus legendos eſſe ſtatuit: Veteris nempe Teſtamenti libros viginti duos.Ex Nouo verò inter opes noſtras recenſemus quatuor Euangeliſtas,Acta Apoſtolorum,Epiſtolas S.Pauli,& Catholicas,quibus etiam addimus Apocalypſin dilecti à Domino,& hos quidem,Canonicos eſſe libros aſſerimus, & hæc,ſacram appellari Scripturam confitemur.

Interrogatio quarta.

Quid nobis de Imaginibus ſentiendum ſit.

Reſponſio.

QVod à diuinâ & ſacrâ docemur Scripturâ,quippe quæ diſertè dicat,Non facies tibi ſculptile,neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper,& quæ in terra deorſum,nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terrâ;non adorabis ea, neque coles, quum non creaturam, ſed Creatorem & Opificem cœli & terræ ſolùm colere, ſolumque adorare debeamus. Ex quibus patet nos

Picturam, vt quæ sit ars nobilis & illustris, non reprobare, imò verò effigies & Christi & Sanctorum habere, ei qui voluerit, concedimus. Verùm earum adorationem & cultum vtpote à Spiritu Sancto in sacrâ Scripturâ prohibitum detestamur, ne Creatoris ac conditoris loco colores, artificium & creaturas ignari adoremus. Secus sentientem, vt qui densissimis tenebris mentem occæcatam habeat, cuique cor penitus occallueriṭ, miserum arbitramur. Et satius quidem esset Dei mandato obtemperare, quàm vanis hominum sermonibus morem gerere. Quod in timore Domini & bonâ freti conscientiâ exponimus, etiamsi ad hunc impetum sistendum vires nostras minimè pares esse confiteamur. Et in hunc quidem modum scriptis ad interrogata respondentes finem fecimus, responsionésque Confessioni nostræ adnexuimus. Det autem Dominus omnibus in omnibus bene sentire & syncerâ vti conscientiâ.

Datum Constantinopoli mense Ianuario cIↃ IↃc xxxi.

CYRILLVS PATRIARCHA
Constantinopoleos.

GENERALIS CONFESSIO DOCTRINÆ Ecclesiarum Reformatarum in Regno Poloniæ, Mag. Ducatu Lithuaniæ, annexísque Regnis Prouinciis, proposita in Conuentu Thoruniensi anno 1645.

ANno 1645. *Serenissimus Rex Poloniæ* VLADISLAVS IV. *pro ineunda ratione componendorum dissidiorum in Religione, per regnum Poloniæ, conuentum celebrari voluit, & Thorunium conuocauit, Thoruniensis conuentus Acta auctoritate & mandato* SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS *ad exemplum & fidem Regij Protocolli Versauiæ impressa sunt anno* 1646. *in sessione* 3. *hæc habentur.*

VT postulatis DD. Catholicorum pro prima Actione in liquidatione Doctrinæ tantò promptiùs, pleniúsque satisfaciamus, simúlque eandem ex nostra parte, Diuinâ adiuuante gratiâ hoc responso inchoëmus, generalem hac vice doctrinæ nostræ Professionem proponendam censemus: præsertim cùm & Sacratissima Regia Maiestas primam in eo Collocutorum diligentiam requirat, vt vnaquæque Pars de omnibus & singulis Doctrinæ Controuersæ Capitibus, suam sententiam breuibus, simplicibus, apertis verbis & propositionibus conceptam, in medium proferat, oppositæque Parti eandem recognoscendam offerat.

Profi-

Profitemur itaque in primis quidem nos amplecti Sacras Canonicas Veteris & Noui Testamenti Scripturas, in Veteri, Hebreâ, in Nouo, Græcâ Linguâ, à Prophetis, & Apostolis, instinctu Spiritus Sancti, primitus scriptas, quas solas fidei ac Cultus nostri regulam perfectam esse agnoscimus, in quibus apertè posita inueniuntur illa omnia, quæ ad salutem omnibus sunt necessaria, seu vt B. Augustinus loquitur, quæ continent fidem morésque viuendi, spem scilicet & charitatem.

Quarum etiam velut Compendium quoddam, quoad credenda Symbolo Apostolico, in quod omnes baptizati sumus; quoad facienda Decalogo cuius summa consistit in dilectione Dei & proximi: quoad petenda & speranda, Oratione Dominicâ continetur; quæ & ipsa à Domino nostro IESV CHRISTO, institutione, tum Baptismi, ceu Sacramenti Initiationis, siue regenerationis, tum S. Eucharistiæ, ceu Sacramenti nutritionis spiritualis, confirmata sunt.

In his ergo capitibus summam Doctrinæ Christianæ saluificæ consistere censemus: cui in Ecclesia propagandæ, & conseruandæ, sacrum etiam Euangelij prædicandi, & Sacramentorum administrandorum ministerium, Dominus noster instituit, & potestate clauium Spirituali aduersus incredulos, & immorigeros armauit.

Si quid verò in hisce Doctrinæ Christianæ capitibus, dubitationis aut controuersiæ, de genuino eorum sensu, exoriatur, profitemur porrò nos amplecti ceu interpretationem Scripturarum, certam & indubitatam Symbolum Nicęnum, & Constantinopolitanum, iisdem planè verbis, quibus in Synodi Tridentinæ Sessione 3. tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessariò conueniunt, & fundamentum firmum, & vnicum, contra quod portæ inferorum nunquam præualebunt, proponitur.

Cui etiam consonare Symbolum, quod dicitur Athanasianum, agnoscimus, nec non Ephesinæ primæ, & Chalcedonensis Synodi Confessiones. Quin etiam quæ quinta & sexta Synodi Nestorianorum & Euthichianorum, reliquiis opposuêre: quæque aduersus Pelagianos olim Mileuitana Synodus, & Arausicana ex Scripturis docuêre. Quinimò quidquid primitiua Ecclesia ab ipsis vsque Apostolorum temporibus, vnanimi deinceps, & Notorio consensu, tanquam Articulum Fidei necessarium credidit, docuit, idem nos quoque ex Scripturis credere, & docere profitemur.

Hac igitur Fidei nostræ Professione, tanquam Christiani verè Catholici, ab omnibus Veteribus, & recentibus Hæresibus, quas Prisca Vniuersalis Ecclesia vnanimi Consensu, ex Scripturis reiecit, atque damnauit, nos nostrásque Ecclesias segregamus.

Cæterùm eas controuersias, quæ Patrum nostrorum memoriâ Ecclesias Occidentis, infelici dissidio disiunxerunt, quod attinet, profitemur ei nos sententiæ accedere, quæ tum in Augustana Confessione superioris sæculi, Anno 30. Imperatori Carolo V. à Principibus, & Ciuitatibus Imperij Protestantibus exhibita, siue eam Inuariatam, siue repetitam, aut emendatam dixeris: tum etiam in Bohemica & Sendomiriensi ex Scripturis explicata, in Ecclesiis huius Regni Reformatis, integrum iam ferè seculum, obtinuit: prout tres illæ

Confesſiones, quamuis verbis non nihil diſcrepantes, tamen vt re ipsâ cum Scripturis & inter ſeſe in capitibus Fidei neceſſariis conſentientes Sendomirienſi Conſenſu Anni 1570. in Eccleſiis noſtris receptæ vnitæque ſunt: atque etiam confœderatione pacis, & ſecuritatis publicæ in hoc Regno firmatæ ac munitæ.

Sin autem DD. Catholici ſingularum iam Controuerſiarum diſtinctionem, & ſpecialiorem explicationem à nobis requirant, viciſſim eos, quâ par eſt obſeruantiâ, rogamus, vt ipſi priùs Candidam illam & apertam doctrinæ ſuæ declarationem, quam poſtulato ſeu Conditione ſuâ tertiâ promittunt, nobis conſiderandam offerant: ita noſtrorum in ſingulis, vel conſenſum, vel diſſenſum apertè item atque ſimpliciter nos oſtenſuros, aut ſi quæ ambigua videbuntur, pleniorem explicationem vel propoſituros, vel petituros pollicemur. Ipſis etiam ſi fortè id malint, permittimus, vt ex dictis Eccleſiarum noſtrarum Confeſſionibus, ea doctrinæ capita nobis recenſeant quæ Hæreſeos accuſanda eoque à Communione Eccleſiæ Catholicæ, & à ſpe ſalutis æternæ arcenda & exterminanda ipſi iudicent.

Hac ratione fieri poſſe confidimus, vt quàm minimâ temporis iacturâ, ac labore facillimo, quale & quantum ſit hoc, inter vtramque Partem Religionis diſſidium perſpiciatur, qui primæ Actionis Generalis ſcopus eſt.

Zbygnus de Goray Gorayski Caſtellanus Chelmenſ. Præſes à S. R. M. Deſignatus, m. p.

Staniſlaus Drohoiovvski Director Conſeſſus à Parte Reformatorum, m. p.

Iohannes Bythnerus Superattendens Maioris Poloniæ, & Theologorum ad hoc Colloquium Deputatorum Præſes, m. p.

Thomas Wegierski Eccleſiarum Min. Pol. Reformatarum Superattendens. m. p.

Nicolaus Wyſocki Eccleſiarum Ref. in M. D. Lith: Supeattendens. m. p.